# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

*QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III* (*ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (*ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT* :

**RECUSIO CHRONOLOGICA**

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

## ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**Bibliothecæ Cleri universæ,**

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## PATROLOGIÆ TOMUS CXXXIII.

S. ODO ABAS CLUNIACENSIS; MARINUS II, AGAPETUS II, JOANNES XII, PONT. ROM.; S. ODO EPISCOPUS CANTUARIENSIS, RORICO LAUDUNENSIS EPISCOPUS; ARTHALDUS, ODALRICUS, RHEM. ARCHIEP.; CAPPIDUS STAVRIENSIS SACERD., COSMAS JAPYGUS MATERIENSIS, JOANNES ITALUS, LAURENTIUS, CASSIN. MONACH.; SIGEHARDUS MONACH. S. MAXIMINI, FRIDEGODUS BENED. MONACH.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum PAULO DUPONT. — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl.) 114.9.80.

SÆCULUM X.

# SANCTI ODONIS

## ABBATIS CLUNIACENSIS SECUNDI

# OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM D. MARRIER, CLUNIACENSIS ORDINIS MONACHI, ET BIBLIOTHECAM PATRUM AD PRELUM REVOCATA.

SEQUUNTUR:

## MARINI II, AGAPETI II, JOANNIS XII,

PONTIFICUM ROMANORUM,

# EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

INTERMISCENTUR

SANCTI ODONIS EPISCOPI CANTUARIENSIS, RORICONIS LAUDUNENSIS EPISCOPI; ARTHALDI, ODALRICI, RHEMENSIUM ARCHIEPISCOPORUM; CAPPIDI STAVRIENSIS SACERDOTIS, COSMÆ JAPYGI MATERIENSIS, JOANNIS ITALI, LAURENTII, CASSINENSIUM MONACHORUM, SIGEHARDI MONACHI S. MAXIMINI, FRIDEGODI BENEDICTINI MONACHI,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ EXSTANT.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**Bibliothecæ Cleri universæ**

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

## TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1881

# ELENCHUS

## AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXXIII CONTINENTUR.

# SANCTUS ODO

ABBAS CLUNIACENSIS.

# PROLEGOMENA.

## S. ODONIS ELOGIUM HISTORICUM AUCTORE MABILLONIO.

(Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti, sæc. V, pag. 124.)

### CAP. I. — *Vitæ scriptores, ejusque parentes et patria.*

1. Etsi res a sancto Odone gestas scripserint auctores duo, Joannes scilicet atque Nalgodus, ambo monachi Cluniacenses ; multa nihilominus ab ipsis prætermissa sunt, quæ in commentarios referri merentur. Quapropter ne viri de re publica Benedictina quam optime meriti facta segniter exquisisse videamur, duobus illis scriptoribus elogium ejus historicum præmittere juvat, in quo res ab eis intactæ, aut non satis explicatæ exponendæ sunt.

Et primo quidem ordiri decet ab istis duobus auctoribus, quorum primus Joannes fortunam suam ipse commemoravit sparsim in tribus de Odone libellis, quos in duos contrahit codex compendiensis. Fuit is natione Italus, patria Romanus, professione canonicus, quem Odo Romam anno 939 profectus, secum inde adduxit Ticinum usque, ibique monachum instituit, ex lib. I num. 2 et 4. Tum eum in peregrinationis socium assumens, dein priorem ordinavit, ut legitur non semel in lib. II, nempe num. 4, 7 et 10, Cluniaci, an Romæ ad S. Paulum, quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10 et 21. Denique Joannes se Neapolim « monasterii sui cogente necessitate missum » fuisse testatur num. 21. Biennium computat in lib. III, num. 5, totum illud temporis spatium, quo Odonis socius fuit. Per istud intervallum quidquid in Odonis de ipso dictis quidquid in factis (sic enim fere præfatur) observare potuit, postea litteris mandavit, aliis rebus omissis, quas tum ab Arnulfo magistro suo, tum ab Hucberto Tiburtino episcopo, tum a Landrico monacho et Hildebranno præposito suo de Odone resciverat. Nempe in suismet duntaxat oculis atque Odonis relatui fidebat, utinam minus suspiciosus de fide aliena. Hanc jacturam utcunque sarcire conabimur. Cæterum opus suum Joannes dedicat Salernitanis monachis, nescio an cœnobii sancti Petri Salernitani « subtus et prope Fistulam, » quod a Petro episcopo ante annum 958 conditum fuisse Ughellus probat in tomo VII Italiæ sacræ col. 503. In digressiones aliquando exspatiatur Joannes, nec se- A riem temporum factorumve ordinem satis observat.

2. His incommodis occurrere volens Nalgodus monachus, Joannis lucubrationem in compendium melioremque ordinem redigere aggressus est, quod item præstitit de sancti Maioli vita. Nalgodum Odonis « discipulum » appellat Petrus de Rivo in chronico Cluniacensi, eumque esse tradit qui « post decessum ipsius sancti Odonis vitam ejus et miracula luculenter descripsit. » Godefridus Henschenius in Maio id interpretatur de vita sancti Maioli, cujus discipulum fuisse Nalgodum opinatur. Verum annis post Odonem « fere ducentis, » post Maiolum paulo minus, vivebat Nalgodus, id quod ipse diserte asserit num. 29, nimirum Urbano secundo pontifice, aut certe post ipsum, ex B num. 23. Auctoris istius scriptionem tribus Joannis libellis minutiori charactere subjicere statuimus propter nonnullas de morte et sepultura Odonis aliasque circumstantias, quæ apud Joannem non leguntur. Odonis cum laude meminerunt multi alii auctores, quorum indicem exhibet Chesnius in notis ad bibliothecam Cluniacensem. In his fuse de sancto Odone agit Petrus Equilinus in lib. X, cap. 8.

3. Antequam de Odone Cluniacensi dicere incipio, non ab re erit observare, duos alios præter ipsum eodem ævo exstitisse illustres ejusdem nominis abbates, unum Masciacensem, alterum sancti Maxentii apud Pictones. De Masciacensi apud Bituriges cœnobio revocanda sunt ea quæ in elogio Bernonis abbatis superius diximus. Isti loco post Bernonem suffectus Odo Cluniacensis, proabbatem ibi constituit sibi cognominem, qui « anno 935 abbas ordinatus » memoratur in chronico Masciacensi apud Labbeum in tomo II Bibliothecæ novæ. De cujus secundi Odonis obitu ibidem etiam hæc leguntur : « Anno 967, VIII Idus Junii hic obiit Odo abbas bonæ memoriæ, et Arduicus monachus Nonis Septembris. » Diem sequentem signat Kalendarium sanctorum Thuano-Colbertinum num. 99 his verbis : « VII Idus Junii Odonis abbatis Masciacensis. » Alter Odo fuit abbas apud sanctum Maxentium, nempe anno 963, cui Ramnulfus abbas successit anno 968, testante chronographo Malleacensi apud eumdem Labbeum.

His præmissis, venio ad Odonem seu Oddonem abbatem Cluniacensem, cujus patriam et parentes primum investigare necesse est. Patri nomen fuisse Abboni, militari ordine prædito, ex Joanne monacho aliisque constat, apud quos nulla mentio de nomine Odonis matris. Abbonis elogium Joannes ex Odone commemorat initio libri I. Utrumque parentem filii monitis ad monasticam vitam se recepisse Nalgodus habet ex Joanne, qui recitato miraculo de micis in margaritas conversis, hæc subdit in lib. I, num. 35 : « Ex illo jam tempore cœpit infra seipsum æstuare propter genitorum suorum ereptionem, quatenus eos posset ab hujus sæculi nexibus subtrahere. Unde factum est, ut non multo post accepta licentia ad patrem suum abiret, eumque ad monasterium duceret, atque monachum ordinaret : matrem vero indui fecit sacro velamine, cujus vitam, si licuisset scribere » (utinam vero libuisset), « magis historia videretur esse quam schedula. » Talibus itaque parentibus natus est Odo anno 879, siquidem anno Christi 939 sexagenarius erat, ex Joanne initio libri I, num. 4.

4. Natalem ei sedem fuisse apud Turonorum urbem colligere licet ex innata patris ejusque devotione erga sanctum Martinum, cui ab ineunte adolescentia sese devovit, apud Joannem num. 9. Conjecturam auget id quod idem auctor in lib. II, num. 16, memorat de parvulo Odonis nepote rapto per Nortmannos, cum « Turoniæ fines » devastarint. Ergo in Turonia versabatur ejus nepos. Attamen in veteri chartario Cluniacensi legitur Odonis elogium, quem auctor ex pago Cenomannico ortum dicit. Elogium hoc Odilonis abbatis tempore scriptum est ab eo, qui ejus jussu chartas superiorum abbatum in ordinem redegit. Præcipua elogii hæc summa : « Fuit igitur, ut veridica priorum relatione fertur, nobili prosapia satus, Cinomannica regione exortus, artium liberalium apprime regulis imbutus, almi Martini Turonensis basilicæ ædituus, sermone clarus, etc. Delibutus proinde odore virtutum, quem id temporis Cluniacensis rumor (imo Balmensis) pretiosorum more aromatum, longe lateque profuderat, mente prompta quod diu concupierat, tenebrosi reliquit rura, lugente cive in patria, lætante Christo in gloria, divino jugo mitia supposuit colla. Tirocinio denique suæ conversionis non segniter peracto, precatione patris circumventus, cujus institutis fuerat mancipatus, volens nolensque, ut verius dictum sit, nolens, totius fraternitatis ad regendum suscepit examen. Quanta denique acrimonia excelsos animos sternere, qualive cautela virtutes inserere studuit, non ignorat Italia, protestatur Burgundia, simulque refert Gallia. Prophetiæ denique gratia suffusus ex hoc certissime approbatur, dum suprema sorte præventus, contatione fratrum requisitus, quis ex tanto collegio cæteris præficeretur ; alto flamine afflatus sic ad eos respondisse fertur : Nostra in hac, o filii, vacillante censura, Christi Domini larga non deerit prudentia, quæ et domui suæ sanctum providebit pastorem, et vobis rogantibus famulis dignum non denegabit patrem. Quod scilicet sane considerantibus sole lucidius patet, dum vita et conversio domni Heymardi satis abunde experimentum præbet. Hucusque siquidem de tanti viri laudanda nobilitate brevi peroratum sufficiat, quatenus ex hoc intelligatur, quantopere oportet nos inhærere illius scitis, quem pro merito non ambigimus insertum angelorum cuneis. » Hactenus vetus auctor, qui tempore Odilonis abbatis, id est post annos ab Odonis obitu centum, hoc elogium chartis sub Odone conditis præmisit in chartario Cluniacensi.

CAP. II. — *Odonis pueritia et adolescentia, vita canonica, studia.*

5. Odo alitus est puer partim apud Fulconem, ejus nominis secundum, Andegavensem comitem, quem ob id collactaneum suum in epistola vocat ; partim « intra domum Guillelmi ducis Aquitaniæ, » teste Joanne initio libri primi. Qui Guillelmus, cognomento Pius, « eo tempore Aquitaniam, Gutiamque suo jure tenebat, » is quem Cluniacensis monasterii fundamenta jecisse diximus in elogio Bernonis. Sane apud ipsum Guillelmum multæ auctoritatis erat Abbo Odonis pater apud Joannem ibidem num. 5. Hic Odonem ablactatum « cuidam suo presbytero, qui in remotiori manebat loco, tradidit educandum, et litterarum studiis imbuendum. » num. 7. Sub hæc in aula Guillelmi « militaribus exercitiis » applicatus, ad sanctiorem militiam a Christo Domino vocatus est in Natali Domini, « instante sexto decimo ætatis suæ anno, » dolore capitis per biennium in patriis ædibus afflictatus.

6. Postmodum sancto Martino semetipsum ex patris voto addicens anno ætatis nono decimo, qui Christi fere undenongentesimus erat, clericus ibidem atque canonicus factus est in frequenti civium et magnatum cœtu. « Inter hos vero adfuit comes Fulco, qui eum nutrierat, » eique « mox cellam juxta B. Martini tribuit ecclesiam, et quotidianum victum ex eadem canonica acquisivit, eique concessit. » Fulconi, Bono cognomen erat, de quo multa præclara in gestis consulum Andegavensium in Spicilegii tomo X, pag. 402 et 434, ubi hæc verba pag. 435 : « Boni ipsius mores domi et militiæ colebantur : jus bonum, concordia maxima, minima avaritia in ipso erat. » Tum de Odone : « Iste nutrivit sanctum Odonem, et ei cellam juxta beati Martini tribuit ecclesiam, et quotidianum victum ex eadem camera, qui postmodum magister scholæ et præcentor ejusdem ecclesiæ eodem consule adminiculante constitutus est. »

7. Joannes deinde a num. 12 narrat Odonis studia et virtutes, profectionem Parisios, ubi præceptore Remigio Autissiodorensi monacho artes liberales, in his Augustini « dialecticam Adeodato filio missam, » didicit. Turonos reversus, moralia Gregorii Magni in Job in compendium redegit, quod compendium studio domni Martini Marrerii, monachi apud sanctum Martinum de Campis, typis vulgatum est Parisiis anno 1617. Joannes ait id operis ab Odone susceptum fuisse rogatu fratrum, id est concanonicorum

suorum; eumque restitantem viso ad hoc animatum, tametsi Odo in præfatione sua duplici, prosaica videlicet ac metrica, nihil tale commemorat, forsan modestiæ causa: sed istud quasi sua sponte se aggressum fuisse manifestat his verbis: « Cum juxta capacitatem parvitatis meæ seculo lectioni sacræ operam darem; quadam die manibus paupertatis meæ liber adhæsit, a B. Gregorio editus in historia sanctissimi Job. Is etenim doctor egregius divino afflatus spiramine, atque de fonte potatus superno, ceu rutilans flumen in præfati viri historiam diffundens, tanto eam facundo protelavit eloquio, ut ex ea velut clarificos soles, triginta et quinque ediderit libros, quos in codicibus sex arctare decrevit. At dum ego ex his primam legendo percurrerem partem, nimio accensus amore, pellectusque ita est animus dulcedine quadam, ut totum sagax vellet, si posset, mandere librum. Is etenim mirabilis doctor divinis imbribus auctus, studuit luculento enodare affatu, easque in exponendo menti occurrentium sententias Patrum: ex quibus protensis numerosa in præfatam historiam contraxi volumina, quos nempe norunt, quibus sacra non latet Scriptura, a sancto viro, Paterio nomine, mirabili opere abstractas, propriisque voluminibus redditas, lucida sibi reposuisse volumina. Ex quibus et ipse ante biennium in Regnorum libro aggregatis omnibus patrum sententiis, maxime autem sanctissimi papæ Gregorii, unum quem non puto temnendum conjunxi libellum. Quapropter fragilitatis sensui corporisque mei infirmitati, meique similium utilitati consulens, erexi me contra memet, non fastu arrogantiæ turgidus, nec superbiæ spiritu tumidus, ventosis favoribus nitens incumbere, Deus scit: sed igne lectionis præfatæ historiæ flagrans, quam toto nisu memoriter, ut intellectum retinere valeam, hunc operis parvi contraxi libellum. » Hucusque Odo in præfatione compendii sui.

8. Post hæc num. 21 sermonem reflectit Joannes ad comitem Fulconem, quem ob sublata ex thesauro sancti Martini ecclesiæ duo vascula aurea lethali morbo afflictum, atque Odonis precibus sanitati restitutum affirmat. Repugnant nonnulli recentiores, pietate adducti Fulconis, cui Boni cognomentum hæc virtus dedit. At sunt etiam in sole suæ umbræ, et scriptor libri de gestis consulum Andegavensium, qui tam multa de Fulcone præclara commemorat, etiam hoc factum inserere non dubitavit; quod dixerim ad suam Joanni auctoritatem asserendam.

9. Redeo ad Odonis vitam canonicalem, cujus quænam fuerit eo tempore apud Martinianos disciplina, paucis exponere juvat. Viguit eo in loco post vitæ monasticæ abdicationem quædam forma regularis. Trecentorum monachorum numerus ad centum et quinquaginta canonicos redactus: jugis psalmodia in discretas horas restricta, ut fusius dictum est in elogio Alcuini num, 46. Servata nihilominus claustro sua reverentia, aditus feminis interdictus, pleraque denique ad honestatis speciem composita. Res in pejus abiit post secundam ejus loci basilicæ combustionem, de qua sermonem edidit Odo jam monachus rogatu canonicorum. « Nam post illam, » inquit, « pridianam succensionem, muris cum ingenti studio compactis septa monasterii communistis, hoc nimirum præcavere volentes, ne sancta domus ultra posset ab hostibus lædi. Sed non satis attendentes, in quanta reverentia sanctus iste locus ab antiquis temporibus effulserit, protinus religione relicta commune diversorium esse permisistis, ita ut feminis ad hauriendam aquam et ad discurrendum quo voluerint portarii non resistant: cum viderimus, quod nulli intra monasterii portas vel parum intrare licuerit, etc. » Huc spectat Leonis papæ VII epistola ad Hugonem principem et abbatem, edita in Spicilegii tomo II, sancientis, « quatenus per totum veteris muri ambitum usque ad viam, quæ juxta latus basilicæ aquilonare vergit, nulla femina licentiam habeat commorandi, sed nec intrandi quidem, nisi solius causa orationis. » Subdit Odo: « Neque hoc parum displicet, quod quidam in eodem loco nutriti, se quibusdam laicalibus vel nimium pomposis vestibus dehonestent: cum talis esse consueverit eorum conversatio, ut hanc etiam Romæ laudari audiverimus, » etc. Nempe canonicos ad meliorem frugem revocaverat Odo cum dictis, tum exemplo, apud Joannem in lib. I, num. 17.

Cap. III. — *Monasticæ vitæ tirocinium, socii, sacerdotium.*

10. Cum in suo apud sancti Martini basilicam secessu lectitandis meditandisque Patribus operam insumeret Odo, incidit in regulam sancti Benedicti; ex cujus præscripto per triennium decubuit nudus, « et necdum monachus monachorum leve ferebat jugum, » teste Joanne num. 15. Fulconem comitem ad suas partes forte invitaverat, cum ille necdum tempus esse allegans, Adhegrinum quemdam militem, armis strenuum, Odoni designavit conciliavitque. Ambo itaque « parvissimo tugurio contenti, » ad monastica vota in dies anhelabant. Sed non occurrebat eis locus, in quo vigeret ea disciplina. Missus Romam Adhegrinus, ut aliquem exploraret, in itinere Balmam devertit. Arrisit ipsi abbatis humanitas, ac monachorum religio: eoque Odonem secum pertraxit, qui « sumptis secum centum voluminibus librorum » ad istud monasterium commigravit. « Erat autem ætate tricenarius, » cum Christi annus fere 909 excurreret. Hæc carptim ex Joanne a num. 21. De Balma dictum in elogio Bernonis. Odo probatione facta puerorum seu novitiorum curam et educationem in se suscepit, quos « scholæ » nomine Joannes designat, ut apud veteres non raro.

11. Adhegrinus, Odonis socius, « in unam se coarctavit cellulam, et permittente abbate Bernone per triennium mansit in ea. » Postmodum « eremum petiit, ibique parva subarctatus est spelunca. » Istic divina post multos angores consolatione dignatus, et dæmonum tentamentis ope sancti Martini liberatus, ejusdem etiam recreatus est alloquio, apud

Joannem a num. 23, qui num. 28, hæc de eo scribere pergit. : « Sunt hactenus evoluti, ni fallor, plusquam triginta anni, ex quo intra ipsam eremum deguit, Dominicis tantum diebus aut præcipuis festivitatibus ad monasterium sancti Petri, quod Cluniacum dicitur, quia duobus fere millibus prope est, assuevit descendere, sumpta videlicet modica farina, ex qua sibi panem conficere solet, et fabæ paucis granis, mox ad eremum revertitur. Vino nec aliquando utitur : adipe vero vel oleo ejus cibus non conditur. Patitur omni tempore frigus et calorem : calorem inter scapulas, frigus inter manus et brachia. » Præclara omnino de Adhegrino quem in album sanctorum relatum esse Chesnius in notis testatur. Meritum non inficior : auctoritatem quæro. Nihil enim de Adhegrino in Martyrologiis aut Breviariis invenio, nullam de ejus festo reliquiisve apud Cluniacenses nostros memoriam. Nescio an ejusdem in eremo socius fuerit Droco Floriacensis monachus piissimus, qui in cœnobitica conversatione probatus, eremi singularem aggressus est pugnam eo in loco, « qui Balma dicitur, » teste Aimoino in superioris tomi, pag. 361.

12. Odoni pro Adhegrino socium Teuthelonem adjungit chronicon Malleacense : « Eodem tempore adhuc vivente Turpione, Odo et Teuthelo canonici sancti Martini illustrissimi, adimplentes evangelicum præceptum, derelictis omnibus suis pauperes pauperem Christum secuti sunt, et Cluniaco sancto habitu et vita induti sunt. Unde nutu Dei Odo abba præfuit sanctissimus, sicut sequentibus dicemus : Teuthelo jubente abbate suo archiepiscopus invitus consecratur Turonis, » etc. Verum id de Teutelone seu Teotolone falsum esse ex superioribus intelligitur, atque amplius ex consequentibus apparebit.

13. Post aliquantum temporis Odonem sacerdotio dignum reputans Berno, « promovit eum ; et accersito episcopo, sine suo velle consecrare eum fecit sacerdotem. » Rem explicat Joannes num. 37, sed episcopo haud nominato. « Bisuntinensem archiepiscopum » suggerit Nalgodus, sed perperam. Constat siquidem ex Joannis loco præcitato, Odonem rogatu episcopi ordinatoris sui ac præcepto abbatis composuisse tres libellos de sacerdotibus « ex Jeremiæ vaticinio, » id est, tres collationum libros, qui Turpioni episcopo Lemovicensi inscripti sunt. Is ergo episcopus Odoni sacerdotium contulit paulo ante abbatialem dignitatem.

CAP. IV. — *Abbatialis dignitas, monastici ordinis status.*

14. Nam « per illud tempus exitiali languore cœpit decumbere pater Bernus, » qui « mox vicinos episcopos accersivit, et ab omni ordine se deposuit. Rogabat inter hæc verba fratres, ut sibi quem vellent, patrem eligerent. Tunc manibus fratrum, » inquit Joannes num 37, « pater noster captus, et quasi violenter constrictus, ac proclamantibus omnibus ut ordinaretur, coram abbate suo vi est ductus : » et « superatus tandem episcoporum excommunicatione, ordinatus est » abbas paulo ante obitum Bernonis, quem ineunte anno 927 contigisse diximus. Id factum, instante anno 926 » scribit chronicon Malleacense : at rationes a nobis adductæ aliud suadent : quibus accedit Martyrologium Lemovicense a Chesnio relatum in notis ad bibliothecam Cluniacensem. Odoni commissa fuere tria monasteria, Cluniacense, Masciacense ac Dolense. Widoni Bernonis consanguineo quatuor, Gigniacense, Balmense, Æthicense, ac cella sancti Lauteni, ut fusius expositum est in elogio ipsius Bernonis.

15. Præclara omnino ac multa sunt quæ Odo abbas gessit. Cluniacensis monasterii perfectio, ejusque dedicatio, privilegia, ritus, et exacta disciplina, ad cujus normam erecta aut adjuncta alia monasteria, ex quibus congregationis Cluniacensis corpus conflatum est ; Romana itinera Ecclesiæ bono suscepta, concordia principum, charitas in pauperes, aliaque id genus eximia facinora, Odonis famam ubique celebrem reddiderunt. Legendi his de rebus Joannes in lib. III et Nalgodus : ex quibus quædam hoc loco illustrare sufficiat, nempe Cluniacensis monasterii ritus ac dignitatem, aliorum monasteriorum emendationem seu institutionem, Romana itinera. Primum hic expedio : sed prius de monastici ordinis per id tempus in Gallia statu agendum est.

16. Postquam augusta illa capita, Carolus M. et Ludovicus Pius, de restituendo in melius ordine sancti Benedicti serio egissent, eorumque auctoritate id effecisset Benedictus abbas Anianensis, ut pleraque Galliæ monasteria sub uno capite veluti una congregatio religiose viverent : sperandum videbatur eam disciplinam diu substituram, ni exstincto Benedicto, qui ejus auctor ac præsidium erat, bellorum cum civilium, tum externorum tempestates, et regno universo, et rei tam præclaræ vastitatem intulissent. Nam cum de summa rerum inter Ludovici Pii filios, nedum Ludovicum ipsum, atrocibus dissidiis disceptaretur ; ex improviso Nortmanni ex Septentrione in Galliam irrupere, qui rempublicam, jam bellis domesticis violatam, per annos sexaginta misere labefactarunt. Tunc quippe pagi in solitudinem redacti, urbes expugnatæ et incensæ, ecclesiæ in prædam datæ, pessumdata monasteria, monachi partim necati, partim fugati, qui collectis sanctorum reliquiis aliisque sarcinulis, quo belli impetus vertebat, inde se proripientes, ad tutiora, si quæ occurrissent, loca declinabant, aut palabundi vitam miseram traducere vix sinebantur. Sicubi vero eis tantisper respirare concessum erat, casas pro modulo ac tempore sarciebant, in quibus non tam normæ regulari, quam vitæ ac saluti prospicere cogebantur. Quibusdam in locis, ubi monastici ordinis incolæ deficiebant, pauculi sese collegere clerici, qui veterem monachorum possessionem insederunt, eamque rebus etiam serenatis sibi retinuerunt. Hinc factum est, ut sæculo decimo ineunte, cum Odo de monastica vita cogitare cœpit, pauca superessent cœnobia monachorum, atque in paucis illis sincera religio desideraretur, ut ex Joannis lib. I, num. 22, et ex præfatione nostra compertum est.

17. Inter hæc, Odone præsertim abbate, Cluniacum super omnia cœnobia caput extulit famat religionis, quam Odo post Bernonem ibidem instituit. Fervebat eo in loco virtutum æmulatio, studium in res sacras, regulæ accurata observatio, charitas in pauperes, adeo ut « septemdecim millia pauperum in capite Quadragesimæ uno anno apud Cluniacum eleemosynam habuerint, et ducentas quinquaginta pernas acceperint, » teste Udalrico in lib. III Consuetudinum Cluniacensium cap. 11. Quin etiam sedi apostolicæ subsidium hæc domus præbuit non semel, haud secus atque commune quoddam ecclesiæ ærarium : Petrus venerabilis auctor. Ritus plerique desumpti ab Euticio abbate : cæteri a Bernone, Odone, aliisque additi sunt. Euticius non alius videtur quam Benedictus Anianensis, qui veterum monachorum instituta collegit, suisque imitanda proposuit. Ex his ritibus nonnullos delibat Joannes in lib. I, num. 23, præsertim num. 30 et sequentibus. Quidam ad officium divinum, quidam ad regularem disciplinam et virtutes monasticas ; cæteri ad educationem juvenum aliorumque institutionem pertinebant. Omnes Udalricus monachus sanctus, post Bernardum ejusdem loci cœnobitam, accurate describit tribus libris, qui ab Acherio nostro typis vulgati sunt in Spicilegii tomo IV. In libro primo agitur de psalmodia et missarum solemniis, deque variis anni celebritatibus : in secundo de disciplina regulari : in tertio de officialibus. Duas missas solemnes in dies celebrari mos erat : privatis sacris, nisi extra divinum officium et majorem missam, operari religio Quotidie suas quisque hostias ex alterutro choro offerebant : temetsi quinque tantum diebus Dominicis tres feriatis communicabant : cæteri hostias benedictas in modum eulagiarum ante comunem cibum sumebant. In missis defunctorum solemnibus atque in triduo Rogationum uterque chorus oblationem faciebat. In majoribus sacris diaconus semper communicabat ex hostia sacerdotis : subdiaconus nonnisi ex aliis hostiis. Communio omnibus præbebatur in triduo ante Pascha : qui Sabbato sancto ante majorem missam privatim celebrare volebat, « non utebatur candela, quia novus ignis nondum erat consecratus.» Sed in his nihil majis consideratione dignum, quam quod de confectione hostiarum legitur in lib. III, cap. 13. Quippe frumentum « granatim eligebatur, et lavabatur studiose per ipsos fratres. » Colligebatur deinde in saculum « ad hoc solum reservatum » tum portatum ad molendium a famulo probato, qui molam lavabat utramque, operiebatque « sursum et deorsum cortinis, » ac seipsum alba induebat, amictu faciem prætur oculos operiente. Eadem religionecribratra farina, cribro diligenter abluto. Dein major ecclesiæ custos, si sacerdos erat aut diaconus, reliqua perficiebat, duobus aliis ejusdem ordinis atque uno converso adhibitis : si non sacerdos aut diaconus, vicarium substituebat. Hi quator finitis Matutinis faciem manusque abluebant : A et ex his tres priores albis amicti, unus quidem farinam aqua nitidissima conspergebat, alii duo hostia in « ferramento characterato » coquebant. Tanta erit Cluniacensium monachorum in Eucharistiam pietas ac veneratio.

18. Jam vero in regularibus officiis non minor disciplina. Silentium juge interdiu, noctu adeo sacrum, ut illud ante Primam violari omnino ducerent nefas, mortemque ipsam potius appeterent. Hinc locutio per signa, quæ tamen non omnino probavit Guigo Chartusiæ prior quintus, quantumvis et ipse silentio addictus, « sufficere putans linguam solam, non etiam cæteros artus reatibus implicare loquendi, » ut ipse in Statutotorum cap. 31, loquitur. Ab Idibus Novembris B meditationi seniores post nocturnos in ecclesia vacabant, dum pueri cantui operam navabant in Capitulo. Opus manuum cum psalmis fiebat, proclamatio culparum erat in usu. Post Completorium hospites non admittebantur, nec fratribus comedendi tribuebatur facultas. Insigne exemplum Udalricus de cellerario refert, qui cum tota die in recipiendo vino fuisset occupatus, permissum post Completorium edendi impetrare ab abbate non potuit. Eadem in officiis divinis severitas. Iturus foras, et equum mox ascensurus, si officii signum insonuisset, ad illud properare tenebatur. De jejuniis id fere servabatur quod præcipit sanctus Benedictus. Ab Idibus Septembris una tantum comestio, nisi in festis duodecim lectionum ; et in C octavis Natalis Domini et Epiphaniæ duplex. In illis festis duodecim lectionum post prandium et lectionem in claustro, dicta Nona, ibatur in refectorium ab bibendum : in diebus privatis, post Vespera lectio, inde pergebant in refectorium ad bibendum, postea iterum lectio, inde collatio spiritalis. Reliquiæ panis et vini ab eleemosynario in pedites peregrinos erogabantur. Præterea octodecim pauperes quotidie apud Cluniacum aliti. Ea vero erat vini parcimonia, ut « octo carradæ vini plusquam triginta fratribus per annum in monasterio Charitatis suffecerint, apud Udalricum in lib. III, cap. 1 : Ad hæc ex sancti Odonis præscripto, jejunium quatuor temporum mense Septembri, ubi dies exaltationis sanctæ Crucis quarta sextave feria aut sabbato occurrebat, in ea septimana D peragebatur, « ut crux a jejeunis adoraretur. » An autem Odo medicinæ usum fratribus indulserit, dubitare licet ex Joannis lib. II. num. 14, imo et ex Petri Venerabilis lib. VI, epistola 39. Carthusienses, texte Guigone in cap. 39, « medicinis, excepto cauterio et sanguinis minutione, perraro utebantur.» Minuebantur porro in anno quinquies. Apud Cluniacenses procedente tempore sua quoque mense assignata erat minutioni dies ; quo ritu id fieret docet Udalricus in lib. II, cap. 21. Minutiora hæc mitto. Majoris momenti est id quod apud eumdem Udalricum legitur de educatione puerorum : Quippe « difficile fieri potest, ut ullus regis filius majore diligentia nutriatur in palatio, quam puer quilibet minimus in Cluniaco.» Verba hæc sunt

ex lib. III, cap. 8. Postremo disciplinæ hujus ratio administrabatur sub abbate per priorem majorem, decanos, priorem claustralem, circatores, puerorum magistros, præcentorem et armarium, qui libros, maxime choro destinatos, in armario asservabat, camerarium, cui vestiaria cura erat, apocrisarium, cui ecclesiæ thesaurus commendatus erat, cellerarium, stabularium, eleemosynarium et infirmarium.

19. Ad loci disciplinam item pertinet libertatis prærogativa, quam Cluniaco rogatu Willelmi conditoris sui primum, dein abbatum Romani pontifices contulerunt. Callistus papa II in litteris suis Pontio abbati inscriptis ait privilegium hoc Clunicво fuisse concessum « ab ipso fundationis suæ exordio ; » memoratque pontifices qui illud confirmaverunt, nempe Joannem XI, item Joannem XII, Agapitum II, Leonem IX, Gregorios VI ac VII, Alexandrum II, Stephanum X, Victorem III, Urbanum II, Paschalem II et Gelasium II. Unde Petrus venerabilis quibusdam objicientibus, quod Cluniacenses proprium non haberent episcopum, Romanum sibi proprium esse respondet. « Hunc unum, » inquit, « solum et maximum nos habere episcopum, gloriamur..... Hoc ipsius sanctæ sedis irrefragabilis sanxit auctoritas, nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem ecclesiam alteri episcopo prius eam possidenti auferrent ; sed a fundatoribus, qui eam in proprio alodio construxerant, rogati in propriam retinuerunt, atque soli Romano pontifici eam in æternum subjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt... Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed et quam pluribus datum cernimus : et longe ante Cluniacum conditam multis aliis monasteriis ab eadem apostolica sede concessum videmus.» Ita Petrus abbas in lib. I, epistola 28. Pleraque ejusmodi privilegia videsis in Bullario Cluniacensi, ex quibus septem sunt Odini abbati concessa, unum scilicet Joannis X, duo Joannis undecimi, unum Leonis VI, tria item Leonis VII, Joannis decimi privilegium, quod undecimo perperam tribuitur editum est in elogio Bernonis. In primo Joannis XI præter alia Cluniaco jus confirmatur « monetæ » Rodulfo Francorum rege concessum, additurque : « Et quia, sicut nimis compertum est, jam pene cuncta monasteria a suo proposito prævaricantur, concedimus, ut si quis monachus ex quolibet monasterio ad vestram conversationem solo dontaxat meliorandæ vitæ studio transmfgrare voluerit, cui videlicet suus abbas regularem sumptum ad depellendam proprietatem habendi ministrare neglexerit ; suscipere vobis liceat, quousque monasterii sui conversatio emendetur. Scriptum in mense Martio, indictione IV,» id est anno 931. De privilegio Cluniacensis libertatis iterum agemus ad Vitam sancti Odilonis abbatis.

20. Sed hoc loco prætermittere non possum id quod Gregorius VII de Cluniaco in synodo Romana sanxit in hæc verba : Sacerdotes nostri, imo hæc sancta synodus cognoscat, quod licet sint multa monasteria ad honorem Dei omnipotentis et beatæ virginis utiliter et religiose fundata ; inter omnia quoddam illis in partibus Cluniacum est, et proprium B. Petro, et huic ecclesiæ speciali jure adhærere dignoscitur. Unde honorem et tutelam hujus sanctæ et apostolicæ sedis ad ipsis primordiis meruit obtinere... Et favente divina clementia sub religiosis et sanctis abbatibus ad id usque dignitatis et religionis pervenit, ut cæteris monasteriis, quamvis multo antiquioribus, quantum ipse cognosco, in Dei servitio et spirituali fervore præcellat, et nullum illa in terra (quod ego sciam) huic omnino valeat adæquari. Nullus enim abbas unquam ibi fuit, qui sanctus non fuerit. » Præclarum sane elogium ex ore pontificis.

21. Hinc « Cluniacense monasterium, religione, disciplina, severitate, fratrum numerositate, omnique monastici ordinis observatione, toto pene orbe notissimum » evasit, teste Petro Venerabili in lib. I de miraculis, cap. 9, adeoque « singulare ac commune peccatorum refugium, per quod multa inferis damna illata, et regnis cælestibus quam plurima loca collata sunt. Ibi innumeræ hominum multitudines, graves mundi sarcinas ab humeris suis adjicientes, suavi Christi jugo colla submiserunt. Ibi omnium professionum, dignitatum, et ordinum personæ fastum luxumque secularem in humilem et pauperem monachorum vitam commutaverunt. Ibi ipsarum ecclesiarum venerabiles Patres, etiam ecclesiasticorum negotiorum onera fugientes, tutius quietiusque viveremagisque subesse quam præesse elegerunt..... Hinc effusa spiritualium virtutum nardo, impleta est tota mundi domus ex odore unguenti, dum religionis monasticæ fervor, qui illo tempore pene refrigueerat, illorum virorum exemplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur : Hispania, Italia, totaque Europa fatetur, plena monasteriis ab eis aut noviter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis.... Sed quid aliquas mundi partes enumero ? cum de nostro ultimo Occidente usque ad ipsum Orientem fama hæc pervenerit, nec aliquem Christiani orbis angulum latuerit. » Hucusque Petrus Venerabilis, cujus dicti veritatem probare esset in promptu, si non alio nos propositum vocaret. Sed tamen ne hoc argumentum, quod sane ad Cluniacensis ordinis, adeoque ejus auctoris Odonis laudem maxime pertinet, penitus deseruisse videamur, hic de monasteriis ab eo institutis aut restitutis agendum est, idemque de aliis Cluniaci abbatibus suo quoque loco præstandum.

CAP. V. — *Monasteria per Odonem reformata, erectio congregationis Cluniacensis.*

22. Hic opportune occurit quod Joannes de Odone scribit in lib. II, num. 23 : « Per illud namque tempus longe lateque patris nostri nomen, veluti clarissimum sidus, cœpit effulgere. Factus est notus regibus, episcopis familiarissimus, magnatibus charus.

Quæque enim monasteria in eorum finibus constructa erant, juri patris nostri ea tradebant, ut nostro more corrigeret et ordinaret. » Monasteriorum ejusmodi accuratam rationem inire difficile fuerit : obvia notare sufficiat. In Gallia invenio apud Lemovices Aureliacense et Tutelense, Sarlatense in pago Petrocoricensi, in Bituricensi Dolense et Masciacense, in Aurelianensi Floriacense, apud Senonas S. Petri Vivi, apud Turonos S. Juliani, in pago Waldensi abbatiam Romanensem, in Matisconensi Carilocensem cum aliis. In Italia legimus apud Joannem Ticinense sancti Augustini, Romanum sancti Pauli, Adventinum, Subpentonianum, et Salernitanum. De his omnibus quædam strictim observanda.

Geraldus comes Aureliacensis (*d'Aurillac*) piissimus, « postquam divino cultui sese mancipavit per omnia, ut sua quoque Domino consecraret, Romam profectus est, et Aureliacum insigne prædium beato Petro apostolorum principi, facto solemniter testamento delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ monachis, quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent. Censum quoque delegavit, qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur, » nempe « decem solidorum, » ex Odone in lib. II de ejus Vita cap. 4 et 17. Odo addit in cap. 6, magnopere anxium fuisse Geraldum de reperiundis monachis probatis, qui locum incolerent ; et cum non reperisset, « nobiles quosdam pueros ad Vabrense cœnobium (*le monastère de Vabre*) direxisse, » ubi « regularis observantiæ fervor incalescebat, » ut « sub norma regulari, » ibidem imbuerentur ; sed reversos, « quia magistri defuerunt, » mox « puellari mollitia resolutos, rigorem disciplinæ neglexisse : » attamen unum eis ex necessitate præfectum fuisse, qui ob laxiores mores Geraldo magnum mœrorem attulit. Nescio an is erat Adalgerus, quem primum Aureliaci abbatem suggerit chronicon Aureliacense, editum in tomo II Analectorum : cui abbati suffectus Joannes ex stirpe ipsius Geraldi, « Oddo venerabilis abbas tertius Aureliacensis et Cluniacensis, rogatus a Turpione Lemovicensi episcopo et ab Aimone Tutelensi abbate descripsit vitam beati Geraldi. Habuit coabbatem Arnulfum, » Ex Aureliacensi monasterio arcessitus est Odo, teste Aimoino in lib. I de miraculis sancti Benedicti cap. 4, ad restituendam disciplinam in cœnobio Floriacensi, procurante Eliziardo comite, postea monacho, ex Joanne infra in lib. III, num. 8. Eodem tempore, id est regnante Ludovico Transmarino, Bernardus Petrocoricensis comes sancti Salvatoris monasterium Sarlatense (*de Sarlat*), quod tandem in sedem episcopalem evasit, tradidit « domno Oddoni Cluniacensi abbati atque Adacio coabbati ejus. » Litteræ hac de re exstant in tomo IV Galliæ Christianæ, sed cum aliquot nævis. Utrique, Odoni scilicet Cluniacensi abbati atque Adacio ejus vices tenenti, etiam Tutelense monasterium (*le monastère de Tulle*), nunc sedes episcopalis, paruit Aimonem superius memoratum, qui ex sancti Savini cœnobio Picta-

A vensi ab Ebalo comite Tutelam adductus fuerat. Hujus rei diploma a Rodulfo rege concessum habes in additione V. C. Stephani Baluzii Tutelensis ab lib. VII de Concordia cap. 25. Tunc vero mos erat, ut quia pluribus monasteriis unus haut sufficere poterat abbas Cluniacensis ; iisdem ejus vice proabbates seu coabbates præficerentur, quibus postea solum prioris nomen relictum est. Illud patet ex Clario in chronico S. Petri Vivi apud Senonas, quo in loco Samsoni abbati « successit sanctus Odo, qui accersiens Willelmum archiepiscopum, cum consensu monachorum S. Petri præfecit eidem cœnobio Arigaudum abbatem, religiosum et timentem Deum, monachum S. Benedicti supra Ligerim. »

B 23. Idem ab Odone præstitum puto in Turonico sancti Juliani cœnobio, quod tempore Gregorii episcopi constructum, sed a Nortmannis postea eversum, cum Teotolo archiepiscopus, Gersende ejus sorore suppetias ferente, instaurasset, « ecclesiam in honorem Dei genitricis sanctique Juliani dedicavit ; et coadunatis fratribus abbatem præficere cupiens, Odonem abbatem, qui tunc apud sanctum Benedictum morabatur, advocat. » Martyrologium sancti Juliani id factum refert « anno 943, regnante Ludovico rege anno 8. » Sed id tempus est donationis a Teotolone et Gersende factæ, non instituti apud sanctum Julianum Odonis, quem anno præcedente, id est anno 942, obiisse constat. Is vero in sancti Juliani ecclesia cum Teotolone sepulturam
C obtinuit, ut postea dicemus. Legi ejus loci chronici, ante annos quingentos scripti, fragmentum, quod chronicon divisum erat in duos libellos : quorum in primo « abbatiæ prima institutio, institutionis impia destructio, destructionis pia restauratio » continebatur : in secundo ejusdem status ab instauratione. Ex primi libelli laciniosis membranis intelligimus multa sanctorum corpora in sancti Juliani ecclesia primitus reposita, Danorum tempore alte humi defossa fuisse : ex quibus quædam tum restabant, nempe sanctorum Bleviliguati episcopi Venetensis, Lauri abbatis, et Antonii monachi. De primo ait auctor, quod « pontifex Morvannus, » a Bleviligueto « septimus » Venetensis, quædam sibi retulerit miracula, quæ commemorat. « Blinlivetum » vocat, non sanctum Albertus de Monte
D Relaxo, eumque statuit trigesimum tertium episcopum Venetensem : Morvannum vero quadragesimum nonum. Subdit fragmenti scriptor, Laurum, ex Britannia ortum, patriam parentesque deseruisse, sed pro ipsis invenisse « Judicaelem Brittonum ducem optimum, » qui ejus in omnibus adjutor exstiterit. « Cujus adjutorio facto monasterio, in omni sanctitate cum subjectis floruit, et tam verbo quam exemplo multum multis profuit, cujus nobilis vita in conspectu hominum religiosissima, et in conspectu Domini exstitit pretiosa : cujus etiam alta sanctitatis præconia cumulare non desinit miraculorum gloria. Nam per ejus sanctitatem tam in vita, quam post mortem reformatur debilitas, et sanatur infirmitas, maxime loco

illo, quo exiit e sæculo : ubi per signa quæ fiunt, cineres ejus vivunt. » Forsan monasterium est sancti Joannis de Gaelo, quod Judicael instauravit. « Et quoniam vitam ejus docet liber vitæ ejus, sufficiat commendasse summam saltem suæ vitæ. Hunc librum excidisse putamus : neque quidquam (quod sciam) apud Albertum legitur de S. Lauro. Denique chronographus ille scribit Antonium vixisse apud Turonos. « Fertur in te, inquit, sanctum habitasse Antonium, quamvis nobis incertum sit, utrum vel ex te fuerit, vel aliunde venerit, qui solitariæ vitæ delectatus dulcedine, pro vita solitoria mundi despexit quadra. Quem inhabitavit locus pulcher et quietus, et undique silva cinctus : cujus in lapide sculpta fuit et est nunc capella, in qua duo altaria. Deo ibi Dei servus serviebat assiduus. Ad fontem qui in capella nulla accedit femina. » Visitur iste locus, qui prioratus est, tribus a Cæsaroduno Turonum leucis versus Cenomannos. S. Antonius colitur IV Nonas Maii in Martyrologio Gallicano. Unum ex sancti Mauri abbatis sodalibus fuisse quidam recentiores ferunt, abbatem sancti Juliani dicit instrumentum Joannis Turonensis archiepiscopi, anno 1407 conditum, in quo agitur de reliquiis S. Antonii et sancti Lauri. Nobis ignorare liceat quod ignoravit antiquitas. De monasterio S. Juliani iterum infra.

24. Inter cœnobia quæ Odo suo regimini adjecit, est Romanense, situm in comitatu Waldensi pagi Lausanensis, quod Rodulfus I Burgundiæ rex Aleydi sorori suæ concessit, litteris datis « IV Idus Junias, Rodulfi piissimi regis anno primo, ab Incarnatione Domini 888, indictione 11, » apud Vabrevillam. Hæ litteræ, quarum integrum autographum penes nos est, editæ sunt in notis ad bibliothecam Cluniacensem, sed cum vitio centenarii numeri, ubi pro anno 800 legitur 900. Postea Aleys seu Adeleys ipsa comitissa abbatiam illam *Romanis* dictam Odoni attribuit egregio diplomate, quod ineditum huc referre juvat ad historiæ illustrationem :

*Cunctis sane considerantibus liquet, etc. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Christique misericordiam præstolantibus notum sit, quod ergo Adeleydis, dono Dei comitissa, res juris mei, quæ mihi per præceptum Domini Rodulfi regis, mei videlicet dulcissimi atque dilectissimi germani, obvenerunt, hoc est monasterium quod Romanis vocatur, quod situm est in pago Waldense, cum omni abbatia et omnibus rebus et adjacentibus ad ipsam abbatiam pertinentibus dudum a sanctis Patribus illic prærodinatis. Quod sane Romanis præfatum monasterium olim in honore apostolorum principis Petri scilicet et Pauli sub monastica professione fuerat constructum : sed modo ab eorum habitatione privatum penitus, pro amore Domini nostri Jesu Christi ac eorumdem apostolorum, de meo jure et dominatione ipsa ego jam dicta Adeleydis in dominium et providentiam monachorum per omnia transfundo, id est, Odonis venerabilis ac reverentissimi abbatis, omniumque fratrum ac catervæ monachorum sub ejus regimine Cluniacensis cœno*A *bii degentium : ea duntaxat ratione, ut ipsi monachi, prout potuerint, ipsum monasterium per intercessionem apostolorum, Christo propitiante, in priorem studeant reformare statum. Prædictus vero abbas, dum advixerit, et ipsi monachi idem monasterium ita possideant, ut quamvis apostolicæ sedi, sicut et Cluniacum, delegatum sit, semper tamen velut una congregatio sub uno agant atque disponantur abbate ; in tantum, ut cum ipse discesserit, non illis aut istis liceat sine communi consensu abbatem sibi præficere, nec privati, quod absit, isti alium nisi ipsum, quem illi habuerint, substituere præsumant, quoniam valde injustum esset, si illi qui forte velut filii Romanis monasterio succreverint, socialitatem Cluniacensium, qui veluti patres locum* B *resuscitant, aliquando disciderint. Sane in ordinando abbate constitutio sancti Benedicti semper emineat : adeo ut si vel illius, vel istius congregationis minima pars saniori consilio meliorem personam eligere voluerit, cæteri juxta regulam eis consentiant. De fratribus vero vel hinc illic, vel inde huc pro utilitate transmutandis, sive etiam de subsidiis, quæ forte uni loco plusquam alteri abundaverint, vicissim ex altero in alterum transferendis in potestate abbatis sit. Et ut inter eos germanior societas perseveret, ipsas quoque divinæ servitutis aut eleemosynarum seu cujuslibet boni operis sanctiones ita communiter teneant, ut quod pro bonæ memoriæ Willelmo, vel certe aliis, aut vivis, aut defunctis apud Cluniacum geritur, nobis atque nos-* C *tratibus proficiat : et quod Romanis monasterio pro nobis juxta voluntatem Domini gestum fuerit, ipsi adæque participentur. Hanc ergo donationem pro Dei amore et sanctorum apostolorum in primis facio, deinde pro anima germani et dulcissimi mei domni Rodulfi regis, harum videlicet rerum largitoris ; tum vero pro requie domni mei piæ memoriæ principis Richardi, ac pro Willa regina, dehinc pro me et domno Rodulfo rege filio meo, et item Rodulfo rege nepote meo, pro aliis quoque filiis meis, Hugone, Bosone, et Ludovico nepote ; sed et pro cæteris consanguineis nostris, atque his qui servitio nostro adhærent ; pro genitore etiam ac genitrice mea, et domno Hugone insigni abbate, seu cæteris nostris utriusque sexus propinquis : postremo pro illis qui adjutorium vel defensionem monachis ibi consisten-* D *tibus præstiterint ; pro statu quoque totius religionis et pro omnibus catholicis vel vivis, vel defunctis. Monachi vero inibi consistentes modum conversationis istius, quæ nunc ad informandum eos qui futuri sunt de Cluniaco, transfertur, ita conservent, ut eumdem modum in victu atque vestitu, in abstinentia, in psalmodia, in silentio, in hospitalitate, in mutua dilectione et subjectione, atque bono obedientiæ nullatenus imminuant. Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hac die nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fastibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur iidem monachi ibi congregati : neque aliquis principum sæcularium, non comes quisquam, nec episcopus quilibet, non pontifex supradictæ urbis Romanæ per Domi-*

*num; et in Domino, omnes sanctos ejus, et tremendi judicii diem contestor et deprecor, invadat res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui, non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat. Et ut hoc nefas omnibus temerariis et improbis actius inhibeatur, adhuc idem inculcans subjungo. Obsecro vos, o sancti apostoli et gloriosi principes terræ, Petre et Paule, et te pontifex pontificum apostolicæ sedis, ut per auctoritatem canonicam et apostolicam quam a Deo accepisti, alienes a consortio sanctæ Dei Ecclesiæ et sempiternæ vitæ prædones et invasores atque distractores harum rerum, quas supradictis servis Dei hilari mente promptaque voluntate dono: sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Romanis, et servorum Dei ibi commorantium ac commanentium, harum quoque omnium facultatum propter eleemosynam et clementiam ac misericordiam piissimi Redemptoris nostri. Si quid forte, quod absit, et quod per Dei misericordiam et patrocinia apostolorum evenire non æstimo, ut ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione, sive potestate qualicunque calliditate contra hoc testamentum, quod pro amore Dei omnipotentis, ac veneratione principum apostolorum Petri et Pauli fieri sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Dominus patrem ejus de terra viventium, et deleam nomen ejus de libro vitæ, fiatque pars illius cum his qui dixerunt Deo: Domine, recede a nobis, et cum Datan et Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, et vivos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem, sociusque Judæ proditoris Domini effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur. Et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impune videatur, in proprio quidem corpore futuræ damnationis tormenta patiatur, sortitus duplicem direptionem cum Heliodoro et Antiocho, quorum alter diris verberibus coercitus vix semivivus evasit: alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, et scatentibus vermibus miserrime interiit, cæterisque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerare præsumpserunt, particeps existat: habeat, nisi resipuerit, archiclavum totius monarchiæ ecclesiarum, juncto sibi sancto Paulo, obstitorem, et amœni paradisi aditus contradictorem quos sibi, si vellet, habere poterat piissimos intercessores. Secundum vero mundialem legem his quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente judiciaria potestate compulsus exsolvat, et congressio illius frustrata nullum omnino obtineat effectum: sed hujus firmitas testamenti omni auctoritate suffulta semper inviolata ac inconcussa permaneat cum stipulatione subnixa. S Adeleydis comitissæ regiæ matris et abbatissæ hoc testamentum auctorisantis fierique jubentis. S. Hildegangi indigni sacerdotis. S. Hulrici. S. Judittæ filiæ Rodulfi regis. S. Albradæ. S. Widonis. S. Einrici. S. Ugonis inclyti comitis atque fratris augusti Rodulfi regis. S. Gofredi, S. Rodulfi filii Ludovici imperatoris. S. Stephani, Christiani, Gonfredi, Umberti, Bosonis, Bavonis, Leodfredi, Wlitgerii, Rodulfi. Data* viii *Kalend. Julii. Ego Hildebrannus sacerdos ad vicem cancellarii scripsi et subscripsi anno quinto, regnante Rodulfo gloriosissimo rege, indictione* II. *Actum publice in villa Boiaco.*

25. Hactemus diploma. De Romano monasterio hæc habet liber prioratuum in bibliotheca Cluniacensi: « Prioratus Romani monasterii (*Romansmonstier*) Lausanensis diœcesis, ubi debent esse, priore computato, viginti duo monachi, licet antiquitus fuerint plures, sicut reperitur, et debent ibidem celebrari tres missæ cum nota, » etc.

26. Redeo ad pagum Matisconensem, cujus abbatiam Carilocum dictam (*Charlieu*), Joannes papa XI Odoni sive monasterio Cluniacensi, postulante Hugone Burgundiæ rege seu duce, addixit « VII Kal. Januarii, anno 11 pontificatus, indict. 5, » id est anno 932. Idem præstitit Ludovicus Transmarinus concessis litteris, quas habet bibliotheca Cluniacensis col. 276. Abbatiam hanc rogatu Siraldi comitis Boso rex monachis restituerat, ut patet ex charta a Guichenone edita in historia Sebusiana pag. 375, ubi Cariloci monasterium dicatum dicitur « in honore S. Stephani, » situmque « in comitatu Matiscensi super Surnan fluvium. » Diploma datum est « III Non. Dec. indict. 12, anno primo Bosonis Cariloco monasterio, » id est anno 879. De Cariloco iterum in Aymardo, infra.

27. Denique præter alia, quorum monumenta nobis desunt, monasteria Gallicana Cluniacensibus sub Odone concessa; quædam item Italica in Cluniaci potestatem tum venerunt, nempe Suppentoniense Adventinum, et sancti Pauli Romæ, ut ex Joanne manifestum est, atque Salernitanum, cujus fratribus Joannes Odonis vitam dedicavit. Verisimillimum est etiam Ticinense S. Petri ex eo numero fuisse, cum Odo Roma revertens Joannem tum canonicum, postea monachum, ibi erudiendum reliquerit, ut ipse de se testatur in lib. I, num. 4. Istud est monasterium sancti Petri in Cœlo-aureo nuncupatum, tum sancti Augustini ab ejus translatione corporis in eum locum, de qua diximus in sæculi tertii parte I.

28. De ecclesiæ S. Pauli prope Romam primordiis varie scribunt auctores. Sunt qui primam ejus originem ad Silvestrum papam et Constantinum imperatorem referunt. In ea sententia est Leo Allatius in lib. I de consensione utriusque ecclesiæ cap. 6 num. 26, ubi ait basilicam S. Pauli via Ostiensi forma olim eopyla, id est porta in orientem conversa, a Silvestro constructam fuisse: sed Valentinianum imperatorem, Siricii pontificis dispositione, ad eam quam hodie videmus structuram eotholam, fronte ad orientem versa, redigi curavisse. Contra vero Petrus Damiani vaticanam sancti Petri basilicam Constantino auctori tribuit, Ostiensem sancti Pauli Theodosio seniori et Honorio ejus filio. Locus est in opusculo 4, responsione 4 regii defensoris. « Longe vero post Theodosius imperator beati Pauli basilicam cœpit: quo defuncto filius ejus Honorius eamdem basilicam ad calcem usque perduxit. » Idem lego in veterrimo codice ecclesiæ Noviomagensis, ab an-

nis octingentis scripto, qui Isidori etymologias complectitur: ubi hæc verba: « In basilica sancti Pauli apostoli Romæ, ubi sacrum ejus sepulcrum [illegible]

[illegible]
[illegible]

Eo spectat Prudentius auctor æqualis, in hymno 12 de Beatis Petro et Paulo.

Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cæspitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacravit arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit et parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camiros hyalo insigni varie cucurrit arcus.
Sic prata vernis floribus renident.

Hæc de ecclesiæ basilicæ; quæ quando primum monachis concessa sit, investigandum est. Id jam tum ante Odonem innuit Joannes in lib. II, num. 22, ubi ait Odonem « ante quinquennium, » quam ejus vitam scriberet, « Romam perrexisse, ac monasterium intra ecclesiam beatissimi Pauli apostoli (ut olim fuerat) reædificasse, cogente domno papa, et universis ordinibus sacræ sedis. » Ergo « olim fuerat » ibi monachorum sedes, quibus eam restituit Odo sub annum 937, quo Romæ erat, ut postea exponemus. Idem Joannes variis in locis S. Pauli monasterium, ac monachos memorat, abbatemque Balduinum: sed et sanctum Odonem ibidem, cum Romæ versaretur, degere solitum fuisse tradit, præsertim in lib. II, num. 21 et 22. Neque hoc in dubium vocare potest, quandoquidem Joannes ipse cum Odone istic moratus sit. Et tamen in optimæ notæ libro de vita sancti Joannis abbatis Gorziensis dicitur Andreas monachus « Romam ad postulationem papæ Agapiti » missus, qui Agapitus cum nuntio quodam idoneo vero multum a domno Einoldo » Gorziæ abbate « effagitaverat, aliquos sibi religiosos, quos in monasterio beati Pauli, quod tunc ad monasticum ordinem transferre moliebatur, cum auxilio regis Albrici collocaret transmitti, quo cum altero quodam fratre, qui ex monasterio Luxovio Gorziam ante aliquot annos advenerat, perductus, regulari institutione loco informato, non multo post receptus ad Dominum ibidem est tumulatus. » Agapitus sedere cœpit anno quarto post mortem Odonis, Christi scilicet 946. Qui ergo fierit potuit, ut cœnobium S. Pauli, quod sub Odone monasticis imbutum institutis fuerat, denuo Agapito pontifice « ad monasticum ordinem transferri » poterit? Sed in restitutione disciplinæ regularis intelligendum, quam mirum est tam cito ibi defecisse. Certe defecerat Ottone II imperante, aut sane eo prætextu usus est Otto, qui canonicos apud S. Paulum loco solutiorum monachorum instituere meditabatur, teste Glabro Rodulfo in lib. I, cap. 4. Quidquid sit, Ostensiense S. Pauli monasterium, etsi Cluniaco non penitus subjectum, identidem tamen inde præfectos accepit: cujus rei argumentum Petrus Damiani suppeditat in opusculo 33 ubi de S. Maiolo agit, qui apud sanctum Paulum priorem instituit, ut in actis S. Maioli dicemus. Denique id diserte confirmat Hugo Cluniacensis monachus in epistola ad Pontium abbatem his verbis: « Hoc autem monasterium, » nempe sancti Pauli, « sequentibus annis commissum est sancto Odoni tuo prædecessori, ubi per eum aliquandiu Cluniacensi vigor ordinis radiavit. Tandem sediosis urbe turbata motibus, quos illa civitas infausto usu creberrime patitur, malis urgentibus monachi discedentes, vas illud apostolicorum cinerum, scilicet S. Pauli, sacra secum pignora detulerunt: sicque Cluniacum paupere pervenerunt. » Monasterii sancti Pauli abbas fuit Adam ille, cujus mentionem fecit Victor papa III in lib. II de miraculis sancti Benedicti cap. 25, ad quem locum scrupulum movet Joannes Baptista Marus cuinam tum subjectum fuerit sancti Pauli monasterium, congregationi Cluniacensi, an Casinensi. Dubitanti ratio petitur ex eo quod abbatia S. Pauli, teste Leone Marsicano in lib. I Chronisi Casinensis cap. 58, Balduino abbati a Marino papa commissa est. Unde Desiderius seu Victor papa, qui et abbas Casinensis, erat, sancti Pauli monasterium « nostrum » vocat. Verum ita loqui potuit habita ratione communis ordinis, cum nulla tunc esset congregatio Casinensis, imo neque Cluniacensis eo modo, quo postea sub S. Hugone instituta est.

29. His omnibus aliisque pluribus cœnobiis uniformem vivendi normam, qualis apud Cluniacum servabatur, præscripsit Odo, eisque præfuit non secus atque abbas generalis. Quæ res a S. Pachomio primitus instituta in Oriente, in Occidente per Benedictum Anianensem tentata, demum ab Odone perfecta est. Unde a nonnullis S. Benedicti in Gallia ordinis auctor habitus est, propterea quod monasteria complura, quæ antea partim destructa, omnino a sese distracta erant, in unum quasi corpus adduxit. Saltem a Petro Venerabili « summus ordinis monastici in Galliis reparator, et præcipuus regulæ reformator » appellatur, idemque « primus Cluniacensis ordinis pater, qui emortuum jam, et pene ubique sepultum monastici propositi fervorem ressuscitare aggressus est, » in lib. VI, epist. 17. Eodem sensu ante eum Frodoardus in chronico Odonem « multorum restauratorem monasteriorum, sanctæque regulæ reparatorem » vocat; et Glaber Rodulfus: « Hic in tantum, inquit, hujus instituti propagator exstitit, ut a Beneventana provincia, quæque habebantur in Italia et in Galliis usque Oceanum mare potiora monasteria, illius ditioni gratularentur esse subjecta. » Tanta demum erat ejus nominis ac religionis celebritas, ut ad eum non modo laici nobiles et clerici, sed etiam episcopi dignitatibus abdicatis confluerent, testante Joanne in lib. III, num. 10,

CAP. VI. *Cluniacensis cœnobii res auctæ per Odonem.*

30. Non solum Cluniacensis instituti religionem Odo, sed etiam rem familiarem (quæ æquo fere pede subsequi solet) magnopere adauxit. In primis Rodulfus Francorum rex ad preces Immæ conjugis suæ Hugonis fratris sui Cluniaco tradit *mansos vestitos*, sitos in pago Matiscensi, tres in Salustriaco, alios-

que alibi. Datum « Bojaco villa Kalendis Juliis, anno regni 10, indict. 3 an [illegible], id est anno 931. Anno sequenti, Berno Matiscensis episcopus, rogante Archimboldo prælato, id est, præposito Cluniacensis cœnobii, et Hildebrando, sedens « in consistorio » juxta ecclesiam S. Vincentii Matiscone « ad divina præcepta more præcedentium Patrum dirimenda, » concessit decimas terræ de Salustriaco, quam Rodulfus rex reis dederat. Sub eumdem annum, scilicet anno 10 Rodulfi regis, idem Berno episcopus consecravit capellam in eadem villa Salustriaco, quam capellam « Cluniacensis parvula societas, cui Odo mitis pater et abbas patrocinabatur, construxerat. »

31. Biennio post Leotaldus comes Matisconensis, et Ermengardis ejus uxor, Odoni abbati dant quidquid eorum facultatis erat « in villa Darbaniaco, in pago Lugdunensi, super fluvium Salliam, » ut Deus animas parentum suorum Alberici et Escolanæ, Manassis et Irmingardæ, necnon Gerardi amici sui liberare dignetur « a pœnis inferni. » Subscribit post Leotaldum et Irmingardem Gaufredus comes cum aliis. Edita est hæc charta cum aliquot nævis bibliothecæ Sebusianæ pag. 168, alias ejusdem Leotaldi videsis pag. 236 et 296.

32. Anno 936 Odoni item donatur curtibus unus in villa Rufiaco (quæ sita est prope Cluniacum), in pago Matiscense, « mense Maio, quando Rodulfus rex migravit a sæculo. Actum Cluniaco, firmatum Lurduno castello publice. » Anno secundo Ludovici regis Odo abbas et monachi Cluniacenses emunt campum subtus castrum Lordoni, vulgo « Lourdon, » quod castellum Richelii cardinalis jussu subversum est.

33. Eodem anno « quo Rodulfus rex migravit a sæculo, » Gaufredus comes et uxor ejus Ava dant Escozolas in pago Æduensi pro animabus suis, « et pro anima senioris sui Willelmi, et ejus filii Bosonis. » Iidem tradunt Keitaelos in pago Matiscensi « in vicaria Bufarias, pro animarum s arum remedio, et Gauzberti fratris, dicti Gaufredi. anno 5 Ludovici Transmarini.

34. Anno 2 Ludovici ejusdem Maimboldus episcopus Matiscensis ait, Bernonem præcessorem suum Cluniacensibus tribuisse, ut omnes eorum ecclesiæ ex toto sub illorum ditione consisterent : sed cum postea « irruptione paganorum et malitia pravorum hominum » excisæ fuissent, se de tributo synodali quod reddebant, minuere. Subscribunt canonici, et inter eos Ado abbas, qui unus e præcipuis erat, deditque nonnulla cœnobio Cluniacensi, nempe ecclesias S. Desiderii et S. Juliani in Siviaco et Davagiaco, anno 12 ipsius Ludovici. Item anno secundo Rotmundus episcopus Æduorum dat capellam sancti Leodegarii de Blanciaco in comitatu Matisconensi, quam « sanctissimus » prædecessor suus Walo cuidam sacerdoti ad vitam dederat. Testes sunt Hildebodus et Girbaldus abbates.

35. Anno 3 ejusdem regis, indict. 11, id est anno Christi 938, datur Cluniacensi monasterio, ubi Odo abbas præerat, mansus in villa Madaliaco in pago Lugdunensi, « in agro Ternatense. » Item Airich quidam eidem Odoni dat campum cum silva in pago Lugdunensi, « in agro Tarnatensi, » in fine Denadaliaco. « Ternatum » sine dubio erat iste locus, ubi situm erat monasterium Tarnatense, quod omnes confundere solent cum Agaunensi. At Ternatum istud situm est ad Rhodanum in confinio pagi Lugdunensis et Viennensis, vulgo « Ternay, » ubi est modo prioratus ordinis sancti Benedicti. Item Ludovicus Transmarinus anno regni sui tertio res Cluniacenses in Querceto apud Doniacum sancit diplomate, quod exstat in bibliotheca Cluniacensi. Alias donationes minutiores mitto, qualis est ea, qua Hugo comes unam [illegible] in pago Lugdunensi [illegible] monasterio et Oddoni abbati, et quidem « anno sexto » Ludovici regis, post quem annum donationes fiunt Aimardo abbati. Omnes chartæ sub Odone numero 188. Porro ex his omnibus chartis, aliisque quas in Aimardo referemus, constat Matisconem, eique attributum pagum, regi Francorum, non Burgundionum tunc paruisse.

CAP. VI *bis.* — *Odonis Romanum iter multiplex ecclesiæ causa.*

36. Non continuit sese intra monasteriorum latebras Odonis ardens in res divinas studium : quin etiam in Ecclesiæ universæ commodum foras prodiit. Eum quippe in Italiam accivere semel et iterum Romani pontifices, ut aflictis Ecclesiæ rebus prudentia et auctoritate sua consuleret. Primæ ejus Romanæ profectionis hæc fuit causa. Cum Berengario imperatore mortuo, Hugo Theobaldi Arelatensis comitis filius, summa rerum in Italia potiretur, Marozia, infamis Widonis Tusciæ comitis relicta, quæ una cum Alberico filio manus in Joannem pontificem injecerat, Romamque redegerat in suam potestatem, ipsum Hugonem missis nuntiis invitavit ad conjugium suum et urbis imperium capessendum ; oblatam conditionem arripit Hugo, nuptiisque contractis, urbis Romæ dominium obtinet. Interim cum ante epulum Albericus matris hortatu aquam ad abluendas Hugoni manus præberet non admodum scite, Hugo correctionis causa eum in faciem cecidit. Qua re offensus Albericus Romanos ad defectionem impulit, atque Hugonem ex Urbe fugere coegit. Eo fuga elapso Albericus consulari potestate civitatem administravit cum matre sua Marozia, et veterem Urbis disciplinam simul cum consulum nomine et officio redintegravit. Acta hæc sunt sub annum 929, pontificatu Joannis X, Leonis VI, ac Stephani VII, quibus anno 931 successit Joannes XI, Maroziæ ex Sergii stupro filius, Alberici frater. Talia pati coacta est sancta Dei Romana Ecclesia, sed a Marozia ipsa ejusque filio Alberico. « Anno 933 » missi Rhemensis Ecclesiæ Romæ reversi, « nuntiant Joannem papam, filium Mariæ, quæ et Maronia dicitur, » inquit Frodoardus, « sub custodia detineri a fratre suo, nomine Alberico, qui matrem quoque suam Marociam clausam

[illegible]
eessitus sit.

[illegible]
mæ impugnatione destitit. Et recte quidem Baro-
[illegible]
eo didicit Ludovici Transmarini unctionem, quæ
[illegible]
plicem ob causam. Prima, ut cum Alberico princi-
pe reconciliaret Hugonem regem, apud quem ma-
[illegible]
ficaret, cogente domno papa, et universis ordinibus
[illegible]
sancti Martini vitam Romæ ad S. Paulum correxit,
[illegible]
terito dum Romuleam urbem ob inimicitiam Alberici jam fati principis prædictus Hugo rex obsideret, cœpit ille intra extraque discurrere, et pacis concordiæque monita inter utrosque disseminare, quatenus posset furorem prædicti regis sedare, et
[illegible]
apostoli iret, quod ad clivum Scauri dicitur ex nomine, quidam rusticus voluit eum propter lagun-
[illegible]
ab Odone prohibitus fuisset, morte punire voluit. Tanta erat non solum Hugonis sed etiam Alberici in Odonem veneratio. Aliud Alberici in Odonem
[illegible]
niense sancti Eliæ monasterium ei reformandum commisit, teste Joanne in lib. III, num. 7.

38. Altera Odonis Romana profectio, non anno
[illegible]
incarnationis nongentesimo tricesimo nono, et ejus
[illegible]
anno. Romam veniens, me miserum terrenis irreti-
[illegible]
est, atque cœnobium sancti Petri Ticini positus us-
[illegible]

[illegible]

40. Per id tempus *acuta et continua febre* correptus, etsi ad cœlestem vitam anhelaret, magno tamen desiderio affectus est revisendi tumulum sancti Martini, ut illic spiritum ageret, ubi primos piæ vitæ annos hauserat. Et re quidem vera id cœlitus obtinuit optimi patroni meritis, quem semper tantopere coluerat. Convaluit, rediit, optatæ ejus solemnitati iv Idus Novembris interfuit : sed quarta intra octavam die, *rediviva febre* denuo *accenditur*, donec tandem vir beatus *divina illa et salutari pinguedine recreatus et vivificanti poculo*, id est viatico, *vegetatus*, *Martino duce* in cœlum migrat *quartadecima die ante Decembrem*. Hæc pluribus Joannes in fine lib. iii.

41. Quædam singularia superaldit Nalgodus, nempe Odonem fratres convocasse, monasteria sibi commissa disposuisse, Cluniacense commisisse Deo : « capellam solummodo suam, » hoc est supellectilem sacram, ad missæ celebrationem retinuisse ; cætera Cluniacum retransmisisse. Hæ forsan auctoris conjecturæ. Certius est quod subdit sepultum fuisse Odonem Turonis « in ecclesia beati Juliani, quam ipse a fundamentis construxerat, » id est restituerat, sumptus suppeditante Teotolone archiepiscopo, ut superius dictum est. Hic loquendi modus familiaris apud auctores aliique similes. Sed audiendus insuper Necrologus cœnobii sancti Juliani : « Postquam reverendissimus vir Odo multa monasteria construxerat, plurima correxerat, multos mundi ludicra spernere docuerat, ac utilia Ecclesiæ scripserat, hymnos et antiphonas beati Martini laudem compte composuerat ; jam silicernus, jam longe ætatis senio fessus, tanquam præscius suæ vocationis, optaverat, ut sarcina deposita carnis glebam sui corporis juxta corpus peculiaris sui patroni, domini scilicet Martini, si posset, tumulari ad proprium cœnobium suum Turones redire disposuit. Interea adveniente beati solemnitate Martini, venerabilis pater cum suis monachis ad Matutinorum solemnia processit multo ante lucem.... Octavo incommodi die sentiens sibi horam imminere extremam, circumstantibus cunctis fratribus, viatico corporis et sanguinis Domini se fideliter muniri curavit : deinde in ecclesiam sancti Albini, quæ proxima erat, se deferri jussit, luminibusque piis ac manibus in cœlum intentis, Christo animam reddidit. » Superest ad hoc usque tempus istud sancti Albini oratorium intra claustra prædicti cænobii : « Obiit xiv Kal. Decembris : sepultus est autem a sæpe dicto Theotelone pontifice in crypta sancti Juliani, sub altare ipsius martyris, ad dexteram partem. » Hæc ex Martyrologio loci renovato ad formam veteris anno 1469, mense Julio, Paulo II pontifice, Ludovico XI rege, Elia archiepiscopo, qui characteres sunt reformati Martyrologii.

42. Annum quo mors Odonis occidit, Nalgodus signat 945, quem ejus ordinationis annum 18 numerat. Verum præferenda est Frodoardi, scriptoris æqualis, auctoritas, qui Odonem biennio ante decessisse affirmat his verbis, quæ in chronico sub finem anni 942 leguntur : « Domnus Odo venerabilis abbas, multorum restaurator monasteriorum sanctæque regulæ reparator, Turonis obiit et sepultus est apud sanctum Julianum. » Nihil luculentius afferri potest tum ad mortis annum, tum ad sepulturæ locum defigendum. Et sane hic annus consequitur ex calculo Joannis, qui se non per integrum biennium Odoni convixisse testatur in lib. iii, num. 5 : « Infelix ego, ait, qui nec duobus expletis annis illi merui famulari. » Ei vero adhæsit sub initio anni 940, ex dictis in capite superiori. Eumdem annum assignat Hugo abbas Flaviniacensis in chronico : « Hoc anno domnus Odo venerabilis, multorum monasteriorum restaurator, cum multum laborasset in restaurenda pace inter Hugonem regem Italiæ et Albericum Romanorum patricium, obiit Turonis. » At corrigendum id quod sequitur : « sepultusque est ad sanctum Martinum ; » quæ etiam lectio adhibetur ad oram chronici Frodoardi in textu paulo superius relato. At vitiosam hanc esse lectionem constat ex eodem chronico ad annum 945, quo anno Teotilo Turonensis archiepiscopus abiisse, atque « in monasterio sancti Juliani, quod idem vir sanctus summa instituerat religione, juxta sepulcrum domni Odonis humatus » perhibetur ; « et exinde ipsum templum divinis illustrari miraculis declaratur. » Corrigendus itaque prædictus Hugo Flaviniacensis : corrigendus item Petrus Equilinus, qui Odonem « Cluniaci » sepultum affirmat. Recte omnino anonymus apud Chesnium in tomo III, pag. 341 : « Eodem etiam anno, » nempe Ludovici regis VII, « requievit in pace domnus Odo, abbas multorum monasteriorum religiosus et prudens, litteratus et eloquens, et sepultus est Turonis apud sanctum Julianum. » Locum sepulturæ recte notat chronicon Malleacense, male obitus annum 938. His omnibus accedit chronicon Dolense apud Labbeum in tomo I Bibliothecæ novæ pag, 315 : « Anno 942 obiit sanctus Odo secundus abbas Dolensis. » Itaque anno 942 ad superos migravit Odo, annos natus quatuor et sexaginta, regiminis Cluniacensis anno quinto decimo.

43. Ejus reliquiæ in Sancti Juliani ecclesia servatæ sunt saltem usque ad sæculum xv. Ejus rei primum argumentum sumi potest ex litteris societatis, Cluniacum inter et sancti Juliani cœnobium initæ anno 1117 mense Octobri : quo tempore « domnus Pontius abbas Cluniaci orationis gratia Turonis ad sanctum Martinum honorifice venit, et ad nos » (sic monachi sancti Juliani in litteris loquuntur) « pro amore beati Odonis patroni nostri suique devotissime divertit, et ad corpus ejus vigilia sancti Dionysii cum nostris suisque monachis missam de ipso beatissimo Odone celebravit Deinde assumpto secum Bernardo Crasso priore suo, aliisque fratribus, in Capitulum nostrum venit, » etc. Longe post id tempus, id est anno 1407, Joannes Turonensis archiepiscopus, a Roberto sancti Juliani abbate invitatus, reliquias sacras in novas thecas transtulit, coram Maria

Francorum regina, et Magdalena ejus filia, Joanne duce Borbonensi, Jacobo Marchiæ comite, aliisque clarissimis personis: quibus inter reliquias in quarta capsa « corpus sancti Odonis abbatis » continebatur, ut testantur solemnes ea de re litteræ, quæ sic habent :

*Joannes, miseratione divina Turonensis archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quidquid laudis vel honoris impendimus sanctis Dei, id eidem exhibemus, teste propheta, jubente Dominum in sanctis ejus collaudari. Perpendente itaque bonæ memoriæ defuncto fratre Guillelmo quondam abbate monasterii sancti Juliani Turonensis, ordinis sancti Benedicti, quod quamvis ecclesia dicti monasterii plurimorum corporibus sanctorum reliquiis et præsentia decorata existeret, quorum utque aliorum gloriosorum sanctorum, qui in hac nostra civitate requiescunt, suffragiis et precibus, nedum monasterium ipsum, verum etiam tota civitas prosperis viguit successibus : ipsa tamen corpora et reliquiæ minus reverenter erant recondita, et eis debitus honor non exhibebatur. Devota igitur motus affectione abbas prælibatus facit dum vivebat fabricare quinque capsas ligneas, argento et auro a parte interiori decoratas, sperans hujusmodi reliquias et corpora in easdem facere collocari. Morte tamen, sicut Domino placuit, præventus, nequivit per se ipsum propositum negotium peragere. Desideriis autem ejus adhærentes venerabiles et religiosi fratres Robertus modernus abbas, totusque conventus dicti monasterii, illaque perficere peroptantes, nobis devote supplicarunt, quatenus reliquias et corpora præparata in locis ad id, ut prædicitur, constructis reponere dignaremur. Notum igitur facimus, quod nos pia vota quondam fratris Guillelmi abbatis memorati, dictorum venerabilium abbatis et conventus modernorum, ad gloriam et magnificentiam omnipotentis Dei summis affectibus amplectentes, die datæ præsentium, in conspectu Chritianissimæ dominæ dominæ Mariæ Francorum reginæ illustrissimæ, et dominæ Magdalenæ filiæ ejus inclytæ, ac generosorum principum dominorum Joannis ducis Borbonii, et Jacobi comitis Marchiæ, aliorumque plurimorum baronum, militum, et nobilium personarum, necnon venerabilium et circumspectorum virorum infrascriptorum, ipsa corpora et reliquias a veteribus sarcophagis in novas capsas, per nos prius secundum ritum Ecclesiæ sanctificatas et benedictas, propriis manibus transtulimus et recondimus secundum ordinem sequentem : videlicet in prima capsa versus dormitorium sæpedicti monasterii corpus sancti Pauli episcopi Leonensis ; in secunda capsa corpus sancti Antonii abbatis dicti monasterii sancti Juliani Turonensis : in tertia autem et media et majori capsa partes-corporum sancti Pantaleonis et sanctæ Columbæ, una cum pluribus aliis reliquiis, quorum nomina apud nos incognita existunt. In quarta capsa corpus sancti Odonis, primo abbatis Cluniacensis, et deinde dicti monasterii sancti Juliani. In quinta et ultima capsa corpus sancti Lauri abbatis. Quibus translationibus sic factis capsas ipsas cum ostiis seu clausuris argenteis et auratis a foris clausimus, et nostra benedictione de divina misericordia confisi munivimus, statuentes, et dictis religiosis suisque successoribus injungentes, prout per præsentes statuimus et injungimus, ut de cætero annis singulis hunc translationis diem festive celebrent, ac divinis servitiis debitis et opportunis solemnizent. In quorum omnium et singulorum fidem, et testimonium præmissorum binas nostras litteras exinde fieri, et per notarios infrascriptos signari, nostrique sigilli fecimus appensione communiri, quarum unam in majore capsa prædicta inclusimus, et aliam præfatis abbati et conventui in thesauro ecclesiæ reponendam concessimus. Datum in monasterio prædicto die vicesima secunda mensis Januarii, anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, præsentibus et nobis assistentibus venerabilibus patribus fratribus Guidone Majoris-Monasterii prope Turones, Roberto sancti Juliani prædicti, et Petro de Cormeriaco nostræ diœcesis dicti ordinis abbatibus, ac circumspectis viris dominis Joanne Campidenario, decretorum doctore, præceptore generali sancti Antonii de Thuin in Almania, et oratore illustrissimi principis domini ducis Austriæ, Guillermo Le Picart thesaurario, Joanne preselli archidiacono transligerensi, Joanne Nuloti archidiacono Turonensi, Nicolao Perturelli officiali, Victore Hugneti, Guillermo Joubert canonico ecclesiæ nostræ Turonensis, nec non Jacobo de Cormeray priore claustrali et infirmario, Joanne præpositi eleemosinario, Philippo præpositi camerario, Joanne Charretier sacrista, Guillermo Du Vieu hostellarico, Joanne Guibert cantore, Guidone Auge succentore, Guillermo Boutet de Bovo, et Michaele Belloneau de Guerchia, Jacobo Auderon de Castro Regialdi, Petro Audebert sancti Antonii, Joanne Selion de Bueil, Roberto Helonis de Ambillo prioribus, Guillermo de Linaye, Joanne Fafeu, Petro Joulaindiacono, Petro Sourdeau, Joanne Lenfant, Aimerico de Londanier, Joanne de Fonte, Joanne Budet, Andrea de Francia et Joanne de Turre, religiosis dicti monasterii sancti Juliani, cum pluribus aliis. Sic signatum Thouar et Magistri.*

44. Ab eo tempore nulla de reliquiis S. Odonis mentio relicta est in monumentis cœnobii sancti Juliani : ubi tamen os tibiæ ejus asservatur. Fortasse inde asportatæ sunt in insulam-Jordani prope Tolosam (cujus loci canonici eas se habere gloriantur) ingruente hæreticorum tempestate, qui Turonicæ civitatis sacras exuvias profano incendio dissiparunt, non parcentes sancti Martini reliquiis, quas orbis universus semper in honore habuerat. Neque insuper habendum est, quod de corpore sancti Lauri abbatis, cujus supra meminimus, in præmisso instrumento legitur, cum nulla ejus mentio facta sit in Martyrologio Gallicano. Festum ejus apud sanctum Julianum nuper agebatur die prima Octobris : modo in sequentem remissum est ob festum duplex S. Remigii. S. Pauli episcopi Leonensis corpus Floriacenses nostri sibi vindicant auctoritate Aimoini, qui illud a Mab-

bone episcopo in Floriacense cœnobium fuisse A translatum asserit in lib. II de miraculis S. Benedicti cap. 11.

45. Redeo ad sanctum Odonem, cujus cultus apud Cluniacenses receptus est jam inde ab obitu ipsius, et quidem XIII Kal. Decembris, propter octavam sancti Martini, in quam incidit ejus mortis dies. Ob eam (ut puto) rationem ea die memoratur in Martyrologiis Brivatensi ms. et quibusdam aliis. Apud Udalricum in lib. I consuetudinum Cluniacensium cap. 11, ubi diversæ per annum solemnitates recensentur, « depositio sancti Odonis » numeratur inter eas, quæ « in albis » coluntur. Honorifica ejus memoria habetur in Martyrologiis, Romano, Benedictino, et, ut alia omittam, in Gallicano, in quo ter de eo agitur, B nemque XII et XIII Kal. Decemb. et in Supplemento XIV easdem Kalendas : « Apud insula Jordanis prope Tolosam, veneratio sacratissimi corporis sancti Odonis abbatis Cluniacensis, eo ex gremio ecclesiæ S. Juliani Turonensis, ubi solutus nexibus mortalis vitæ sepulturam primum receperat, translati. » Denique Odonem ut « sanctum » Bernardus in apologia ad Guillelmum abbatem, et ante eum Gregorius VII in concilio Romano, omnes ante se Cluniacenses abbates « sanctos » agnoscit. De S. Odone sermo habetur inter additamenta bibliothecæ Cluniacensis, in ejus natali legendus, qui nihil aliud est quam sermo S. Maximi de B. Eusebio episcopo Vercellensi. Denique S. Odonem « miraculis vivere » testatur Petrus Equilinus. C

Cap. VIII. — *Odonis scripta et scite dicta de moribus sæculi sui.*

46. Sed tempus est, ut cæteris omissis ad ipsius Odonis opera convertamur, quorum alia canonicus, alia monachus, alia scripsit abbas. Et quidem canonicus Gregorii M. moralia in compendium redegit, de quo supra in capite 2 atque hymnos de S. Martino et antiphonas composuit, ex Joanne in lib. I, num. 10. Jam monachus tres libellos « ex Jeremiæ vaticinio » de sacerdotio condidit, eosque Turpioni Lemovicensi episcopo nuncupavit, apud Joannem in lib. I, num. 37. Hos libros «occupationum » ejus nomine quidam afficiunt, editi « collationes » appellant. Abbas denique alia elucubravit, scilicet libros quatuor de vita S. Geraldi comitis Auriliacensis, Aimoni abbati cænobii S. Martialis Lemovicensis (ut fert loci chronicon) inscriptos. Aimonem Tutelensem abbatem vocat chronicon Aureliacense. Forsan utrique loco præfuit. Scripsit Odo abbas libellum de reversione corporis S. Martini e Burgundia, rogatu Fulconis Boni comitis Andegavensis; breve scriptum « de eo quod Martinus par dicatur apostolis, » variosque sermones, quorum in editis quartus et ultimus est de combustione basilicæ B. Martini. Sermonem de S. Benedicto, in ejus translatione Floriaci habitum, laudat chronographus anonymus apud Chesnium in tomo III, pag. 341. Hæc omnia leguntur in bibliotheca Cluniacensi cum hymnis de sanctissimo Sacramento, et de Maria Magdalena.

47. Præter editos, vitam S. Martini correxit Romæ apud S. Paulum, eamque glossulis explanavit teste Joanne in lib. II, num. 22, Idem auctor in lib. III, num. 11, mentionem facit libri de adventu S. Benedicti in pagum Aurelianensem, quem librum excidisse dolemus. Libellus de vita Gregorii Turonensis episcopi, qualis apud Surium editus est, « Odoni abbati » tribuitur in nonnullis codicibus mss. Hæc vita sic inscribitur in codice L. Sergii Andegavensis : « Prologus in vitam sancti Gregorii. Omnium quidem sanctorum, » etc. et post prologum : « Incipit vita S. Gregorii episcopi Turonensis ab Odone edita. Gregorius Celtico Galliarum tractu, » etc. Ut hunc libellum Odoni nostro tribuam, facit et Turonum civitas, et S. Juliani monasterium, quod Gregorio multum debuit, atque Odonem abbatem habuit. In membraneo codice Carmelitarum excalceatorum apud Parisios, qui codex olim fuit « S. Juliani Turonensis cœnobii » prolixum habetur opus metricum sub hoc titulo : « Incipit occupatio domni Odonis abbatis, » incipiens ab his versibus :

> Frater amande nimis, te plus implet amor gaudeo,
> Justitiæque sitis, pectoris est quod honor, est decus.
> Cor gemis esse fluens, quæris et unde tamen de tuo.
> Inde poema voles, forte quod hoc religet, ne fluat.

Constat quatuor libris, quorum primus est de opificio Dei, secundus de creatione hominis, tertius de ejusdem casu, et corruptione humanæ naturæ lapsæ, quartus de Patribus Veteris Testamenti usque ad Christum reparatorem. In fine : «Explicit occupatio domni Odonis abbatis. » Videtur esse sancti Odonis, tum propter monasterium S. Juliani, ex quo acceptus codex, ubi Odo abbas fuit : tum propter codicis scripturam, quæ Odonis ætatem sapit : tum propter titulum ; nam ejus collationes in codice Silviniacensi inscribuntur : « Occupationes sancti Odonis. In illis nihil historicum : satis apte de gratia. Baronius, aut certe concinnator indicis annalium tomi X, Odoni nostro ascribit librum de vita S. Mauri abbatis, quem Odonis abbatis Fossatensis esse constat. Eidem etiam falso tribuuntur chronica quædam, quorum auctor est « Thomas Luochensis, qui breves chronicas nomine Odonis intitulavit, » ut ex ipsius Thomæ ore didicit scriptor Historiæ consulum Andegavensium, in tomo X spicilegii pag. 400. Odonem porro in componendo ecclesiastico cantu peritum fuisse docet inter alios Sigebertus in lib. de scriptoribus cap. 124 : « Odo musicus, ex archicantore Turonensi monachus et primus abbas Cluniacensis, in homiliis scribendis et declamandis, et maxime in componendis sanctorum cantibus elegans, ingenium habuit. » Ejus videtur esse cantus de S. Martino.

48. In opusculis suis Odo, maxime vero in collationibus, quædam præstingit observatione digna. Christianorum prolapsos mores luget variis in locis. In lib. II, cap. 17 : « Dicimus ergo quod possumus, ut nos de pravorum perversitate saltem aliquid dolore monstremus. An non merito dolendum est, quod Christianitas, quæ quanto provectior est, tanto

magis roborari debuit : sic econtra ab statu rectitudinis incurvatur ut ejus religio cuncta defecisse videatur ? Omnes enim festini et præcipites ad malum currimus, » etc. Et in lib. I, cap. 41 : Sciendum sane, quia sicut nostris temporibus omnia pene suum ordinem perdiderunt, plerique prodigas rerum suarum expensas charitatem nominant : cum res ad inanem gloriam profuse dispensæ, comestio vel effusio magis discendæ sint, quam charitas, » etc. tum in lib. II, cap, 37 : « Lugendum est ei præsentis vitæ tempus, in quo sunt ita omnia confusa, ut veritatis quidem nec vestigium usquam videas, nequitiæ vero atque luxuriæ cuncta esse repleta prospicias, nec aliquid juste recteque servari. Humiles et invalidos atque pauperiores videas a superbis et potentibus divitibusque comprimi, affligi, atque injuste lædi : honestum vero quemquam et quietum multis læsionibus perturbari : econtra unumquemque pessimum potentia cumulari, terribilem fieri, et tumido successu in malis augeri : quibus nec judicum metus, nec reverentia sacræ auctoritatis prævalere potest, nec eorum perniciem ullatenus cohibere. Sed quid de judicibus dicimus ? Nam et ipsi qui ad hæc reprimenda constituti fuerant, graviores tempestates et perniciosiores in miseros exercent. Hæc autem iniqua atque injusta inæqualitas non solum in urbibus, sed in agris ; et non solum in terra, sed et in mari committitur et exercetur. » Subdit in cap. 41 : « Quod autem inter omnia mala gravius nocet, ita pessimus peccandi usus jam consuetudine roboratus est, ut pene nullus justo judicio peccatum discernere queat : sed sicut Aaron filiis Israel deos quærentibus non restitit, sic omnes aut iniqui sunt, aut iniquitati cedunt. » Lege et quæ sequuntur in fine istius capitis, et libri III, caput 28. Tria vero seculi sui vitia maxime carpit : malitiam, quæ ad violentos pertinet ; superbiam, et luxuriam ; quæ vitia in libris primo et secundo exagitat.

49. Quartum addit in lib. II, cap. 28 : « Et de hoc quidem quod vel per hæc tria vitia, vel per cætera quæ enumerare pudet, a Christo apostatare videntur, valde dolendum est : sed multo plus de hoc quod illud sacrosanctum mysterium, Dominici videlicet corporis, temerate præsumunt. Hoc enim beneficium majus est inter omnia bona, quæ hominibus concessa sunt ; et hoc est quod Deus majori charitate mortalibus indulsit : quia in hoc mysterio salus mundi tota consistit. Et certe dum indigne tractatur, per hoc maxime divina quotidie majestas injuriatur. De hoc ergo dolendum est, de hoc omnimodis ingemiscendum : ut si emendare non possumus, vel dolendi affectum nobis inesse reclamando monstremus, ne forte vox Christi nos arguat dicens : » Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit. « Quod denique mysterium primordiis Ecclesiæ non tam frequenter, ut nunc, celebratur : tamen quanto rarius, tanto religiosius agebatur. » Hæc vir piissimus : qui duo facta refert insignia, quorum primum est de reliquiis sanctæ Walburgis seu Gualburgis, miraculis celebris : cujus reliquiæ cum in altari positæ fuissent, cessavere miracula. Stupentibus peregrinis, cuidam ex infirmis virgo apparens. « Idcirco, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super altare domini, ubi majestas divini mysterii debet solummodo celebrari. Quod cum ille custodibus referret, tulerunt capsam et protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo, » addit Odo, « ob illius mysterii reverentiam nec ipsa sua pignora sancti volunt propius vicinari ; quid censendum est de immunditiis ? »

50. Aliud factum est de quodam latrone in ipsa sceleris occasione interfecto, cujus corpus cum ad ecclesiam delatum esset, sacerdos pro eo missam celebrare cœpit. « Cum ergo ad verba consecrationis Dominica venire deberet, terrebilis sonitus in tecto ecclesiæ percrebuit, et altare, sicut huc usque patet, usque ad radicem scissum est, sicque sacerdos cum omnibus ingenti pavore perculsus fugit, et pro apostata sacrificare cessavit. Hoc contra eos dictum sit, » inquit vir sanctus, « qui pro sceleratis ob gratiam eorum se oraturos pollicentur. » Id notasse videtur Odo ad convellendam eorum opinionem, qui dicebant, Augustini forsan testimonio non sane intellecto adducti, damnatis missæ sacrificium prodesse, vel ut a pœnis omnino liberentur, vel ut tolerabilius damnentur. Ejus opinionis locus est apud Adrevaldum in libro de miraculis sancti Benedicti cap. 21, ubi ait Floriaceuses pro animabus prædonum in acie cæsorum preces ad Dominum fudisse : « quatenus etsi perpetuis non mererentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus multarentur a scricto Judice pœnis. » Exstat in codice Gellonensi pervetusto « missa pro cujus anima dubitatur, » in qua hæc oratio : « Omnipotens et misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, et iterum vivificare, deducere ad inferos et reducere, et vocas ea quæ non sunt tantam ea quæ sunt, cujus potestas in cœlo et in terra, in mari et in inferis plena assistit : te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de præsenti sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacra oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipsa tormenta. » Hæc aliaque ex tomo X Fragmentorum nostri Claudii Stephanotii. In Paralipomenis de sancto Pachomio, quæ in tomo III Maii apud Bollandianos pag. 336 habentur, ita orationes pro damnatis interdicuntur, ut tamen ea pœna ad eorum refrigerium prodesse putetur. Defuncti monachi corpus efferebatur absente Pachomio, qui obviam pompæ factus, psalmos cantari vetuit. Et ad defuncti parentes inter alia : « Si enim, » inquit, « cum psalmorum cantu ei parentare volueritis, plures defunctum et graviores cruciatus excipient... Eam ob rem rogo vos, ut si cruciatus defuncti cupitis reddere leviores sine psalmis eum sepulturæ mandetis. Posset enim Deus, cum bonus sit et misericors, ob hanc ei factam ignominiam requiem aliquam ei præbere, et in eam quæ superne datur vitam revocare. » Hæc

postrema verba expungit Papebrochius, (tametsi A leguntur in Græco) ne cuiquam offendiculo sint. Ex simili persuasione Trajani fabula promanavit, de qua vide Hepidannum in actis sanctæ Wiboradæ reclusæ. At etiam si istud membrum extremum resecemus, manet tamen eam quorumdam fuisse persuasionem, an errorem, damnatis quoquo tandem modo pœnas æternas posse fieri leviores. Verum quidquid sit de illa opinione, quam communis hodie theologorum consensus explodit, certum est recte improbatam eorum audaciam, qui pro quibuslibet indiscriminatim, etiam in ferventi criminis actu mortuis, sacrosancto missæ sacrificio parentare non verentur, quod damnavit concilium Valentinum secundum canone 12 contra duellistas. Id de quibusvis etiam damnatis statuit Augustinus in lib xxi de Civitate Dei, cap. 24. B « Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igni puniendis, quæ causa est, ut neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis : quæ itidem causa est, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur, etiam malis : tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. » Quod autem inferius exponens eorum sententiam, qui Dei miserationes « usque ad alia impiorum tormenta protendunt ; » id ita permittit, non confirmat, ut impii pœnas « mitiores, quam merita sunt eorum, levioresque patiantur, » non tamen habita suffragiorum, sed misericordiæ Dei ratione. Neque vero idem sanctus doctor in Enchiridii c. 110, sacrificia sentit prodesse damnatis ad pœnam æternam, sed C ad temporariam. « Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem : mortem. » Ad ordinem revertor.

51. Monachis etiam Odo congrua dat monita, condignamque censuram adhibet, præsertim contra proprietarios, carnium comedones, religiosi habitus atque regulæ prævaricatores, quos « apostatas » vocat, adducto Gregorii testimonio ex homilia nona in Ezechielem. « Quia sicut apostata est qui de fide recedit a Deo : ita qui ad perversum opus post professam religionem redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubitatione deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. An non est apostasia, « subdit Odo, « de habitu vel victu traditiones Patrum contemnere, cum Deus terminos D Patrum transgredi interdixerit : despectaque victus qualitate vel quantitate per beatum Benedictum præfixa, sanguineas dapes cum filiis Israel desiderare ? An non est apostasia humilem vestitum spernere, et decorem vestimenti quærere ! et an ventrem colere non est apostasia, cum flens Paulus protestetur, quod ligurgitones inimici sanctæ crucis sunt, et ventrem pro Deo habeant ? Nobis inquam hæc apostasiæ verba conveniunt : quandoquidem religionis habitum, per tot retro annorum curricula retentum, lascivientes quique inter nos et petulantes in hac nostra ætate mutare ausi sunt. » Hæc ille in lib. iii, cap. 17. Vide lib. ii, cap. 7 et ejusdem lib. iii, cap. 22. Ad hæc inter proprietarios deputat, « qui de propriis cistellis sumptuosum ad mysteria peragenda producunt apparatum, quem contra consuetudinem sanctionemque sanctorum Patrum de iniquo mammona acquirunt, et quasi ad ornatum ecclesiæ relicturi, securi possident, » in lib. ii, cap. 34. Et proprietariorum objectis respondens in cap. 36. « Si ob negligentiam, » inquit, « præpositorum solummodo, et non magis ob cupidinem suam propria haberent, non alios cibos, non alias vestes, quam regulariter constitutas præsumerent. »

52. Hæc sufficiant ad demonstrandum sancti viri studium in rem Christianam et monasticam : quæ increpationes utinam nostro etiam tempori non convenirent, in quo (ut de nonnullis monachis loquar) regularibus institutis, quæ sancti Patres tanta religione sanxerunt et observarunt, tam modica religio impenditur.

Cap. IX.— *Odonis præcipui quidam discipuli.*

53. Ad absolvendum Odonis elogium necessaria est notitia ejus discipulorum, ex quibus maxime pendet magistri existimatio. Sed illud hac in re incommodi est, quod vetera hac de re monumenta nos deficiunt; et si Joannes quosdam nobis Odonis discipulos exhibet, nuda fere eorum nomina litteris consignavit. Hos inter commemorandi veniunt Arnulfus, et Landricus, ex quibus multa de Odone se accepisse Joannes refert in præfatione sua : quorum alterum magistrum ac præceptorem suum, alterum confratrem vocat. His subjungitur : « Domnus Hildebrannus seu Hildebrandus, vir (ut idem ait) veridicus, et Cluniaci cœnobii præpositus, in regularibusque disciplinis ejus præceptor, » qui in compluribus instrumentis Odone abbate conditis laudatur, et cancellarii vice subscripsit præmisso diplomati Adelaidis comitissæ. Idem Cluniaci prior erat anno 17 Ludovici Transmarini, ex charta centesima sub Aimardo abbate. Alius ejusdem nominis prior Cluniaci exstitit sæculo xi, is qui postea in sedem Romanam assumptus, Gregorii VII nomen tulit. Præter illos Joannes in secundo libro nominat Petrum presbyterum, Balduinum abbatem Casinensem et sancti Pauli, Firmum ejus germanum, domnum « Gothefredum, et duos venerabiles viros ex eadem congregatione, quorum unus Archembaldus vocabatur, » ipsique Joanni « bene notus : alter vero ignotus » dictus « Adalasius, viri nempe, » inquit, « opinatissimi, » qui multorum monachorum « Patres nunc sunt effecti. » Archembaldus « Cluniensis cœnobii prælatus, » id est præpositus, laudatur in charta Bernonis Matiscensis episcopi, data anno 10 Rodolfi regis ; idemque videtur, qui Odoni suffectus est in regimen cœnobii Floriacensis, de quo Aimoinus in lib. i de Miraculis sancti Benedicti num. 13. Wlfaldus ejus successor, cujus mentio apud Joannem in libro tertio, alibi a nobis laudandus in actis sancti Abbonis abbatis. His etiam annumerari potest Aligernus, ex præposito S. Pauli ad urbem abbas Casinensis, de quo hic ad annum 986.

54. Adalasius, mox a Joanne memoratus, ind[illegible] bie is est « Adacius, » cui sub Odone coabbati Sarlatensis ac Tutelensis monasteriorum regimen commissum est, ut superius diximus in cap. 5. Eidem (ut puto) Adacio Bernardus comes, « assentientibus beata ejus uxore, et filiis Guillermo, Gausberto, seu Arnaldo et Bernardo pariter faventibus, monasterium sanctæ Suris vocabulo Geridia, cum omni abbatia » tradit, « et monachis, quibus regulariter vivere inibi sub ejusdem potestate placuerit, ut tam cœnobium quam omnem abbatiam teneant et possideant sine ulla contradictione; et post obitum domni Adacii abbatis, qualem voluerint secundum regulam sancti Benedicti abbatem sibi eligant, » ita ut « sint ipsi monachi in subjectione regis ad locum salvum faciendum, non etiam ad aliquid persolvendum. » Omnes vero ad hujus facti exsecutionem obtestatur per omnia sacra, « et per meritum beatæ Suris, cujus corpus in præfato loco requiescit. » Charta hæc destituta est chronicis notis in chartario cœnobii de regula apud Novempopulanos, ex quo eruta est a nostro Stephanotio.

55. His omnibus Odonis discipulis Joannes accenset etiam Adolfum, Nheodardum, et Eliziardum ex comite monachum. Forsan ex Bernonis discipulis A erat Aribertus ille de quo hæc narrat Odo ipse in lib. II de vita sancti Geraldi, cap. 19. « Quadam vice cum illud iter, nempe Romanum, excurreret, quemdam monachum, nomine Aribertum, ducebat secum, magnæ scilicet abstinentiæ virum.... Factum est aliquando ut deesset pulmentarium, quo abstemius ille cum pane vesceretur. Senior vero studiose requirit, an consuetum illi cibum ministri paravissent. Respondentibus illis, quod nihil præter panem haberent, anxiabatur ille dicens: O quid nobis hodie contigit! Nos omnes plenam refectionem habemus, et iste Dei servus in attenuatione erit. Erat autem dies abstinentiæ solutus. Tempus abluendi manus jam venerat, et Samuel qui hoc præsens narrat, ad afferendam aquam cucurrit: cum forte reperit pisciculum in littore expositum et palpitantem, qui ipso vidente de aqua exsilierat. » Gratias Deo egit Geraldus: « tum vero consedentibus ad mensam comedit ille abstemius usque satis » de pisce parato, partem reliquam Geraldus manducavit, « et omnibus qui aderant particulas pro benedictione dedit. » Ubi obiter adverte, pulmentarii nomine etiam ferculum ex pisce significari. Hæc de Ariberto, atque de Odonis elogio satis: jam vitam ejus ex Joanne primum, deinde ex Nalgodo audiamus.

---

# VITA SANCTI ODONIS

## ABBATIS CLUNIACENSIS SECUNDI

## *Scripta a Joanne monacho, ejus discipulo.*

(Apud Mabill., Acta SS. ord. S. Bened., Sæc. V.)

## PROLOGUS AUCTORIS.

*Johannes operis hortatores memorat.*

1. Dominis et in Christo fratribus Salernicensibus servus Christi Jesu frater et Joannes.

Librum quem doctissimus vir Palladius de vita et virtutibus beatorum eremitarum Patrum temporibus Theodosii imperatoris composuit, semel a vobis coactus scribere (2) non grave pertuli: sed mox subnixo corpore, flexisque articulis scribere curavi, vestræ utilitati commodius nihil me agere aliquid fore censui. Igitur cœpti operis dum anhelanter ad finem vellem percurrere, stomachico cœpi dolore affligi vehementer. Interea contigit die quadam mecum adesse virum venerabilem domnum Adhelradum confratrem nostrum, unaque cum eo sacri Salernitati palatii exactorem (3) Joannem, qui infirmitatis meæ toleratiam providentes, cœperunt mihi sanctissimi patris nostri domni Odonis piam et venerabilem eximiamque inserere memoriam, scientes C præ omnibus semper mihi pium esse atque dulce, vel aliis aliquid de eo narrare, vel meæ utilitati quiddam conferre. Ast ego non immemor illius quod scriptum est: *Sapientiam sanctorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia*: assumpto sermone ejus illis, ut percunctari sunt, cœpi originem exponere. Quo audito indiderunt mihi, si eum (ut tunc profitebar) diligerem; prolata verbis sine dilatione, ut bonæ hæreditatis commoda posteris transcripta dimitterem. Itaque corde volutans horum virorum vehementer præcepta amantium [*al.*, amans], prius (ut moris est monachorum) conticui ad modicum, veritus, ne temerario ore tanti viri vitam potius narrando dehonestarem, quam digne describerem; et quod nec grammaticæ artis locutio mea decoraret verba, neque dignus videbar hujus sanctissimi viri narrare vitam, etiam si loquendi adesset facultas.

(1) Sic fratris nomen assumebant non solum monachi, sed etiam abbates, cum de se ipsi loquebantur, ut S. Benedictus infra in lib. III num. 8: *Ego sum scias frater Benedictus*, etc., itidemque apud Adrevaldum. Sic de se perpetuo in epistolis loquuntur Petrus Venerabilis, S. Bernardus, aliique imo aliquando episcopi ex monachis.

(2) Vides ut non solum indocti rudesque litterarum, sed etiam litterati scribendis codicibus operam dabant. Alia passim exempla obvia sunt apud veteres, Hieronymi, Bedæ, Rabani, et aliorum.

(3) Exactor sacri palatii forsan is erat, qui publicæ pecuniæ præfectus. Paulo aliter Ansegisus abbas sub Eginhardo *regalium operum exactor* dicitur in chronico Fontellanensi. Ex hoc etiam loco patet, *sacri palatii* nomen audiisse ante Fredericum Ænobarbum. Quod jam antea demonstravimus contra Conringium in lib. II de Re diplomatica, cap 11, num. 13.

*Testes profert auctor) Visa et audita narrat. Multorum nomina cur silet.*

2. Assumpto itaque opere, cum medullatis lacrymis virginis Creatorem et Filium invocare cœpi, ejusque comparem sanctum Spiritum tributorem linguarum, distributoremque sermonum, qui aperit os mutorum, et disertas facit linguas infantium : ut qui me dudum voluit frigescere sæculo, et in amorem tanti patris esse accensum ; omni destitutum litterarum auxilio facundum esse suo concedat afflatu. Quapropter dilectissimi, quia vestra exhortatione compulsus tantum opus audacter sumpsi, ut ad finem usque perducam, vestris orationibus me adjuvare dignemini. Sed si quis forte hæc legerit, vel alio legente audierit, obsecro ne horrescat, aut irrideat, vel ficta temerario ore dicere præsumat, et quasi derelicto a Deo mundo hactenus talem Ecclesia non valeat edere virum, cui dudum inquiens promisit Christus : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Ego tamen Jesum testor, quia multa de eo mihi præter hæc quæ narro, magister meus Arnulfus jurejurando solitus erat recitare, quibus se testatus est interfuisse ; similiter Hucbertus (4), Tiberinæ [*al.*, Tibertinæ] Ecclesiæ episcopus, atque unus ex nostris fratribus, nomine Landricus : e quibus minime scribere curavi, et non ob aliud, nisi quia dum inhianter ejus non sequebantur viam, eorum nolui sumere testimonia, quæ videlicet si vellem describere, sufficere arbitror posse in laudem cujuslibet antiqui patris et apostolici viri. Ea nimirum scribere bene complacuit, quæ quasi de alio narrante ex ejus ore sumpsi, et meæ memoriæ commendavi. Deinde quæ domnus Hildebrandus, vir nempe viridicus et Cluniaci cœnobii præpositus, in regularibusque disciplinis præceptor meus, mihi et multis aliis est professus. Interim deprecor o charissimi, ut a me progenitorum suorum, cæterorumque Gallorum, cum quibus ipse adolevit, nomina non requiratis, quos neque vidi, neque facultas videndi aliquando se mihi præbuit : et quia regularibus disciplinis tunc eram arctatus, saltem nec licuit percunctare, præcipueque cum me tellus Italica edidit, et intra septa Ecclesiæ nutrivit.

# LIBER PRIMUS.

*Odonis summa vitæ.*

3. Odo igitur vir beatissimus, ex Francorum prosapia (5) exstitit oriundus, sed intra domum Guillelmi robustissimi ducis Aquitaniæ est alitus. Nono decimo ætatis suæ anno apud bæatum Martinum Turonis est tonsus. Ibique grammaticæ artis liberalibus studiis educatus. Deinde apud Parisium Dialectica musicaque a Remigio doctissimo viro est instructus, et tricesimo ortus sui anno Burgundiam petiit ibique per quindecim annos sub Bernone abbate monasticam vitam duxit. Postmodum vero abbas ordinatus Franciarum, Aquitaniarum, Hesperiarumve partium, atque urbis Romanæ consistentium cœnobiorum effectus dux et pater dulcissimus.

*Auctoris fortuna.*

4. Anno itaque Dominicæ incarnationis nongentesimo (6) tricesimo nono, et ejus ætatis sexagesimo, in monastica religione tricesimo anno Romam veniens, me miserum terrenis irretitum nexibus reperit, miseransque suo rete piscatus est, atque cœnobium sancti Petri Ticini positus usque perduxit. Parvo ibi tempore ab Hugone rege detentus, prædicto viro domno Hildebranno regularibus disciplinis me tradidit educandum. Non post multo Romam veniens, me infelicem dignatus est sibi socium sumere ; et quem canonicum parentibus abiens rapuit, rediens postmodum monachum reduxit. Illis præterea diebus dum iter carperemus, simul loquelis alternantibus, postposito pudore, et veluti monastico procul posito tramite, audacter erupi in vocem, atque sui ortus et habitus vitam conversationemve non veritus sum ab eo diligenter inquirere, pariterque ut mihi dignaretur exponere proclivius cœpi rogare. Ille quippe, uti semper solitus erat, paululum conticuit : deinde terso faciei rubore, atque ab intimo corde suspiria trahens, suam mihi originem cœpit exponere : sed tamen illius verba lacrymis et gemitibus erant plena.

*Odo Joanni narrat patris sui religionem, et vitæ suæ primordia.*

5. « Pater, inquit, meus Abboo est vocatus, sed alterius moris esse videbatur et actibus, quam nunc homines præsentis temporis esse videntur. Veterum namque historias, Justiniani Novellam memoriter retinebat. In suo nempe convivio evangelicus semper resonabat sermo. Verum si quando lis quoquo modo inter partes fuisset orta, tanta in eumcensuræ excreverat veritas, ut undique omnes ad eum ob diffiniendi profiscerentur gratiam, qua de causa omnibus charus erat præcipueque apud Guillelmum (7) robustissimum comitem, qui eo tempore Aquitaniam, Gutiamque [*al.*, Gothiam] suo jure tenebat. Multo quidem assueverat sanctorum pervigil celebrare vigilias. Noctem vero illam, qua angelis et hominibus pax est reddita, et Christus Dominus mundum visitans a virginali utero est egressus, tanquam sponsus de thalamo summo, in silentio cum lacrymis et orationibus transigebat. Dum ergo has exubias diligenter celebraret, menti suæ suggestum est, ut Domino ob virginis partum condonari sibi filium, talique instantia precum maternum denuo jam emortuum meruit suscitare uterum. Sæpius enim retulit pater meus, nonnullis talem fuisse ordinem meæ nativitatis.

6. « Per illud namque infantiæ meæ tempus contigit illum ingredi septa cubiculi, neque ibi super cunabulum sine custode reperit : huc illucque circumspiciens, cum neminem videret, suis me manibus elevavit, et corde sursum respiciens : Suscipe, ait, gemma sacerdotum, Martine, hunc puerum, deponensque me super eumdem quo elevavit stratulum, abiens recessit ; sed quod gesserat nemini prodere voluit.

7. « Post hæc ablactatum cuidam suo presbytero, remotiori manenti loco, me tradidit educandum, et litterarum studiis imbuendum. Fatebatur postmodum ipse presbyter, quod his diebus talem vidisset visionem. Videbam, et ecce Ecclesiarum principes cœperunt mihi puerum petere etiam exacte. Cumque sciscitarar quid de eo fieri vellent, an ad domum patris reducere : non ita se inquiunt venisse, sed ut in Orientis partibus eum ducerent. At vero presbyter cum eum dimittere

(4) Hic deest in serie episcoporum Tiburtinorum apud Ughellum in Italiæ tomo I, col. 216.

(5) Auctor alter, *ex militari Francorum prosapia. Pater ejus Abbo nomine*. Joannes idem infra. Matris nomen uterque silet. Natus est porro Odo anno 879 vel insequente, ex sequente num. 4.

(6) Ita in ms. codice Silviniacensi, in aliis quotquot vidi omnibus mendose, *octingentesimo*.

(7) Guillelmus is est, cognomento Pius, de quo ipse Odo in lib. III de Vita S. Geraldi, cap. 32 et sequentibus. Nos de eo supra in elogio sancti Bernonis.

nollet, et eis resistere nequiret, et quid amplius ageret nesciret; terra prostratus convertit se ad preces, deprecans, ut prius in eum ultionem plecterent (*al.* exercerent), quam puerum tollerent. Nunc vindictam patris se dicebat perpeti, nunc se a parentibus dicebat vocandum proditorem pueri. Ad hæc ferebatur respondisse unus eorum: Ne forte vindicet se pater pueri in presbyterum, dimittamus eum usque ad tempus. Hanc revelationem ipse presbyter addiscens restituit me quidem meis parentibus. Hæc omnia quæ a me requiris, o fili, ita ego a meo patre audivi.

8. « Factum est autem cum adolevissem ego, quem modo vetulum intueris ac turpem, strenuum prædicabant et conspicabilem juvenem: cœpitque pater meus per incrementa temporum me ab ecclesiastico subtrahere ordine, et militaribus exercitiis applicare; qua de re intra domum Guillelmi me tradidit serviturum comiti. Relictis tandem litterarum studiis, venatorum aucupumque cœpi deservire officiis. Sed omnipotens Deus qui invitis salutem prestat, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, cœpit me in somnis terrere, et vitam meam pronam ad malum ostendere; sed insuper totam meam venationem vertebat in fatigationem. Nem quanto amplius me ingerebam hujuscemodi lusibus, tanto rediebam mœrens ine omni effectu et fatigatione confossus.

9. His vero diebus suasit mihi pater meus celebres habere vigiliarum excubias, quas ipse celebrare consueverat. Evolutis autem aliquot annis, Natalis Domini vigilias me celebraturum præparavi: et cum partem noctis duxissem pervigilem, subito menti meæ complacuit obsecrare pro vita mea Domini Jesu Genitricem. Tunc siquidem orans cœpi dicere: O domina, mater misericordiæ, tu nocte ista mundo edidisti salvatorem; oratrix pro me dignanter existe. Ad tuum gloriosum et singularem confugio partum, piissima, et tu meis precibus aures tuæ pietatis inclina. Vehementer expavesco ne vita mea tuo displeat Filio: et quia, domina, per te mundo se manifestavit; propter te quæso absque dilatione misereatur mei. Inter has preces et matutinas laudes, missarumque solemnia dies crastinus illuxerat: et ecce, ut solebat, canonicorum dealbatus chorus adfuit; et dum in laudibus tantæ solemnitatis diversarum fieret modulatio vocum, velut impatiens juvenis in medio eorum prosilivi, una cum ipsis natum regem mundi laudare cœpi. Scio enim et confiteor me improbe fecisse sed tamen Davidicum illud corde quod scriptum est retinens, non immerito hoc agere præsumpsi: *Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi.* Statim vero capitis me invasit nimius dolor, qui paulisper me contrivit et recessit. Perlecta itaque lectione evangelica, denuo me invasit prædictus dolor capitis, et nisi extensa brachia ad cancellos applicuissem ecclesiæ mox a summo statu velut exanimis ruerem. Intantum enim excruciabat me dolor ille, ut eo veniente, nec ad momenti spatium illa spes vitæ in me remaneret. Sexto instante et decimo ætatis meæ hoc mihi contigit anno, et tribus annis sequentibus isto sum vomere sulcatus. Ob hoc et ad parentum reductus sum domum, et per biennium omne genus curationis adhibuerunt mihi; nam quanto ampliora et omnigena sumebam medicamina, toties eminus salutis a me remedia fugiebant. Illis in diebus cum gravi mœrore largoque suspirio pater meus prædictus meam hujuscemodi exponebat fuisse nativitatem, addens insuper: Ecce beate Martine, quod grate obtuli exacte requiris. Vere ut decet exaudibilis es in voto, sed charus in negotio. Desperato tandem salutis remedio, unum forte putavi solatium, si anhelanter confugerem ad eum: A nempe ut cui traditus fui nesciens, deposita capitis coma denuo illi servirem, sciens quod ita factum est. Ecce habes, o filii ortum meæ nativitatis, atque exordium conversationis: animadverte quia nihil boni egi mea sponte. Tu tamen de meis parvis moribus, ut dignum videris, judica, dum tamen misericordiam super me respicientem incessanter benedicendo prædices atque glorifices. »

*Odo S. Martino devotus, ejus hymnos componit.*

10. Nam tantam postmodum devotionem in beato Martino visus est habere, ut præ cæteris sanctis eum diligeret, suæque protectioni semetipsum quotidie commendaret, illum nempe ubicunque adesset, corde retentans, ore prædicans, operibus sequens. Ecce enim sunt evoluti haud plusquam sex anni, dum ante ejus corpus vigiliarum excubias diversus ordo ecclesiæ celebraret, contigit ut ipse ibidem interesset. Verum quia ejusdem officii B antiphonæ, uti omnibus patet, breves sunt, et ejus temporis longiores noctes: volentes officium ad lucem usque protendere, unamquamque antiphonam per singulos psalmorum versus repetendo canebant. Fiebat namque eis labor improbus. Denique venientes ad eum, quasi uno ore dicentes deprecabantur: Diu namque est quod tuum adventum præstolavimus, pater, quatenus nos a tanto labore sublevares. Nunc vero quia præsto es, alias nobis antiphonas de vita beati Martini domini tui precamur institue, quarum prolixitas digne a nobis harum brevissimarum fastidium tollat. Ille vero cœpit dicere, non solum has se facere non posse, verum etiam discendi sibi tempus ætas omne denegaret, si a quovis factæ fuissent; cœpitque inter hæc earum brevitatem laudare, et earum quas petebant prolixitatem in nauseam habere. At illi e contra inferebant, si aliter faceret, Martinum offenderet; addentes quod talis excusatio C palliatam superbiam significaret. His verbis precibusque mistis pater noster Odo convictus, mox super tanti officium laboris annisu incubuit. Tres vero hymnos (8) in ejus laude composuit, e quibus unius tantum exemplar inserere huic operi adjudicavi. *Rex Christe, Martini decus; hic laus tua, tu illius; tu nos in hunc te colere, quin ipsum in te tribue.* Similiter duodecim antiphonas ternas per singulas habentes differentias, quarum verba et vocum consonantia ad eo sibi invicem concordant, ut nihil in censum plus minusve, nihil in symphoniæ modulationibus reperiri dulcius posse videatur. Retinentur hactenus Beneventi. Nunquam mane, nunquam vespere ejus memoria habebatur a suo pectore atque ore, illum corde retinens quem promebat ore: *O Martine, o pie, quam pium est gaudere de te, o Martine,* et cætera. Sed interim quia congrue locus se præbuit descriptæ narrationis, auxiliante Domino, cum D ejus vitam pleniter exponere cœpero, tunc quæ per eum beatus Martinus operari voluit enarrabo Nunc interim revertamur ad ea unde digressi sumus.

*Anno 19 ætatis clericus.*

11. Igitur vir beatissimus Odo nono decimo ætatis suæ anno confugiens apud beatum Martinum, clericatus suscepit officium. Quænam ibi confluxerit turba magnatorum, et quanto cum apparatu ne sequenti paupertati, qua postmodum contentus fuit, injuriam facere videar, malo silere, quam promere. Inter hos vero adfuit comes Fulco, qui eum nutrierat: cui mox cellam juxta beati Martini tribuit ecclesiam et quotidianum victum ex eadem canonica acquisivit, eique concessit. Sed paupertatis amator vir beatissimus, contempta mundi gloria, soli Deo placere curabat. Diebus itaque continuatis lectioni

(8) De his vide Udalricum in lib. I Consuetudinum Cluniacensium cap. 23, et Ditmarum in Chronico, pag. 107.

insudabat, et noctibus orationi vacabat, sciens esse A scriptum : *Qui ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV).

*Virgilio deditus terretur.*

12. His præterea diebus nauta noster peritissimus qui nos suo ductu docuit transmeare gurgites istius mundi, immensum Prisciani transiit transnatando pelagus. Nam Virgilii cum voluisset legere carmina, ostensum fuit ei per visum vas quoddam, deforis quidem pulcherrimum, intus vero plenum serpentibus, a quibus se subito circumvallari conspicit, nec tamen morderi, et evigilans serpentes doctrinam poetarum, vas in quo latitabant, librum Virgilii ; viam vero per quam incedebat valde sitiens, Christum intellexit.

*Litteris sacris dat operam.*

13. Interea quanta in eum cœpit postmodum emanare virtus patientiæ, succincte describam. Deinde relictis carminibus poetarum, alti edoctus spiritu consilii, ad evangeliorum prophetarumque expositores se totum convertit. Cœperunt interea rabido latratu omnes pene canonici furere contra eum. Quid agere velis, inquiunt ? cur invadere quæris opus alienum ? hoc opus pretii perdidisti cum flore juventutis. Parce tibi, et relictis his inextricabiliter connexis litteris, ad psalmos abi. Sed idem spiritus qui eum pridem docuerat a bonis silere, tunc docebat, eum a malis conticescere. Ille vero curvato capite et obturatis auribus, defixisque in terram aspectibus, illud in corde versabat Davidicum : *Dixi : Custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII). Nec tamen erat immemor Dominici promissi : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Quæ vero restant de ejus patientia, auxiliante Domino, in sequentibus describam.

*Virtutibus clarus fit. S. Martini tumulum noctu visitat tabellas gerens. Terretur a dæmonibus.*

14. Nunc transcurram ocius ad contemptus rerum. Laudent ergo qui volunt expulsores dæmonum, curatores cadaverum, cæterosque infamatos viros virtutibus. Ego inter omnes exiguus, Odonis mei primam patientiæ laudabo virtutem deinde contemptum rerum, post hæc animarum lucrum, restaurationemen cœnobiorum, vestimentum cibumque monachorum, pacem Ecclesiarum, concordiam regum et principum, custodiam viarum omnium, instantiam mandatorum, perseverantiam vigiliarum et orationum, respectus pauperum, correptionem juvenum, honorem senum, emendationem morum, amorem virginum, consolationem continentium, misericordiam miserorum, intemeratam observantiam regularum, ad postremum speciem omnium virtutum. Conserebat in parvo locello tunc bonus Jesus ex diversis nemoribus monachorum paradisum, ex cujus irrigaret corda fidelium. D Contentus denique parvula cellula, sublatusque ab oculis omnium soli Deo placere festinabat. Distractis pauperibus universis quæ ad usum temporalem secum attulerat, secundum evangelicum præceptum de crastino nihil cogitabat. Noctu vero ab aspectibus se privabat hominum, et ad sepulcrum beati Martini orationis gratia solus ibat, quod videlicet ab eadem cellula duobus ferme millibus distabat : non collegæ fultus latere, non bacilli corroboratus munimine, sed duas solum tabellas manu bajulans, scribendi officio aptissimas, fabrili opere ita connexas, ut possent patefieri, non tamen disjungi, quibus scholastici dextro femore solent uti. Sed bonorum hostis tales ei terrores inferre cœpit. Ex lateribus namque viæ undique egrediebantur vulpes, quæ prius terga illius persequentes observabant, deinde in ejus faciem se objiciebant. Sed cum ardentissimum a recto et proposito itinere vidissent se declinare non posse, gannitum dantes, et hianti ore super eum irruentes, minitabantur strangulare. At ille nec aufugit, nec destitit : sed complicatis cruribus et contracto rigido collo, humeris se tantum et brachiis tuebatur. Tradens denique eorum dentibus totum corpus, gulæ solum cavebat lethalem morsum : et ecce repente rapidissimo cursu intervenit lupus, eumque ab eorum liberavit incursionibus, et deinceps illi comes est effectus atque domesticus. Sed ne cui honestum vel grave esse videatur, legat vitam beati Pauli a beato Hieronymo descriptam ; et ibi reperiet ejusdem viri sepulcrum a leonibus fuisse præparatum. Et si illi hoc unum exemplum nec sic satisfacere videtur, transeat ad beati Ammonis vitam, et ejus reperiet cellulam ob prædones fuisse a duobus draconibus custoditam. B Deinde revertamur ad eumdem prædictum Hieronymum, et transeat ad nostrum Florentium Nursinum, cujus vitam in dialogo suo beatus exposuit papa Gregorius : ibi reperies Hieronymum, meruisse leonem (9) habere custodem asinorum, et Florentium ferocem ursum ob custodiam pecorum. Agebat autem extunc securior iter suum, et semper bone Jesu testimonia tua corde retinens tibique resultans, ore canebat dicens : Vere namque *fidelis es, Domine, in verbis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis. Allevas omnes qui ruunt, et erigis omnes elisos.* Nam versa vice tuebatur lupus a comestione, quod aliquando comedere solet, et terrebat vulpes, a quo terreri solet. Quæ ergo et tanquam invisibiliter diabolus contra eum sumpserit tentamenta, obsecro nullus a me requirat. Ad fidem tamen probandæ rei, quæ potuisset per suggestionem invisibiliter tolerando sustinere, descriptum visibile bellum sufficere ad credulitatem C posse arbitror omnibus legentibus. Nocte vero cum orationis gratia egrederetur a prædicta qua manebat cellula, non claudebat post se ejusdem ostiola : propterea quia nihil perdere metuebat, nempe qui super humum nudam matta solum et quibus induebatur vestibus contentus erat.

*S. Benedicti Regulam lectitat.*

15. Contigit interea dum diversorum librorum legeret volumina, ad beati Benedicti pervenisse regulam : et cursim eam cum vellet transire, impegit in eumdem locum, in quo præceptum esmonachis, ut dormire debeant vestiti (*Reg. S. Bened.*, cap. 22) ; nam plane non intelligens eumdem sensum, per triennium jacuit vestitus, et necdum monachus, monachorum lene ferebat jugum. Istius sancti præcepta curabat obaudire, alterius vitam imitari cupiebat. Jaciebat enim tunc Dominus Jesus in rudi terra simplicia semina, ex qua providebat centuplicata recipere frumenta.

*S. Odo corpore vegetus.*

16. Sed hoc mirabile est, quia candor ipsius corporis non est immutatus a nigredine in qua jacebat humi, et virtus sui animi non fuit extenuata a longa continuatione jejunii. Præteritis namque his duobus annis, cum simul loca sanctorum, quæ sunt intra et extra urbem Romam orationis causa frequentaremus, venerabilem ejus sexagenariam senectutem nostra non valebat juventus non solum præire, verum etiam nec sequi : sed cum fatigati ut sibi nobisque parceret rogaremus dicebat : Certe videtis quia omnem virtutem perdidi. Longa enim senectus fecit me esse silicernium. Sunt ecce triginta anni, quod talis, qualem nunc me videtis, fui. Ipse vero gemens suam nobis imbecillitatem tali modo pronun

(9) Hinc sanctus Hieronymus cum leone pingitur. Sed historia hæc æquivocatione nominis ad Hieronymum translata est a Gerasimo abbate ad Jordanem, de cujus leone asini custode mira leguntur in Prato spirituali cap. 107. Eamdem opinationem secutus est. B. Odilo sub finem vitæ S. Maioli abbatis.

tiabat : nos vero cum magno attentu ejus mirabamur virtutem, et non immerito : ut qui a corruptione non passus est vinci, a corruptela non debebatur prosterni. Denique parvipendebat quidquid virtutis in se videbat : illud magnopere judicabat, si quid in alio videre poterat. Sustentabatur per idem infantiæ suæ tempus media panis libra et fabæ pugillo, atque quod est contra naturam [illegible] corum perparvo potu. Deposita itaque om[illegible]ruptibili sarcina nudo pectore, nuda miles Christi præcinctus ferebat arma. Videbatur ab omnibus rudis triunculus senum præire cuneos, et confidens in Christo gloriosam de hoste satagebat prædam reducere. Hæc autem omnia apud ecclesiam beati Martini Turonis fiebant. Est locus ille omnibus virtutibus fertilis, prodigiis mirabilis, divitiis uber, omnique religione præfulgens. Dignum namque est illum esse mirabilem, qui tantum meruit habitatorem habere. Non enim martyr tantum aut confessor opimus, sed lux sæculi et gemma sacerdotum : ibique reges properant, diversarum gentium principes ibi cum muneribus et votis sæpius frequentant.

*Omnibus dat monita.*

17. Contigit interea ut plurimi ex ipsis ad eum introirent visitandi gratia, cogniti ut notum reviserent, ignoti ut notum eum sibi facerent. At ille, velut fons redundans, desiderantissima cunctis præbebat pocula, et, quasi ex aperta bibliotheca, omnibus congrua ministrabat exempla : huic castitatem indicens, illi sobrietatem imponens : hunc contemnere mundum docet, alterum ne alterius res concupiscat admonet. Unicuique enim quæque erant necessaria affluenter ministrabat; flebat miserrimum hunc mundum, et cito cum suis esse fatebatur amatoribus ruiturum. Admonebat itaque omnes vivere parce, et male concupita non amplecti ; ventris penitus refrenare ingluviem, inquiens : Qui ventrem farcit venerem nutrit. Libidinosis præcipitium opponebat draconis, dicens : Heu miseros illos, quia tertiam partem stellarum post se trahit draco. Ebriosis et comestoribus dicebat : Nabuzardan princeps coquorum destruxit muros Jerusalem. Mollibus et masculorum concubitoribus opponebat Herodis homicidium, et Scribæ exsilium. Quanto, inquit, melior est anima corpore, tanto qui talia agit pejor Herode. Ille corpora interfecit, animas in cœlo misit : hic corpora a Deo separat, animas æterna morte trucidat. Scriba vero qui probabat tirones, captivus ductus est in Ægyptum : hic enim post mortem ducendus est in infernum. Doctor itaque fiebat præcipitium, et dicebat : Aspice, Domine, qui facta est desolata civitas plena divitiis ; et rursum aiebat : *Væ tibi Behemoth, nunquam desinis proh nefas. Aurum tibi sternis ut lutum, et radii solis sub te sunt (Job* XLI). Hæc illi audientes, alius terrebatur conscius delicti sui, alius lætificabatur insons ad ejus consolationis verba : et quasi ex uno promptuario diversos sumebant cibos. Testor Jesum, quia ex ore hominis nunquam audivi tantam dulcedinem sermonis. Complebatur in eo quod dicit Dominus in Evangelio : *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII). Itaque omnes divino sale conditi et cœlesti ferculo satiati, gratias agentes ad propria remeabant.

*Munera respuit.*

18. Multa denique illi dona offerebant et munera : ex quibus ille nihil recipere volebat, quippe qui sua largissima distribuerat, ignorabat, quo pacto recipere posset aliena. Victus aliquando a prædicto suo domino, vellet nolletve, centum ab eo missos recepit solidos. Sed miles Christi nec momento passus est eos apud se moram pati, atque, ut prius, mox eos indigentibus erogavit. Cœpit interea alumnus cuneos præire præceptorum, et subsequentium fieri exemplum.

*Parisius studet.*

19. His diebus abiit Parisius, ibique dialecticam sancti Augustini Deodato filio suo missum perlegit, et Martianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit : præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium (10) ; quo peracto Turonicam remeavit.

*Gregorii Moralia contrahit, viso Gregorio ad hoc animatus.*

20. Per illud namque tempus rogatus est a fratribus se diligentibus, ut moralia beati Gregorii papæ sub uno eis coarctaret volumine. Ille autem professus est se hæc minime facere posse, addens, etiamsi facultas agendi sibi adesset, tamen non debere hæc agere, ne tanti viri laborem, tantique operis pretium aliter immutare, vel aliquid demere videretur. Econtra illi opponebant antea succumbi, quam tanto labore sustineri, et satius esse judicabant auditus eum deserere et ad Scripturas reliquas transgredi, quam sub eo velut sub gravi mole interire. Quotidie namque apud eos de hac re non parva fiebat altercatio. Ego tamen scio super hac re multos indignandos fore, et ad sedandos eos hanc libuit orationem inserere. Non enim fiebat istud propter arrogantiam, sed disponente Domino, ut supra montem poneretur lucerna, quæ sub modio erat occultata. In exemplum tamen subjunctæ rei hoc quod diximus manifestius apparebit. Illis videlicet persistentibus in hac petitione, factum est, ut quadam nocte domnus Odo intra ecclesiam domni Martini consuetæ orationi insisteret : et ecce subito ei somnus obrepsit, viditque in eadem visione sanctorum chorum venientem desursum in eamdem ecclesiam descendere. Et prius benedixerunt Dominum ; deinde ordinatim in subselliis sederunt atque post paululum unus eorum prosiliens in medium dixit : Quidnam est quod hoc in loco immoramur ? Cæteri vero Gregorium papam exspectare se inquiunt. Hoc audiens pater noster Odo, velut avidus indagator, cœpit huc illucque circumspicere, quanam ex parte venientem eum posset videre. Deinde, elevatis oculis sursum, quasi e cœlo missum videt beatum Gregorium, sed ultra omnes qui præcesserant eum, vultu specieque et moribus persplendidum atque ornatum. Mox veniente illo omnes surgunt, et flexis cervicibus benedictionem petunt. Ille vero non inter eos deorsum usque descendit, sed super ambonem ecclesiæ substitit, et beatum Odonem terratenus prostratum vocavit inquiens ; Surge, frater Odo, noli timere. Qui cum surrexisset, vidit veluti more scriptoris super auriculam ejus hærentem pennam, et quasi doctoris magisterio productim acuminatam, et in summo fixam. Quam sumens beatus, eamque illi tradens ait. Age ergo securus, et perfice opus tibi indictum. Quem vero composueris librum, non delebitur, meum autem stabit in æternum. Et continuo evigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum, diligenter perlegit, et saniorem partem quam prævidit sub uno volumine composuit, et sic quidem murmurationem compescuit.

*Fulconi comiti sanitatem obtinet; eum ad contemptum sæculi hortatur.*

21. Factum est postmodum, ut præfatus comes Fulco de thesauris beati Martini, nescio quo pacto, tulerit duo vascula auri : sed chamo infrenatus avaritiæ, dum ea reddere nollet, gravi plexus est ultione. Ad mortem vero usque perductus, ad beati Martini se jubet portari sepulcrum : ibique quamplurima promittens munera, sed nec sic sanitatis recipiebat munera. Præterea diutissime fatigatus

(10) Is erat Remigius Antissiodorensis monachus.

adeo usque est defectus, ut mortis exspectaret exitium. Ad quem cum domnus Odo visitandi gratia introisset, dixit illi : Redde, miser, vascula beati Martini quæ infeliciter abstulisti, et protinus salvaberis. Ille autem et illa reddere, et alia spondit conferre, si rei dictu fidem probaret. Mox patris nostri et obsequentium manibus elevatus, ad corpus beati Martini perductus, terraque prostratus, nec moram pati potuit subsidium sibi promissum : sed qui venerat manibus, veluti latus vehiculo, recupertus artubus remeare cœpit suis gressibus. Siquidem ita factum est, ut ille correptus de cætero talia non committeret, et quæ promiserat fideliter adimpleret. Cœpit interea pater Odo eum admonere, ut relicto mundo hoc tantum satageret, quemadmodum soli Deo placeret. Ille autem respondit : Mihi ista modo suadere non potes. Habeo tamen dilectissimum militem, Adhegrinum nomine, in armis strenuum, et in consilio providum, qui si te audierit, mox tuæ voluntati obaudiens erit ; quod ita sequenti tempore factum est. Intra paucos vero dies, omni recuperatus virtute, domum suam reversus est. Confluentes ad eum undique ejus sanitati congratulantes, assumpto sermone, quæ et quanta pertulisset, illis circumstantibus cœpit exponere, addens insuper quam citatam virtutem in verbis domni Odonis comperisset.

*Adhegrinum ad se trahit. Balmam petit Adhegrinus, ubi Euticii norma vigebat.*

22. Unus autem ex assistentibus et auditor internus erat prædictus Adhegrinus, qui mox corde compunctus, dispositis omnibus quæ possidebat concite rediit ad eum. Deposita itaque capitis coma et sæculari militia, ex tunc Christi factus est agonista. Sumens igitur pater noster universa quæ sibi ad temporalem usum tulerat, in sinibus pauperum erogavit, ut pridem de suis fecerat. Manserunt simul milites palatani parvissimo tugurio contenti. Videntes denique mundum in maligno positum, et ejus amatores ruinosam et illecebris plenam tenere viam, quotidie ad monastica festinabant scandere fastigia. Interea non fuit locus in Franciæ finibus, ubi audierunt adfuisse monasterium, in quo aut per se non issent, aut suos perlustratores non misissent, et non invenientes religionis (11) locum inter eos in quo requiescere possent, ad prædictum tugurium revertebantur cum magno dolore. Ob hanc causam placuit Adhegrino Romam pergere. Arrepto tendem itinere, devenit in finibus Burgundiæ, pervenitque in quamdam villam, quæ Balma dicitur ex nomine. In ea namque erat monasterium nuper a Bermone abbate constructum : devertique illuc, et ab eo officiosissime secundum beati Benedicti intra domum hospitum est susceptus : ibique more hospitis aliquo tempore commorari voluit, non tamen ut eorum aliquo indigeret, sed ut mores habitantium locique consuetudines posset cognoscere. Fuerunt autem institutores ejusdem loci imitatores cujusdam patris (12) Eutici : cujus vitæ meritum conversationisve qualis fuerit, huic operi inserere nolui ; obitum vero qualem meruerit, vestræ memoriæ commendare curavi.

*Quis Euticius Odo eodem se recipit ibique scholæ præficitur*

23. Fuit isdem vir temporibus Ludovici magni imperatoris, charus videlicet regi, omnibus quia amabilis. Nam cum esset laicus, et peregrinis studiis eruditus, deserens ea unde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit beatorum Patrum regulis et institutionibus ; ex quibus nempe auctoritatibus diversas consuetudines sumpsit, unoque volumine colligavit. Deinde non multo post monachus est effectus : et in tanto amore apud regem habitus, ut intra palatium illi construeret monasterium. Decurso enim vitæ præsentis stadio, circumstantibus undique fratibus subito emisit spiritum. Contigit interea dum discipulis pii patris pararentur exsequiæ, ecce rediit vivus qui fuerat mortuus. Illis vero attonitis et admirantibus dixit pater Euticus [*al.*, Euticius] : Deo gratias, sciatis, quia in his quadraginta annis unum tantum diem non memini me cibum sumpsisse, nisi prius flevissem. Hodie namque sublato mœrore consolatus est me Dominus, et inter choros angelorum tribuit mihi requietionis locum. Dicens hæc quievit perpetue. Ipse enim pater Euticus institutor fuit harum consuetudinum, quæ hactenus in nostris monasteriis habentur : quas vir venerabilis Adhegrinus intuens, quantocius patri nostro Odoni curavit nuntiare. At ille sumptis secum centum voluminibus librorum, mox ad idem demigravit monasterium : factus est ille qui antea fuerat secutor, postea signanus : Domnus vero Adhegrinus in unam se coarctavit cellulam : et permittente abbate Bernone, per triennium mansit in ea. Nam patri Odoni, quia erat vir scholasticus, laboriosum scholæ (13) imposuerunt magisterium. Erat autem ætate tricenarius.

24. Fateor, inquam, putavi vitam sanctissimi patris nostri simpliciter, cursimque transire : sed nostrum ingeniolum, veluti repugnator violentus, una cum ejus vita vult enarrare viros, quos intelligit habuisse hic socios. Quapropter obsecro, ut quemadmodum me non piget sub tanto desudare labore, nec vobis videatur ad recipiendum onerosum vel grave. Justum namque et bene placitum coram Deo esse videtur, ut eorum exempla ad ornatum locutionis cum sua describantur vita, quos ab hac peregrinatione suo felici portu transvexit ad patriam

*Adhegrini in eremo vita.*

25. Venerabilis igitur Adhegrinus, cujus superius memoriam fecimus, sumpta postmodum licentia eremum petiit (14), ibique parva subarctatus est spelunca. Contigit ut die quadam nimiis constrictus angustiis, cum nullus adesset, qui et consolationis verba, aut alicujus patris conferret exempla, ut ait Sapientia : *Væ soli, quia si ceciderit, non habet qui porrigat ei manum* (*Eccl.* IV) ; more labentis gurgitis paulo minus ac desperationem usque descendit : et ecce subito astitit, ei splendidissimus vir, quem blande, quid haberet interrogavit, aut cujus rei causa accidisset illi, quod quasi ad præcipitium se usque immergeret. Respondit dicens : Ex quo enim tempore Domino incessanter cœpi deservire, nullam consolationem aliquo modo ab eo merui accipere ; qua de re coangustor vehementer, quia nescio si mea servitus illi placet, an si pro tanto labore recipere merebor quandoque mercedem. Mox ille super collum ejus irruit, eumque osculans, crede, inquit, quia de bonis Domini unquam indignus non eris. Et consolatus eum iis verbis, abiens recessit.

26. Alio iterum tempore casus se præbuit, ut extra cellam in quam manebat reciperet eum tentator : moxque in eum irruit, et supra immanissimæ rupis præcipitium evexit, indeque eum omni cum annisu præcipitare voluit. Sed quid ageret miles Christi,

(11) Idem accidit Gerardo comiti Auriliacensi, qui huc illucque perquisivit monachos, *qui bene morati essent : sed cum reperiendi raritas difficultatem intulisset anxiabatur*, etc. in Vitæ lib. II, cap. 6.

(12) Euticum seu Euticium hunc non alium esse a Benedicto abbate Anianensi ostensum est supra.

(13) Id est curam puerorum, qui *scholæ* nomine designantur. Nalgodum conferas, si lubet.

(14) Erant et apud Cluniacenses reclusi, qualis erat Gislebertus ille, cui Petrus Venerabilis scribit libri I, epistolam 20.

qui recto gressu illic stare nequibat? quomodo resistere posset prorsus ignorabat. A Verum cum in summo mortis articulo esset positus, subito illi adfuit beatus Martinus, apprehendensque manum ejus dixit ad eum : Quidnam est, et quomodo huc advenisti ? At ille ait : Nescio, domine. Deinde confortans eum restituit in locum suum.

27. Ante hoc fere quinquennium dum pater Odo Romam pergeret, ut monasterium intra ecclesiam beatissimi Pauli apostoli, ut olim fuerat, reædificaret, cogente domno papa et universis ordinibus sacræ sedis, placuit animo suo prius dictum virum revisere, cumque de hac re consulere, ut fieret quod scriptum est : *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII). Interea factum est dum de hac re secum quærerent, et multa de spiritualibus rebus diu sermocinarentur, cœpit eum pater Odo deprecari, ut quidquid sibi eo tempore divinitus revelatum fuisset, familiariter sibi conferret. B Recordatus denique domnus Adhegrinus sodalitatis antiquæ, et mox inflammatus charitatis igne, respondit dicens : Illo die, illa hora, psalmodiæ peracto cursu subito adfuit mihi beatus Martinus, cujus præclara facies, et quasi assueta familiaritas post benedictionem, mox mihi dedit facultatem : effatisque sermonibus aliquantulis, deinde percunctari eum cœpi quo pergeret, aut unde veniret. At ille respondit dicens : Roma venio, et proficiscor ad Franciam : ad te positus penes iter, visitationis gratia deverti. Deinde gratias agens, cœpi eum obsecrare, ut quia dignatus est peccatorem visitare, dignaretur sub ejus tugurium vel ad modicum requiescere. At ille : Hodie, inquit, ordinatio (15) fit Ludovici Francorum regis, et ad ejus unctionem accelero interesse : et idcirco nullam patior moram habere. Ad hæc ego respondi : Et si ita est ut abire velis, oro ut prius me benedicere digneris. At ille ait : Non, inquam, necesse habes benedici a me. C Olim quippe qui me benedixit, similiter et tibi. Cumque incessanter eum urgerem ut me benediceret, mox ille quasi econtra subjunxit ut eum similiter benedicerem, affirmans insuper nullo modo se mihi acquiescere, nisi vicissitudinem benedictionis rependerem ; qua de re non parva inter nos amica contentio orta est. Ille vero quia nolebat, ideo contradicebat : ego autem, quia non præsumebam. Unde factum est, ut, collata prius in invicem benedictione, mox recessit, abiens meque cum magno reliquit mœrore. Ad probandam tamen hujus rei fidem adfuit pater Odo fidelissimus arbiter, qui diem illum et horam annotari jussit, et ita postmodum omnia diligenter requirens, facta reperit, ut ipse prædixit.

28. Sunt hactenus evoluti, nisi fallor, plus quam triginta anni, ex quo intra ipsam eremum deguit, Dominicis tantum diebus aut præcipuis festivitatibus ad monasterium sancti Petri, quod Cluniacum dicitur, quia duobus fere milibus prope est, D assuevit descendere : sumpta videlicet modica farina, ex qua sibi panem conficerem solet, et fabæ paucis granis, mox ad eremum revertitur. Vino nec aliquando utebatur : adipe vero vel oleo ejus cibus non conditur. Patitur omni tempore frigus et calorem : calorem inter scapulas, frigus inter manus et brachia. Sed nos vitam prosequentes viri istius, quantocius ad propositum redeamus, a quo longe digressi sumus. Sed rursum memini me promisisse vel prius patris Odonis patientiam exponere, quæ est virtutum omnium fomes : deinde temporis augmentatione reliquas ejus virtutes diligenter enarrare Idcirco auxiliante Domino, prout vires suppetunt, meam pollicitationem festinabo implere.

*Odonem tentant falsi fratres.*

29. Erant in eodem cœnobio supradicto quidam fratres, quorum vitam moresque reperietis in sequenti narratione. Hi audientes quod domnus Odo conversationis gratia illuc venisset, accedunt ad eum simulantes, et qua causa ibi advenisset fingunt se interrogare. Itaque cum ab eo de hoc quod sciscitabantur responsum accepissent, aiunt dicentes : Omnes nos quærimus hanc congregationem fugere, ut possimus animas nostras salvas facere : et tu econtra tuam venis hic perdere ? Quibus cum respondisset cur hoc dicerent, rursum adjiciunt : Nosti consuetudinem Bernonis abbatis ? At ille : Nusquam, inquit. Et illi : Heu, heu, si sciretis quam dure scit ille monachum tractare. Correptionem vero suam sequuntur verbera, et rursum quos verberat compedibus ligat, domat carcere, jejuniis affligit : et hæc omnia perpessus, nec sic suam potest miser impetrare gratiam. Hæc audiens domnus Odo, pedetentim titubare de ingressu cœpit. Quem prædictus intuens Adhegrinus, mox prosiliens in medium inquit : Odo pater, noli trepidare ; ista verba non sunt fantis, sed administrantis. Animadverte, et quia per eorum ora diabolus loquitur vide. Mox illi confusi retrorsum redeunt. Pater namque Odo cum Adhegrino collega suo ad suavissimum Christi jugum colla submittunt. Qua de re beatus Benedictus, quia erat præscius futurorum, in regularibus disciplinis præcepit (*Reg.* cap. 53), ut cum hospite nemo loquatur, nisi cui a priore fuerit concessum. Quanti enim tali modo decepti ab initio sanctæ conversationis retro sunt reversi, atque a calore interni desiderii ad torporem reversi sunt pravæ voluntatis ? et quamvis Scriptura dicat : *Probate spiritus si ex Deo sunt* (*Joan.* IV), tamen probatio fidelium et quærentium Dominum talis esse non debet, videlicet cum Dominus per prophetam his qui Spiritus sancti calore igniti sunt, inquiens præcipiat : *Vos qui in austro estis, accurrite his cum panibus quid ab aquilone veniunt.* Sed miles Christi sicut blandimenta non fuit amplexus, ita videlicet nec terroribus est concussus. De his autem talibus recte ita beatus Job loquitur : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan* (*Job* III).

*Cluniacenses ritus præstringuuntur.*

30. Libet interea patris nostri Odonis paulisper seorsum ponere vitam, ut in exponendo ejusdem loci consuetudines parum mihi aliquid liceat immorari, quatenus sequens lectio possit esse lucidior. Mos enim ejusdem loci fuerat, ut magister scholæ solus cum solo puero nec quoquam iret saltem, nec ad naturæ digestionem, sed nec solus puer secretius illi loqui præsumeret : sed et propter bonum testimonium alium e pueris, aut unum ex fratribus in comitatu, vel locutione semper assumeret. Si autem nox foret, et casu accidente secessum puer peteret, sine lucernæ lumine et alio fratre extra dormitorium pedem non auderet protendere. Tempore vero refectionis nunquam deerat lectio utrisque mensis : micas vero quæ ex sectione panum fiebant, unusquisque ante se diligenter recolligens, priusquam lectio finiretur, cum gratiarum actione sumebant. Finita itaque lectione, nec eas, nec cibum alium sumere ultra aliquis audebat. Has autem micas sacratiores aliis cibis esse fatebantur. Tale namque ferebant miraculum ex eis claruisse in eisdem annis.

31. Frater quidam in eodem monasterio fuit valde idoneus, et omnibus charus. Qui ad mortem usque perveniens, circumstantibus fratribus qui ejus venerant orando commendare Domino spiritum subito emissa voce clamavit dicens: Adjuvate, obsecro, domini, propter Deum ; modo inquit, sum raptus ad judicium, ibique protuli accusator humani generis diabolus contra me ad testimonium de micis panum

(15) Transmarini scilicet, cujus reductio ex Anglia et coronatio incidit in annum 936.

plenum sacculum, quas comedere secundum consuetudinem nolui, et de mensa ceciderunt. Atque post pusillum iterum terribiliter clamare cœpit et dicere : Ecce de quo dixi vobis adest diabolus, deferens prædictum sacculum. Nam cum territi fratres mirarentur, adjecit rursum : Illo in loco adest, an non videtis eum ? Deinde signo crucis totum se munivit, et inter verba orationis spiritum reddidit. Ab illo ergo die omni cum diligentia sunt collectæ.

32. Est et alius inter eos taciturnitatis modus. Incompetentibus namque horis nemo intra claustrum ejusdem monasterii audet loqui, nec se cum alio fratre jungere. Quando vero duodecim celebrantur lectiones (16), nullus intra prædictum claustrum, præter ad capitulum, sequenti die loqui audet. Octava enim Natalis Domini et ejus Resurrectionis summum silentium die noctuque fiebat in illis. Brevissimum quippe istud, illud significare fatebantur æternum silentium. Nam, quoties necessarias ad exposcendum res instabant, toties diversa in invicem fiebant ad perficiendum signa, quas puto grammatici digitorum (17) et oculorum notas vocare voluerunt. Adeo nempe inter eos excreverat ordo iste, ut puto si sine officio linguæ essent, ad omnia necessaria significanda sufficere possent signa ipsa. At vero in quotidianis diebus et reliquis octavis sanctorum talis discretio tenebatur. Etenim in quotidianis diebus, inter diei noctisque cursus, CXXXVIII canebant psalmos : ex quibus XIV nos dempsimus propter pusillanimorum animos, exceptis peculiaribus orationibus quas nostri frequentant fratres, quæ videlicet modum psalterii videntur excedere. Similiter duabus missis identidemque litaniis. Per singulas vero horas canonicas bis flectebant genua. In octavis quas diximus, LXXV tantum canebant inter prædictos cursus, et semel flectebant genua, et bis reficiebant. Sunt namque alia quamplurima, quæ arbitror propter fastidiosos lectores huic operi non inserere.

*Odonis patientia probata.*

33. Igitur Odo dum scholæ magisterium assumeret: mox se tempus præbuit opportunum, quo ejus patientia probaretur. Adfuit nox, et ecce quidam de pueris signo secessum naturæ petiit. Erat autem ille locus adeo dormitorio conjunctus, ut lucerna quæ ibi auctoritate regulari ardebat, perlustraret eum totum. Surgens itaque pater Odo, unum suscitans e pueris, illo tantum contentus lumine, cum eo abiit. Altera autem die, ut mos est, convenientes ad capitulum fratres, Martyrologio et versu finito atque lectione Regulæ, cœperunt illum graviter (18) increpare, cur sine cereo transacta nocte post puerum isset. Verum quia ante veniam nullus suam audet proferre causam, nec suam post veniam defendere sententiam ; illico in terram corruens veniam petiit, sufficere, inquiens, sibi posse dormitorii lucem. Sed tamen ab illis non solum est auditus, verum econtra sub gravi culpa adjudicatus. Vir denique beatissimus qui arrepto itinere angusto sequi venerat illum, qui cum pateretur, non comminabatur, non indignans, aut murmurans, nec obstantiæ opponens querelas, sed momentaneos quærens locos, terra prostratus veniam est deprecatus. Abbas autem suus volens probare patientiam ejus, finxit se iratum, et protulit sententiam excommunicatione connexam, ut ea die ultra ei veniam non peteret. Ille autem Davidicum illud in pectore volvens qui dicit : *Ut jumentum factus sum apud te, et ero semper tecum*

A (*Psal.* LXXII) ; et rursum : *Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra* (*Psal.* LXV) ; abiens provolutus fratrum pedibus, rogat ut eant, et vice sua eidem abbati veniam petant ; quod et factum est. Tandem admirans Bernus [al., Berno] abbas tantam in juvene patientiam, mox eum convocat, et more regulæ ipsam commotionem benedictione sanat ; atque posthinc charior factus est illi.

34. Erant autem fratres in eadem congregatione mente et actione juvenes, quorum superius mentionem fecimus. Hi vero unde proficere debuerant, inde ad interitum ibant. Nam quoties locum occasionemve reperire potuissent, diversas injurias et falsas increpationes ei objiciebant. At vero vir pacificus Odo seorsum eos ducebat, et innocens quasi reus eorum pedibus se prosternebat veniam petens, non tamen metu humano, sed amore fraterno, nimirum ut patientia corrigeret quos videbat B divinam incurrere ultionem. Compescebantur tandem aliquando ab ejus patientia : sed more labentis aquæ protinus ad propria revertebantur vitia. Illum namque quem imitari debuerant, e contra insequebantur. Princeps autem pestis hujus Guido dicebatur. Sæpius enim cum instigaret alter alium. ut ei convitiaretur : aiebat ille qui mittebatur : Quid prodest quotidie hæc agere, cum non possimus eum nec fugare, nec ad contumeliam provocare ? Tu enim nosti, quia doctior est nobis. Hactenus enim quod ab eo discere volui, gratanter insinuavit. Vereor, inquam, ne quandoque tantis injuriis confractus incipiat retrahere postmodum invitus, quod nunc sponte largitur. At ille : Non, ut asseris, ita est. Talis enim frater Odo est, ut non tantum ista aut similia, verum et pejora sustineat : atque post hæc quod volueris gratanter impendat. Siquidem post modicum tempus divina ultione perculsi sunt justo Dei judicio, quia non C potuit eos compescere fraterna correptio. Defuncto namque Bernone, qui erat tunc ipsius monasterii pater, mox deposito religionis habitu ad sæculum reversi sunt, et teterrimum meruerunt postmodum obitum.

*Miraculum de micis. Parentum conversio.*

35. Sane et hoc miraculum eo tempore inibi factum fuisse pater noster narrare solet. Erat quidam in eadem congregatione frater tali usus consuetudine ; nam, cum sederet ad mensam, totam mentem suam lectione præoccupabat. Die quadam contigit, ut collectis ex more (19) micis, priusquam eas sumeret, abbas præfatus lectioni finem imponeret. Sed ille quid ageret prorsus ignorabat. Nam eas post finitam lectionem non audebat comedere, nec dimittere ne casu perirent. Clauso vero pugillo dignum esse sensuit, ut cum post versum essent regressi, reservandas fore patri monasterii. Factumque est, ut ab oratorio regressi, mox se pedi- D bus prostravit patris. Qui cum interrogaretur cur veniam peteret, et ille quod factum fuerat patula manu vellet ostendere, omnes prædictæ micæ in margaritarum species sunt conversæ. Glorificantes igitur Dominum, mirabiliter stupefacti sunt. Deinde præcepto patris in quoddam ornamentum ipsius ecclesiæ sunt intextæ. Ille autem de se, quasi de alio, hæc solet recitare. Ex illo jam tempore cœpit infra se ipsum æstuare propter genitorum suorum ereptionem, quatenus eos posset ab hujus sæculi nexibus subtrahere. Unde factum est, ut non multo post acceptа licentia ad patrem suum abiret eumque ad monasterium duceret, atque monachum ordinaret ;

(16) Lege Udalricum in lib. II de Consuetudinibus, cap. 46 et 55.

(17) De his signis vide Udalricum in lib. II, cap. 4.

(18) Proclamatio vocatur, de qua item in lib. II, num. 23, et apud Udalricum in lib. II, cap. 7. Viget etiam nunc ejus usus apud Cistercienses.

(19) Alius mos de micis in Regula Magistri cap. 25, nempe ut quotidie de mensis *mundando levatæ in uno vase serventur, dein ab hebdomadariis Sabbato mundentur : et patella exinde coacta, aut cum farre aut cum ovis astricta, antequam ultimum seræ caldum bibant, in mensa ponatur abbatis.*

matrem vero indui fecit sacro velamine: cujus vitam quidem, si licuisset scribere, magis historia videretur esse quam schedula.

*Odo desponsatæ virginitatem persuadet.*

36. Factum est autem in illis diebus, cum quadam die jam sero divertisset quiescendi gratia in domum nobilissimi viri cujusdam, absentibus dominis, erat ibi eorum filia una cum familiis virgo jam adulta, quæ videlicet nimis curiose per totam vesperam ejus actus considerare studuit atque vitam. Deinde compuncto corde latenter per quoddam posticium irruit ad eum, ejusque prostrata pedibus, se ream cito nuptiis tradendam esse dicebat: addens ut propter Deum, cujus se fatebatur famulum, in eadem nocte liberaret eam. Audiens hæc Christi miles, cum ignoraret quid ageret, et quomodo tantæ virginis voluntati satisfaceret, infra semetipsum cœpit vehementer æstuare Pietatem in Deum suo more, pietatem supra virginis lacrymas habens, proponebat sibi judicium Dei animæque illius interitum, rumoremque contra se parentum et populorum, quare talia præsumpsisset monachus. Sed amore Dei, et virginis singultibus victus, tandem in ejus ereptione dedit assensum. Nocte vero illa cum omnes famuli domus quiescerent, ille et frater qui cum eo erat, ascensis equis præcesserunt, jussuque suo famuli qui eum comitabantur, sumpta virgine secuti sunt. Altera vero die applicuerunt ad monasterium. Erat autem prope ipsum monasterium oratorium constructum, ubi nobilissimæ mulieres causa orationis (20) recipiebantur, ibique eam manere constituit, deinde ad monasterium perrexit. Sequenti vero die, ut mos est, patri monasterii omnia quæ gesserat studuit indicare. Etenim cum ea quæ de virgine gesserat audisset, turbato aspectu cur sine licentia hæc agere præsumpsisset, graviter eum increpare cœpit. Mox ille in terram proruit, ejusque pedibus provolutus veniam precabatur. Post hæc patris jussu a terra elevatus, post reiteratam interrogationem respondit dicens: « Domine pater, ex quo me miserum suscipere es dignatus, inquantum considerare valui, nunquam tibi aliud curæ fuit nisi de animabus lucrandis. Nam cæteri abbates hoc student, qualiter rebus possint abundare, et hominibus placere. Tu vero pietate, misericordiaque fretus, soli Deo placere satagis propter lucrum animarum, qua de re imitator tuus desideravi esse, idcirco hanc virginem volui lucrari ad laudem tui nominis. Quamvis enim me etiam tarde vincerent ipsius lacrymæ, non sum tamen oblitus tuam increpationem, quam certissime sciebam me non posse evadere: sed malui potius pii patris flagello cædi, quam reus pro anima ejus teneri. Et utinam omnes mulieres in hac provincia commorantes, quæ carnali vinculo retinentur, potuissem lucrifacere, et tu me per singulas debuisses piissimo tuo more flagellare.» His et similibus verbis patris commotionem delinivit, sed tamen talem obedientiam ei protinus injunxit: Vade, et quemadmodum scisti eam de sæculo eruere, ita scias quotidie alere, ac sanctis monitis instruere, ne aliquando pœniteat, et revertatur suadente diabolo ad sæculum. Cœpitque pater Odo post hæc per singulos dies cibum ei portare, et patrum præcedentium exemplis eam instruere, donec intra paucos dies eam ad quoddam monasterium duceret, ac sacris virginibus sociaret. Verumtamen hæc omnia propter bonum testimonium præsentia fratrum fiebant. Factum est non multo post ut ipsa dormitionem acciperet in Domino. Cumque circumdedissent eam sorores, ut ejus spiritum orando protegerent, et cum pene illam præmortuam tenerent, subito voce qua poterat cœpit dicere: Adjuvate me, obsecro, levare. Interrogantesque eam cur hæc diceret. Ecce, ait, beatissimum Paulum apostolum video venientem, et illi volo occurrere. Necdum verba compleverat, et extendens brachia ut velocius surgeret, eadem verba rursus repetebat. Cæteræ autem eam insanire putabant. Interea inquantum potuit, supra genua se elevavit, et curvato capite benedictionem venienti petiit his verbis: Benedicite, et mox quievit perpetue. Qua de re nulli dubium fuit ab eo esse susceptam, a quo fuerat visitata.

37. Prævidens itaque pater Bernus honestissimum virum fore futurum, promovit eum, et accersito episcopo sine suo velle consecrare eum fecit sacerdotem. De quo videlicet episcopo narrare solet pater Odo, quia benedictum ab eo cibum nullus canis audebat comedere; quod si casu contigisset, mox canis moriebatur, veluti pro cibo aliquid gustasset venenosum. Sed obsecro ut nullus me deroget pro eo quod dixerim, quia absque suo velle consecratus fuisset, ne forsitan qui hoc attentaverit facere, videatur ex illis esse qui donum sancti Spiritus emere, aut vendere non verentur. Ea itaque nocte, quam suæ ordinationis secuta fuerat dies, cum post noctis soporem evigilasset, et nec sui consecrationem meminisset, invenissetque circa collum suum (sicuti mos est) stolam ab episcopo sibi collatam, protinus se in lamentum dedit, velut magni ei aliquid accidisset mali, atque per multum postea tempus præ nimio pudore nesciebat qua fronte extra monasterium posset egredi. Unde factum est, ut ad eumdem episcopum pater Bernus mitteret eum reperta occasione quadam. Cumque episcopus ille pro sua maxime consolatione in longum sermonem de culmine sacerdotii traheret, contigit ut de statu ecclesiæ sermo inter illos adfuisset. Tunc pater Odo ex Jeremiæ vaticinio flebilem illi de sacerdotibus cœpit sermonem exponere: quo videlicet expleto, cœpit ille episcopus rogare, ut eumdem sermonem ei describeret, et libelli more componeret. Cui econtra Odo pater protulit regulam in qua continentur, quod absque licentia prioris nihil liceret monacho facere. At vero isdem episcopus ob hanc causam perrexit ad monasterium. Et quia erat prædicti patris solidalis amicus, mox quod voluit obtinuit apud eum: deinde præcepto illius tres libellos composuit ex Jeremiæ vaticinio, quorum videlicet textus per diversas jam ecclesias est translatus.

*Odo abbas electus invite.*

38. Per illud videlicet tempus exitiali languore cœpit decumbere pater Bernus. Mox vicinos episcopos accersivit, et ab omni ordine se deposuit: insuper et flebili voce se reum indignumque tali ministerio proclamabat præfuisse. Rogabat inter hæc verba fratres, ut sibi quem vellent, patrem eligerent. Tunc manibus fratrum pater noster captus, et quasi violenter constrictus, ac proclamantibus omnibus ut ordinaretur, coram abbate suo vi est ductus. Et cum nec sic vellet cedere, et locum pastoris subire; superatus est tandem episcoporum excommunicatione. Ordinatus itaque ille, intra modicum tempus pater Bernus migravit ad Dominum.

(20) Hinc intelligitur, mulieres in principem monachorum basilicam non fuisse admissas quod passim in ordine nostro quondam usitatum, ut sæpius observavi.

# LIBER SECUNDUS.

*S. Odo fratrum quorumdam turbas patitur.*

1. Multis calamitatibus et crebris languoribus, pauca mihi licuit narrare de patre nostro Odone, et ea tantum quæ gestit sub suo abbate : tamen vestra industria per hæc facile comprehendere potest, a quanta ipse incœperit perfectione. Sed quia initium beatæ vitæ fert secum augustias et labores, finis vero certaminu : gloriam et laudem ; idcirco per ejus beatam vitam et quietam, quasi per directum tramitem, ad ejus obitum quantocius, festinabo transcurrerre. Igitur pater Odo electus et abba ordinatus, mox contra eum prædicti veterani persecutores insurgunt. Ille autem malens locum dare et beate quiescere, quam contentiose vivere, derelicto eodem monasterio, et quæquæ ubi fuerant a domno Bernone parata atque ei paterno more tradita, abiit (21) Cluniacum et cœptum pridem perfecit monasterium. Secuti sunt autem eum seniores loci illius.

*S. Martinum adjutorem experitur.*

2. Per illud namque tempus defecit omnis sumptus, quem secum detulerat in construenda monasterii officina. Fiebant autem hæc omnia circa beati Martini natalitia. Est autem consuetudo nostra octo dierum circulo celebrare eam. Peracta itaque diei octavi celebritate matutina, et necdum illucessente aurora, omnes reversi sunt ad propria strata requietionis potius quam dormitationis gratia : ferebatque pater noster cuidam vetulæ personæ talem revelatam fuisse visionem. Aspiciebat et ecce vir venerabilis canitie decoratus, stolaque splendida indutus, super quam pallio pluviali utebatur, et episcoporum more ferulam manu ferebat : qui proprius accedens, structuram ejus monasterii circumcirca inspicere cœpit. Quem cum interrogasset quis esset, aut cur hoc ipsum ædificium circumspiceret, ait ille : Ego sum, de quo fratres celebrant solemnitatem octavi diei ; etenim visitare eos veni. Dicito illis ne deficiant, sed in incæpto opere persistant.Ad hæc subjunxit persona illa quia defecisset omnis sumptus quem secum detulerat. Ac ille : Ne timeant, inquit. Ecce nunc a Roma venio et Turoniam (22) vado. Iter autem meum per Gutiam Aquitaniamque faciam et ex his partibus tantum eis pensum mandabo ut eis hoc tempore affluenter abundet, et longo post perseveret. Læti ergo fratres, et de tanti viri promissione securi, omni cum hilaritate Deo gratias cœperunt agere. Cujus autem hæc persona fuerit, profiteri non audeo quia patris nostri mos fuit, ut deliberative suam personam nunquam ascriberet : sed si magni aliquid vidisset vel parvi, tali modo quod viderat dicebat. Unus ex nostris fratribus, aut quædam vetula persona hoc vidit, vel illud. Nam quoties hæc mihi retulit, toties mihi professus est, post hanc revelationem intra dies paucos ex finibus Gutiæ plusquam, tria millia ibi delatos fuisse solidos. Tanta namque et talia sub tali specie mihi narrare solitus erat, quæ apud cœnobium sancti Benedicti, quod dicitur Floriacum, gesta fuerunt , simili modo et apud Cluniacum ; quæ si auderem ad liquidum exarare, libelli modus ultra dictatoris se facultatulam extenderet. Sed ecce dum beati Martini fidelissimam promissionem enucleatius adimpletam narramus, subito ad mentem recurrit ferarum bestiarum non perparvum adA miniculum. Quod fortassis descriptum quibusdam legentibus incutiet risum : sed quia spectaculum facti sumus angelis et hominibus, hi qui nos imitari dedignantur, aut nequeunt, habeant de nobis saltim excusum, videntes nos proficere a bonis in melioribus : ac tandem relinquentes lugubrem vitam, omni cum exultatione sequantur in æterna gaudia.

*Cluniacensis ecclesiæ dedicatio.*

3. Igitur constructo monasterii oratorio eunt fratres, invitantque episcopum, uti mos est, ad sacrandum eumdem locum. Ille autem parvipendens monachorum paupertatem, constituto die venit stipatus cuneis, fultusque ministris. Quorum adventu cognito fratres nimio confundebantur pudore; non habentes tam dignum apparatum, quo eos possent honeste recipere. Mane autem illo instante crepusculo, ecce immannissimus aper de silva egressus festinanter propeB rabat ad monasterium. Quem videns ecclesiæ custos, et quia erat foras monasterium, meditans de ornatu loci illius, in ecclesiam fugiens ejusque fores contra eum obseravit. Ille autem obmissa feritate, ut agrediendi aditum a quovis concederetur, prædictas regias diutius pulsavit, atque oris sui spuma, quod adhærere potuit, linivit. Revera cum nullus adesset qui ei ob timorem aperiret, tandiu ibi stetit, quousque episcopus cum suis venit : quibus se sponte occidendum præbuit impleta voce psalmographi qui dicit : *Timentes Dominum non minuentur omni bono* (*Psal.* III); et iterum : *Non confondentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur* (*Psal* XXXVI).

*Odonis charitas in pauperes.*

4. Vere enim aliquando pater Odo confessus est, quia semper habuit unde fratres sustentaret, et quod pauperibus largiretur. Nusquam C enim a misericordiæ suæ sinu pauper unquam recessit vacuus. Quoties enim cum eo abii, semper unde sustentarentur pauperes si haberemus, diligenter requisivit : deinde quia si omnia nobis forent necessaria, jam securus processit nihil hæsitans, et quia se omnibus petentibus dabat, Dei nutu cuncta ei suppeditabant. Illud Tobiæ preceptum semper habebat in promptu : *Vide ne avertas faciem tuam ab illo tempore, et omni petenti te tribue* (*Tob.* IV). Si quis vero attalisset ei aliquod munus,et pauper videretur habitu, mox interrogabat eum quid vellet, aud si aliquid ab eo egeret. Si enim quiddam peteret, statim æqua lance munus illud æstimabat quantum valeret, et duplum illi præcipiebat dare ; quod sæpius in multis rebus vidi eum facere. Fateor peccatum meum, quia frequenter in talibus fui contristatus; et quia eram prior, quasi compatiens loci pauperlati, et prævidens opportunitatibus fratrum, veluti D sub pretextu inopiæ dicebam ei injustum esse sic omnia indiscrete tribuere. Ego enim putabam scienter agere, sed magis insipientiæ obvolutus caligine a tenacitatis potius strangulabar mucrone. Ille autem, quia erat peritissimus medicus animarum, quodammodo manu discretionis pulsum mei tangebat erroris, et hoc exemplo vulnus meæ curabat mentis. Aiebat ad hæc mihi : Tace, malo tuo hæc dicis. Fuit quidam juvenis et erat deditus litterarum studiis qui nocte quadam hiemis tempore dum ad Matutinos agiliter pergeret ut inter

(21) Joannes hoc loco insinuat, Odonem Balmæ abbatem esse designatum : cum Wido Balmæ, Gigniaco, et cellæ Æthicensi præfectus sit, ex dictis in elogio tum Bernonis, tum Odonis supra.

(22) Id est in pagum Turonicum, *la Touraine*. Idem vocabulum redit infra num. 16.

condiscipulos maturius adesset, vidit in atrio ipsius ecclesiæ pauperem seminudum jacere, cujus compassus penuriæ exuit se scapulam, qua superindutus erat, et usui pauperis eam transiens projecit. Considerans quod fecit, idcirco metum rigoris procul a se avertit. Finita itaque laude matutina, totus jam rigidus ad suam reversus est cellulam. Sed cum congelata membra voluisset lectulo tradere ut calefacerent, libram auri super suum reperit stratulum, ac deinceps quod suo usui retineret, et quod aliis tribueret habuit affluenter. Ego tamen ignoro de quo ista dicebat. His et similibus exemplis cataplasmabat vulnus meæ pravitatis.

5. Vellem ad alia transire : sed miserationes ejus multæ compellunt me scribere, et iterum de ejus largitate plenius sermonem facere. Attamen scio quia absque meo pudore hoc nequibo adimplere. Ego tamen scribam, et gladium increpationis in memet infigam, ac dehinc culpas meas omnibus pandam, ut si ei modo, quia recessit, hæc confiteri non valeo, saltem vos apud eum intercessores obtinebo. In suo enim itinere quosque circa viam pueros reperiebat, cantare eos quiddam cogebat : et quasi eorum ludum remunerans, aliquid eis de suis rebus præcipiebat dari. Dignos eos esse dicebat remuneratione non parva. Ille vero ut nos sua jocunditate lætificaret, et illos misericordiæ visceribus reficeret, ista et his similia dicebat. Verba enim sua omni exsultatione erant plena ; locutio vero sua præ nimio gaudio ridere nos cogebat. Sed ille habenas moderationis manus tenens mox capitulum Regulæ nobis opponebat dicens (*Reg. S. Ben.* cap. 4, 7) : Risum multum aut excussum non amare ; et iterum : Monachus non sit facilis aut promptus in risu, quia scriptum est : *Stultus in risu exaltat vocem suam* (*Eccli.* XXI). Isto namque et simili modo nos cohibebat a risu ; sed spiritualis ejus hiralitas internum gaudium nostro cordi inserebat. Sed ego indignus quid de eo digne dicere potero, aut quid enarrare de tanto godio ? Revera cum menti nostræ aliter nequibamus satisfacere, vestimenta ejus osculabamur occulte sed quid mirum de nobis qui indesinenter adhærebamus illi ? Enimvero quando ecclesiam sancti Petri intrabat. Dei famuli et qui illuc oraturi ascendebant, hinc inde exeuntes post eum cursitabant, et birum quo tegebatur more cappæ, per extremitatem fimbriæ apprehendentes osculabantur. Ille autem concito gressu ibat ceu fugiens, et ipsi eum sequebantur veluti persecutores. Erat enim velut lapis angularis quadrus, angelicus videlicet et humanus, largus et gratus, ut quotidie ab eo compleri videretur hoc quod in psalmo legitur : *Jucundus homo qui miseretur et commodat* (*Psal.* III), et cætera ; et rursum sicut ait apostolus Paulus : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX. Cæcos nempe et claudos paradisi asserebat futuros fore ostiarios ; ideo nullus deberet eos pellere a sua domo, ne paradisi eis portas clauderent in futuro. Quod si fortassis aliquis e nostris famulis non ferens eorum improbitatem, aliquid mutum (23) responderet eis aspere, aut mox illis, assueta beneficia non conferret, sive eis accessum ostii nostri papilionis denegaret, statim comminando increpabat eum graviter ; deinde illo astante vocabat pauperem, eique precipiebat dicens : Cum venerit iste ad portam paradisi talionem retribue ei. Hoc autem dicebat ut eos terreret, ne similia amplius facerint, et charitatis affectu eos informaret. Si autem secus viam (ut sæpius fieri solet) anum reperisset aut debilem, statim de suo equo descendebat, et eum de super sedere faciebat, imperans eminus omnes præcedere, præcipiebatque adhærere ei aliquem e famulis qui eum contineret ne caderet. Ille vero inter nos equitantes incedebat pedester, ac semper psallens cogebat nos psallere secum. Quod si pro pudore, aut illius timore aliquis vellet descendere, protinus imperabat illi, ut quo sedebat sederet, sciens eum pro ejus reverentia, non enim pro paupere id facere velle; nam sæpius vidi eum hoc facere.

*Odonis Romanum iter.*

6. Illo enim tempore quo cum Geraldo Regiensis ecclesiæ (*l'Eglise de Riez*) episcopo Cotias transivimus Alpes, et Romam venimus pariter, memini eum de quadam muliere dæmoniaca hoc fecisse, quæ statim reddita est sanitati, et una nobiscum usque Senam (*Sienne*) venit, ibique dissenterico morbo infirma remansit. Postea namque apud sanctum Paulum simul eam Romæ vidimus, cui mox signo denarium dari præcepit. Illa vero cum sedens verecundaretur , curvato capite, defixis in terram luminibus, quæ esset illa mulier interrogavi. Ille autem respondens : Illa est, inquit, talis ac talis. Signa mihi dicens, qualiter eam possem facilius recognoscere. In ipso namque itinere vetulus quidam et debilis prædictas Alpes nobiscum simul transiebat. Erat autem oneratus sacculo pleno panibus et aliis, cæpisque ac poris, quarum videlicet herbarum fetores ego minime poteram ferre. Sed pius pater illico ut eum vidit, more suo super equum suum sedere fecit, sibique prædictum imposuit fetidissimum sacculum. Ego autem tantum fetorem non ferens, ab ejus quem comitabar latere retraho longius pedem. Peracto itaque eminentioris Alpis arctissimo itinere, ad declivum montis incipientes descendere, conspexi eum eminus astantem, suumque cogente paupere equum superascendere. Prædictum namque sacculum nec tunc pauperi reddidit, sed artioni sellæ appendit. Ego autem eos qui me præcesserant antecedebam, et ut appropinquarem illi, ocius et verecundans ibam. Et post pusillum cum venissem ad eum, dixit mihi : Accede, quoniam supersunt psalmi quos debemus cantare. Cui cum ego respondissem, quod fetorem illius sacci ferre non possem, protinus increpavit me dicens : Heu me, pauper illud quod tibi fetet, potest comedere tu, ejus non potes ferre odorem ! Pauper enim potest portare, tu eum dicis te non posse videre ! Hoc autem dicebat de se, qui verus Christi pauper erat. His et similibus verbis me increpavit, et odoratum meum ita curavit, ut ipsum fetorem denuo nunquam sentirem.

*Aliud Odonis Romanum iter pro pace. Januario et Februario.*

7. Sub idem tempus Italiam missi sumus a Leone summo pontifice, ut pacis legatione fungeremur inter Hugonem Longobordorum regem, et Albericum Romanæ urbis principem. Post nonnulla vero discrimina venimus tandem Senam. Patiebatur autem famis penuriam ipsa civitas. Affuerunt autem nobis in profectu tanti periculosi itineris fere triginta solidi argentei, ex quibus pars maxima jam distributa erat. Ego enim recolens consuetudinem illius, quia nihil sibi nostrove reservabat usui metuens ne nos et quique nostri fame deficeremus, si deesset ex quo omnium emeretur cibus, sumpsi quod supererat de prædictis solidis, et latenter ab eo discessi, atque eo ignorante civitatem transivi. Illo autem introeunte civitatem, occurrerunt egentes assueta beneficia deposcentes. At ille, circumspectis omnibus, dum me non vidit, protinus quod gesseram intellexit. Sciebat enim, quanquam præsto non essem, non tamen longius fore : idcirco innuit omnibus manu ut eum sequerentur ; quod et fecerunt. Vidit igitur dum transiret civitatis plateam tres viros, sed quadam honestate comptos, quæ eos ab improbitate egendi alienos reddebat : attamen et eidem penuriæ dediti fuerant. Istis namque et istam dedit occasionem, ut suæ benedictionis participes

(23) Aliis, *aliquod mutum*, id est verbum, ni fallor, Galice *quelque mot*.

fierent. Erant ante ostia domus eorum positæ singulæ scutulæ lauri baccis plenæ. Statim unum ex eis interrogavit, prædictas lauri baccas quanti venderent pretii. At ille ignoro quid vile dixit; cui pater noster respondit : Tace, noli dicere pretium quod dixisti, sed dic tantos denarios. Ille vero ita fecit : protinus vero mutuo tot accepit denarios, et sic eos sub prætextu pretii sua benedictione muneravit. Interea dum ego ejus observarem egressus, vidi illum venientem post pusillum a longe, ac quasi præcinctus miles ad bellum incedebat stipatus cuneis pauperum : sed tamen tanta repletus exsultatione, ut eo salutato more nostro, vix posset me rebenedicere. Deinde finxi me interrogare, qui essent qui eum ambiebant incedentes, vel quid quærerent. At ille : Isti sunt, inquit, domestici Dei et laboratores nostri. Ergo accelera, et redde illis mercedem. Hoc peracto rursum interrogavi eum, quid sibi opus essent tantæ lauri baccæ, aut unde eas tulisset. Ille autem cœpit nobis tanta et talia verba dicere, quanta et qualia nunquam audivi ab ineunte ætate, nec spero me ultra audire. Adeo enim omnes exhilaravit, ut præ nimio gaudio ne quis ex nostris suas lacrymas posset continere, ut valeret alter alteri loqui. Necdum fuerant tersæ tanti lacrymæ gaudii, conquiniscens ejus paternitati cœpi eum rogare, ut baccarum illarum sarcina nos non oneraret, sed venditoribus eas remitteret. At ille, non, inquit, faciam, quoniam vereor ne fortassis post nos pretium remittant. Vix tandem id obtinere potui, videlicet ostendendo illi sequestrationem loci et longinquitatem itineris jam peracti. Ipsa vero die prædixit mihi priorem fore futurum, et multa alia quæ mihi postea acciderunt. Deinde cœpit me instruere, quemadmodum inter cæteras virtutes patientiam deberem obtinere ; atque a se ipso exordium sumens cœpit exponere, quanta et qualia ordinationis suæ tempore a suis fratribus pertulisset. Quod sane nunc non expedit scribere propter sanctissimam eorum postmodum conversationem.

8. Necdum peracto itinere, et antea quam funditus nostra defecisset pecunia, obvium habuimus fratrem nostrum Petrum presbyterum, qui tunc conversationis gratia Romam veniebat : ex cujus substantia nostra ditata est inopia, quia ab eo sumpsimus ex quo iter nostrum perfecimus. Fiebat autem istud duobus mensibus, Januario videlicet atque Februario. Fuit autem iter nostrum per Ammiates Alpes. Tanta namque inundatio nivis illis diebus effluxit, ut agnitionem nobis olim cogniti auferret itineris : et ita omnium replebat sinus, ut frigescentibus artubus etiam loquendi modulos perderemus. Cumque senilia ejus membra tabescere cernerem, feci ei agilem tunicam, quæ ejus posset tueri et calefacere penetralia. Peracta itaque legatione, a nostratibus coacti sumus, ut per maritimas reverteremur fines. Factum est autem cum venissemus ad locum, qui vulgo Burrianum vocatur, jam sole Oceanum tegente obvium habuimus seminudum pauperem cujus ego speciem, sicut tunc considerare non potui, ita nec postea recolere valui. Hoc tamen reminiscor, quia nudis plantis, nudatisque lateribus immensitatem ipsius nivis calcabat intrepidus. Cui cum pater noster appropinquasset, gressum fixit, et omnes se præcedere compulit, et mox se exspoliavit, et pauperem operuit, mihique præcepit tantum ei pretium superimpendere, unde possit iter suum implere. Tunc paulisper substiti, et eum quo iret interrogavi, sciens in vastam solitudinem divertendi locum non esse. At ille inquit, ad pastorale se castrum persistente

A die posse pervenire. Ex cujus nempe verbis compertus sum, quod illi qui apparuit, non fuisset homo purus, quia illud itineris spatium quod se sub una hora pollicitus est peracturum, nos pene per totum diei spatium vix peregimus ; cujus rei factum mihi terribili visione antecedenti nocte eodem ordine fuit ostensum. Adeo enim sinus illius dilatatus est misericordiæ, ut non solum fidelibus ista faceret, verum etiam persecutoribus suis manus aperiret et palmas extenderet. De quo et istud vobis retexam exemplum cui rei interfuit frater Firmus, Domini Balduini (24) abbatis germanus.

*Odonis sollicitudo pro pace ; charitas in rusticum sibi infestum.*

9. Tempore præterito dum Romuleam urbem ob inimicitiam Alberici jam fati principis prædictis Hugo rex obsideret, cœpit ille intra extraque discurrere, et pacis concordiæque monita inter utrosque disseminare, quatenus posset furorem prædicti B regis sedare, et prædictam urbem tueri a tanta obsidione. Interea quadam die dum juxta monasterium (25) beati Andreæ apostoli iret, quod ad clivum Scauri dicitur ex nomine, quidam rusticus voluit eum propter laguncul am aquæ occidere. Etenim, sicut Scritura dicit : *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* x, 9), more suo nulli nocens, nihilque suspicans curvato incedebat capite. Intantum enim apud eum usus inoleverat. Regulæ (*Regula S. Bened.*, cap. 7), ut ubicunque esset, sive stans, sive ambulans, aut sedens semper curvato capite, defixisque terram luminibus incederet ; qua de re a quibusdam conversationis suæ tempore Fossorium ludendo vocatus est. Factum est autem dum prædictus rusticus ictu caput illius appeteret, omnes qui juxta viam aderant, emissis vocibus percutientis attraxerunt manus Tunc dulcissimus pater : Ne fallar, ignoro quot denarios accepit mutuo, eique bonum pro malo reddidit, C et fœderatum dimisit. Sed postquam ad prædicti principis aures hoc pervenit, amputare manus ejus voluit. Quo audito domnus abbas Odo obnixius ne fieret exoravit, et rusticum illum incolumem atque indemnem absolvit.

*Item in furem. Silentii religio*

10. Multorum sane et vestris auribus diffamatum est illud, quod cuidam latroni pater noster dudum Romam veniens fecerit ; quod magis libet mihi describere ne aboleatur, quam ut vestræ industriæ insinuetur. Persistente itaque illo orationis gratia intra civitatem, visum fuit omnibus, ut frater noster domnus Gothefredus super pastores equorum iret in campum. Factum est autem, ut in sequenti nocte, cum gravati somno pastores obdormissent, et ipse pervigil orationi insisteret, fur adfuit, raptumque equum ascendit, et fugam arripuit. Prædictus vero frater maluit equum perdere, D quam silentium rumpere ; quod videlicet si fecisset, protinus fur equum dimitteret. Hoc tamen fecit : abiit, et tactu unum e pastoribus suscitavit, eique quod contigerat signo ostendit. Peracta itaque nocte et facto mane, viderunt furem eminus uno affixum loco super equum sedere. Quem apprehendentes, vinctum eum patri nostro miserunt, statimque ei quinque argenteos solidos dare præcepit, dicens injustum esse eum absque digna mercede dimittere, eo quod per totius noctis spatium multum sustinuisset laborem. Sed enim postquam Deo trahente ad monasticam perveni vitam, ac dehinc per incrementa temporum prior a fratribus sum electus ; sæpe fratres nostri furem illum mihi annotarunt : et quia erat filius nostri molendinarii, quoties pater ejus fratrum voluntati contra-

(24) Is fuit abbas Romæ ad S. Paulum, infra numero 21, imo etiam Casinensis ex chronico Leonis Marsicani in lib. I. cap. 58, et quidem *genere Francus*, ex cap. 56.

(25) Egregia de eo monasterio Alberici principis charta exstat in tomo I Italiæ. col. 1099, ubi Benedictus abbas, *religiosus presbyter et monachus*, tunc præfuisse dicitur ; et Sergius Nepesinus episcopus Alberici frater, aliique ejus fratres ac sorores laudantur.

ibat, toties me prædictos solidos repetere cogebant.

11. Quia de actu silentii sermo se intulit, sine quo videlicet ducenda est pro nihilo vita monachi, restat ut retro redeamus, et per eum aliquantulum pervagemus. Vita enim monachi usque adeo est aliquid, donec sub silentio esse studuerit. Eo vero remoto, quidquid bene vel honeste se agere putaverit secundum institutionem Patrum nihil erit.

*Exemplum insigne.*

12. Tempore igitur quo sævissima gens Nortmannorum, Pictavorum atque Turonorum fines cruentis devastabat gladiis, contigit ut duo venerabiles viri ex eadem congregatione, nescio qua de causa, mitterentur Turoniam. Unus eorum Archembalbus vocabatur, mihique bene notus : alter vero ignotus, et dicitur Adalasius ; viri nempe opinatissimi, et multorum monachorum patres nunc sunt effecti. Factum est igitur dum tantum iter carperent, et in quemdam locum requietionis gratia divertissent taliter ab eisdem Nortmannis capti sunt eadem nocte. Erat autem quoddam oppidum secus locum, super quod noctu irruentes ceperunt, alia vero Nortmannorum pars quæ ibat, cum pridem capta præda deve it in eumdem locum in quo prædicti fratres erant. Capere namque eos et ligare eorum manus, deinde minare potuerunt eorum silentium rumpere nequiverunt. Mane autem facto applicuerunt in assignatum locum, in quo sibi congreganti posuerant constitutum. Prædicti vero fratres paululum se ab eis sequestraverunt, et, sicut erant ligati, in terra se super facies suas dederunt, quatenus peracto psalmorum cursu silentio finem imponerent. Nondum enim oratione completa, venit pars reliqua capta multa præda. Inveniens itaque dux eo um prædictos fratres in terram jacere, interrogavit qui essent. At illi retulerunt ei omnia quæ gesserant per ordinem, addentes quod nullo modo potuissent eos loqui facere. Ille itaque quia erat barbarica immanitate turgidus. ob nimiam elationem cum eodem in quo residebat phalerato equo inclinato velut ad feriendum conto, irruit super eos, metum mortis eis incutiens, volens eos probare an timerent. Cæterum vulgus undique quod confluxerat ad hoc spectaculum vociferantes barbarico ritu plausum dabant manibus, At illi ut erant animo constantes, ita et corpore permanserunt immobiles : et hoc non aliqua fiebat apud eos indelusione, sed jure observantiaque sanctæ regulæ, sub qua videlicet cupiebant mori et vivere, nunquamque ab ea declinare. Sed Omnipotentis manus eorum exhilaratum spectaculum protinus convertit in luctum. Mox ut ad eos barbarus appropinquavit, equus in quo residebat in obliquum, resilivit, sessoremque suum in terram stravit atque collisit. Quam collisionem statim febris lethalis secuta est. Conticuerunt omnes et versi in stuporem cœperunt quærere inter se, quid ex iis facere deberent. Reperto tandem consilio, barbarico ritu dignum esse censuerunt, ut pro vita ducis sui unus ex eis cæderetur. Deinde cœperunt sorte quærere, quem ex illis deberent interimere. Sed super virtutum viros et sorti Christi connumeratos diabolica nullo mode poterat cadere sors. Obstupescebant itaque super eos et admirantes dicebant, ultra homines esse, super quos sors eorum non potuisset cadere. Siquidem juxta hunc modum interemerant unum ex famulis eorum. Alter vero famulus qui supererat, optime sciebat hostium linguam, qui eis omnia quæ loquebantur latino eloquio clam indicabat. Et hunc credimus consolatorem hominum salvasse ob eorum revelationem. Tunc accedentes ad eos, velociter eorum manus dissolverunt, atque pro vita ducis sui obnixius eos per interpretem rogare cœperunt : et ita demum factum est, ut eos nunquam ligare postea præsumpsissent. Sed et hoc fuit mirabile, quia unus ex prædictis fratribus ferebat auream crucem circa collum, et hanc cum reperissent, non præsumpserunt auferre. Cibo vero quo voluerunt et potu apud eos usi sunt, quo usque inter eos fuerunt : sic enim completum est in eis illud probatissimum gaudium quod patientiam operatur, de quo ait Apostolas : *Non solum autem sed et gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom* v). Et nunc igitur quique monastica fertis indumenta, obsecro ut una mecum horum virorum intueamini exempla. et silentio tandem aliquando detis operam. De hoc namque bono silentio Isaias : *In silentio erit vobis spes* (*Isa.* xxx) ; et Jeremias : *Bonum est cum silentio præstolari Dominum* (*Thren.* III) : et rursum : *Bonum est viro cum ab adolescentia sua portaverit jugum, sedebit solitarius et tacebit, quia elevavit se super se* (*Thren.* III, 27). Similiter et David de eo inquiens proclamat : *Dixi custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal.* xxxviii) ; et cætera ; et apostolus Paulus : *His autem qui hujusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu, ut cum silentio operantes panem suum manducent* (*II Thess.* III). Diximus ista de antiquis vatibus, ut nullus arbitretur hoc silentium modernis temporibus fuisse inventum, sicut quidam male suspicantes fatentur. Hos namque et Novi Testamenti Patres, Paulus, Antonius, Hilarion, Joannes, ad postremum beatissimus pater Benedictus imitati sunt, et alii quamplurimi; quos nominatim propter quorumdam fastidium minime recensemus : quorum videlicet silentium, si quis studiose exquirere voluerit, in eorum catalogo affatim reperire poterit. Ergo ut nobis quilibet non opponat quietem in qua deguerunt solitudinis, his omissis noster stylus totus se convertat ad institutionem evangelistarum et de operibus Domini Jesu sumat exordium.

13. Primum quidem testimonium in Matthæo habemus : *Jussit*, inquit, *Jesus discipulos suos ascendere in naviculam et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et demissa turba ascendit in montem solus orare* (*Matth.* XIV). Secundum in Marco : *Coegit Jesus discipulos suos ascendere navem ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam dnm ipse dimitteret populum, et dum dimisisset eos, abiit in montem orare* (*Marc.* VI). Tertium in Luca ita continens : *Factum est in illis diebus, exiit Jesus in montem solus orare et erat pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI) Item in eodem : *Vigilate itaque omni tempore orantes ut digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt et stare ante Filium hominis. Erat autem diebus docens in templo : noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocabatur Oliveti* (*Luc.* XXI) Quartum namque testimonium in Joanne hujusmodi terminatur : *Jesus autem perrexit in montem Oliveti et diluculo iterum venit in templum* (*Joan.* VIII). Si enim Verbum Dei et Creator carnis, dum conversaretur cum hominibus et vitæ prædicaret Evangelium, ad tempus siluit, quid nobis agendum sic facilius comprehendere potestis; *videlicet cum mors et vita in manu linguæ sit posita* (*Prov.* XVIII), et cum Scriptura dicat : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x), et : *Vir linguosus non dirigetur super terram* (*Psal.* xxxix). Si enim prædicti fratres cum cæderentur atque vincti minarentur, voce silentium rumpere non passi sunt, eum imitantes, de quo scriptum est : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isa.* LIII) ; hi vero qui nullam vim patiuntur, nec a quovis coacti, sed sua sponte regulæ jura transgrediuntur, quid dicturi erunt simul positi ad judicium, cum utrorumque causa in conspectu Dei et angelorum examinabitur ? De qua examinatione sancta Ecclesia per beatum Job terribiliter clamat dicens : *Instauras testes tuos contra me* (*Job* x, 17). Semper enim in his gravissime ultio plectitur, qui per testes convincuntur. Et illi male-

dictum legis percipiunt, qui ea quæ legis sunt sciunt et ab ejus mandatis temere declinare non metuunt. De quibus Psalmista ait: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis (Psal.* CXVIII) (26).

*Fratribus infirmis ægre medicinam indulget.*

14. Erant itaque in nostra congregatione duo fratres, quorum nomina huic operi non libet intexere, qui pro sua gravissima infirmitate crebrius eum assueverant orare, ut medicinæ illis remedia adhibere juberet, præsumentes de sanitate. At ille non ferens eorum improbitatem, consentit voluntati eorum: petitoque medicamine licentiam tribuit, sed prius eos convocans sub similitudine quadam dixit illis hoc paradigma. Vidi aliquando fratrem simili vestro vulnere cruciatum et prius mortuum quam pristinæ sit sanitati restitutus. At illi nihil de se suspicantes adhibuerunt sibi medicum: sed post sedulos cruciatus, sanitatem nunquam receperunt. Scio et alium fratrem, qui tempore suæ conversionis dum studeret præteritas flendo delictorum tergere maculas, cætera reliquit studia, noctu dieque orationi, compunctioni et lamentationi incessanter desudabat. Cumque eum peritissimus pater requisisset, cur præsto cum aliis ad docendum vel discendum non esset; veritatem retulit ei, et occulta cordis sui patula revelavit, atque ut sibi hoc perficiendi daret licentiam exoravit, sciens pro certo secundum institutionem Regulæ (*cap.* 49), quia quod sine permissione patris spiritualis monachus agit, præsumptioni deputatur et vanæ gloriæ, non mercedi. Cui pater noster ait: Restat ut uno vel amplius tempore iste Spiritus dicebat a te, quo mens tua stimulis saucietur vanæ gloriæ. Mox frater ille prædictam perdidit compunctionem, et vix post medii anni spatium eam rursum exorando patrem nostrum meruit recipere. Sua namque verba miro gravitatis pondere plena erant; quia vir sanctus repletus sancto flamine incassum loqui nesciebat.

*Joanni episcopatum prædicit.*

15. Præteritis his diebus coram nostris fratribus et aliis qui aderant nobiscum, retulit domnus Joannes, Nolanæ (27) Ecclesiæ episcopus, quod ante hoc triennium bis Romam isset, et prædicti episcopatus benedictionem resistentibus inimicis nequivisset accipere. Interea domnus Odo orationis gratia Garganum ibat. Cumque vidisset eum tristem, sciscitavit eum quid haberet. Cui ille cum omnia quæ sibi aderant retulisset, et quia quasi spe desolatus accipiendi ordinem pontificatus confundebatur tertio Romam reverti; benedixit ei, et dixit: Perge iterum securus, et scias quia complevit Deus votum tuum: deinde dimisit eum. At ille accepta benedictione abiit, et infra spatium quindecim dierum, sicut pater noster prædixerat, illi advenit. Qua de re indubitanter proferimus, vir istæ prophetiæ spiritum veraciter habuit, cujus verba tanta sunt auctoritate firmata.

*Nepoti baptismum obtinet.*

16. Meminisse vos volo, fratres, quod præterito anno ille peregrinus qui se de familia patris nostri esse fatebatur, et Jerosolymam ascendere festinabat, coram vobis de patre nostro bis terque narravit. Aiebat enim, quod idem annis quibus Nortmannorum gens Turoniæ devastabat fines, die quodam contigit ut nepotem domni Odonis, necdum renatum fonte baptismatis, una cum nutrice sua caperent prædicti Nortmanni. Erat autem Turonis prædictus pater. Cumque hoc ei ibi nuntiatum fuisset, mox ille orationi incubuit, et tandiu

A Dominum oravit, quo usque liberatum puerum esse cognovit. Non enim potius de illo quam de cæteris dolebat captivis, sed pro ejus anima gravissime laborabat, timens ne aliquo casu sine lavacro fontis puer et ejus anima gehennæ traderetur. Sed inter cætera non sunt prætereunda illa quæ nutrix pueri narrabat. Locus, ait, ille ad quem captivi ducti fuerant, ultra quoddam flumen erat, cujus tanta inerat profunditas, ut nullus illud aliter nisi navigio, aut natatu posset transire. Distabat autem a Turonia spatium itineris octo dierum. Jam vero revisendi puerum spes frustrabatur. Stante itaque muliere in ipso discrimine, subito inspirata est Dei flamine, ut arriperet puerum et abiret; quod et fecit. Etenim tam secura per medium hostium transivit catervas, ut non solum ab aliquo fuisset retenta, verum etiam nec interrogata. Profunditatem vero tanti fluminis siccis cruribus transivit, et longinquitatem tanti itineris triduo peregit, non
B esuriens, neque sitiens, aut lassescens, donec Turonis perveniret. Hoc vero factum cujus fuisset meriti statim claruit, quia mox, ut puer patri nostro delatus fuit, sacro eum fecit baptismate tingi. Deinde elevatis in cœlum oculis ut moreretur oravit, atque dehinc post triduum cœlo reddidit spiritum. Pater vero ejus factus est monachus. Quæ vero sequuntur, ipse beatus pater exposuit, non tamen ut a se vel pro se facta fuissent, sed de quibus eum Dominus periculis liberasset narrabat.

*Naufragium evadit.*

17. Quodam tempore dum Rhodani alveum navigio transiret, comitantibus illum optimatibus regionis illius, contigit, ut dum unus equus alium vellet calce percutere, ictum ferientis navigii tabula excepit, illo videlicet loco, ex quo ramus fuerat cum dolaretur excisus. Mox ut evulsus fuit vertex, tanta per idem foramen inundatio ingressa est aquæ, ut subito repleretur navis usque ad su-
C perficiem. Sic tamen plena Deo gubernante ad aliam pervenit ripam. Etenim usque adeo pater Odo intro stetit, quo omnes fuissent egressi. Ad postremum cum fuisset ille egressus, navis abiit in profundum. Qua in re videlicet cujus meriti vir iste fuerit perspicue claret, qui hoc suis obtinere valuit precibus, quod prius meruerunt Petrus et Paulus, deinde pater noster Benedictus.

*Item præcipitium.*

18. Sub eodem tempore competit illi Romam (28) orationis gratia venire: sed non multo post dum patriam reverteretur, inter Burdonum Alpes ob nivis immensitatem præoccupatum et septum est ejus iter, qua videlicet mons ille nullo unquam tempore potest carere. Secus autem locum illum habitat quoddam genus hominum, qui Marrones (29) vocantur, et arbitror ex Marronea provincia illud nomen traxisse originem. Hi enim accepta mercede præbuerunt ei ducatum, sicut et aliis
D facere consueverunt, quia aliter hiemis tempore nemo quidem prædictos montes valet transire. Nam, antequam sol lucis terminum clauderet, illud quod supererat diei spatium versum est a multitudine nivis in caliginem. Sed illis proficiscentibus ut præterirent tetrum et periculosum locum illum, subito equus quem sedebat pater noster, tetendit pedem in obliquum, et ambo simul mergebantur in præcipitium. Tunc pater Odo, relictis habenis, ambas manus dum caderet ad cœlum erexit, et mox ramum arboris inter brachia sua reperit, atque in eo usque adeo se suspendit, donec ejus clamoribus qui præcesserant reversi

(26) Quæ sequuntur ad num. 22, in editis locantur in libro III.

(27) Ex hoc loco augeri atque illustrari potest series episcoporum ejus loci, in Italiæ sacræ tomo VI.

(28) Confer libri II, num. 16, ubi Joannes anno altero, quam scriberet, id accidisse refert.

(29) De iisdem S. Odo in lib. II de Vita S. Geraldi cap. 17. *Ipsi quippe Marruci, rigentes videlicet Alpium incolæ, nihil quæstuosius æstimabant, quam ut suppellectilem Geraldi per juga montium jovina transveherent.* Vulgo *Marranes* appellantur.

fuissent, et eum suscepissent. Ramus autem ille amplius non fuit visus, quia arbor illic nunquam videtur, nec nascitur, equus vero ultra nusquam comparuit.

*Item latrones.*

19. Revera cum pro pace regum et principum, necnon et correctione monasteriorum impatienti amore arderet, et ob hoc huc illucque discurreret, sæpe ei latrones insidias paravere. Quadam namque die quadraginta super eum insurrexerunt latrones. Cumque unus ex eis qui erat insignior cæteris, Aimon nomine, vidisset eum, fratresque qui comitabantur illum incessanter psallere, ac psallendo iter peragere, illico compunctus corde dixit sociis suis : Nunquam memini tales viros vidisse, nec puto alicubi visi fuissent ; discedamus ergo ab eis. Est et quidam armiger cum eis, videlicet strenuus vir, et ideo absque nostro periculo non possumus nocere illis. Cui respondentes dixerunt : Armigerum illum in acumine lanceæ nostræ levemus, cæteros autem exspoliantes abire dimittamus. Ad hæc respondit ille : Prius in me arma convertite, alioquin me vivente nihil eis habetis facere. Sicque invicem sunt divisi et ad propria reversi. Latro itaque quem prædiximus post patrem nostrum abiit, et reatus sui pœnitentiam egit, ac dehinc a latrocinii pravitate cessavit. Sed non ab re hoc censemus factum fuisse. Tanta enim spiritus cui adhæserat eum repleverat gratia, ut ejus jocunditas non solum jocundos exhilararet, verum etiam et mœstos veræ lætitiæ redderet, et perennis exsultationis participes faceret. Lingua enim ejus, ut Scriptura canit, lignum vitæ et lingua placabilis ac dulcedo mellis favus distillans labia ejus et lex prudentiæ in sermonibus illius.

*Latronem suscepit ad monachatum, qui religiose vivens, a beata Maria in cælum vocatus est.*

20. Quodam namque die iter habens juxta prædonum fines, quidam latro juvenis intuens vultus ejus affabilitatem, illico compunctus corde ejus provolutus vestigiis, ut sibi misereretur humili precabatur voce. Quem cum interrogaret quid vellet, monastica sibi deprecabatur subveniri miseratione. Deinde interrogavit eum pater noster, si aliquis ex eadem parochia eum cognosceret. At ille : Omnes, inquit. Vade, ait, hodie, et crastino duc tecum unum ex prioribus loci illius cum veneris ad me. Quo audito abiit, et sicut ei imperaverat peregit. Altera vero die cum utrique ante eum venissent, cœpit pater Odo virum illum magnatem de vita moribusque prædicti latronis sciscitare. At ille, Juvenis iste, inquit, pater insignissimus latro est. Quo audito dicretissimus pater dixit latroni : Vade et prius mores tuos corrige, et postmodum monasticum appete discipulatum. At ille : Ego, inquit, projectus a te hodie vado in perditionem, animam vero Deus a te requiret. Tunc misericordia motus pius pater præcepit ei, ut arrepto itinere ad monasterium eum præcederet ; quod et factum est. Peracto itaque aliquo tempore sub regulari degens examinatione, tandem effectus monachus : cellerario fratri eum ad obediendum subdiderunt. Etenim cum idiota esset, utrumque ei imposuerunt, scilicet obedientiæ jugum, et studium litterarum ; quod devote ita peragebat, ut unam manum obedientiæ porrigeret, altera vero psalterium ferret, Israeliticum illum imitans populum, qui cum Jerusalem reædificaret una manu gladium tenebat cum quo hostes pelleret, alteram vero subdebat ad laborem artis. Sicque frater iste vitam suam peragens, post paucum tempus exsilii ejus vitæ suscepit finem. Nam cum in extremo vitæ laboraret, vocavit pium patrem, singularem supplicans locutionem. Cui cum veniam peteret, interrogavit eum, si in aliquo excidisset post monachatum. At ille : Nudo cuidam te interrogante mea culpa tunicam nostram tribui, et funem pilis contextum de cellario abstuli. Quem cum interrogasset quid ex ea fecisset : Refrenando, inquit, ingluviem quam dudum male contraxi, ventrem meum ex ea circumligavi. Super quod factum stupefactus est pius pater. Et cum vellet eam ab ejus visceribus solvere, cutis quæ ei adhæserat una cum sanie secuta est. Adjecit et ait : Hac nocte, pater, in cœlis elevatus sum per visionem. Obviavit autem me gloriosissimæ personæ et excellentissimæ potestatis mulier, appropinquansque mihi ait : Cognoscisne me ? At ego : Nequaquam, domina. Et illa : Ego, inquit, sum mater misericordiæ. Cui ego : Quid jubes ut faciam, domina ? At illa : Post triduum venies huc tali hora. Quod et factum est. Tertio vero die hora qua dixerat defunctus est. Qua de re patuit perspicue verum quod vidit, quia hora qua prædixerat ab hoc sæculo migravit. Et inde pater noster consuetudinem tenuit beatam Mariam matrem misericordiæ (30) vocare.

*Joannis missio Neapolim. Odonis revelatio de agone duorum fratrum.*

21. Per idem tempus cogente necessitate nostri monasterii missus sum Neapolim. Præparata tandem quæque necessitas exposcebat, competit mihi navigio Romam reverti : et cum applicuissem Portuensem civitatem, exceperunt me viri nobiles, qui et ipsi a Roma venerant ante ipsum diem. Quos cum de patre notro sciscitassem, quasi de novo quodammodo gratulantes amico, inter cætera ejus opera ista, me absente, illo tempore narraverunt fecisse. Præterito isto mense Augusto, ipsa die Assumptionis beatæ Mariæ, in Adventino monasterio fuit pater noster. Rogatus est autem a domno Balduino abbate, ut ipsa die ob amorem sanctæ Mariæ ibi missam celebraret, et suis manibus corpore et sanguine Domini eos communicaret. At ille hoc se facere non posse respondit : sed illis persistentibus tandem consensit invitus. Deinde ecclesiam est ingressus, et cum fuisset paulisper oratum cœpit de ecclesia egredi. Nam volentes eum retinere, Obsecro, ait, sinite me abire, quia duo fratres nostri positi sunt in extremo vitæ, et necesse habeo velociter ad eos ire ne exeant me absente. Deinde adjecit : Ecce ante januam monasterii adest qui compellit ire. Necdum verba compleverat, et missus adfuit, ut prædixerat, et cum venisset ad sanctum Paulum, mox abiit, et pro fratre Benedicto missam (31) celebravit, eique corpus et sanguinem Domini Viaticum tribuit, et sic prædictus frater Domino spiritum reddidit. Alter vero Gislebertus fuit dictus, mihique consobrinus, qui octavo die est secutus. Nunc ad prisca quasi in circulo posita revertamur tempora, et aliquantulum per majora curramus exempla.

*Romæ Vitam S. Martini corrigit et glossulis explicat. Codex ad pluviam inviolatus.*

22. Ante hoc triennium dum essemus apud beatum Paulum Romæ, rogavit eum domnus abba Balduinus, ut librum quem de vita beatissimi Martini episcopi more dialogi Gallus et Postumianus composuerunt, ei corrigeret, et glosulis elucidaret. Cujus

(30) Hinc forsan usus vulgaris orationis, quæ incipit ab his verbis. Usitata hæc vox in actis S. Maioli abbatis.

(31) Horis erat quondam, saltem sæpissime, ut missa ad viaticum infirmo præbendum celebraretur, quod in extremo fere agone tribui solebat. Odo noster in lib. III de Vita S. Geraldi, cap. 7 : *Cœteris pro exitu psallentibus quidam de sacerdotibus missam concitus celebravit, atque sacrosanctum mysterium attulit. Cum vero quidam dicerent quod jam decessisset ; ille sensum adhuc retinens oculos aperuit, et hoc indicio nondum se decessisse monstravit. Tunc vero Dominicum corpus sua sponte suscepit, et ita felix illa anima ad cœlos migravit.*

videlicet voluntati statim assensum præbuit, et accersito fratre Othegario emendandi operam dedit. Factum est, dum hæc agerentur, ut vespertinæ horæ pulsaretur signum : statim secundum regulæ præceptum relictis quæ in manibus tenebantur ecclesiam ingressi sunt, codicem vero apertum ubi sederant reliquerunt ; præoccupati vero vespertinis orationibus codicem obliti sunt. Erat autem hiemis tempus. Tanta autem in ipsa nocte inundatio defluxit aquæ, ut omnes nostri monasterii officinas repleret. Locus autem ille, in quo liber fuerat relictus, ita est positus, ut aqua quæ ipsius labitur tecto, et ex tribus aliis tectis subjacentibus superiori, quodammodo una conversione collecta more torrentis illo uno in loco decidit, ibique usque mane patulus permansit liber, et tot inundationes aquarum in circuitu ejus cecidere. Margo namque prædicti libri undique fuit lota, scriptura vero permansit intacta. Facto mane appositus est coram fratribus liber. Cumque attoniti miraremur omnes, ait providus pater : Quid admiramini, fratres ? sciatis quia Vitam beati Martini aqua tangere timuit. Et hoc cum aliquo dicebat gaudio. Ad hæc unus ex fratribus nostris, quia erat promptulus ad loquendum, accepto codice adjecit : Intuemini et videte, quia codex iste vetustus est, et a tineis demolitus, atque ab aquis olim lotus, et usque adeo humectatus ut jam squaleat palloribus. En indicia cernite, et dicit pater noster dudum lotum librum nunc aquam extimuisse tangere ? aliud namque aliud est. Tunc pudicus pater : Tace, inquit, ista discere noli. Non est enim similis Martino qui possit habere laudem in omnes gentes. Sic ea quæ propter eum Dominus fecit in laudem Martini convertit.

*Monachi incondita locutio ut repressa.*

23. Per illud namque tempus longe lateque patris nostri nomen, veluti clarissimum sidus, cœpit effulgere. Factus est notus regibus, episcopis familiarissimus, magnatibus charus. Quæque enim monasteria in eorum finibus constructa erant, juri patris nostri ea tradebant, ut nostro more corrigeret et ordinaret. Interea veniens ad quoddam monasterium, habens secum paucos fratres in comitatu, ex quibus nos unum cognovimus, nomine Adolfum ; et ipse ante hoc biennium migravit ad Dominum. Peracta itaque illa hebdomada, Sabbato vesperascente, cum nostri fratres cœpissent mandatum (32) regulæ præparare more, contigit ut unus ex illis monachis per eumdem locum ubi hæc parabantur transiret. Certe cum vidisset prædictum fratrem nostrum nostra consuetudine suos abluere subtalares (33), ira permotus rupto silentio cœpit dicere : Dic mihi in quo loco sanctus Benedictus præcepit monachis suos lavare subtalares ? Ille nostro more signum ei fecit ut taceret, quia hora erat incompetens. Non enim recordabatur illius quod Sapientia dicit per Salomonem : *Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit* (*Prov.* 9 ;) et iterum : *Noli arguere, ne oderit te* (*Prov.* IX, 8). Videns itaque sibi non respondisse, efferatus est vehementer, et rabido inflammatus igni, ista cœpit verba evomere : O qui solebas negotiando circuire mundi provincias, nunc venisti nobis prædicare regulam, et meliorum tuorum corrigere vitam, Jurando, perjurando, more accipitris hominum assueveras auferre substantias, et nunc impudenter beatificari a nobis appetis, quasi nescientibus actiones tuas. Non enim serpentem me fecit Deus, ut tuo more debeam sibilare, nec bovem ut debeam mugire ; sed hominem me fecit, et ut loquar linguam mihi tribuit. Hæc et iis similia cum incessanter oblatraret, concito gressu recessit ab eo prædictus frater. Sequenti vero die cum hæc omnia ad capitulum fuissent recitata, miser ille non solum veniam non petiit, verum se bene fecisse respondit, addens insuper non decere talem personam suum meliorem increpare. Tunc pater noster super ejus indignatus superbiam, commotus ait : Hodie dies Dominicus (34) est, ideo nullus contristari debet. Ideo ista discussio suspendatur in crastinum. Factum est, et post pusillum a capitulo omnes surrexerunt. Ille autem subito factus est mutus, atque post triduum sine sermonum absolutione defunctus est. Ecce quantum est virus arrogantiæ. Hujus namque mucrone multorum monachorum vitam reperimus hactenus sauciatam ; quia dum putant se scire quod nesciunt, suis propositionibus secundum Apostolum stulti efficiuntur dicente Scriptura (35) : Qui non vult esse discipulus veritatis, erit magister erroris. De quibus et Dominus per Amos loquitur : *Reversi sunt ut essent absque jugo, et facti sunt arcus dolosus* (*Amos* VII). Horum namque imagines procul dubio hi tenere videntur, qui prius vocitari magistri quam fiant discipuli nituntur, et antea regiminis arcem subire appetunt, quam subesse noscuntur. Enimvero needum tirunculi bravium usurpant victoris, atque indocta manu arma fortissimi militis arripere non verentur, negligentes ea quæ dicit Scriptura : Qui regulariter non subest, regularibus præesse non debet. Sed quia legaliter nolunt vivere a legis præcepto non verentur faciem cordis advertere. De quibus per prophetam Dominus loquitur : *Veterunt ad me terga, et non faciem* (*Jerem.* II) Nam et Nicodemus legislator venit ad Jesum nocte, quia prius voluit instrui, ut postea alios docere posset. Hujus namque morbi duplex malum est : unum, quod clandestina præsumptione, quasi sub prætextu sanctitatis, auctorem suum ad arcem instigat scandere magisterii ; alterum, quod ipse destructus alios instruere quærit secundum sectam sui erroris, et (quod sine dolore fateri nequimus) ipsi præcipites, quosdam stantes post se ad præcipitium trahere moliuntur, de quibus per Evangelium Dominus dicit : *Cœci sunt duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* V). Horam namque conventum potius caupona, quam congratio nuncupatur : quia ibi unusquisque id agit quod libet, et hoc non agit quod non libet. De talibus namque per Salomonem dicitur : *Massa stupæ synagoga peccantium* (*Eccli.* XXI). Hoc namque monachorum genus teterrimum vocat beatus Benedictus (*Reg.* cap. 1). Eorum itaque conversationem miserrimam dicit esse, atque in tantum miserabilem, ut de ea satius taceri censeat, quam aliquid loqui. Ergo his omissis revertamur ad querelam prædicti monachi, et videamus quid beatus Benedictus præcipiat de rebus monasterii. Omnia, inquit, vasa monasterii, cunctamque substantiam conspiciant velut alta-

(32) Id est lotionem pedum, ad quam cani solet antiphona : *Mandatum novum do vobis.* Sabbato id fiebat, lavabanturque utensilia monasterii ex regulæ præscripto in capite 35.

(33) Id est calceos, aliis *sotulares*, quos singulis Sabbatis abluere solebant. Hunc usum sustulit Petrus Venerabilis statuto 28, superstitutionem esse existimans si calcei quos ob laborem *in pluviis et lutosis viis* exerceri primitus solitum sordidatos abluere necesse erat ; dimisso subinde manuum labore mundissimi *duabus aut tribus aquæ guttulis*, deinceps aspergerentur.

(34) Itaque die Dominico capitulum olim celebrari mos erat ; quod aliis exemplis probare licet. Nota quod subditur de religione reprehensionis in Dominica. Consentit synodus Aquisgranensis anni 817 in cap. 72. *Ut is qui noxæ culpa tenetur, die Dominico remissius habeat, et veniam non petat.* Lege S. Bernardum in sermone.

(35) In hoc et paulo post sequente loco *Scripturæ* nomine etiam comprehenditur doctrina Patrum, solemni veterum more.

ris vasa sacrata. Et iterum : Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur (*Reg. S. Bened.*, c. 31, 32). Quid enim sunt aliud calceamenta, vel vestimenta fratrum, nisi substantia monasterii. Si enim alibi septimanariis isdem ipse præcepit, ut vasa ministerii munda et sana cellerario reconsignent, quæ videlicet sunt fictilia atque vilia, et officiis coquinæ deputata : quid sentiendum est de calceariis, quæ sunt suo pretio chara, et pavimento ecclesiæ adhæranda ? Sed sicut gravis culpa videtur fore monachos sollicite aliena providere, ita multo magis gravior sua negligere. Si enim dives reprehenditur eo quod quotidie splendide epulabatur, proculdubio graviter reprehenditur servus Dei qui quotidie encæniare concupiscit, videlicet cum in sexto humilitatis gradu præcipiat beatus Benedictus, ut omni vilitate, vel extremitate contentus sit monachus. Ob hoc enim quis negligens sua non vult lavare calceamenta, ut in quoddam angulum ea projiciat, atque a luti pallore marcescant ; et demum nec sibi, nec pauperibus aliquid valeant, cum omnia vetusta pauperibus prædictus pater præcipiat eroganda. Hoc namque dicimus, non quod squalidi aut lucidi more hypocritarum incedant : sed ut omnibus suis vestimentis nitidis utantur et lotis, sicut per quemdam sapientem dicitur :

Qui cupis esse bonus et vitam quæris honestam,
Corporis atque animæ dilige munditiam.

Præcepta enim Patrum termini sunt sequentium. De quibus Dominus per Moysen loquitur : *Maledictus quicumque transgressus fuerit terminos proximi sui* (*Deut.* xxvii, 17), quem videlicet præcepti terminum dum iste prælatus monachus transgredere non fuit veritus, jure maledictionis sententiam illuc suscepit in quo prævaricatus est. Et hoc est enim quod dives ille qui in inferno sepultus esse dicitur, plus se in lingua, quam in cæteris membris ardere fatetur. Inde est illud quod per quemdam sapientem dicitur : *Per quæ peccat, quis per hæc et torquetur*. De quo et Jacobus apostolus : *Lingua*, inquit, *est ignis universitas iniquitatis, lingua constituitur in membris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ. Lingua est inquietum malum plena veneno mortifero* (*Jac* iii, 6, 8). Et de ipsa psalmographus ait : *Disperdet Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam* (*Psal.* ix, 14). Similiter et per Ezechielem : *Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, et eris mutus* (*Ezech.* iii, 26.) Et utinam lingua sit mutus et non a fidelium consortio separatus. Quid rogo est excommunicatio, nisi separatio bonorum ? Inter cætera namque sua præcepta beatus Benedictus illud sub excommunicatione ligavit quod de silentio dixit, et sub nullius prioris arbitrio reliquit. Qua de re quisquis ad monastica pervenit fastigia, perpendat quod agat, et ab ipsa se excommunicatione alienum reddat. Illud semper corde retineat quod illis duabus contigit virginibus, quæ præceptum beati Benedicti negligenter duxerunt, de quibus beatus Gregorius mentionem facit in suis Dialogis. Sed satis in his immoravimus, nunc ad alia transeamus.

# LIBER TERTIUS (36)

### *Monachorum S. Martini interitus.*

1. Eodem namque tempore dum nos pater noster regularibus disciplinis instrueret, multorum monachorum non dico obitum, sed miserabilem excessum sedula nobis narratione assueverat narrare, ut juveniles in nobis comprimeret motus, et quasi sub timoris virga more pastoris duceret nos ad elysii gaudia. Quadam vero die dum talia nobis exponeret, succumbens paternitati ejus, cœpi eum rogare ut nobis diceret, si tantum intra Italiæ fines monasticus ordo corruisset, vel si in Europæ finibus simili modo excidisset, et quomodo aut qualiter, vel quando hoc evenisset. Tunc ille assumpto sermone, ista nobis cœpit exponere : « Ante hos itaque annos, persistente monastica congregatione apud ecclesiam beati Martini Turonis, cœperunt modum suum, consuetudinesque relinquere, ac propriis voluntatibus vitam suam propositumque corrumpere. Relinquentes namque nativa et assueta vestimenta, cœperunt fucatas, atque fluxas pallioque ornatas circumferre cucullas et tunicas. Calceamenta itaque quibus utebantur adeo erant colorata ac nitida, ut vitreum colorem viderentur assumere. Ad Laudes namque nocturnas ne aliquo pede offenderent, cum luce diei surgebant. Ista et harum similia multa contra regulæ jura faciebant. Quibus rebus cum decrevisset Deus finem imponere, nocte quadam omnes quiescentes, cum unus ex eis eamdem horam insomnem duceret, vidit duos viros dormitorium ingredi, unum videlicet gladium manu tenentem, cui alius imperabat indice singulatim eos his verbis percuteret (37) : Hunc et hunc percute. Cumque eum qui hæc intuebatur gladio voluisset appetere, emissa voce adjuravit eum dicens : Adjuro te per Deum viventem, ut non interficias me. Statim percussor gladium contraxit et ipse solus evasit ex omnibus. »

### *Quam gravis culpa sit vestes monasticas mutare.*

2. Rursum interrogavi eum quæ culpa esset in monacho, qui pura mente quolibet uteretur vestimento. Ad hæc protinus istud mihi opposuit exemplum : « Per illud namque tempus quod Nortmannorum gladius in nostris finibus grassabatur, cœpere multi ex nostro ordine propria relinquere monasteria occasione hostium reperta, et cuncta usui humano placita repetere quæ pridem abrenuntiaverant. Pro consortio namque fratrum frequentiam habebant parentum et amicorum, et pro rebus monasterii substantiis appetebant propriis ditari. Fracta tandem vestimenta, cum quibus de monasterio exierant, denuo non induebantur similia, sed colorata, quæ nos vulgo dicimus blava. Sub hoc namque tempore frater quidam, recedens ab hac peste, nostrum petiit monasterium, deprecans ut eum reciperemus. Cujus annuentes voluntati, protinus omnia quæ acquisierat abrenuntiavit, et monasterio concessit. Cui cum fratres indixissent ut iret, omnia simul collecta monasterio deferret respondit : « Ille ego, inquit, ut quæ usque modo habui vestræ subjacent ditioni, requirendi vero ac dimittendi vestræ sit potestati. Qua de re de monasterio solus non egrediar, sed cui vobis placet hoc præcipite uni e fratribus requirere. Ego tamen

(36) In ms. Compendiensi, itidemque in Silviniacensi veterrimo, nulla est hic libri divisio, sed omnia duobus libris continentur.

(37) Quid de hac cæde sentiamus, dictum est in Elogio Alcuini in parte i sæculi iv. Lege quæ habet idem S. Odo in libello de combustione ecclesiæ S. Martini, ubi in Martinianis canonicis arguit ingressum feminarum in monasterium, ac vestium pompam.

vestræ obtemperans voluntati, ibo cum illo, et ut A melius sciero, præceptis illius parebo. Sed sive huc permansero, sive illuc ambulavero, deinceps omnibus rebus nudatus ero. » Revera perseverante fratrum sententia, abiit cum fratre illo cui hanc indixerant obedientiam. Factum est autem cum venissent ad locum in quo antea prædictus frater habitaverat, subitanea est infirmitate addictus, ibique et defunctus. Illo namque in extremis posito, frater qui cum eo ierat, quanto propinquiorem eum morti cernebat, tanto pro ejus anima instantissimas Deo preces effundebat. Sicque factum est ut utrique istam visionem viderent: Erat enim thronus in excelso positus, super quem videbatur sanctus Benedictus residere, ante cujus conspectum astabat inæstimabilis exercitus monachorum. Ascensus autem throni illius palliis videbatur esse stratus, in cujus subteriori gradu [illegible] etiam petens jacebat frater ille infirmus. Dextera namque lævaque prædictus monachorum residebat exercitus; B inter utrosque vero vacuum erat iter ascendentibus pervium. Porro cum per longum spatium frater ille jaceret prostratus, accessit unus ex assistentibus ad beatum Benedictum, supplicans pro illo fratre, dicensque dignum esse illum sua visione [f. jussione] levare, ut diceret quod vellet. Cui ille videbatur respondisse hominem se videre, habitum vero non agnoscere, idcirco alterius ordinis hominem non debere nec causam discutere, nec vitam dijudicare. Hæc audiens nostri ordinis frater exuit se, et vestimentis suis infirmum fratrem induit, eumque ut iterum veniam peteret, in eadem visione coegit. Quo peracto, vox desuper venit quæ ei ut surgeret, et sursum ascenderet præcepit. Tunc evigilans a somno frater noster, mox opere complevit quod in somnis se agere credidit, et quasi jam securus de anima fratris ejus exitum, prout valuit, orando protexit, et sacra communione munivit. Perpende ergo, fili, apostoli sententiam dicentis: *Fides sine operibus mor-* C *tua est* (*Jac.* xx, 26): et sicut alibi scriptum est: *Qui enim dicit Christum se nosse, debet sicut ille ambulavit et ille ambulare* (*I Joan.* II, 4, 6). Similiter qui se profitetur esse monachum, opere et mente imitari debet patrem Benedictum, quia scriptum est: *Non auditores legis justi sunt apud Deum sed factores* (*Rom.* II, 13). Non enim sufficit monacho mentis tantum puritas, si defuerint cæterorum operum indicia vel signa, de quo Dominus dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (*Matth.* v, 15). De hoc namque beatus Gregorius in prima parte Ezechielis plenius sermonem facit, ex cujus sermonibus unum proferemus testimonium. Sicut enim duobus modis a Deo receditur, ita duobus modis a Deo apostatæ homines fiunt. Nam unusquisque a Conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide D recedit apostata est, ita qui ad ipsum opus quod deseruerat redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. Unum sine altero prodesse non potest, quod nec fides sine operibus, nec opera adjuvent sine fide. Ergo nullus abhorreat de eo quod diximus prædictum fratrem non potuisse veniam recipere, nec meruisse sursum ascendere, priusquam vestimentorum facta in eo mutatio fuisset. Nulli enim dubium est præceptum esse in Lege, quæ et qualia forent filiorum Levi vestimenta, sine quibus sanctuarium ingredi non audebant. Quis enim audeat dicere quod pro humerali uterentur rationali, vel pro tunica byssina ephod lineo induerentur? quod unaquæque suum habet colorem, opus ac varietatem. Nam et Jesum sacerdotem magnum tandiu adversatus est diabolus, quousque aliis vestimentis ab angelo fuit indultus, et David, cum super Amalecitarum populum voluisset insurgere, bis Deum consuluit, et responsum eundi non accepit: tertio Ephod indutus est, et protinus sibi imperantis audivit vocem.

*Ultio de monachis carnes edentibus.*

3. Hæc ait, et post hæc rursum adjecit: « Visne aliis documentis ostendam tibi quia perparvum est quod multum dehonestat atque corrumpit? » Cui cum ita me omni cum desiderio velle respondissem, et in suis auctoritatibus me ardere cerneret, horum mihi exempla exposuit succincta relatione.

« His diebus duo fratres ista fuerunt rapidissima rapti morte, non tamen uno in loco, nec uno die. Veniens autem unus ex eis ad domum cujusdam suæ sororis, vehementissime esurire se dixit, et refectionem petiit, cui protinus soror sua pisces se abundanter habere respondit ut comederet, quales et qua hora vellet. Ille vero quasi indignans, fastidiri se pisces respondit, eo quod per tot annos indesinenter eos se comedisse adjecit, et non eos jam se posse videre dixit. Respondit soror sua: Ecce, inquit, in promptu carnem (38) habemus, comede ergo quæ placet. Tunc ille armum sibi assari præcepit cujusdam animalis: sed non ferens assandi moram partiunculam incidit, et in prunas projecit. Deinde vinum sibi afferri jussit, et carnis morsum avide sumpsit; sed hoc quod sumpsit gulam non transiit, nec rejicere potuit, sed vitam cum cibo perdidit.

4. « Alter igitur diluculo veniens ad domum cujusdam sui parentis, statim si haberent quod ei ad comedendum tribuerent inquisivit. Cui cum respondissent quia nondum hora edendi esset, adjecit cum indignatione dicens: «Hei tota nocte equitando per injunctam mihi obedientiam laboravi et non silui, et nunc jejunare me cogitis? Afferte ergo mihi si aliquid habetis. » Cui cum se pisces habere dixissent, potius indignatus est, et fastu repletus arrogantiæ, huc illucque cœpit oculorum intuitus circumferre. Ibat autem circa pedes ejus grex cornicum, quas nos gallinas vocamus. Tunc quasi furens quoddam bacillum arripuit, et quam ei complacuit percussit, ac furibundo ore dixit: « Hæc erit hodie mihi piscis. » Cæteri siquidem qui circumstabant, cum quodam rubore cœperunt ei dicere: « Fortassis licet tibi carnem comedere, Pater? » At ille: « Volatile, inquit, non est caro, volatilia enim et pisces unam habent originem et æqualem creationem, sicut noster hymnus continet. » Ad cujus verba conticuerunt omnes. Interea apposita est ante eum quam occiderat jam assata gallina, ex qua offam abstulit et momordit. Quem morsum nec evomere, nec glutire potuit, sed eum vita privavit: pugnos tamen et cervicatas pro mercede suæ improbitatis in opprebrium antequam moreretur assumpsit. Si autem commovet animus tuus supra mortem horum fratrum duorum, simili modo ut unius superius, et nunc tibi exemplo ostendimus, digni fuissent ea morte qua perplexi sunt. Pro paucis lenticulæ granis Esau primogenita perdidit. Nam et Israeliticus populus dum cibo mannæ aleretur, reversi sunt corde in Ægyptum concupiscentes ollas carnium quas nuper sub jugo malæ servitutis comederant. De quibus mentionem facit apostolus Paulus: *Non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt* (*I Cor.* x, 6). Isti enim dixerunt fastidiri se pisces; illi vero murmuraverunt dicentes: *Non vident oculi nostri præter manna.* Et hoc dicimus, non quod cibis imponamus vitium, sed male utentibus. Unde et Paulus dicit: *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Quod enim in concupiscentiis denegat, hoc in necessitatibus largitur. Tres namque pueri missi in camino Babylonis ignis; abdicantes regales cibos, a tanto igne

(38) Exempla hæc refert, graviterque urget Petrus Venerabilis in lib. VI epistola 15 ad suos Cluniacenses.

evaserunt illæsi. Ipse idemque ignis quotquot de Chaldeis reperit, combussit et occidit. Igitur et Nabuzardan princeps coquorum destruxit muros Jerusalem. Ergo neminem moveat quod Elias famis tempore carne alitus est mane et vespere, sed qui requirit cibum consideret ministrum. Sæpe enim dæmones horum alituum figuram tenent. Talis enim cibus corvorum aptus fuit ministerio et ejus saturitas vespere et mane meruit esuriem. At vero quando panem comedit, angelum delatorem habuit, et in tantum confortatus est, ut per quadraginta dies cibi refectione non indigeret. Hæc omnia diximus, ut plenius ostenderemus non esse in cibo vitium, sed in appetitu. Horum tamen interitus multorum exstitit emendatio morum. Sic enim apud nos ordo monachorum cecidit ; sicque et correctus fuit et frequenter multis prodigiis corrigitur, ut auctore Deo perseveret.» Sed dum vitam doctrinamque patris nostri plenius enarrare disposuimus, quasi improvidi quodammodo nolentes in horam indicimus excessibus, et ob hoc a nostro proposito longe digressi sumus, ad quod velociter stylum vertamus.

*Item ultio de alio cui vena secta.*

5. Fateri autem solent fratres nostri, qui ante nos astiterunt illi, quod fuit unus quidam frater ex patris nostri congregatione, qui licito tempore phlebotomi sibi curationem adhibuisset. Super quo facto commotus est ejus animus, quia quamvis eum necessitas coegisset, tamen absque ejus licentia hoc non debuit præsumere. Mox vero per quam prius sanguis effluxerat, disrupta est vena, et quousque redderet animam, a quocunque medicamine non fuit restricta. Addebant insuper, quod sive prospera, seu adversa cuilibet indixisset, nullatenus illis carere potuisset ; quod utinam quidam ex nostris in se ipso expertus non fuisset. Sed felices illi, qui ejus præsentiam cernere meruerunt quoad vixit. Infelix ego, qui nec duobus expletis annis illi merui famulari.

*Odonis timor de culpis in abbatem.*

6. Appropinquante autem tempore quo secundum Dei dispensationem corporali separaremur visione, et ejus absentia, quæ fieri debebat, potiorem menti meæ amoris inferret ignem, quadam die dum me cerneret nimium tristem, cæpit me blande consolari suo more. Sed cum videret miseræ menti meæ nec sic satisfacere posse, more Jacob patriarchæ a præteritis exordium sumens, futura mihi præsago spiritu ita cœpit exponendo prædicere. Charissime fili, ausculta quæ dico tibi. Gratia ago Deo, quia ex omnibus peccatis quæ a juventute perpetravi, in hac vita jam ultionem recepi, exeptis illis quæ in abbatem meum commisi : et semper diem illum et tempus exspectavi, deprecans Deum, ut ea non reservaret mihi in futurum. Et nunc credo me esse exauditum, quia quæ in illum gessi, hæc rursum a te recepi. Tibi autem scias non reddi simplicia, sed decupla. Esto namque fortis et patiens, ut ea valeas tolerando quiete portare. Hæc lacrymans dixit, deinde exosculans caput meum, Domino me commedavit ; sed tu, Domine omnipotens, reddendi mihi versa vice Cæsario presbytero centuplicata ac graviora, misericorditer parce, et si aliqua supersunt meis mœrentibus malis propitiatus averte (39).

*Monachorum in carnes aviditas.*

7. Eodem quoque tempore concessit nobis jam præfatus Albericus princeps monasterium sancti Heliæ, quod Subpentonia dicitur, de quo beatus Gregorius in libro Dialogi (40) mentionem facit. Sed sicut idem beatus Gregorius dicit durum esse in mente veteri vova meditari, hos quos ibi reperimus monachos, non quibamus eos subtrahere ab esu carnis. Ordinavit autem pater noster in eodem cænobio præpositum unum ex nostris fratribus, nomine Theodardum. Videns autem ille eo quod virtute nec sanctitate ab eodem vitio eos posset cohibere, cœpit ex finitimis regionibus pisces emere, ut vel sic voluntati eorum satisfaceret. Qua etenim re penitus equi quos ei dimiserat pater noster defecerant huc illucque discurrentes. Hanc enim eorum improbitatem, suumque laborem prædictus frater patri nostro crebrius studuit innotescere. Inter hæc eo a domino petente, vallis ipsa cui monasterium præeminet atque interjacet, non multum procul junctis invicem monticulis se cl usit, et parvissimi torrentis qui per eam defluebat, aditum interdixit. Dehinc multitudine aquarum collecta, lacum ex se poduxit et laborem fratri abstulit, qui pisces illi emere ultra necesse non fuit. Sed hoc factum cujus fuisset meriti, quidam imperiti nescierunt eo quod publice qua ratione sit factum non viderunt, eo quod patris nostri orationem auditu non audierunt. Hoc enim hypocritarum est, non fidelium, videlicet ignorantes qui hæc dicunt illud quod canit psalmographus : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, desideria cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* x, 17), et iterum : *Voluntatem timentium se faciet, et orationes eorum exaudiet* (*Psal.* CXLIV, 19). Nam et similiter pridem fecit cum esset Franciæ apud beatum Benedictum : cujus rei rationem tanto securius proferimus, quanto ex ea fideliorem testem eumdem patrem habemus. Sed prius fideli sermone proferendum est, quemadmodum prædictum susceperit cœnobium, ut ad ea quæ sunt sequenda quasi per directam lineam stylus noster perveniat.

*S. Benedicti Floriacense monasterium ut reformatum.*

8. Post finem jam fatæ persecutionis, quæ facta est sub Nortmundo sævissimo Nortmannorum rege in finibus Galliæ, ut adimpleret Dominus Ecclesiæ suæ quod per Isaiam olim prædixerat : *Ad punctum, inquiens, in modico reliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna miserebor tui* (*Isai.* LIV, 7,8) ; congregati fratres in idipsum ex cœnobio beati Benedicti, qui hostili metu pridem huc illucque fuerant dispersi, proprium receperunt cœnobium ; sed (quod sine dolore dicere non possumus) unita corpora scissis mentibus sanctissimum illum tantum præoccupabant locum quod succincta locutione transcurrimus, ne in talium vita noster stylus immoretur. Revera hoc patenter narrare satagimus, qualiter a beato Benedicto vocatus sit atque electus, imo et præordinatus Odo pater beatissimus. Quodam vero die dum prædicti fratres intra claustrum residentes se invicem corroderent, quidam ex eis de obedientia rediens, obvium habuit ante fores monasterii Benedictum patrem : cui mox imperavit : « Vade, inquiens, dicito his fratribus, quia non me quiescere sinunt, ecce recedo ab his ædibus, et sciant me non reversurum in hunc locum quousque ex finibus Aquitaniæ talem virum huc deferam, qui sit secundum cor meum. » Quem frater ille cum de nomine vellet inquirere, respondit hæsitationi ejus : Ego sum, scias, frater Benedictus. Ait, et ire cœpit. Igitur frater ille quæ sibi imperata fuerant nuntiavit ; sed miseri tanto patre orbati, non cucurrrerunt ad lacrymas et preces, quæ ipsam Domini comminationem sæpius sedare solent : sed ascensis equis, huc illicque cœperunt discurrere ut eum invenirent inventumque vi aut prece revocarent. Sed cum ne-

(39) Hic in editis inseruntur ea, quæ in superiore libro referuntur in codice Compendiensi, nempe a num. 14 ad 23.

(40) Nempe in lib. I cap. 7 ubi monasterium istud juxta Nepesinam urbem locat, Nepi in Etruria : quo de monasterio rursus agit Gregorius in capite sequenti.

minem invenissent, cœperunt postmodum fratri A illi indesinenter illudere. Per illud tempus vir Elisiardus, qui tunc erat comes illustris, nunc vero in monastico degit habitu, audiens infamiam horum monachorum, prædictam abbatiam a Rodulfo rege Francorum petiit et accepit, acceptamque patri nostro tradidit. Deinde sumptis secum duobus comitibus, itidemque præsulibus, simul cum patre nostro Odone profecti sunt. Quorum adventu fratres cognito, sumptis gladiis alii ascenderunt ædificiorum tecta, quasi hostes suos lapidibus et missilibus cœlorum jaculaturi. Alii muniti clypeis, accinctis ensibus monasterii observabant aditum, prius se mori fatentes quam eos introire sinerent. Interea in se reversi dicebant : Ecce videmus quid nobis nuper minatus est beatus Benedictus. Heu, proh dolor, quare non credebamus fratri nostro ? Omnia nemque quæ nobis dixit opere complevit. Nunquid non iste est Odo Aquitanus ille, de quo frequenter suspicati sumus dixisse B beatum Benedictum. Heu ! quare non prius nos ad eum misimus, ac sponte invitavimus. Interea quærebant qua ratione eos possent propellere, vertentes se huc illucque. Erat autem apud eos frater Vulfaldus (42) nomine, juvenis, sed bonæ indolis. Hic enim dum inter eos discurreret, miserunt ei quædam præcepta regalia, in quibus continebatur, ut nulli ex alia congregatione ullo unquam tempore liceret ejusdem loci prioratum subire. Cui pater noster inquit : Pacifice veni, adeo ut neminem lædam, nulli noceam, sed ut incorrectos regulariter corrigam. His et similibus verbis, licet per internuntios, eorum assidue mulcebat mentes. At illi cum viderent suam nullo modo prævalere industriam, vertebant se ad alia argumenta, modo regem vocabant, modo occidere eum minabantur. Hoc enim fiebat per triduum. At postmodum pater Odo cunctis ignorantibus ascendit asellum, et cœpit ire concite ad prædictum monas- C terium. Episcopi vero et qui cum ipsis erant comites simul cum suis currebant post eum clamantes : Quo is, pater ? an fortassis quæris mortem ? anne vides quia parati sunt te interficere ? qua videlicet hora accesseris ad eos morte morieris. Velisne eis de tuo interitu facere gaudium, et nobis exitialem luctum ? has et hujuscemodi voces post eum mittentes. Sed, sicut Scriptura ait : *Justus ut leo confidens absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII, 1) ; accepto itinere eum nullomodo potuerunt declinare. Mira dicturus sum. Appropinquante autem illo et agnitus ab his qui eum prius noverant, hi qui tunc resistebant protinus commoti sunt et immutati, ita ut proculdubio dicere possim: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Revera extemplo projectis armis exierunt obviam ei, ejusque sunt amplexati vestigia. Non parva siquidem lætitia eo die omnibus est facta. Patrem igitur Odonem cœnobii receperunt claus- D tra : reliqui omnes redierunt in sua.

*Esca carnium et proprietas vix rescissa. Episcoporum concursus ad Odonem.*

9. His præterea diebus cœpit eis suadere, ut ab esu carnium recederent, parceque viverent, nihilque proprium possiderent : id ipsum quod occulte habebant apostolorum more coram omnibus renuntiarent. Sed quia res monasterii nequaquam in commune possederant, sed pro posse et libitu suo eas inter se diviserant, cum viderent sibi ultra jam non licere quod licuerat, maluerunt potius suis fautoribus, imo profligatoribus injuste possessas inique condonare, quam jure regulariterque abrenuntiare. Nam solo prodictu id ipsum quod abrenuntiaverant moliebantur mandendo consumere cum cæteris quæ pater noster secum tulerat, ut consumpta omnia saltem invitis eis carnem concederet. Qua de re indesinenter expetebant pisces. Econtra pius pater cuncta illis impendebat competenter, ut ab uno eos cohiberet. Sicque factum est, ut ille largiendo, ipsique mandendo pene omnia consumerentur. Instabat nimirum pater noster fide intrepidus, spe securus, charitate munitus, sciens se secundum illud evangelicum nequaquam deseri promissum. *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini* (*Luc.* XII, 22). Interea dum hæc agerentur, cuidam fratri sanctus Benedictus adest in visione, eique inter cætera imperat patri nostro dicere, ut pro pecuniæ defectu minime trepidaret ; sed nec pro adipiscendis rebus sollicitus esset, ait, et post hæc adjecit : Crastina die mittam et centum solidos, et sequenti hebdomada ei tanta accommodabo diversarum rerum solatia, ut multis temporibus sufficere queant usibus fratrum ; quod et factum est.

10. Præterea cœpere quamplurimi ex circumfluis regionibus ad vestigia beati viri concurrere, ejusque magisterio placitæ obedientiæ viam arripere, quo postmodum mererentur polorum scandere sedes. In tantum igitur sanctitatis ejus fama dilatata est, ut non solum laici seu canonici ad eum confluerent, verum etiam episcopi quidam proprias sedes relinquerent, ejusque se congregationi sociarent. Interea videres locum illum quasi exculta spinis terra novas soboles, ceu novas fruges proferre, et quasi ex tritura areæ crebris verborum ictibus tunsis sequestratum a vitiorum paleis frumentum conferre ad Dominicum horreum.

*Factum in solemnitate S. Benedicti.*

11. Alio item tempore appropinquabat dies festus beati Benedicti, complacuit patri nostro ex quodam monasterio quo tunc erat, ad prædictum proficisci cœnobium, quatenus ante corpus beati viri nocturnas devote excubias celebraret ; quod et fecit. Nocte vero illa quæ solemnem præcesserat diem contigit ut ante lucis ortum matutina Laus celebraretur. Nam cum quidam e fratribus nocturna vigilia fatigatus denuo se sopori dedisset, Benedictus beatus ei apparere dignatus est. Cui cum se prius agnitum reddidisset, protinus subjunxit : Nuntia, inquiens, fratribus, quia in hac nocte non potui cum illis esse, ero pro certo hodie. Et ubi fuisti, inquit, domine ? Et beatus ait Benedictus : In insula Britannia. At ille : Quid, inquit, ibi fecisti ? et ille respondit : Frater Leutfredus qui propter suam superbiam deserens hunc locum transfretavit maria, hac nocte fuit defunctus, et a dæmonibus receptus. Contra quos agonem intorsi, eumque ab eorum potestate liberavi. Quo audito, cœpit frater ille super hujus rei factum admirari attonitus. Ad quem rursus ait pater sanctus : Si super hoc factum miraris, iterum audi. Scias pro certo, quia ab illo die quo hoc monasterium fuit constructum, quotquot fratres hic fuerunt migrati, æterna requie (43) sunt recepti. Deinde adjecit frater ille : Quia, domine, dixisti hodie nobiscum te esse debere, quis nobis notam faciet horam adventus tui, ut occurramus tibi. At ille : Nemo, inquit, sed ego

(41) Id est alterius monasterii seu congregationis, ut inferius explicatur.

(42) Is post Archembaldum Odonis successorem abbas fuit Floriacensis, ac demum episcopus Carnutensis, de quo Aimoinus in lib. I de Mirac. S. Benedicti, num. 14.

(43) Ejusmodi privilegiis nimisquam non fidendum. Apprime huic loco ipse sanctus Odo in sermone de S. Benedicto, ubi de Floriaco agit : *Videris ergo quisquis est, cui locus tam multis usquequaque tantum desiderabilis non negatur, quanti habendus sit, quantaque reverentia excolendus. Pondus quippe cujuslibet reatus non solum ex intellectu gerentis vel tempore, sed etiam ex loco solet pensari. Alioquin quem præsentia tanti patris ad sui reverentiam non flectit, spiritum Judæ videtur participare.*

tale signum ostendam omnibus quod de mea præsentia nullus dubitet. Adjecit frater et ait : Et quali cum apparatu tantum patrem suscipere poterimus, aut quibus obsequiis astabimus ei ? Cui beatus respondit Benedictus : Si pro lautioribus cibis estis solliciti, pisces abundanter habetis. At ille : Nequaquam, ait, domine. Et sanctus : Præcipiatur, inquit, piscatoribus ut nequaquam eant in Ligeris alveum ad piscandum, sed in hac palude, quæ secus influit monasterium. His auditis evigilans a somno frater, cum tempus fuisset loquendi, omnia quæ sibi fuerant imperata studuit fratribus innotescere. Certi ergo fratres de adventu patris et admonitione patris nostri Odonis edocti, unusquisque satagebat spirituali patri de corde proprio spiritualia offerre munera. Unde factum est, ut ipsum diem cum spiritualibus hymnis, orationibusque transigerent. Interea famuli monasterii qui piscandi officio erant dediti, nequaquam, sicut eis imperatum fuerat, abierunt in paludem, sed in Ligeris fluvium, a quo fuerant secreti. Unde factum est, ut absque ulla emolumento, licet fatigati, fere hora tertia ad monasterium sunt reversi. Qui videlicet requisiti cur vacui rediissent, confusi præsumptione inobedientiæ erubescebant confiteri quod egerant. Sed silentium quod indicebat pudor, hoc reserabat faciei rubor. Quibus ait œconomus : Scio enim præsumptionem vestram. Sed quoniam prius imperata renuistis, nunc secundo in paludem piscandi gratia redite ; quod et factum est. Revera subito tantos in hac piscatione traxerunt pisces, ut pene nullus ambigeret, quod ipse qui in deserti regione ortigometras populo tribuerat, etiam tunc in eamdem paludem pisces influeret. Etenim usque adeo ibidem sperabundant, ut videlicet nullo tempore ab ea deficiant. Sicque factum est ut palus, quæ ranas prius ebullire consueverat, deinceps piscibus abundaret. Hoc miraculum ipse pater noster in libro (44) quem de adventu corporis sancti Benedicti in Aurelianensi, eodem sensu, sed non eisdem verbis cum cæteris perspicacissime edidit. Convenerat igitur ad eamdem solemnitatem ex circumfluis regionibus non modica turba hominum (45), inter quos quamplurimi erant cæci et claudi, seu paralytici, atque diversis languoribus dediti, exspectantes tempus refectionis ; de quibus omnibus imperatum est a patre Odone ut ante tempus missæ nequaquam eis cibum impertirent. Facta autem hora, ingressi sunt omnes ad missam. Tanta enim est magnitudo ecclesiæ, ut nullus cogeretur foris stare. Enimvero ut angelicum cœpere hymnum canere, id est, *Gloria in excelsis* (46) *Deo* ; magno quodam strepitu fores ecclesiæ subito sunt concussæ et reseratæ, ita duntaxat ut omnes post tergum aspicerent quodam horrore perculsi. In ipso autem strepitu omnes qui illic aderant infirmi pristinæ sanitati sunt redditi, scilicet cæci visum, surdi auditum, claudi recepere gressum. Equidem et lampades ecclesiæ omnes fuere illuminatæ. Tunc intellexerunt omnes ibi beatum, sicut prædixerat, advenisse Benedictum. In tantum enim devotio spiritualis omnium corda replevit, ut præ immenso gaudio a lacrymis se continere non possent. Nomina vero fratrum qui hoc viderunt innotescere mihi renuit pater Odo. Qua de re dubium est, utrum ipse an alius fuerit qui hæc viderit.

*S. Odo, Romæ ægrotans, vitæ inducias obtinet. Turonos accedit in festo S. Martini. Octava S. Martini moritur.*

12. Instante vero jam mortis ejus articulo, cum piis ejus actibus, ut supra retulimus, corona beatæ remunerationis deberetur a Christo ; Romæ positus, acuta et continua febre corripitur, membra dolore fracta tabescunt, frigidus renes ipsas cum carne medullas consumit, diversaque et multiplicia genera passionum in uno homine ita insurgunt, ut pro vero esset se jam jamque a Domino vocari, et terreni hominis indumento exspoliari. Quid faceret vir sanctus ? nimirum apostoli fidelis imitator et vicarius, jam resolvi desiderat, et cum Christo vivere votis omnibus exoptat. Percurrerat enim sanctorum certamen laborum, ac totius virtutis egregium compleverat cursum, ut merito per gratiam divinæ pietatis coronam sibi justitiæ repositam esse in cœlis tota certitudine confideret. Præterea dum de hac sua vocatione suspensus haberetur, desiderio sibi fuit prius suum Martinum, in quo, ut ita loquamur, cum ipso lacte carnis ardorem nexibus amoris imbiberat), orationis gratia revisere, et extremum spiritum cum proprii corporis favilla consignare. Quia vero Dei omnipotentis clementia piis semper votis dignatur adesse, affuit mox et in hoc nostro Odone, quem sibi alterum vas electionis segregaverat a matre. Videt enim Deo dilectus in sequenti nocti virum quemdam conspicabilis formæ simul et gratiæ, talia sibi per visum dicere : O sancta et Deo dilecta anima, instat quidem tua vocatio, et ultima corporis resolutio ; sed Martinus te precibus differt, et ad patriam reditum et vires ministrat ; sed cum illo perveneris, mox tibi vita pro morte dabitur, et beata societas electorum pro tuo pio labore a Christo recompensabitur. Visioni mox signa dant fidem : ægritudo corporis aliquantisper deficit, salus accelerata redit, itineris continuo difficultatem invadit, nec reputans senilia et præmortua membra, vicit durum laborem, ob nimium in Martino ardorem, tanto jam devotior in spirituali obsequio, quanto securior de præmio. Consumpta itaque tanti laboris via, Turonis ventum est, instante jam beati pontificis celebritate, qua spiritus victor migravit a corpore. Fit tunc gemina urbis exsultatio, dum et Martini annua celebritas renovatur, et Odonis concivis diu desiderata præsentia ab omnibus in commune venerabiliter amplectitur. In qua sancta festivitate vir sanctus quam devotus exstitit, quas preces fletibus mixtas Martino effuderit, quæ etiam contriti cordis sacrificia in ara illa salutari, tanquam vivens hostia mactaverit, non est nostræ facultatis evolvere, quos deprimit stoliditas mentis et rusticitas sermonis. De sua namque vocatione sollicitus, fixus ad Deum erat animus, et terrena jam oblitus, puro mentis intuitu, tanquam verus Martini vernaculus, cœlestia tantummodo contemplabatur attentius. Suspensus itaque redditur tali exspectatione, tota illa beati pontificis celebritate : sed (quod contra spem sibi accidit) per triduum differri sibi repromissa munera anxius ingemiscit : cum ecce quarto die transactæ festivitatis, iterum rediviva febris accenditur, frigidus irrepit mox præcordia sanguis, atque suas consumit acerbo vulnere vires. Tunc sui jam voti compos effectus, et de Dei misericordia certus spiritus quidem fessus languescit ægroto corpore.

Sed mens læta Deum cernit, suspirat, anhelat,
Ultima vox resonat, Tu, Christe, parce redemptis
Martinum ingeminat, Martinum suspicit, orat.

Monachos undecunque venientes, et suam vocationem irremediabiliter deflentes, instruit sermonibus, consignat Deo paternis orationibus, protegit benedictionibus, et valedicit piis singultibus. Adve-

(44) Excidit liber iste sancti Odonis, quem librum utinam quis, si alicubi est, proferat in lucem.

(45) De hac turba loquitur Odo in sermone de translatione S. Benedicti, quem eo die pronuntiatum existimo.

(46) Non cuivis privato sacerdoti olim licebat hunc hymnum in missa dicere. Lege Agapiti papæ epistolam in Metropoli Salisburgensis tomo I pag. 150, et Callisti II hac de re diploma pro Francone abbate Trenorchiensi apud Chiffletium, pag. 403.

nerat vero jam quartadecima dies ante Decembrem, quæ etiam octava Martinianæ celebritatis habetur, cum beatus ille spiritus, divina illa et salutari pinguedine recreatus, et vivificanti poculo vegetatus, corruptibili carne solutus, liber ad æthera migrat, et Martino duce, sibi crediti talenti multiplicem fructum fideliter repræsentat. A quo percipiens et ipse præmium condignum pii laboris, sanctorum cœtibus admistus, resplendet candore beatæ immortalitatis, per Christum Dominum nostrum, qui vivit, regnat in sæcula sæculorum. Amen.

# SANCTI ODONIS VITA ALTERA.

*Auctore* NALGODO *Cluniacensi monacho sæculi* XII.

(Apud Mabill., ex codicibus manuscriptis.)

## PROLOGUS AUCTORIS.

*Nalgodus Joannis scriptum reformat.*

1. Ad describendum vitam beati Odonis primi Cluniacensium fundatoris ut apponerem extremam manum, religiosa seniorum virorum importunitas me promovit. Nec abnuere potui quod tam imperiosa charitas exigebat. Sed animo quod jubebant, et novæ devotionis studio perurgente, Joannem qui de illo scripsisse inveniebatur offendi. Legi cum diligentia qua decebat et oblatos ejus apices ex ordine percurri. Tanta erat verborum confusio, tam dispersa prolixitas, ita inordinatus et præposterus ordo narrandi, ut ipsa series relationis vix sibi aut ratione aut tempore cohæreret. Displicuit mihi valde : et præclara dignissimi viri gesta quia indigne obscuritatis nebula premerentur vehementer indolui. Accessit molestiæ meæ major spiritus libertatis, et in gratiam beati viri pia securitate me transferens, sententiam dedi ut scriberem. Scribam igitur meo domestico more loquendi, et ex multiplici agmine illo verborum puram et simplicem conabor eruere veritatem. Nec opus erit, ut futuris profectui labor noster civili elegantia coloretur. Tanta est apud Deum et homines claritas beati hujus, ut si ei urbanæ facundiæ nitor accesserit videatur potius obnubere splendorem ejus, quam eum facere clariorem. Procedebat in suo habitu gloriosa nuditas gestorum ejus ; et pie sensisse, vere dixisse de illo summa illi erit magnificentiæ claritudo. Sane apud sinistros alieni studii discussores simplex et ex radice charitatis ascendens vestra devotio habeat me excusatum. Non enim gloriæ lucro ductus, sed causa publicæ utilitatis inductus, incompositæ relationis nubem detraxi, et magnificum solem nostrum, qui usque hodie vix comparuerat, legentium oculis reformavi. Sed hic hactenus. Ipse autem Spiritus veritatis huic operi pius cooperator assistat : qui me et in dicendis parcitate succinctum, et in scribendi veritate faciat expeditum.

# INCIPIT VITA S. ODONIS

CLUNIACENSIS ABBATIS,

*A* NALGODO *Cluniacensi monacho edita, vitæ simplicis et honestæ viro.*

*Odo piis parentibus cœlitus impetratur.*

2. Venerabilis igitur Odo ex militari Francorum prosapia carnis originem duxit : sed magis luce fidei quam natalium claritate resplenduit. Pater ejus Abbo nomine tantæ legitur honestatis atque prudentiæ, ut in laicali proposito non laicaliter vivens, apud suos vir consilii et providentiæ haberetur ; unde apud domesticos in gratiam multam deveniens, præcipue apud et Williermum Aquitaniæ ducem familiare privilegium obtinebat. Uxori suæ matrimonii lege conjunctus, licet de posteritatis gratia desperassent, nuptiale bonum mira continentiæ sobrietate servabat, honestis occupationibus se exercens, in sanctorum vigiliis consueta devotionis frequentia pernoctabat. Ducens itaque noctem Dominicæ Nativitatis insomnem, cum ad partum virginis excubias celebraret, inter lacrymas et singultus, dari sibi filium contrito spiritu deposcit. Qui in multa fide spem suscipiendæ prolis concipiens, emortuum uxoris uterum virili consuetudine suscitavit. Prosperum fecit Dominus desiderium utriusque, et castis eorum petitionibus satisfecit, dans illi filium Odonem nomine, virtutis non successionis hæredem. In quo nimirum jam tunc præludia sequentis gratiæ lucescebant, dum futurus sobrietatis et sanctimoniæ institutor, ex oratione et continentiæ noscebatur.

*S. Martino puer oblatus.*

3. Adhuc infantulus in cunis jacens nutricis diligentia fovebatur : cum secreto die quodam cubiculum pater ingressus, eumdem sine custodis providentia solum invenit. Circumjectis oculis, cum neminem deprehenderet adfuisse, reverenter manibus apprehensum puerulum elevavit a cunis : quem veluti offerendum porrigens in sublime, oculos cordis et corpus attollens in cœlum : Gemma, inquit, præsulum, o Martine, suscipe hunc puerum ; providentiæ tuæ gremio confovendum. Quo dicto, puerum in cunis deposuit, et sum cosio sicut *(sic)* ingressus pater ingressus est. Quod eum instinctu divino potius quam humano fecisse et Odonis subsecuta devotio in Martinum, et Martini gratia in Odonem luce clarius manifestat.

*Sacerdoti committitur erudiendus. A Petro et Paulo adoptatur.* A

4. Infantulus depulsus a lacte et nutrioris cunis exemptus cuidam sacerdoti longius commanenti traditur nutriendus. Susceptum puerum blande ac leniter, sicut ætas infirmior exigebat, sacerdos instituens, litteratoriis etiam rudimentis rudem ejus infantiam jubebat. Gemina circa puerum diligentia presbyter utebatur, dum ei et honestis viam suis colloquiis inculcaret et in ejus teneram et tenacem memoriam scientiæ fluenta transfunderet. Cujus informationi dum omni studio subserviret, videt in visione noctis Ecclesiæ principes Petrum et Paulum, qui ab eo puerum quasi violenta exactione poscebant. Attonitus presbyter, quemdam super expostulatione illa stuporis patiebatur excessum. Sciscitabatur voce qua poterat, quid de puero sive in puerum acturi essent, an eum paternæ domui restituere cogitarent. Quærenti ex compendio responsum dantes : Non, inquiunt, ad do- B mum patris, sed in orientis extrema puerum adducemus. Sacerdos anxius, et suum spiritum fere non habens, ne sibi puerum commendatum eriperent formidolosa constantia deprecatur, se in causam ducendum, se paternæ gratiæ reum futurum, se apud affines infantuli notandum infamia proditoris, si puer non compareat, profitetur. Advolvitur genibus beatorum, preces ingeminat, ut suæ calamitatis miseriam temperare dignentur. Tandem piissimi exactores, misericordia presbyteri supplicatione permoti, se dimissuros puerum, sed ad tempus in voce misericordiæ spoponderunt. Evigilans presbyter post quietem, et quod viderat secum admirans, filium reformat patri præmissa, qua commonitus fuerat, visione. O discreta benignitas circa ætatem etiam non discretam ! Puer necdum scientiam electionis habens, in sortem electionis Dei, exactione sanctorum spirituum trahebatur. Non est hæc visio sacerdotis consueta le- C ge somnii metienda. Præmonstrabatur in hac similitudine non spernenda futuræ ipsius expressio veritatis, quibus videlicet actoribus, quorum ducatu et gratia in orientem sanctitatis et justitiæ puer ille fuerat ducendus.

*Clerice vivens, ad militarem vitam a patre dirigitur, Deo repugnante.*

5. Emenso pueritiæ spatio cum in pleniorem adolescentiæ gratiam formaretur, clericalibus studiis futurus clericus serviebat. Erat in eo temperata totius corporis habitu statura solidior et in eam pulchritudinem forma proficiens qua inter collactaneos et cœnos [*f.* coævos] prædicabilis haberetur. Carnalis pater ejus carnem in eo plus diligens, de spiritu minus curans, in carne juvenis quæ carnis erant naturæ ductus impetu contuetur. Advertit in filio corporis elegantiam, ætatis accessum, plenitudinem virium, firmamenta membrorum. Ad hæc recurrit animo, cogitatione reflectitur, et hæc om- D nia carnis usibus profutura non bene præsagans simulatio paterna blanditur. Jam impatiens animus quasi ex judicii ratione deliberat filium juvenem longe aliis artibus imbuendum ; esse minus conveniens, ut natura tam efficax virtus, ita et corpore redundans et animo clericalibus nugis et otio inserviret molles et remissas manus enervens animos et imbelles litteris admovendos ; adolescentem præstantem fortitudine quam natura commendabilem virtute et gratia, sacramentis militaribus applicandum. Quidquid in eo oculis adverti posset, expostulare militiam, et omnino renuere clericatum. Sequitur cogitationis suæ judicium paterna stultitia, et filium jam adultum a clerico revocat : Willelmo duci dirigit serviturum, processu temporis ab eodem ad militiam promovendum tirocinii lege mutata Odo clericum exuit, sæculi vias ingreditur, et propositæ sibi militiæ actu et habitu se confortabat. Operam dare venatui, frequentibus aucupiis occupari, chirothecato pugno campros et accipitres circumferre versum illi fuerat in naturam. Sed manus Domini suum desertorem et transfugam aversata, singulisque agenda tentaverat, successus prosperos abnuebat. Terretur in somnis, urgetur visionibus, revelationibus admonetur, ut, spreta cui adhæserat vanitate, ad veram Dominicæ servitutis redeat libertatem. Recens tamen juvenis animus et informis, odore militiæ quo fuerat semel imbutus evacuari non potuit.

*Visione revocatur.*

6. Cursu temporis evoluto, solemnis pius intervenerat Dominici Natalis dies ; paternæ invitationis occasio Odonis incuriam excitavit, ut virginei partus vigilias suis ipse vigiliis honoraret. Profecti sunt ex consensu pater et filius, et humilitate qua decuit cœlestibus excubiis incubabant. Suscitata devotio clericorum Deo nato laudem et gratias personabat : cum bonæ indolis adolescens ex animo se convertit ad Virginem cujus partus gloria noctem illam divinis splendoribus illustrabat. Effundit coram matre Domini cor suum, loquitur ad illam quasi præsens ad ecclesiam ubi esset. Revelat in ejus facie vias suas, delicta juventutis suæ et ignorantias confitetur. Apud misericordiæ matrem locum miserationis et veniæ compunctus juvenis imprecatur. Magni consilii Angelum natum ex ea medium adhibet ; inserit advocatum ; orare se et desiderio sibi esse, ut ipse ad beneplacitum suum ejus et instruat voluntatem, et dirigeat actionem. Cœlestibus præconiis nox exacta lucebat in diem, et mysteria lucis ex more devotio clericalis exsolverat. Inter agendum solemnitas majoris missæ cum voces modulantium Regi nato in excelsis gloriam frequentarentur, tactus alio spiritu juvenis, in medium jubilantis ecclesiæ prosilivit, et in voce libertatis, primitias laudis suæ Filio Virginis offerre cœpit.

*Capitis dolore captus, fit clericus*

7 Temerarium præsumptorem e vestigio divina est ultio subsecuta. Capitis dolore concussus extabuit, et non esse speciosam in ore peccatoris et refugæ laudem Dei, acriori pressus molestia testimonium invitus dedit. Quievit tamen post modicum sedatus dolor, et data in præsumptorem invectio resedisse visa est ad momentum. Evangelica lectione perlecta, simili capitis dolore turbatus evanuit ; conciderat totus, et pene fuerat collapsus in terram, nisi accurentium suffragio teneretur. Sustentantium manibus deductus domum, fere per triennium durissimo illo doloris incommodo laborabat ; conducta pretio medicina nec momentaneæ levitatis remedium indulgere poterat ægrotanti. Dolor pene continuus urgebat infirmum, et desperandi proximum genus erat, afflictum remediari non posse. Facilis fuerat tamen conjectura, quo merito vel reatu tantis passionibus plecteretur. Apud illos quibus fuit mens sanior verbum erat, Martinum id agere, id moliri, ut reciperet commendatum, hanc esse causam totius dispendii, quia minus providus adolescens se Martini servitio subduxisset. Martino jus proprium reformetur, et ægroto non deerit gratia sospitatis. Tandem pater suis ipse coarctatus angustiis, et Martinum in filio sentiens indignatum, quo ultra evaderet non habebat. Super temeritate quam admiserat satisfecit, et filium ad ecclesiam alienis manibus exportatum Martino deinceps serviturum, tutelæ ipsius gremio resignavit. Sensit infirmus illico Martinum in gratia sibi adesse : et de molestia convalescens, clericalem indui habitum, et apud egregium præceptorem sortitur canonici dignitatem.

*Pie vivit. Poetas et Virgilium tandem respuit.*

8. Promotus in canonicum prædicabilis adolescens, in tantam animi sublimitatem excrevit, ut gloriam et superbiam vitæ hujus humilitatis pede calcaret, paupertatem spiritus elegit sibi, et eam matrimonii

nive [*f.*, fide] desponsavit amator factus formæ illius. Victu et vestitu juxta Apostolum contentus Odo et de cæteris nihil affectans, ut Deo viveret, suum in Domino jactaverat cogitatum. Noctes orationibus fere continuans, dierum spatia legendi studiis occupabat. Tanto scientiæ ducebatur amore, ut ad legendas nænias poetarum colorati sermonis elegantia raperetur. Propositum illius fuit ut Virgilii Maronis librum ex ordine lectitaret. Insecuta nocte cum membra solveret in quietem, vidit in visu vas grande mira exterius pulchritudine venustatum, sed interius innumeris serpentibus æstuantem, qui prosilientes ex vase ambiebant eum, licet minime nocuissent. Evigilans vir beatus, et prudenter considerans visionem, advertit in serpentibus figmenta poetica, librum Maronis intelligens in vase illo, quod exterius civili facundia coloratum, immundorum sensuum vanitate interius sordescebat. Abrenuntians deinceps Virgilio et pompis ejus, et suo cubiculo poetis exclusis, divinarum Scripturarum pasci voluit veritate.

*Sancti Martini sepulcrum adit noctu.*

9. Parvam cellulam longe a mundi strepitu sibi fecit, in qua solus solitariæ quieti vacans solis cœlestibus inhians, ad odorem spiritualium unguentorum solo Conditoris desiderio trahebatur. Orandi virtutem assiduam, quam sibi summa amicitiæ sanctitate conjunxerat, summa alacritate et studio sectabatur. Sepulcrum beati Martini, quod ab ejus cellula duobus fere millibus absistebat, nocturnis orationibus frequentandum pro consuetudine visitabat. Aliquando vir beatus illud orationis iter solus in nocte conficiens, venenatas veteris serpentis astutias in hunc modum expertus est. Vulpecularum exercitus obvius gradiendi viro Dei in feciem ferebatur, ambiebant eum a latere et a tergo, graviter insistebant, eumque ab itinere illo virtutis deflectere conabantur, cui cum prævalere non possent, horrendum quiddam et insolitum gannientes, in ipsam ejus faciem miserabiliter irruebant. Animadvertens Odo deceptrices dæmonum versutias inducta vulpecularum specie adumbrari, insistentibus sibi signum crucis obvium intendebat. Lupus etiam qui ad suffragium laborantis accurrit, vulpes illas dato in eas impetu effugavit, et viro Dei usque ad locum orationis socialem solatii securitatem exhibuit. Vir autem Domini, cui etiam immites bestiæ serviebant spurcorum phantasmatum vanitates, immotus, eo quo cœperat animo pertransivit.

*Dure vitam agit.*

10. Illecebrosos carnis appetitus excludens, pretiosis vestibus abdicatis, ea quæ vix sufficeret fuerat parcitate contentus. Matta superposita ad nudam humum, ambitiosos lectisternii eliminaverat apparatus. Triennio vestitus jacuit tempestivus monasticæ religionis et ordinis imitator. Nihil habens in cellula quod manus æmula furaretur, nullo eam ferarum munimine tuebatur. Carnem suam amator jejunii tanta cibi raritate curabat, ut dimidia panis libra suam per dies singulos inediam sustentaret; necessitatem sitis et faucum aridam siccitatem aquæ sobria perceptione mulcebat. Cum circa se inhumanum, eum in se solum expavesceres sævientem. Quod miraculo proximum in illo erat nec animi crebra jejunia, nec in membris ejus candidam venustatem lectisternia dura solvebant: indeficiens sanctitas in viro Dei illæsa in eo et integra membra servabat.

*Remigium auscultat.*

11. His diebus honestus juvenis succensis amore discendi, Parisium adiit primam sedis regiæ civitatem. Ibi Remigius Autissiodorensis, vir prædicabilis, et thesauros scientiæ tunc temporis plures habens, moderandis et regendis studiis insudabat. Florescebant sub eo studia, quæ obsoluerant jam
A per tempus, quia tunc primum ex ejus magisterio nascerentur. Huic adhærens Odo, hunc habuit in liberalibus multo tempore præceptorem : per hunc in dialectica et philosophiis, præcipue in Marciano valde proficiens, ad magnæ scientiæ cumulum evolavit.

*Algenti vestem dat.*

12. Quadam die (sicut ipse sub persona alterius suo suppresso nomine referebat) maturius surrexit e lectulo, ut conscholarium suorum conventui non deesset. Inhorruerat hiemis tanta asperitas, ut densis etiam pellibus involuti frigoris duritiam temperare vix possent. In atrio ecclesiæ pauperem nudum et miserabiliter algescentem invenit, compassus misero tabescenti, tunica sua latenter se exuens, frigoreticum investivit. Ingressus est ad condiscipulos, sed frigoris inclementiam ultra non sustinens, redire ad lectulum algoris asperitate compulsus est. Jam cubiculi primas partes attige-
B rat, cum in ejus medio se reponens, repositam auri libram incurrit. Intellexit cœleste donum, et oblati ponderis quantitatem lætus excepit. O virtus scholaribus disciplinis hactenus inexperta! philosophus eremita Deum suum, quem ad Socratem et Platonem, inter aureos rationis et eloquentiæ flores non invenerat, nudum in nudo paupere comprehendit. Commodavit Domino ad usuram, et pro vili tunica magnum auri pretium reportavit. Ita consuevit liberalitas Dei nostri, ut amplius præroget quam fuit erogatum. Solvit mutuum quod pauper acceperat, et ex gratia tantum adjecit, unde scholasticus et sibi consulere, et pauperum subsidiis adesse posset. Hoc in se factum vir Domini sub alterius persona sæpius iterabat, quia hominum gloriam fugiens, gloriæ illius quæ Dei est, verus fuerat appetitor, suorum operum magnus oppressor, alienorum magnificus prædicator sua quoque aliis ascribebat, evitati favoris gratiam ab
C eo qui videt in abscondito recepturus. Cujus profectum in scientia et liberalibus scire qui volet, percurrat et relegat libros ejus, et magisterialem illi apicem non negabit.

*Post studia rectius vivit.*

13. Regressus a studiis homo Dei scientiæ plenitudini adjecit virtutis altitudinem et profectum. Gratia visitandi vicinæ ad illum multitudines confluebant. Quibus suspensis et aspirantibus ad verba ejus, tantam cœlestis doctrinæ copiam instillabat, ut proponens singula quæ singulis convenirent, dulcedinem verbi Dei affluenter ex promptuario divini pectoris eructaret, Inerat abundans gratia verbis ejus, quæ ad ædificationem auditoribus compararet et eos ad propria remitteret alacriores effectos. Mirabilem loquendi facundiam vita mirabilior commendabat, et melius vivens quam loquens, dignitatem eloquii dignioribus studiis vivendi anteibat.

*Moralia in Job abbreviat.*

D Eo tempore beatus Odo ut moralia in Job quæ nimis in prolixam longitudinem fundebantur, breviore compendio coarctaret, concanonicorum suorum instantia cogebatur. Non esse suarum virium quod petebant et operis egregii famosam imminuere quantitatem sibi non licere respondit. Fraternæ petitiunculam charitatis humilis, et ideo vera charitas excludebat. Piæ importunitatis instantiam responsio benigna frangebat dum illi indesinenter expeterent, et iste petentibus semper abnueret. Controversia pietatis in hunc solutionis terminum se excepit. Nocte quadam dum apud beatum Martinum secretæ orationis studio teneretur, carnis eum lassitudo cogit in somnum, cujus excessum visio subsecuta est finem impositura negotio. Videbat sanctorum cuneos in eamdem ecclesiam descendentes ordinatim per subsellia consedisse, aliquantulum remoratos unus ex eis quid præstoletur inquirit. Responsum est, proximi domni Gregorii papæ adventum suspensam multitudinem opperiri. Quod au-

diens venerabilis Odo, curiosos in partes oculos A circumflectit, ut videre Gregorium mereatur. Secus adest longe cæteris clarior, et cultus elegantia, et vultus egregii dignitate. Assurgitur venienti, benedictio postulata suffunditur inclinatis. Superior aliis beatus papa, et loco editiore consistens, Odonem prostratum in terram alloquitur : Surge, inquit, frater Odo, ne timeas. Vox benigna jubentis timorem excutit pavitanti, et liberius contemplandi cœlestia ministrat audaciam. Odo se erigit et in vultum loquentis intendens, statum in illo pene angelicum admiratur. Papa detrahit pennam illam, quæ ipsius auriculæ inhærebat, et porrigens eam Odoni : Accipe, inquit, frater, hanc pennulam, et opus tibi a fratribus injunctum aggredere. Liber quippe meus in suo honore et gloria semper erit, tuus autem labor mercedis fructu et præmio non carebit. Qua certe visione commonitus beatus Odo, librum Moralium infloravit, et intra compendium manualis exceptum illius prolixitatis inclusit. B

*Fulconi comiti obtinet sospitatem.*

14. Non potuit latere diutius sidus accensum, et sanctitas intra cellæ parietes diu conclusa, apud longe positos radiis meritorum emicuit. Comes Andegavensis Fulco, effrenæ cupiditatis insania ductus in præceps, ecclesiæ beati Martini duo aurea vasa subripuit, cujus audaciam divino verbere circumcinctus ad extrema deductus est. Ad sepulcrum beati Martini deportari se præcepit ; sed indignus Martini remedio nequaquam convaluit. Cœlitus illata molestia pene ultimam illi horam inflixerat, cum ad eum vir Domini obtentu visitationis ingreditur. Languentem durius increpat, objurgat extremis passionibus æstuantem, minas promissione demulcet, promittens ei, si reddiderit vasa illa, quod statim a confinio mortis revocetur ad superos. Gratia defluens ex verbis ejus inter spem et timorem miserum evagantem compulit ad redeundum. Restituit sua vasa Martino, promittens, C si periculum illud evaderet, multo maxima se daturum. Ad imperium beati viri languens ante Martini sepulcrum exponitur : ibi statim et culpam satisfactio, et satisfactionem integra sospitas est secuta. Quippe ut claritas beati viri vel tenui sermonis excessu notabilis redderetur, adfuit Dominus sponsioni. E vestigio persolvit illud cui se obligaverat vir fidelis, ut dignitatem et gloriam servi sui Dominus servaret illæsam. Comes autem reversus ad propria, de collata in eum divinitus sanitate verbum faciens ad amicos, fatebatur se miram in verbis Odonis efficaciam persensisse, quæ et obstinatam mutaret in melius voluntatem, et pressuræ ipsius molestiam temperaret. In quo nimirum opere virtus, claruit utriusque, dum et Martini meritum in illius salute resplenduit, et Odonis humilitatem quanti fuerat apud Dominum promissionem ejus comitata veritas patefecit. Utrumque tamen, Martinum videlicet et Odonem, D languenti misero cooperatos credimus in salutem.

*Adegrinus ei adjungitur.*

15. Signum illud sanctitatis quod acciderat in Fulcone, in aures fere omnium rumore publico ferebatur Verbum positum in ore multorum Adegrinum militem, qui inter consiliarios prædicti comitis nobilissimus et magnus erat, latere non potuit. Qui ita compunctus est in verbo illo, ut relicta pompa curiæ principalis, ad Christi pauperiem se conferret. Abrenuntians omnibus quæ mundi erant, apud beatum Odonem sese faciens tonsorari, mentem simul, comam et habitum bona commutatione deposuit. Induit sibi vestem religionis canonicæ, et socius futurus mercedis in agone Christi militi collaborat. Habitabant simul, et sub eodem cellulæ strictioris articulo tenebantur. Videres divini tirocinii professores, contra spirituales nequitias pugnaturos, paupertatis et continentiæ arma sumpsisse. Qui licet necdum monachi perfectione clarescerent, summam tamen æmulationem consequendæ perfectionis monasticæ jam habebant.

*Balmam se recipiunt.*

16. Non multum spatii fuerat interjectum cum ambo majori ad cœlestia desiderio sublevati, ad aggredienda majora devotiori rapiuntur affectu. Vident mundum positum in maligno, et exire de medio Babylonis etiam corpore decernentes, ad tutiora refugia cœnobialis conversationis aspirant. Quidam altius atque divinius speculabantur in ea ; quod si affectuose et ex animo sequerentur remotiores mundo, viciniores angelis haberentur. Procedunt pariter ex condicto per Gallias, domos religionis circumeunt, monasteria visitant : ut ubi amplior fuerit ordinis rigor, sui propositi metam figant. Non invento ubi requiesceret pes eorum, hujus negotii gratia Romam ire, si forte in via reperiant ubi eorum desiderium finem sumat, pari alacritate consentiunt. Iter accelerant, maturant negotium, et ad monasterium, quod vulgo Balma dicitur, in Burgundia Lugdunensi perveniunt.

*Berno abbas.*

17. Præerat Balmensi cœnobio Berno abbas vir in omnibus honeste agens ; qui vigorem disciplinæ, quem ab Euticio loci fundatore susceperat, successor virtutis illius egregie sequebatur. Erat magni nominis locus ille : ubique cœnobialis ordinis et fervere censuram, et mutuam esse habitantium honestatem, sententia communis erat. Suscepti more hospitum exploratores virtutum, qualitatem disciplinæ et ordinis veritatem cum fidelibus oculis, cum veridicis assertionibus hauriebant. Quod palam quærere verecundiæ illis fuit, familiaribus scrutiniis extorquebant. Bona visa est et secreta loci positio. Sed honestas habitantium et censorius ordinis rigor ipsa positione plus placuit. Utriusque deliberatio data est in consensum, ut ubi perpetuo militaturi, cœleste cingulum sibi assumant.

*S. Odo et Adegrinus a falsis fratribus frustra percussi.*

18. Indoluit antiquus hostis, et eum invidens quod jam erant et futuram in ejus gloriam ægre ferens, vires acuit, actus explicat, venena diffundit : et satalites (*sic*) iniquitatis suæ quosdam ex monachis, ut neophytos illos a proposito revocare nitantur, instigat. Secrete vocati hospites cautissime deducuntur in partem, et ut consilium salutis suæ patientius audiant simulatio venenata deposcit. Prudentes viros rerum exitus debere metiri, ne si aliqua perversos exitus habituri tentaverint, ignominiosum et turpe sit incœpisse. Difficillimum quod ambiunt, in terra aliena et silvestri. Sub homine barbaro et immiti monachatum induere : quem cum eos pœnituerit assumpsisse, deponere ipsi non possint. Ita esse inhumanam et crudam Bernonis illius barbariam, ut prædo, non monachus ; tyrannus, non pater ; gladiatorius et carnifex, non corrector aut nutritius haberetur. Probris verbera, plagas verberibus admovere, nec intendere profectibus filiorum, sed pœnis eorum et mortibus solitum satiari ; se in proximo discessuros, quia sub eo locum quietis et salutis invenire non possent. Animadvertit illico venerabilis Adegrinus in verbis astutiæ latentes dolos, et venena serpentis seductionum blanditiis palliari. Mansuetudinem sancti viri, simulatorum objectionibus asperatam, divinis rationibus ad constantiæ revocat firmitatem : domum disciplinæ et ordinis diu stare non posse, nisi in suis provisoribus et prælatis rigore censorio fulciatur. Si pastor fuerit remissus et negligens, animos subditorum torpore et incuria dissolvendos : illud in Bernone favore potius quam insania prosequendum, quod a vigore et proposito inflexibili frangi non posset ; non ideo fugiendum ejus jugum, non imperia declinanda, sed firmo potius animo viris sapientibus amplectenda. Ita satis-

factum est beato viro, et mansuetus spiritus in tempore verborum læsus restituitur sibi ipsi, rationum copia delinitus.

*Novitii ut se gerunt.*

19. Ingressu precibus impetrato, ad societatem fratrum regulariter admittuntur, et initiali professione præmissa in veram Christi plenitudinem transformantur. Videre erat labore jam emeritos qui pro tempore debuerant magistri esse, usque ad ipsa discendæ virtutis initia descendisse. Instituebantur ab illis, quos meritorum privilegiis anteibant, et virtutum itinera, quæ sæpius ipsi jam triverant, velut inexperta precabantur sibi ab aliis designari. Vivebant alieno more qui hactenus vixerant more suo, et plerumque ab illis quæ bona et utilia esse credebant, seniorum imperiis arcebantur. Imposuerant homines super capita sua, et ideo illis eatenus inconsueta fuerat lege [lex] vivendi. Totum eis proficiebat ad meritum, totum cooperabatur ad gloriam, ut quibus rerum inopia virtutis comparaverat meritum, vera et perfecta humilitas gloriam ampliaret.

20. Suscepto habitu monachi beatus Odo, idem fere perseveravit qui fuerat: eadem illi abstinentiæ parcitas, similis vivendi modus, sed puritatis et sanctimoniæ incomparabilis fuerat appetitus. Patientia vero atque humilitas præter modum hominis illi erat: obedientiæ vigorem perpetuum inconcussa animi stabilitate servabat. In hoc tantum differre videbatur ab eo qui prius fuerat, quod perfectionis arcem attingens, altiorem professionis gradum, quo dignius evaderet, non habebat.

*Sanctus Odo scholam regit.*

21. Quia vero pietate et munditia specialius eminebat, visum est abbati ejus puerilem scholam Odonis providentiæ posse committi. Injungitur ei officium, nec recusat et ætatis infirmæ difficilem curam suscipiens, puerorum invigilat disciplinis; quorum unum cum nocte quadam sine proprio lumine ad naturalia deduxisset, credens sufficere commune lumen quo interiora dormitorii complebantur, loci consuetudinem visus est excessisse. Sequenti capitulo datur in medium, et communi judicio reus ordinis (47) condemnatur. Nam sicut monachis pene proprie esse solet ut rebus minimis insolescant, sublatis pariter vocibus acclamant homini, obruunt insontem verbis, conviciis lacerant innocentem. Ipse abbas publicos strepitus gravi indignatione prosequitur nec minus aliis invehitur in Odonem, ut virilis animi firmitas excocta injuriis clarior appareret. Vir autem Domini, cujus mens in solido fundata erat, probra vociferantium tanta animi æquitate sustinuit, ut nec ad illatas injurias moveretur, et injuriantium motionem sua humilitate sedavit. Advertit Berno abbas in Dei famulo præclarum quiddam patientiæ et virtutis, et prævidens eum in corpore Ecclesiæ præcipuum membrorum futurum, deinceps eum habuit reverentiæ et honori.

*Willelmus mentem suam aperit de condendo cœnobio Cluniaci. Privilegium datur.*

22. Præsidebat tunc temporis regendæ Aquitaniæ dux Guillermus virtute conspicuus et potens armis, in quo militiæ splendor et fidei mira similitudinis arce convenerant. Devotio quæ in illo obsederat virile pectus redundabat in pauperes. Consilium fuit illi monasterium construere monachis, quorum diligentia colligendis et fovendis pauperibus inserviret. Desiderio et fervore pennata devotio ad effectum erumpere gestiebat. Præfixus dies illuxerat, et Berno abbas ducis litteris invitatus præsentiam suam intulerat curiæ triumphanti. Festivo conventui sacerdotalis non deerat multitudo: cum incertus numerus optimatum et procerum frequentaret palatii vastitatem in facie omnium. Dux Guillermus aperit consilii sui modum, et in auribus assistentium suæ deliberationis exprimit qualitatem: Concepisse se animo nudam et simplicem voluntatem, quæ si eligendi opere vestiatur, vitæ præmiis non carebit: mysterium consilii sui esse, ut monasterium construat in fundo suo, in quo monachi Domino servientes, sibi pro temporis hujus expensis subsidia mereantur æterna. Dominum erga se aperuisse diutius manum suam, et ex dolio benignitatis beneficiorum copiam instillasse. Excepisse alios sæpenumero mala pro bonis; se frequentius et pene semper de bonorum uberius parte sumpsisse. Fines suos, operante Domino, distensos ad miraculum, dilatatos terminos ad stuporem, et sibi prospera molienti prosperius successisse. Munificentiæque tanta dederat affluenter, responsum operis amodo reponendum. Bonum esse ordinem, ut post curam corporis rerum affluentia ministratam, sua quoque animæ redemptio non negetur: bonum esse ut non omnia caro insufficiens consumpsisset, sed ad solatium necessitatis extremæ sibi aliquid gaudeat reservasse. Favor episcoporum et totius curiæ assensio prosequitur et attollit principalis consilii pietatem. Dux Guillermus Bernonem abbatem in oculis omnium advocat, et in manu ejus Cluniacam vallem cum adjacentiis quæ in territorio Matisconensi alodii jure possederat, solemni donatione reponit. Testamentalibus etiam litteris præmissam donationem et ab omni persona tam ecclesiastica quam mundana quietissimam libertatem privilegii more consignat. Acceleratur opus, fundamenta jactantur, ædificia conficiuntur ut desiderii sui post tempora longa complendi vel initia unius aspiciat. Bernonem abbatem, quoad viveret, futurum Cluniacense cænobio constituit provisorem; quo sublato liberam esse monachis facultatem quemcunque vellent idoneum regulariter subrogandi. Acta res est publice septimo Idus Septembris apud Bituricum, in conspectu episcoporum et procerum, quos ad sua negotia terminanda principis dignitas invitarat.

*Monasterii initia sub Bernone, et libertas.*

23. Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo decimo, gloriosus dux Aquitanorum venerandis apostolis Petro et Paulo venerabile construxit monasterium in valle quæ dicitur Cluniaca, ibique venerabilem Bernonem designavit abbatem, cujus cœnobii plenam et integram libertatem et egregius fundator eis in ipsis posuit fundamentis, et felicis memoriæ Gregorius (48) septimus, Urbanus secundus amplissimis privilegiis firmaverunt. In quo moveri se dicunt devotissimi susurrones, qui jacturis episcopalibus verbi gratia condescendunt, sæcularibus et divinis rationibus obvium esse dicentes, quod pontificales ecclesiæ diœcesaneis ecclesiis sibi subditis sui juris dignitate priventur. Quibus duo breviter objecta reponimus: bono Christi odore non debere eos mori, ut libertati ecclesiæ minoris invideant, nec vento elationis inflari ut justitiæ Romanæ sedis præsumptorio spiritu contradicant, bonum quippe esse quieti providere bonorum, nisi libeat insanire, non negant, et injustas esse sedis apostolicæ sanctiones, etsi perverse sentiant, proferre in medium reformidant. In primis igitur caveant, ne si ex bono ecclesiæ moriuntur, non boni et impii esse probentur, in altero videant ne si apostolicis decretis dissentiant, hæreticos esse oporteat qui Romanæ justitiæ non concordant cujus auctoritas principalibus ecclesiis non detrahit, ut ipsi garriunt, sed bene disponit et ordinat honorem suum. Nam in spiritu rectitudinis minorem ecclesiam aliquando majori subjiciunt, aliquando eam quam subesse contigerat,

(47) Id est normæ et observationis in congregatione servari solitæ.

(48) Aliorum pontificum privilegia præcesserunt, ut dictum est in elogio superiori.

altiori gravitate superponit. Licuit illi semper quod licebit, quod nulli alii licuit, vel licebit. Omnes aliæ filiæ sunt in matres obtemperantes, non imperantes, vocatæ in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Argumento gemino confutatis non ipsa conclusio sed inductum conclusionis hoc erit, ut inaniter æstuantes et illicita susurrantes, deinceps conquiescant, et ulterius non loquantur. Nunc ad actorem libertatis nostræ beatissimum patrem nostrum Odonem humilis recurrat stylus.

*Factum de micis.*

**24.** Legitimum fuerat in Balmensi ecclesia, et quasi pro jure servabatur in loco, ut micas illas quæ discumbentibus superessent, singuli fratrum diligentius collectas exciperent, ne fragmenta benedictionis negligentius deperirent. Contigit die quadam ut beatus vir ad mensam sedens tanta dulcedine lectionis traheretur, ut quia ad cœlestis harmoniæ sonum in quemdam raperetur excessum, ante positas micas sibi oblitus fuerat pro consuetudine suscepisse. Finis lectionis eum revocaverat ab excessu, cum ipse videns se antepositas micas expavit. Excipere eas pro consuetudine non licebat. Quid aliud faceret non inveniens, micis pugillum implevit. Versu (49) dicto, pro negligentia satisfacturus abbati, et ejus in testimonium reatus sui communi præsentiæ illaturus, exeuntium de oratorio pedibus sanctus advolvitur: animadversum est eum in aliquo deliquisse. Ductus in præsentiam abbatis sui, culpam prostrato corpore contitetur, porrigit manum, et negligentiæ signa daturus pugillum aperuit. Quod dictu quoque minus credibile videatur, micas ostensurus protulit margaritas. Extra se facti qui aderant, rei cognita veritate negligentiam mutari miraculo divinis vocibus insonabant. O mutatio dexteræ, sed Excelsi! In manu Odonis vilia quæque et minima vertuntur in pretium, et minutiæ fragmentorum in pretiosos lapides formantur. Vere justus et multæ gratiæ apud Deum, qui dum se conatur ostendere negligentem et reum, justus et innocens teste miraculo comprobatur. Virtus humilitatis ejus expiat in eo culpam, purgat reatum, et fragmenta nullius pretii in admirabiles margaritas mirabili novitate transformantur. Quod miraculum duo nobis innuit non spernenda, et benedictionis reliquias colligendas ne pereant, et viri beatissimi sanctitatem successuris sæculis prædicandam. Ipse autem vir Domini contemptor temporalium et appetitor egregius futurorum, ne in præsenti eum aliqua remuneratio gloriæ sequeretur, transferebat in alium quod suum erat. Suppresso quippe nomine personam alterius suæ rationis titulo proponebat, et volente Deo quo studiosius evitavit, ne patrator miraculi crederetur, eo factum est ut in facie omnium operis hujus actor clarissimus haberetur. Abbas vero præmissas ad miraculum margaritas aureo textui jussit affigi, ne tantæ novitatis memoria casu aliquo deleretur.

*Parentes ad monasticen convertit.*

25. Naturæ violentia cogebatur, ut parentibus quos periculis mundi hujus reliquerat innatantes, debitum suæ visitationis offerret. Quærens licentiam impetravit, et accepta benedictione profectus est. Direxit Dominus iter illius, et tantam contulit efficaciam verbis ejus, ut primo collocutionis occursu patrem monachum (50) faceret, matrem vero monalium numero traderet sociandam. Virginem quoque cujusdam hospitis sui filiam cum precibus ejus, lacrymis sese expedire non posset, laudabili furto collegit et rapuit, et suæ virginitatis primitias Domino dedicantem moniali proposito consigna-

A vit. Ita virtutis minister et gratiæ, ubicunque opportunitas se præbebat, religionis profectibus et pudicitiæ delectabatur augmentis.

*Sacerdotio initiatur. Libros tres condit de sacerdotio.*

26. Intuens Berno abbas in viro Dei virtutum copiam, abundantiam gratiarum, dignum eum altiori gradu pronuntians, decernit officio sacerdotis sacris altaribus ad promovendum. Reclamantem pro viribus et nolentem extrema obedientiæ necessitate compellit. Advocato Bisuntinensi (51) archiepiscopo et solemni consecratione præmissa, sacerdotis induit dignitatem. Diem consecrationis ejus insecuta nox fuerat, in qua vir Domini post quietem evigilans, et suæ consecrationis nec memor, stolam sacerdotalem collo suo reperit circumflexam. Timore diriguit, et tanto verecundiæ rubore suffusus est, ut ipsum claustralis ostii per multos dies revereretur ingressum. In grave etiam lamen-
B tum se dedit, et oculis suis non parcens, quia sinistrum ei aliquando accidisset, solvebatur in lacrymas. Tandem occurrit occasio, ut mitteretur ad episcopum suæ promotionis actorem. Cui secreto loquens, ei mœroris sui causas aperuit, et invectionem Jeremiæ in sacerdotes repetens, quia grave sacerdotii pondus est, mira eloquii facilitate disseruit. Rogatur ab episcopo, ut ea quæ ibi dixerat, vel quæcunque meliora occurrerent, in libri seriem coaptaret. Tribus libellulis opus injunctum explicuit; ubi spiritus ejus bonus in tantam plenitudinem veritatis erupit, ut Ecclesia libros illos legendos cum amore suscipiat, et omnino gaudeat se legisse.

*Berno successores designat: Guidonem Balmæ, Odonem Cluniaci.*

27. Interim Berno abbas annosa senii gravitate deficiens, exitiali etiam languore correptus decubuit. Urgebatur duplici molestia, ægritudinis et
C ætatis, atque ad tollendam de medio vitam ejus morbus et senium in eodem corpore compugnabant. Vicinos adsciscit episcopos, consilii viros invitat, quorum prudentia et responsis et sibi consulat jam migranti, et filiorum provideat disciplinæ. Cum magno gemitu et multis lacrymis deducens in publicum annos suos, præteritum vitæ suæ in negligentia et torpore se inaniter consumpsisse conqueritur. Se fuisse abbatem nomine non merito, officio non virtute; se infructuose et diu locum regiminis occupasse. Inde se damnationis obnoxium termento, quia locum pastoris mercenarius, locum innocentiæ reus implens, dignitatis officium indignis actionibus ministrasset. Spem superesse remedii, ut dum suæ libertatis est animus, abrenuntians cathedræ pastorali, sedem prælationis evacuet, et locum tribuat meliori. Id se optare, id omnimodis se precari, ut ad curam spirituum, ad regimen animarum, submoto infructuoso et sterili,
D dignior et magis idoneus subrogetur. Pudica libertas ecclesiæ provideat pudicitiæ suæ custodem, qui ejus puritati meritorum et virtutum integritate jungatur. Eligat sibi patrem casta devotio filiorum, cujus sobrietas imitationem, doctrina informationem, magisterium pariat disciplinam. Ipsi sibi præficiant ducem, ipsi sancti præceptorem instituant, sub ejus imperio floreat virtus, revirescat honor justitiæ, et censura totius ordinis recalescat. Verumtamen nisi a communi sensu ejus sententia dissentiret, videretur sibi ut pastoralis sollicitudinis magnitudo partiri deberet in duos, quorum alter in altero conquiescat, et neuter ponderis intolerantia suffocetur. Et ecclesia quidem Balmensis pro consuetudine habeat sponsum suum, Cluniacensi vero filiæ, jam

(49) Id est gratiis post cibum dictis, qua voce utitur S. Benedictus in Regulæ cap. 43.

(50) Neuter horum auctorum meminit monasterii, in quo Odonis mater velum assumpsit: patrem Cluniaci monachum factum fuisse constat ex Joannis lib. I, num. 35.

(51) Imo Lemovicensi, nomine Turpione, ut in elogio probatum est.

adultæ, jura matrimonii non negentur. Probant singuli quod dictum erat, favent omnes, et in sapiente viro veritatem consilii admirantur. Sacerdotes qui aderant auctoritate, filii supplicatione contendunt, ut ipse ad nutum suum quos idoneos viderit eligat, et geminum matri ac filiæ constituat provisorem. Ipse qui melius probaverat subditorum spiritus an Dei essent, verius poterat indicare quis tanto officio dignus esset. Certum enim fuerat apud eos, eum cui tanta virtus erat consilium ministrandi, ad faciendum quod dixerat spiritu sapientiæ non carere. Victus senior sacerdotum reverentia et precibus filiorum, Guidonem venerabilem nepotem suum Balmensis ecclesiæ fecit abbatem; Cluniacensi autem cœnobio sanctum præfecit Odonem, Deo pro nobis melius operante, ut domus gratiæ et virtutis, toto orbe postmodum dilatanda, in primo pastore suo sanctimoniæ fundamentum et religionis exciperet firmitatem.

*Odonis promotio profectus materia.*

28. Assumptus Odo in habatem fecit sibi promotionem illam profectus materiam, non defectus, occasionem gloriæ, non ruinæ. Loco cæteris præeminens, sed gratia humilitatis inferior, prælationis officium merito potius et virtute, quam nomine sive potentia Deo charissimus exercebat. Non ad honorem sublimiores gradus attingens, sed ex vertice prælationis suæ ad infima et humillima sese dejiciens, charismata meliora de die in diem apprehendere nitebatur. Dominus autem qui in conspectu suo direxerat viam ejus, ut in conspectu quoque hominum mirificaret, et clarum quoque faceret servum suum, dignanter apposuit operari mirabilia et præclara per ipsum.

*Ædificia promota opitulante S. Martino, cujus patrocinium ibi viguit per annos* 200. *Ecclesiæ dedicationi necessaria ut suppleta.*

29. Cum in exstruendis regularibus officinis diligentiam suam insumeret beatus Odo, solatia sumtuum defecerunt. Exinanitum omnino ærarium paupertatis, quid in manus largissimi datoris refunderet non habebat. Æstuabat animus beati viri, et anxietate duplici torquebatur, dum et operarios irremuneratos dimitteret, et cœptum opus intermittere verebatur. Nec tamen in diffidentiam est elapsus, sed ad nota recurrens præsidia, ex thesauro bonitatis divinæ stipendium benedictionis exspectat. Octavus dies a transitu beati Martini more ecclesiastico colebatur, nocturnas Laudes fraterna devotio persolverat, cum idem abbas ad statum rediens, lectulo se recepit, evanuit in soporem. Videt in somnis virum personalem, matura canitie florescentem, stola etiam puriore vestitum: qui virgam episcopi manu gestans, pluviali pallio utebatur. Inquisitus cum reverentia quisnam esset, episcopum illum se esse, cujus festivitatis celebraretur octavum, asseruit. Cœpit etiam circumducere oculos in structuram, et posita ædificia qua ratione sederent vicinius intueri. Conversus demum ad eum qui sese eminus prospectabat, videbatur injungere, ut ex præcepto ipsius ad consummanda ædificia quæ cœpta erant fratrum suorum industriam excitaret: nec sibi sumptus crederent defuturos, quia ipse eis ad conficiendum opus sufficientes ministraret expensas. Roma quippe rediens, per Gothiam et Aquitaniam transitum facturus erat, unde illis benedictionem remittere copiosam. Expergefactus abbas visionem quam viderat fratribus retulit, non omissa quam consueverat cautela nominis supprimendi. Læti fratres de promissione Martini, super visitationis illius benevolentia circa eos majori lætitia triumphabant. Nec distulit bonus promissor, sed sponsioni suæ vicinam subintulit veritatem. Intra breve siquidem spatium temporis, allata sunt fratribus de Gothia circiter tria millia solidorum. Ipsa quoque successio seniorum virorum Cluniacensium quæ pervenit A usque ad nos, voce libera referre solet, vix autem nunquam deinceps pertransisse sui procuratoris octavam, quin aliquid benedictionis in eos ex Martini beneficio redundasset. Ita per ducentos fere annos optimus provisor noster et in Cluniacensem ecclesiam ostendit gratiæ suæ veritatem, et circa suum alumnum Odonem, cujus meritis vivimus, amoris sui plenitudinem declaravit.

Cluniacensis ecclesia jam perfecta, suisque partibus absoluta, consecrationis gratiam postulabat. Vir Domini sacerdotem episcopum, qui ecclesiam dedicare deberet, invitat. Rogatus episcopus, sicut moris divitibus esse solet, ut stipatis lateribus gloriosius semper incedant suam secum copiosam adduxerat clientelam. Concursus uberior et episcopalium insolentia ministrorum exigebat abundantes et splendidos apparatus. Recens abbas, et vallis aridæ minus culta barbaries, delicias quas B hominibus delicatis apponerent non habebant; anxietas et verecundia beati viri animum distrahebant. Refert tamen anchoram spei suæ ad Dominum, cujus munificentia servis suis aliquid deesse non patitur. In crepusculum dies consecrationis eruperat, cum immanis aper proxima silvam egressus, ad monasterium cursu integro pertendebat. Custos ecclesiæ bestiæ illius feritate turbatus, intra ostium se recepit, quod post se clausum admotis repagulis obseravit. Aper autem deposita feritate, et quasi domestico spiritu mansuescens, ecclesiæ portas obsedit, januam pede pulsat, et foribus perseveranter assistens, suo more loquendi aditum precabatur. Interim episcopalis familia lectis excedens, dum ad officia divina contenderet, jacentem ad portam ecclesiæ aprum incurrit. Insurgunt pariter, acclamant omnes, et vicinis domibus fustibus copulatis, ultro se offerentem belluam morti addicunt. Cujus carnes artificio coquorum præparatæ, C et deliciis episcopalibus satisfecerunt, et abbatis verecundiæ mirabiliter subvenerunt.

*S. Odonis charitas in pauperes.*

30. Quia Deum timentibus nihil deest nunquam defuit beato viro, unde et fratrum curam gereret, et miserorum inopiam sublevaret. Afflictorum pauperies quasi quidam caminus erat illi, in quo ad pietatem et miseriam illius viscera conflarentur. Sicut expetere videbatur vel egestas in misero, vel possibilitas in sumptu suo, largitatis suæ sinum petentibus exsolvebat. Nemo vacuus vacuum illum invenit: quippe cui præcipue fuit in studio supplere vacua, et inania cumulare. Privata eorum susurria qui ejus amplissimam largitatem indiscretam effusionem vocabant, modestiæ verbis et exemplis veterum datis in medium compescebat. Inæstimabilis amplitudo cordis illius formabat sibi occasiones et materias largiendi. Omnibus omnia factus, ut omnibus omnino prodesset votis D solemnibus ambiebat.

*Romam petens dæmoniacam liberat.*

31. Consuetæ orationis obtentu aliquando vir beatus Romam ad apostolorum limina visitanda profectus est. Alpium juga transcenderat, cum inter illa prærupta quibus in Italiam fit descensus, mulierem quæ a demonio miserabiliter vexabatur, offendit. Impleverat nocivus hospes viscera mulieris insanæ, et quasi ex tribunali regio membra inferiora disponens, prout libebat, subjecto mancipio crudeliter utebatur. Condoluit vir beatus tantæ miseriæ et præmisso orationis suffragio, captivatorem excussit, et captivam mulierem ab invasione tyrannica liberavit.

*Legatus papæ egenis ut subvenit.*

32. Per idem tempus Leo pontifex Romanæ sedis apostolicæ legationis vicem injunxerat beato viro, ut inter Hugonem Langobardorum regem et Albertum Romanæ rei principem bonum pacis componere laboraret. Senam *Sienne* civitatem deveniens legatus pacis, multitudine pauperum qui panis premeban-

tur mopia, undique cingebatur. Œconomus viri A Dei qui victuale marsupium susceperat in sua fide, cum suis sumptibus vix triginta solidi superessent, quasi rei propisceret commendatæ, civitatem excedens necessitate pauperum se subduxit. Egeni circumvenerant beatum virum, et ad ostium miserationis ejus sublato clamore pulsantes, misericordiæ ipsius viscera commovebant. Vocatus œconomus respondere non potuit qui non erat. Intellexit illico vir beatus imprudentem dispensatoris cautelam, et emissa manu pauperibus innuit ut prævium se sequantur. Videns etiam tres viros personali præditos honestate, qui et communi premebantur inedia, et mendicare non noverant præ pudore, scutulas baccis plenas, quæ antepositæ illis erant, sub pretii æstimatione suscepit, baccis non egens, sed hac arte cupiens subvenire mendicis. Consecuto œconomo egentibus stipem benedictionis indulsit, et ad viros quos supra tetigimus, baccas cum pretio retransmisit. Demum conquerentibus expensas B victualium defecisse: Non deficiemus, inquit, sed sufficiemus ad omnia. Presto est ei et quasi ad manum, de cujus facultatibus pusillanimes spiritus debent animari. Dixerat, et inantea gressum, tendens, Petrum habet obvium sacerdotem, cujus oblationem suscipiens, et fratrum fidem modicam roboravit et conficiendo itineri larga stipendia ministravit.

*Vestes suas dat algenti.*

33. Negotium injunctæ legationis absolverat, et per fines maritimos reditum maturabat. Venerat ad locum qui Burianum dicitur, cum ei pauper obviat semivivus. Gravis inhorruerat hiems, et inter Alpes in immensos aggeres nivis excreverat multitudo. Pauper veste carens inter horrida montium niviumque discrimina quo se tueretur munimine non habebat. Substitit vir beatissimus viso illo, et sociis viæ præmissis exuit se tunica sua, et pauperem induens, nummorum pretium, unde C suæ necessitati consuleret, benignus adjecit. Unus ex sociis qui talium cautissimus discussor erat, reflexit pedem, et pauperem percunctatus, ubi ea nocte mansionem acciperet, cum nullus divertendi in solitudine locus esset, respondit ad castrum quod dicitur Pastorale sub luce diei se facile perventurum. Dies vero claudebatur in noctem, et spatium illud itineris quod pauper sub hora una se spoponderat exacturum, toto diei spatio vix ipsi confecerant. Habitudinem et vultum pauperis nec tunc ille de quo dicimus Joannes advertere, nec postea (ut ipse referebat) potuit meminisse. Unde illum qui apparuit quidam majus fuisse quam hominem, verisimillimum mihi constat.

*Bonum pro malo rependit.*

34. Cum Langobardorum rex Romam obsidione vallasset, beatus Odo qui ad pacem evangelizandum inter duos tyrannos medium se præbebat, juxta beati Andreæ monasterium, quod dicitur ad D Clivum Scauri, transitum faciens, submisso capite incedebat. Rusticus jactu lapidis oppetierat virum Dei, sed clamore cicumstantium et obtentu, libratus in ejus verticem jactus evanuit Vir autem Domini denariis acceptis, mutuo muneravit immeritum, Scripturæ consentiens, ut redderet bonum retribuentibus sibi mala.

*Idem præstat in furem. Fratris religio.*

35. Aliquando vir beatus Romæ orationis gratia tenebatur. Visum est illi super equos suos qui in pratensi planitie pascebantur, aliquis ex fratribus ad custodiam poneretur. Nox erat, et equorum provisores se laxaverant in soporem. Fur advenit, et ascenso equo insistebat ut elaberetur in fugam, sed meritis Odonis detentus, procedere ultra non potuit. Frater super equos invigilans orationi vacabat, et maluit equum amittere quam interrumpere precem, vel silentium violare. Ubi terris dies illuxerat, fur inventus et comprehensus est super equum, abbatis judicio condemnandus: quem ad se deductum vir miserationis et gratiæ non solum exemit supplicio, sed etiam laboriosas ejus vigilias quinque solidis muneravit.

*Medicina ab ægris perperam extorta.*

36. In Cluniacensi cœnobio duo fratres adversa valetudine laborabant. Importunius insistentes, cum a beato viro sumendi potionem licentiam extorsisse it: Ite, inquit, et scitote morbum vestrum nulla medicinæ ratione curandum. Ita factum est, ut et diuturna sibi apponerent medicandi remedia, et usque ad proximum vitæ finem incurabiles permanserunt.

*Frater singularitati studens notatur.*

37. Novitius quidam frater initiali fervore succensus, studiis communibus abdicatis, compunctionis et lacrymis vacare decreverat. Secreto exquiritur a viro Dei cur vitæ communis desereret instituta. Aperit ei frater corsuum, et quibus stimulis urgeretur insinuat. Increpat eum senior, et hujus modi propositum vanitati potius quam justitiæ vicinum affirmat. Non deserenda communia propria pro privatis, sed privata communibus debere supponi Ita frater in momento illo spiritum suæ compunctionis amisit, ut deinceps gauderet publicis ecclesiæ consuetudinibus occupari. Post dimidium tamen annum ad precem sancti viri qui etiam in spiritualibus potens erat, jam dictus frater amissum spiritum se recepisse confessus est.

*Joanni episcopo consecrationem prædicit.*

38. Nolanæ ecclesiæ futurus episcopus Joannes bis Romam venerat gratia consecrandi, sed æmulorum oppositis gravem bis fuerat repulsam passus. Tandem confusus et apud se erubescens, contulit se ad virum Dei, replicans ei Romanam sedem sese bis infecto negotio repulisse. Quem vir Domini pie consolans, ut Romam tertio repetat inhortatur, promittens ei consecrationis gratiam non negandam. Factum est ad verbum ejus, et Joannes in episcopum subrogatus testimonium dedit Odonem beatissimum prophetiæ spiritu claruisse.

*Agonem suorum cœlitus discit.*

39. Solemnis dies Assumptionis Dei Genitricis illuxerat, et vir Domini orandi gratia monasterium Adventinum ingressus, ut missam celebrem publice celebraret, Balduini abbatis precibus urgebatur. Respondit spiritus prophetiæ qui erat in eo, id agere non posse, quia duo ex fratribus ejus in extremo positi vitæ viaticum præstolarentur ab eo, nuntium præsto esse qui eum ad fraternas exsequias invitaret. In hæc verba nuntius adfuit; curritur ad sanctum Paulum, viaticum datur agentibus in extremo. Præsentialiter alter ex duobus migrat; alter, servatus ad vitam, octavo die sequenti quievit in Domino.

*Nepotem ex Nortmannis oratione liberat.*

40. Nortmannorum gens effera Turonorum vastabat provinciam. Regionem Turonicam venerabilis Odo subierat, cum ei nepotulus suus, necdum renatus ex aqua et spiritu, cum nutrice sua raptus incursu ostium nuntiatur. Indoluit ex animo, et innocentis animam sine baptismi remedio pereuntem æqualiter pati non potuit. Accumbit precibus, insudat lacrymis, oratione Deum interpellat, quietem suo spiritui non daturus, donec ereptum reciperet innocentem. Octo dierum spatio Turonis hostes abierant, transeuntes fluvium cum captivis, quem ipsius profunditas evadari sine navigio non sinebat. Nutrix infantuli spiritum concepit audaciæ. Infantem sustulit, medias irrupit acies, fluvium sicco pene vestigio pertransivit, et in triduo iter dierum octo conficiens, beato viro adductum puerum reportavit; quem susceptum regenerari fecit in Christo, et prece effusa

ad Dominum ut post triduum puerulus migraret obtinuit. O miraculum multis in se novitatibus admirandum! eadem unius orationis virtus tria pariter obtinet, ereptionem corpori, regenerationem spiritui, utrique simul salutis perpetuæ libertatem.

*Naufragio subducitur.*

41. Vice quadam beatus Odo Rhodanum fluvium, qui totus decurrit in præceps, navigio transmeabat. Equus impatiens equum alterum pede tentavit, sed ictus elapsus in navim locum illum attigit unde ramus erumpere videbatur. Percussionis locum dum planius edolare contendunt, ramum funditus absciderunt. Avulso nodo fluvialis incongruentia locum invenit, et ita navis exundavit ad cumulum, ut eam enatare, nec submergi miraculo proximum non negares. Vir Domini stabat immotus, et quod ejus meritis cymba staret, ipsius constantia testis erat. Delata est ad portum navis, et omnibus emissis ad terram, auctor salutis eorum Odo ultimus egressus. Navis destituta præsidio, quo salva erat, virum Domini sensit abesse, elementi naturam secuta disparuit, et submersa in momento intuentium oculis se subduxit. Sic enim ratio postulabat, ut cujus imperiis cætera quæque favebant, eidem reverentiæ debitum flumina non negarent.

*Item præcipitio.*

42. Per Appenninas Alpes beatus Odo aliquando iter agebat. Tantus ibi nivium cumulus superexcreverat, ut transire volentibus strata viæ publicæ non paterent. Vir Domini horrendum ingressus periculum, cum post meridiem totus mons ille tetra caligine densaretur, in manus Domini se commisit. Præibant socii : solus ex more vir Domini sequebatur. Repente equus, cui insederat, obliquavit, et continuo discerpendus in immane præcipitium pedes dedit. Remisit habenas vir Dei, palmas erexit in cœlum, et invocato nomine Domini, de cœlo auxilium precabatur. Nec defuit cœleste adjutorium supplicanti. Inter brachia viri Dei subito ramus apparuit, cui tandiu innixus est, donec præcedentes eum vocibus revocati, ipsum ex horrore illo periculi incolumem sustulerunt. Disparuit illico ramus ille qui prius apparuerat, et equus ille cui insederat nusquam inventus est.

*Latrones convertit.*

43. Diversis ex causis varios labares itineris subiens vir beatus, huc et illuc urgentibus vitæ negotiis discurrebat. Contigit ut die quadam quadraginta latrones irruerent super eum, qui ad tollenda spolia et discerpendos homines tanta rabie ducebantur, ut nemini parceret eorum immanitas. Qui cæteris præerat, et fuerat major in scelere, vibravit oculos in servum Dei, et in eo vultus reverentiam et orandi frequentiam admiratus, compunctus spiritu ad misericordiam major inventus est. Deinde conversus ad socios : Nunquam, inquit, hujusmodi homines recolo me vidisse. Non cederet nobis in prosperum, si in eos adversum aliquid moliremur. Vir enim est inter eos multæ reverentiæ et splendoris, quem cœlestibus armis video circumseptum. Ad hæc verba cum cæteri nullatenus a suo furore mitescerent, et virum sanctum occidere, sociosque illius in prædam trahere minarentur : Non, inquit, ita fiet, nec capillus ex eis eadet in terram, nisi prius gladiis me petentes vitam meam cum sanguine fuderitis. Sic ait, et sociis huc illucque dispersis, ipse sancti pedibus advolutus, sceleri suo deinceps finem imponere se promisit.

44. Alius tunc latro corde compunctus, cum a beato Odone post repulsas innumeras in monachum susceptus esset, ad custodiam cellarii deputatur. Qui post tempus tactus molestia corporali, extremo spiritu ducebatur ; confitetur viro Dei quod in monachatu deliquerat. Nudo pauperi tunicam suam sine licentia se dedisse, funem subductum cellario circumligasse se ventri suo non sine lacrymis protestatur. Nocte præterita sibi per visum personalem dominam astitisse, quæ misericordiæ matrem se vocans, tertia sequenti die eum pronuntiavit migraturum. Stupefactus vir Domini manum immisit, funem circumvolutum carne et sanie simul avulsit, Deumque mirabilem prædicans in latrone, tertia die defuncti fratris exsequias celebravit.

*Liber intactus a pluvia.*

45. Romæ apud beatum Paulum, ut libello, quem de Vita beati Martini Postumianus et Gallus ediderant, correctoris manum apponeret, abbatis precibus pulsabatur. Assensum dedit, et insistens operi destinato, obscura loca glossis appositis deducebat in lucem. Vespertina synaxis revocaverat eum a studio, et liber in claustri angulo derelictus sequente nocte pluviam, quæ in domo illa copiosius exundavit, tanta æqualitate sustinuit, ut margine vix contacta incorrupta littera permaneret. Adnimadversum est sequenti mane enatantis in pluvia, sed intacti libri miraculum, et aliarum quidem favor in Martinum erupit, alii vero miraculum Odonis meritis ascribebant. Nos autem hoc signum utrique pariter assignamus, ut et Martini providentia servaverit codicem Vitæ suæ, et Odonis virtus effecerit, ne liber pereat commendatus.

*Odonis pietas in sanctum Martinum.*

46. Quid devotionis habuerit sanctus Odo, quanto amore incaluerit erga Martinum, vix aut difficile dici potest. Tota mens ejus, tota affectio ex Martini gratia dependebat ; ipsum sibi patronum fecerat, ipsum elegerat præceptorem. Martinum verbo sonabat et opere, et ei indifferenter adhærens, indiscreta miracula sæpe cum eo visus est operari. Ad cujus memoriam ampliandam, et amorem fidelibus inserendum, solemnes illas antiphonas in transitu beati Martini dicendas ipse composuit, quæ fere per omnem Ecclesiam celebri tripudio frequentantur.

*Monachi insolentis mors subita.*

47. Fama religionis, virtutis et fidei, quæ mirabiliter claruerat in Odone, dilatabatur ubique, et ampliabatur in dies. Conferebant se ad eum monasteria monachorum, quæ a sui propositi rigore defecerant, ut per eum ad integritatem vitæ et disciplinæ ordinem formarentur. In quodam ex monasteriis commendatis ipse cum suis advenerat ; vesperascente Sabbato regulare mandatum ex consuetudine parabatur. Vidit unus ex fratribus loci illius de sociis Odonis unum, calcearia sua ex Cluniacensi traditione lavantem. Indigne tulit, et spiritum elationis in blasphemiæ verba resolvens, cum ubi omnia fierent in silentio : Num, inquiens, ablutionem sotularium Benedictus unquam aut fieri voluit, aut præcepit? Cumque frater, cui hæc dicebantur, signo humili responsum daret, ille crudeliter efferatus, conviciis lacessere, et maledicta cœpit evomere in insontem. Sequenti capitulo cum eum argueret super hoc vir beatus, et ille impatientius responderet, quia dies Dominica erat, procrastinavit sententiam, ne in die lætitiæ aliquis tristaretur. Dominus autem, quem ille in servo suo non timuit provocare, suam minime distulit ultionem, et contemptorem illum officio linguæ privans tertia dehinc die sine confessionis remedio lamentabili morte damnavit.

*Item aliorum.*

48. Quisquis contra voluntatem Odonis aliquid præsumpsisset, suum illico sentiebat excessum divina ultione multari. Frater quidam cum sine licentia sanguinem minuisset, vir beatissimus ægre tulit, præsumptorem illico pœna secuta est, et vena inordinate decisa ita dirupta est, ut nullo medicamine curari posset, donec frater spiritum exhalavit. Alius apud sororem suam cum assari carnem præciperet, eam urgente ingluvie non exspectans, particulam

prunis injectam et minus coctam avide momordit, sed morsum nec in se trajicere, nec rejicere valens infelicem vitam misero morte finivit. Alius gallinam, quam ipse occiderat, sibi appositam nimia gulositate tentavit, sed bucellam glutire non valens, miserum vivendi finem excepit.

*Vivarium ad pisces obtentum.*

49. In loco qui dicitur Suppentonia, monasterium sibi commendatum exceperat beatissimus Odo. Fratres admonuit, ut, vitæ ordine custodito, secundum regulam ab esu carnium abstinerent. Cui cum fratres opponerent, pisces apud eos inveniri non posse, meritis beati viri vivarium piscium formavit eis divina pietas in hunc modum. Torrens exiguus defluens per illam vallem quæ monasterio subjacet, dum non invenit exitum, montibus sibi oppositis collectus in lacum, vivarium effectus est. In quo uno die miseratio duo præclara fecit, dum œconomi laborem minuit, et fratribus murmuris occasionem exemit.

*Floriacense monasterium reformatum.*

50. Floriacense monasterium, in quo sanctum Benedictum quiescere celebris habet opinio, penitus a cultu religionis exiderat. Defecerat ibi virtus: justitia recesserat de loco illo in tantum, ut etiam beatus Benedictus relinquere sedes illas, et alias se conferre nocturnis visionibus et diurnis manifestationibus monstraret. Quod prudenter advertens vir nobilis Elisiardus, datum sibi manu regia monasterium Floriacense Odoni beatissimo tradidit regulariter ordinandum. Qui in manu forti episcoporum et procerum illuc adveniens, cum ei per triduum aditus negarentur, tandem solus intrans, præsentem se obtulit, et ex sola humilitatis specie quam gerebat, turbulentam insaniam monachorum domesticam reddidit et quietam. Pene omnes ejus pedibus advoluti, ut eis præesse et prodesse vir Domini dignaretur intensius obsecrabant. Ita omnibus plena honestate compositis (locus enim omnino fuerat componendus) filiorum animos adhuc rudes divinis institutionibus exercebat.

*S. Benedicti ibidem festum et præsentia. Jejunium ad missam indictum.*

51. Dies erat, in qua beati Benedicti festivitas votivo concursu et celebri frequentia populorum publice colebatur. Intererat numerosa languentium multitudo, qui morbis diversis et variis molestiis aggravati, ad beati Benedicti suffragia promerenda confluxerant. Beatus Odo, qui toti cœnobio abbatis præerat dignitate, solemne sacrificium oblaturus ingreditur. Ponit edictum, ut universi qui advenerant, et præcipue morbis oppressi, jejuni sacrificiis interessent. Ingressis omnibus ad mysteria divina suspensis hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo* venerabilis abbas imposuit. Concutiuntur ingenti strepitu fores ecclesiæ, seræ solvuntur, munimenta disjecta resiliunt, lampades accenduntur, calamitosi et languidi sospitate integra convalescunt. Fit terror in populo, stupor subitus omnes invasit, et Odone interprete beati Benedicti præsentiam adfuisse cognoscunt. Tanta fuit devotio, tantus gratiæ fervor omnium corda replevit, ut fere nullus a lacrymis temperaret. O dignitas! cœlestes animos tanta sibi novitate concilians Benedictus pater, qui de loco illo sese promiserat migraturum, Odonis gratia revocatus, signa dedit idonea se venisse. In quo facto Odonis meritum purius elucescit, qui abundantia virtutis suæ, et filiis abdicatis Benedictum in gratiam reformavit, et tanta morborum varietate depressis cœleste levamen obtinuit.

*Epilogus.*

52. His et aliis magnis operibus seriem vitæ suæ continuans beatus Odo, multis et necessariis argumentis, et Deo charissimus, et apud homines honore colendus et gratia comprobatur. Ita quippe vixit, ut ei vivere Deus esset: tanta operatus est, ut per eum et in eo Deum operari dubium nulli esset. De quo plurima dicenda restarent, nisi fastidiosa prolixitas prohiberet. Plurima enim operatus est, quam nostræ relationis ordo contineat, quæ vel ipse suppressit, ut gloriam fugeret, vel humana diligentia prætermisit, ne notam superstitionis incurreret. Pauca quæ diximus, et beato viro ad gloriam, et nobis sufficiant ad exemplum.

*Odonis morbus Romæ, reditus Turonos, verba extrema, obitus et sepultura, annus mortis.*

53. Beatissimus Pater Odo, plenus dierum et vitæ, inter exercitia sanctimoniæ et virtutis consummaverat cursum, et vitam deduxerat temporalem. Aderat tempus, dies instabat, in quo sublatus de exsilio et ærumna, incolatum patria, laborem requie, miseriam gloria commutaret. Romæ positus acri febre corripitur, et inter acutos ignes sævientis accessus, innocens et reus Dei, duris passionem molestiis agitatur. Alii interpretantur ad libitum, præsentem dolorem successuræ salutis gaudio temperantes. Ille hoc genus solatii ægre ferens, se in proximo nuntiat dissolvendum. Tangitur præcordiali memoria Martini sui cujus amorem et gratiam fere cum ipso, lacte carnis meruerat ebibisse. Martini sepulcrum visitare disponit, ut cui vixerat, etiam moreretur; et cui dedicaverat spiritum, exuvias carnis et cineres consignaret. Adest et in visu persona conspicabilis, cœlestis gloriæ præferens candidatum. Insinuat tempus suæ vocationis instare, sed Martini precibus illud differri: resumat spiritum, vires exacuet, iter acceleret; ubi se præsentem dederit præceptori, diuturnis ejus laboribus quies dabitur et corona. Signa secuta sunt visum, ut fides accederet visioni. Fit remissior ægritudo, sanctus animo magis quam corpore convalescit. Aggressus iter in festo beati Martini Turonis adfuit, et diem lætum ex obitu beati pontificis geminata lætitia reddidit clariorem. Gaudio et lacrymis detinuit diem illum, et vivam hostiam immolans semetipsum, ad horam suæ discessionis ad Dominum suspenso desiderio aspirabat. Dies quarta post festivitatem illuxerat, cum rediviva febris incaluit, quæ virum Domini compulit in extrema. Fratres evocat, monasteria sibi commissa disponit. Cluniacense cœnobium Deo, qui ejus fundator fuit et exstruxit, consilio (52) committit. Capellam solummodo suam ad missæ celebrationem retinuit, Cluniacum cætera retransmittens. Filios suos qui sssistebant ei, ut in Deo proficerent exhoratur: lacrymas eorum et suspiria compensatione sequentis gloriæ temperabat. Martinum sua mente referens, ore sonans, verbis ingeminans, illud familiarius inculcabat: Tu Christe, parce redemptis. Tandem manum benedictionis emisit in filios, et astantibus ultimum vale dixit. Ita spiritus ille felix spirituali munitus viatico, quartodecimo Kalendas Decembris, corporis mole deposita, liber excessit ad cœlum. Sepultus est autem in ecclesia beati Juliani, quam ipse a fundamentis construxerat: ubi Dominus quanta sit ab eo gloria coronatus, quanta apud homines reverentia excolendus, signis perspicuis declaravit. Migravit itaque gloriosus Pater Odo anno ab incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo (53) quinto, ordinationis suæ octavo decimo, apud urbem Turonorum, regnante Domino Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(52) Idem fere legitur in ejus elegio ex chartario Cluniacensi. Quanquam Aymardus jam ante Odonis obitum substitutus ei fuisse videtur, ut patebit in Aymardi elogio.

(53) Hunc calculum falsum esse in elogio superiori demonstravimus, et pro anno 945 annum 942 reponendum, teste Frodoardo et aliis.

# SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS II

# MORALIUM IN JOB

## LIBRI XXXV (54),

*Primum e vetere ms. eruti ac in lucem editi studio et diligentia domni Martini* MARRIER *monasterii S. Martini de Campis Parisiensis, ejusdem ordinis monachi professi*

(Ex Bibliotheca maxima Patrum edit. Lugdun., tom. XVII.)

## LECTORI.

Sanctissimi Odonis Cluniacensis nostri antistitis secundi opus in Jobum habenti in publicum edere, illud breviter de sensibus quibus sancta Mater Ecclesia catholica sua sensa conceptusque suos non uno modo suis aperire, enucleare, eosque docere solet, ea potissimum ratione perstringendum est, quod instar Magni illius Gregorii suum hocce scriptum Moralium titulo donaverit, in quo præter moralem, allegorico, typico, tropico, mystico, et aliis id genus utitur sensibus. In ipsa igitur Scriptura sacra octo numero sensus præcipue commendari propriissimis locis comperiuntur, scilicet : litteralis, vel historicus ; allegoricus, vel parabolicus ; tropologicus, vel etymologicus ; anagogitus, vel anologicus ; typicus, vel exemplaris ; anaphoricus, vel proportionalis ; mysticus, vel apocalypticus ; et ultimus boarcademicus, vel primordialis. Quorum exempla et loca sequuntur. Et ut melius intelligantur, ex uno loco Scripturæ pro omnibus est etiam necesse illos confirmare, expresso ejusdem Scripturæ testimonio ex aliis locis. Locus igitur ille in quem nobis sunt isthæc omnia exempla reducenda, est Pauli ad Galat., IV, ubi dicit : *Hæc autem dicta sunt per allegoriam.* Jam ergo ex illo loco duos habemus sensus expressos, primum litteralem, secundum allegoricum. Est autem allegoria perpetua et continuata parabola, quando scilcet unum dicitur, et aliud intelligitur. Illi duo sensus probantur ex tertio Joannis, ubi dicit : *Scrutamini Scripturas.* Est enim ibi commendatio sensus litteralis. Allegoricus autem probatur ex plerisque prophetarum et evangelistarum locis, ubi dicitur : *In parabolis aperiam os meum ;* et : *Non nisi per parabolas loquebatur eis.* Ergo apparet illos jam duos sensus contineri in Scripturis. Tertius elicitur ex eodem loco, videlicet sensus tropologicus, ubi dicit : Nos esse filios liberæ, ut sicut Isaac fuit hæres Abrahæ, ita etiam nos simus hæredes promissionis. Est enim tropologia comparatio quædam moralis ante actorum superioribus temporibus ad nostra usque tempora, ut similiter agamus. Et uno verbo, tropologia est discursus morum. Confirmatur iste sensus (*I Cor*, XV), ubi dicit Apostolus : Sicut protuli-

(54) Moralia sancti Gregorii in Job a sancto Odone abbate Cluniacensi secundo breviata, testatur domnus Joannes Italus, monachus Cluniacensis, auctor Vitæ ejusdem, bis verbis : *Per illud namque tempus rogatus est a fratribus se diligentibus ut Moralia beati Gregorii papæ sub uno eis coarctaret volumine. Ille autem professus est se hæc minime facere posse, addens etiam si facultas agendi sibi adesset, tamen non debere se hoc agere, ne tanti viri laborem, tantique operis pretium aliter immutare, vel aliquid demere videretur. Econtra illi opponebant ei antea succumbi, quam tanto labore sustineri, et satius esse judicabant funditus eum deserere, et ad reliquas Scripturas transgredi, quam sub eo velut gravi mole interire. Quotidie namque apud eos de hac re non parva fiebat altercatio. Ego tamen scio super hac re multos indignatos fore, et ad sedandos eos hanc libet rationem inserere ; non enim fiebat istud propter arrogantiam, sed disponente Domino, ut super montem poneretur lucerna, quæ sub modio erat occultata. In exemplum tamen subjunctæ rei hoc quod diximus manifestius apparebit, illis videlicet persistentibus in hac petitione, factum est ut quadam nocte domnus Odo intra ecclesiam beati Martini consuetæ orationi insisteret, et ecce subito in eum somnus obrepsit, viditque in eadem visione sanctorum chorum venientem de sursum in eamdem ecclesiam descendere; et prius benedixerunt Dominum deinde ordinatim in subselliis sederunt. Atque post paululum, unus coram in medium prosiliens dixit : Quidnam est quod hoc in loco immoramur ? Cæteri vero Gregorium papam exspectare se inquiunt. Hoc audiens Pater noster Odo, velut avidus indagatur, cœpit huc illucque circumspicere, quanam ex parte venientem eum posset videre. Deinde elevatis oculis sursum, quasi e cœlo missum videt beatum Gregorium, sed ultra omnes qui præcesserant eum, vultu, specieque et moribus persplendidum atque ornatum. Mox veniente illo omnes surgunt, et flexis cervicibus benedictionem petunt. Ille vero non inter eos deorsum usque descendit, sed super ambonem ecclesiæ substitit, et patrem nostrum terra tenus prostratum inquiens vocavit : Surge, frater Odo, noli timere. Qui cum surrexisset, vidit veluti more scriptoris super auriculam ejus hærentem pennam, et quasi doctoris magisterio productim acuminatam, et in summo fixam. Quam sumens beatus Gregorius, eamque illi tradens, ait : Age ergo securus, et perfice tibi opus injunctum et indictum quem vero composueris librum non delebitur, meus autem stabit in æternum. Et continuo evigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum, diligenter perlegit, et saniorem partem quam prævidit, sub uno volumine composuit, et sic murmurationem eorum compescuit.*

mus imaginem primi hominis Adam, ita nobis secundi Adam novi hominis vultus referendus est. Sequitur ex eodem loco sensus anagogicus, id est, sensus reductivus a terrestribus ad cœlestia. Continetur ubi dicit esse Israelem Dei, et Israelem carnis, id est, ut sicut filii Abrahæ illius hæredes fuerunt secundum carnem, in obtinenda terra quam promiserat illi Deus, ita etiam filii Dei erunt hæredes regni sui secundum spiritum in obtinenda promissione vitæ æternæ, quæ est terra viventium. Confirmatur iste sensus ab apostolo Paulo (*Rom.* VIII), ubi dicit electos Dei fore glorificandos. Quintus sensus est typicus. Ex hoc ipso loco, id est, in persona una, alius personæ repræsentativus. Ita autem se habet. Sicut Abraham habuit duos filios, ita Deus, cujus Abraham fuit typus, habet duo fœdera spiritualis contubernii cum hominibus, ex quo nascantur liberi diversi, secundum fœdus legis, servi, quorum typus fuit Ismael, et illius soboles perpetuo serviens ; et secundum fœdus Evangelii nascuntur liberi, quorum typus fuit Isaac, et suæ propagines libertate pietatis donatæ in regnum Dei. In quo etiam successit alter typus suimetipsius cum Deo, Jacob cum electis, Esau vero cum reprobis. Confirmatur iste sensus a Christo Domino, ubi dicit de Joanne Baptista : *Si me vultis recipere, ipse est Elias.* Atqui non erat Elias nisi typicus, nam rejicienda est metempsycosis Pythagorica, qua opinione falsa laborabant etiam aliqui ex Judæis. Sed ideo est typicus Elias, quia *in spiritu et virtute Eliæ*, hoc est eadem qua Elias, reparavit populum per baptismum suum, ad excipiendum Messiam suo tempore.

A Sequitur sextus anaphoricus sensus, qui est relativus temporum, ut qualia fuerint tempora sub Isaaco et Ismaele, talia sint sub Ecclesia et Synagoga, et ut Ismael persequebatur Isaacum, ita Synagoga insectetur Ecclesiam. Probatur iste sensus a Domino, ubi dicit : *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, etc., sicut prædictum est a Daniele. Ostendit enim his verbis talia futura tempora. Superest mysticus. Sensus ille est totus divinus, et in hoc etiam loco continetur in ratione libertatis gloriæ, quæ cum nulla re humana aut creata omnino comparari potest. Mysticus autem idem est atque ineffabilis, in quo declaratur non posse id concipi intellectu humano, nedum angelico. Quia quodcunque concipere potest homo in intellectu, simul et effari valet sermone. Probatur autem absolute, ubi dicitur apud Isaiam : *Non potest ascendere in cor hominis, quod Deus præparavit diligentibus se.* Ultimus sensus boar- B cademicus, id est, quo ipsa principia rerum comparantur cum beatitudine æterna, et tota dispensatione salutis, veluti loquendo de regno Dei quod omnia sint ad Deum ipsum, unde manarunt, reditura. Probatur iste sensus apud IV Esdram XIII, ubi dicit in comparatione electorum Dei esse aurum ex pulvisculo et glebula in visceribus terræ, quia quæ optima sunt valde rara creavit Deus. Sed iste sensus est tantum usitatus apud Judæos cabalistas. Alii sensus sunt celebres in doctoribus : litteralis in Hieronymo, allegoricus in Gregorio, tropologicus in Ambrosio, anagogicus in Augustino, typicus in Basilio et Bernardo, anaphoricus in Clemente, Petri successore, et mysticus in Nazianzeno.

---

# SANCTI ODONIS PRÆFATIO.

Cum juxta capacitatem parvitatis meæ sedulo lectioni sacræ operam darem, quadam die manibus parvitatis meæ liber adhæsit, a beato Gregorio editus in historia sanctissimi Job. Is etenim doctor egregius divino afflatus Spiramine, atque de fonte potatus superno, ceu rutilans flumen in præfati viri Historiam diffundens, tanto eam facundo protelavit eloquio, ut ex ea velut clarificos soles, triginta et quinque ederet libros, quos in codicibus sex arctare decrevit. At dum ego ex his primam legendo percurrerem partem, nimio accensus amore, pellectusque ita est animus dulcedine quadam, ut totum sagax vellet, si posset, mandere librum. Sed quoniam præ ubertate eloquentiæ præfati viri, velut parvulus lacte suetus, illo quo fortes aluntur cœpi deficere cibo. His etenim mirabilis doctor divinis nimbibus auctus [imbribus auctus], studuit luculento enodare affatu, eaque in exponendo menti occurrentium sententias Patrum. Ex quibus protensis numerosa in præfatam historiam contraxit volumina, quas nempe norunt quibus sacra non latet Scriptura a sancto viro Paterio nomine mirabili opere abstractas, propriisque voluminibus redditas, lucida sibi reposuisse volumina. Ex quibus et ipse ante biennium in Regnorum libro aggregatis omnibus Patrum sententiis, maxime autem sanctissimi Patris Gregorii, unum quem non puto temnen- C dum conjunxi libellum. Quapropter fragilitatis sensui, corporisque mei infirmitati, meoque similium utilitati consulens, erexi me contra memet, non fastu arrogantiæ turgidus, nec superbiæ spiritu tumidus, ventosis favoribus nitens incumbere, Deus scit ; sed igne lectionis præfatæ historiæ flagrans, quam toto nisu memoriter ut intellectam retinere valeam, laborans, hunc operis parvi contraxi libellum. In quo opere nempe nullum meo, ut reor, sensu fuscatum sermonem permiscui, sed ejusdem venerabilis viri dicta perlustrans, eas duntaxat diversorum librorum prolixo sermone expositas, quas supra taxavi, linquens sententias, non abjiciens ut pravas, quas segregatim habeo ut utiles, sensum non meis, D sed jam sæpe præfati viri verbis expositum, breviter attraxi, ut potui ; atque lectionis causæ compendio, unicuique sententiæ mysticum moralemque sicut reperi, subjeci sensum, ne vagans animus dum huc illucque quæreret sensum, ut sæpe assolet, amitteret intellectum. Libui etiam primas historiæ litteras discretionis causa minio scribere, ut dum historia agnoscitur, expositio historiæ utilius carpatur, ne forte dum a rudibus ignoratur sensus patenter expressus, obscurius implicetur. Ergo teneo sibi illa quibus est facultas numerosa aggregare volumina, quibus sensus intellectusque viget, quibus suppetit non tantum

enucleata, verum etiam in ænigmate prolata cognoscere, dum saltem mihi meique similibus con-
A cedant hunc operis exigui penuriæ causa cœptum meditari libellum.

# EJUSDEM PRÆFATIO METRICA.

Gregorii sancti nitidos percurrere campos
Ut cœpi, micuere quidem ceu sidera cœli
Verba salutifera, nostros componere mores,
Quæ norunt, nimium et duras mollescere mentes,
Lumine præclaro et tenebras depellere tetras :
Cujus ab ore fluens fluvius per compita mundi,
Pronesiæ [Phronesis] pariterque sophiæ clare re-
Lucidior auro, vitro quoque clarior omni, [fulget,
Mellifluo gustu cuncta redolentia vincens.
O mens flenda nimis, se quæ subtraxerit istis
Mellifluis undis, cœlo venientia linquens,
Et peritura sequens, nulli quæ profuit unquam.
O si mille forent doctæ mihi millia linguæ,
Mille meumque sonos posset depromere guttur.
Ærea voxque mihi posset dare ferrea verba,
Hac in laude viri, totus quem concinit orbis,
Ut digna fieri possent quæ pauca relatu.
Præsulis in tanti nitor componere carmen,
Qui meruit cunctos hominum cognoscere sensus,
Et potuit verbis pravos ostendere mores,
Qui docuit resecare malos de corpore motus.
Et monuit placidos mente recondere mores,
Virtutum reserans fontem et pariter vitiorum,
Hic modice reflexit iter percurrere sacram
Historiam Jobab, cujus per compita mundi
Laus veneranda nitet, claro quem climate tensa
Ecclesia reboans laudat, hunc arbiter ipse
Ore suo laudans, monuit venerari per orbem.
Ex qua mirifice ter bina volumina condens
Tradidit Ecclesiæ plures distincta libellos,
B Qui seu prata virent diverso gramine fulta
Floribus aspersa redolent pulcherrima visu :
Hinc etenim violæ rutilant, hinc lilia candent,
Emicat hinc rosa, narcissus seu nardus, amomum,
Cum variis fragrant unguentis balsama juncta.
Hos ego florigeros cupiens percurrere campos,
Multigenasque mihi perpes decerpere flores,
Extensis manibus nitebar carpere, jamque,
Cum subito stupuere meæ ceu marmora plantæ,
Obriguere manus, cœpit pallescere vultus,
Sensus et extimuit* crebra suspiria jactans
Vocibus et magnis quasi sub pondere clamans ;
Quis, ait, hos hominum poterit percurrere campos,
Aut quis hos poterit flores decerpere cunctos ?
Ut stipatus eat, alacerque quiescat in ævum.
C Hæc mea nec vis est, tantum nec pectoris exstat
Robur, ut eximias valeam comprendere gazas
Pauper et exiguus, misero de germine cretus.
Magniloqui studeant ista qui grandia poscunt,
Est quibus et sensus fortis, quibus exstat anhelus.
Sufficiant dum parva mihi quæ vascula possunt
Exigua retinere mea, ne grandia poscens
Amittam modica. Quapropter grandia linquens
Hoc opus exiguum cœpi non corde cothurno,
Arbiter hæc novit superus, qui sidera sentit.
Non ergo hoc spernant modici, nec illa supremi.
Hoc teneant hebetes, teneant sed et illa sagaces :
Illa sciant juvenes, discant hoc denique noti,
Illa quidem norunt magnos, hæc pascere parvos :
Illa dapes tribuunt, novit hoc porrigere lacten.

# LIBER PRIMUS.

## CAPUT PRIMUM.

Vers. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job :* — Idcirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum virtutiis exprimatur. Hus namque quis nesciat quod sit terra gentilium ? Gentilitas autem eo obligata vitiis exstitit, quo cognitionem sui conditoris ignoravit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Hinc isdem sibimet attestatur dicens : *Frater fui draconum, et socius struthionum.* Hæc per historiam facta credimus, sed per allegoriam jam qualiter sint impleta videamus. Job namque interpretatur *dolens*, Hus vero *consiliator*. Quem vero alium beatus Job suo nomine exprimit, nisi eum de quo propheta loquitur dicens : » Dolores nos-
D tros ipse portavit ? « (*Isa* LIII, 4.) Qui Hus terram inhabitat, quia in corde populi consiliatoris regnat. Paulus quippe « Christum Dei virtutem, et Dei Sapientiam » dicit (*I. Cor.* I, 24). Atque hæc ipsa Sapientia per Salomonem dicit : « Ego sapientia habito in consiliis, et eruditis intersum cogitationibus (*Prov*, VIII, 12). » Tropice autem si Job dolens, et Hus consiliator dicitur, non immerito per utraque nomina doctus quisque figuratur, qui nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat. Cum ergo videt quam sit æternum quod perdidit, salubre consilium temporale hoc despicere quod percurrit. Unde bene per Salomonem dicitur : « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem (*Eccle.* I, 18). »

Sequitur. *Simplex et rectus.* Nonnulli namque ita A sunt simplices, ut rectum quid sit ignorent. Sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt. Qui dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est quod Paulus discipulos admonet dicens : « Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo (*Rom.* xvi, 19), » Hinc Veritas ait : » Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x, 15). » Sed quoniam in rectitudine justitia, in simplicitate autem mansuetudo designatur, incarnatus Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in mansuetudine districtionem justitiæ, nec rursum in districtione justitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Unde ei per B Prophetam dicitur : « Intende, prospere procede et regna. Dilexisti justitiam (*Ps.* xliv, 5, 8). » Tropice namque quisquis æternam patriam appetit, simplex procul dubio et rectus vivit. Simplex videlicet opere, rectus fide. Sed quisquis in bonis quæ agit, non retributionem interius, sed favorem exterius quærit, simplex non est. Unde per quemdam sapientem dicitur : « Væ peccatori terram, ingredienti duabus viis (*Eccli.* ii, 14). » Sequitur. *Timens Deum et recedens a malo.* — Deum timere est, nulla quæ facienda sunt bona præterire. Unde per Salomonem dicitur : « Qui Deum timet, nihil negligit (*Eccle.* vii, 19). » Sed quia nonnulli sic bona faciunt, ut tamen a quibusdam malis non recedant, bene postquam *Timens Deum* dicitur, C *recedens* quoque *a malo* esse perhibetur. Scriptum quippe est : « Declina a malo et fac bonum (*Ps.* xxxvi, 27). » Et Jacobus : « Quicunque, inquit, totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus (*Jac.* ii, 16). » Sed bene hoc ex Redemptoris nostri voce dicitur. Juxta humanitatis enim naturam Deum timuit, quia ut superbum hominem redimeret, mentem pro illo humilem sumpsit. Scriptum namque de illo est : « Et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isai.* xi, 3). » Recessit autem a malo, non quod faciendo contigit, sed quod inveniendo reprobavit. Sancta etiam electorum Ecclesia, simplicitatis suæ et rectitudinis vias a timore inchoat. Cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle pec- D care. Qui vero timore bona agit, a malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat quo peccare vellet, si multæ [si multum] peccare potuisset. Sequitur :

Vers. 2. *Natique sunt ei septem filii et tres filiæ.* — Sæpe ad avaritiam cor parentis ducit fecunditas prolis. Ut ergo beati Job quam sancta mens fuerit, ostendatar et justus dicitur, et multæ prolis pater fuisse perhibetur. Mystice. Quid in septenario, nisi summa perfectionis accipitur ? A septenario quippe numero, in duodenarium surgitur. Si enim quatuor per tria, vel tria per quatuor ducantur, septem in duodecim vertunt. In septem ergo filiis ordo prædicantium. Unde sancti apostoli, qui Trinitatem in quatuor partibus mundi prædicare mittebantur, duodecim sunt electi. In tribus vero filiabus, multitudo signatur auditorum. Quæ si et per perfectionem operis nequaquam forti virtute permanent, fidem tamen Trinitatis cognitam constanter tenent. Possunt etiam per tres filias tres ordines fidelium designari, Pastorum videlicet, continentium atque conjugatorum. Unde et Ezechiel propheta tres liberatos viros audisse se asserit. Noe scilicet, Danielem, et Job. Septem quippe etiam nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ operationis sancti Spiritus, septem in nobis virtutes oriuntur. De quibus propheta dicit : « Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, » et reliqua (*Isa.* xi, 2). Nascuntur et tres sorores. Quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei charitatique conjungunt. Neque enim ad donarii perfectionem septem filii perveniunt, nisi in fide, spe et charitate fuerit omne quod agunt. Sequitur :

Vers. 3. *Et fuit possessis ejus, septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.* — Scimus quia ad majorem dolorem mentem commovent damna majora. Ut igitur ostendatur quantæ virtutis exstitit, multum fuisse dicitur quod pariter amisit. Nunquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Quid enim mystyce in septem millibus ovibus, nisi Hebræos a pascuis legis innocenter ad fidem venientes, accipimus ? Quid vero in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens tota gentilium vitiositas, onusta idolorum cultibus designatur ? Potest namque per camelos quia commune sunt animal, Samaritanorum vita signari. Qui quasi ruminant, ut camelus, quia ex parte verba legis recipiunt. et quasi ungulam non findunt ut camelus, quia eam pro parte contemnunt. Qui etiam grave onus portant, quia sine spe resurrectionis laborant. Sed quia incarnatus Dominus. et Hebræorum populum et Samaritanorum quosdam ad fidem perduxit, septem millia ovium, et tria millia camelorum possedit. In Scriptura sacra cameli nomine aliquando ipse Deus exprimitur, ut illud : « Liquantes culicem, et camelum glutientes. (*Matth.* xxiii, 24). » Aliquando autem populus gentilis. Unde et Rebecca ad Isaac veniens, typum Ecclesiæ præferens, dorso cameli deducitur. Moraliter. Oves etiam nos possidemus, cum cogitationes innoxias possidemus. Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus, humiliter deponimus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem flectimus. Quod quidem sine cognitione fidei Trinitatis agere non valemus. Possunt autem per camelos, terrenarum rerum bonæ dispensationes intelligi. Quia igitur non se penitus anima ab omni terreno opere disjungit, ungulam non findit, sed tamen ruminat, quia bene dispensando temporalia cœlestia sperat. Quas dum nos Trinitati committimus, camelos possidemus. Sequitur : *Quingenta quoque juga boum,* et reliqua. — In Scriptura autem sacra boum nomine, aliquando bene operantium vita

signatur, ut illud : Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* xxv, 4 ; *I Cor.* ix, 9 ; *I Tim.* v, 18). » Aliquando hebetudo fatuorum, ut illud Salomonis : « Statimque eam sequitur quasi bos ductus ad victimam (*Prov.* vii, 22). » Asinorum quoque nomine, aliquando stultorum pigritia designatur, ut illud Moysi : « Non arabis in bove simul et asino (*Deut.* xxii, 10). » Aliquando immoderata petulantium luxuria, ut illud prophetæ : Quorum carnes sunt ut carnes asinorum (*Ezech.* xxiii, 20). » Aliquando gentilium simplicitas : unde Jerusalem tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur. Quid enim bos, nisi Judaicus populus exstitit, cujus cervicem jugum legis attrivit ? Et quid asinus nisi gentilitas fuit ? Quam quilibet seductor repetit, quasi brutum animal quo voluit errore substravit ? Quid vero per quingentesimum numerum qui a quinquagenario, qui septem hebdomadibus ac monade addita, adimpletur, nisi requies signatur ? Quid per denarium, nisi summa perfectionis exprimitur ? Quia ergo ad æternam requiem pro electorum parte Judæa gentilitasque colligitur, recte quingenta juga boum, quingentæque asinæ haberi perhibentur. Moraliter. Juga etiam boum in usum nostræ possessionis sunt, cum concordes virtutes exarant duritiam mentis. Asinas possidemus, cum lascivientes motus restringimus, vel cum cogitationes intra nos simplices regimus. Dum enim de hoc quod prudenter sapimus, vel quod humiliter ignoramus æternæ pacis requiem quærimus, quasi intra jubelei [jubilæi] numerum tenemus. Sequitur : *Ac familia multa nimis.* — Quia enim ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut post ejus etiam astuta vocarentur, animalium prius multitudo et familia in extremo memoratur. Paulo attestante, qui ait : « Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* i, 26). » Moraliter. Multam nimis familiam possidemus, cum cogitationes innumeras sub mentis dominatione restringimus. Sicut enim absente domina ancillarum linguæ perstrepunt, operis officia negligunt, repente domina veniente, linguæ perstrepentes reticent, ad opus revertuntur ; sic igitur si domina mentis ratio discedat, cogitationum se clamor multiplicat ; ut autem ratio redierit, cogitationum se tumultuosa turba compescit : Sequitur : *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* — Orientales viros esse prædivites, quis ignorat ? Magnus ergo inter Orientales exstitit, quia et divitibus ditior fuit Mystice. Oriens Redemptor noster dicitur, ut illud prophetæ : « Ecce vir, Oriens nomen ejus (*Zach.* vi, 12). » Omnes ergo qui in hunc Orientem fide consistunt, recte Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines, ipse autem Oriens, Deus et homo, recte dicitur : *Erat magnus inter omnes Orientales.* Moraliter. Inter omnes Orientales magni efficimur, cum eis spiritibus qui orienti luci inhærent, pressa carnalis corruptionis nebula, discretionis nostræ radiis, in quantum possibilitas suppetit, sociamur. Ut Paulus ait : « Nostra conversatio in cœlis est (*Phil.* iii, 30). » Sequitur :

Vers. 4. *Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos.* — O inæstimabilem paternæ institutionis laudem ? Et pater dives dicitur, et filii concordes. Mystice. Filii per domos convivia facturi ibant, cum prædicatores apostoli in diversis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus quasi edentibus ministrabant. Unde et eisdem filiis esurientibus plebibus dicitur : « Date illis vos manducare (*Matth.* xiv, 10). » Si enim ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox est cordis, intellectus non immerito dies vocatur, ut Paulus ait : « Alius judicat diem inter diem. Alius judicat omnem diem (*Rom.* xiv, 5). » Unusquisque ergo filius in die suo convivium exhibet, quia sanctus quisque prædicator juxta mensuram illuminatæ intelligentiæ mentes audientium epulis veritatis pascit. Sic quippe Paulus faciebat, cum dicebat : « Beatiores erunt si sic permanserint, secundum meum consilium (*I Cor.* vii, 40). » Sorores filii ad convivium vocant, quia infirmis auditoribus sancti apostoli refectionis supernæ gaudia prædicant, eorumque mentes pabulo veritatis jejunas divini eloquii epulis pascunt. Scriptura enim sacra aliquando cibus est, ut illud prophetæ : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* iv, 4). » Aliquando potus, ut illud prophetæ : « Omnes sitientes venite ad aquas. (*Isa.* lv, 1). » Et in Evangelio : Si quis sitit veniat, et bibat (*Joan.* vii, 37). » Moraliter. Filii per domos convivium faciunt, dum virtutes singulæ juxta donum proprium mentem pascunt. *In die suo.* — Dies uniuscujusque filii est illuminatio uniuscujusque virtutis. Sapientia in die suo convivium facit, quia mentem de æternorum spe et certitudine replet. Intellectus, cum audita penetrat, et cordis tenebras illustrat. Consilium, convivium facit, cum esse præcipitem prohibet. Fortitudo, cum adversa non metuit, et cibos confidentiæ apponit. Scientia convivium facit, quia ignorantiæ jejunium superat. Pietas, cum cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo convivium parat, dum premit mentem ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat. Sorores etiam filii ad convivium vocant, cum virtutes nostræ in omne quod agunt, spem, fidem et charitatem adsciscunt, ut fides, spes et charitas gaudeant in opus bonum, quod unaquæque virtus administrat. Sequitur :

Vers. 5. *Cumque in orbem transissent dies convivii*, et reliqua. — Cum dicit, *mittebat et sanctificabat illos*, aperte monstratur quid districtionis erga illos præsens ageret, quibus absens sollicitudine non deesset. Vir quippe sanctus noverat quia celebrari convivia sine culpa vix possent. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est : « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* xxxii, 6). » Quod vero octavo die

beatus Job sacrificium offert, mysterium surrectionis colit. Mystice. In orbem dies convivii transeunt, cum prædicationis ministeria peraguntur. Peractis conviviis holocaustum Job pro filiis obtulit, quia pro apostolis de prædicatione redeuntibus Patrem Redemptor exoravit. Mittit Job et sanctificat filios, quia per Spiritum sanctum, qui ex se procedit, discipulorum cordibus Redemptor noster quidquid culpæ potuit emundavit. Diluculo holocausta offert, quia tenebras mentis humanæ intercessionis suæ petitione illustravit. Moraliter. Peracto orbe dierum convivii, mittere ad filios, eosque sanctificare est, post virtutum sensum, intentionem cordis dirigere, ne bona æstimentur, quæ mala sunt. Diluculo namque consurgimus, cum compunctionis luce perfusi, humanitatis nostræ noctem deserimus, et ad veri luminis radios, oculos mentis aperimus : atque holocaustum pro singulis filiis offerimus, cum pro unaquaque virtute Domino hostias nostræ precis immolamus. Holocaustum totum incensum dicitur. Holocaustum dare est totam mentem igne compunctionis incendere. Sequitur : *Dicebat, ne forte peccaverint filii mei*, et reliqua. — Perfectos esse in opere et sermone docuerat, quibus de sola Pater cogitatione metuebat. Ut enim de alienis cordibus temere non judicemus, sancti viri verbis agnoscimus, qui non ait, ne benedixerint, sed, *ne forte benedixerint*. Hinc Paulus ait : « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV, 5). » Mystice. Deo benedicere, est, id est maledicere, de ejus munere sibi gloriam præbere. Unde apostolis redeuntibus a prædicatione Dominus pedes lavit, quia plerumque in bono opere pulvis pravæ cogitationis sumitur. Quod dicit, *ne forte*, nostram ignorantiam suscipit, ut illud : « Filius hominis veniens, putas inveniet fidem super terram ? » (*Luc.* XVIII, 8.) Moraliter. Filii in cordibus Deo maledicunt, cum recta nostra opera non rectis cogitationibus prodeunt, cum se mentes nostræ de se æstimant habere quod sunt, cum de bonis operibus propriam laudem quærunt. Sequitur : *Sic faciebat Job cunctis diebus*. — Scriptum quippe est : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » In sacrificio sancta actio, in cunctis diebus constantia sanctæ actionis exprimitur. Mystice. Sine intermissione holocaustum Redemptor noster immolat, quia sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat, quæ nostræ oblationis emundatio est. Moraliter. Incassum bonum agitur, si ante tempus vitæ deseratur. Hinc reprobis dicitur : « Væ his qui perdiderunt sustinentiam (*Eccli.* II, 16). » Hinc electis Veritas dicit : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII, 28). »

# LIBER SECUNDUS.

Vers. 6. *Quadam die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* — Divina enim Scriptura qualitates rerum exprimit terminosque causarum. Aliquando a positione loci, ut Israel verba Dei in monte audire non potuit, postea non crediturus (*Exod.* XX, 19). Aliquando a positione corporis, ut Stephanus Jesum stantem vidit (*Act.* VII, 55). Stare enim pugnantis est. Aliquando ab aeris qualitate, ut in Evangelio : Hiems erat (*Joan.* X, 22), » nullum credere docens. Aliquando a qualitate temporis, ut ad tradendum Dominum nocte Judas exiit. Quia ergo beati Job tentatio ad victoriam ducitur, a die cœpi perhibetur. Dei filii electi angeli vocantur, qui ad nos spirituali præsentia foras exeunt et tamen se internæ contemplationis gaudiis non privant. Veniunt ergo, unde Paulus ait : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ? » (*Heb.* I, 14.) A Deo autem non recedunt, ut Deus ait : « Angeli eorum semper vident faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10). » Satan quippe inter eos a quibus per superbiam recesserat venit, quia etsi beatitudinem perdidit, naturam tamen eis similem non amisit. Eo enim intuitu quo cuncta Deus spiritalia conspicit, eum etiam vidit, ut illud : « Oculi Domini contemplantur bonos et malos (*Prov.* XV, 3). » Visus est, sed non vidit, ut cæcus a radiis solis perfunditur, cum lumen ejus ipse non videat. Cui dicitur : *Unde venis* ? Nescire Dei reprobare est, ut illud : « Nescio vos (*Matth.* XXV, 12). » Allegorice. Quadam die venisse Satan dicitur, non quod apud Deum cursus temporis mutatione diei noctisque varietur, sed sacra Scriptura temporaliter editis loquens, temporalibus utitur verbis. Ea quippe vi justitiæ immundus spiritus penetratur, quia videlicet mundorum spirituum corda replentur. In die enim Dominus Satanam vidit, quia vias ejus in sapientiæ suæ incarnatione corripuit *Unde venis* ? dicere est occulti hostis insidias detegere. Filii Dei electi sunt omnes, qui ad æternæ patriæ vocationem Deo collecti sunt, qui divinitatis præsentia intrinsecus assistebant. Moraliter. Inter filios Dei etiam adest, quia plerumque bonis nostris cogitationibus, quæ in corde nostro adventu sancti Spiritus operatione seminantur, antiquus ille callide se subjungit inimicus, ut bene cogitata perturbat. *Unde venis* ei dicere est ejus nobis insidias declarare. Sequitur :

Vers. 7. *Circuivi terram et perambulavi eam.* — Satan ergo laborans terram circuit, quia quietus

in cœli culmine stare contempsit. Cui non transvolans, sed perambulans circuit, quia inimis peccati pondere gravatur. ALLEGORICE. Satan terram circuit, quia ab Adam ante adventum Domini omnes post se nationes gentium traxit. Circuivit et perambulavit, quia per corda gentium iniquitatis suæ vestigia impressit. TROPICE. Satanæ terram circuire est carnalia corda perscrutari, et unde occasionem accusationis invenire possit exquirere. Circuit circumveniendo, ut bona tollat et mala inserat. Sequitur :

VERS. 8. *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?* — Discutienda quippe est quænam sit ista locutio. Neque enim vel a Domino qui summus atque incircumscriptus est spiritus, vel Satan qui nulla carnea natura vestitus humano modo æreus flatus felle ventris attrahitur. Sed angelis loquitur Deus, cum quidquid agere debeant in ipsa contemplatione veritatis legunt. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Vox namque angelorum est, in laude Conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis, virtutis divinæ miracula. Animarum Deo verba, ipsa sunt eorum desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret : « Desiderium cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* x, 16). » Deo loqui animabus est, cum retributionis eas certitudine confirmat. Loqui enim Dei est a diabolum, vias ejus ac negotia animadversione occultæ districtionis increpare. Sicut hic dicitur : *Unde venis ?* Diaboli ei respondere est omnipotenti majestati ejus nil posse celare. Unde hic ait : *Circuivi terram et perambulavi eam.* Quatuor modis loquitur ad diabolum Deus, tribus diabolus ad Deum. Vias suas insinuat qui ait : *Circuivi terram.* Electorum innocentiam accusat, qui dicit : *Nunquid frustra Job timet Deum ?* Tentandum postulat, cum dicit : *Extende manum tuam,* et reliqua. Dicere dei est : *Unde venis ?* eum increpare. Dicere dei est : *Considerasti servum meum Job*, tale se lectos facere, qualibus diabolus possit invidere. Dicere Dei est : *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt,* ad probationem fidelium eum relaxare. Dicere Dei est : *In eum ne extendas manum tuam,* ab immoderata eum tentatione restringere. Ac per hoc diabolus, non contra Job, sed contra Deum certamen sumpsit. Materia vero certaminis beati Job in medio fuit, et si in sermonibus suis dicimus Job inter flagella deliquisse, Deum dicimus in sua promissione perdidisse. ALLEGORICE. Allegorice Job interpretatur *dolens*. Dolens vero veraciter per figuram dicitur, qui portare dolores nostros propheta attestante perhibetur. Cui similis in terra non est, et si adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficiat, nequaquam tamen ut Deus naturalis esset accepit, qui servus dicitur, secundum quod apostolus ait : « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et reliqua (*Phil.* II 7.) » Veniens namque inter homines mediator Dei et A hominum, homo Christus Jesus, ad præbendum exemplum vitæ hominibus, *simplex* ; ad non parcendum malignis spiritibus, *rectus* ; ad debellandam superbiam, *timens Deum* ; ad detergendam vero in electis suis vitæ immunditiam, *recedens a malo*. De ipso enim per Isaiam dicitur: « Et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* II, 3). » Et Petrus : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* I, 22). » Dei autem ad Satan per figuram dicere est : *Nunquid considerasti servum meum Job ?* unigenitum Filium contra eum in forma servi admirabiliter demonstrat. TROPICE. *Nunquid considerasti servum meum Job ?* quem divina inspiratio contra hostem roborat : hunc quasi in Satanæ auribus Deus B laudat. Laudare quippe ejus est, et prius bona concedere, et post concessa custodire.

VERS. 10. *Nunquid frustra Job timet Deum ? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? operibus manuum ejus benedixisti et possessio ejus crevit in terra ?* — Ac si patenter dicat : Qui tot bona in terra recipit, quid mirum est si pro eis sese innocenter gerit ? Innocens vere esset, si bonus inter adversa existeret. ALLEGORICE. Quia igitur antiquus hostis redemptorem passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit, unde dicit : *Nunquid frustra Job timet Deum ?* Eum quippe ac domum ejus a Deo vallatam dicit, quia tentando ejus conscientiam penetrare non potuit ; C substantiam ejus vallatam, quia electos ejus invadere non præsumit. Operibus manuum ejus benedixisse Deum et possessionem ejus excrescere in terra queritur, quia fides ejus innnocentiam hominum prædicantibus apostolis multiplicatur. Possessio quippe excrescere dicitur, dum, laborantibus prædicatoribus, fidelium quotidie numerus augetur. Hæc itaque diabolo dixisse est de his tabescendo doluisse. TROPICE. *Nunquid frustra Job timet Deum ?* Ac si diceret, cur laudas, quem protegendo roboras ? Despecto enim me dignus tuis laudibus homo esset, si suis contra viribus staret. Sequitur :

VERS. 11. *Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet*, et reliqua. — Cum sanctum virum Satan tentare appetit, et D tamen Domino ut manum suam extendere debeat dicit, notandum est quia sibi vires feriendi non tribuit. Hinc est quod in evangelio legio dicebat : « Si ejicis nos, mitte nos in porcos (*Marc.* v, 12). » Paululum manum postulat extendi, cum exteriora appetit conteri, quia facere multum non se putat, nisi cum animam sauciat, ut feriendo eam a celesti patria revocaret. Dei facies respectus ejus gratiæ intelligitur. *Nisi in faciem benedixerit tibi.* Ac si dicat : Ea quæ dedisti subtrahe, nam si accepta perdiderit respectum tuæ gratiæ sublatis temporalibus non requirit. Si enim ea in quibus delectatur non habuerit, favorem tuum etiam maledicendo contemnit. ALLEGORICE. Redemptorem nostrum quem tranquillitatis.

tempore Dei gratia custoditum credidit, peccare A posse per passionem putavit. Ac si dicat : Interrogatus afflictionibus, homo et peccator agnoscitur, qui in miraculis Deus putatur. TROPICE. Plerumque enim dum virtutum fructus fecunde reddimus, dum continua prosperitate pollemus, aliquantulum mens erigitur, ut a semetipsa sibi existere bona quæ habet, arbitretur. Quæ nimirum bona hostis attrectare appetit, sed Deus nonnisi benigne concedit: fitque mira dispensatione pietatis ut unde malignus hostis cor tentet ut interimat, unde misericors Conditor erudiat ut vivat ; quatenus imbecillitate sua cognita, in spe divini adjutorii robustius solident. Sequitur :

VERS. 12. *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt*, et reliqua. — Consideranda est dispensatio Dei B pietatis quomodo hostem nostrum permittit et retinet, relaxat et refrenat. Substantiam prodit, sed corpus protegit post persecutori traditurum. Non simul ad omnia relaxat hostem, ne undique feriens frangat civem. Hinc Paulus ait : « Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sed faciet cum tentatione etiam exitum ut possitis sustinere (*I Cor.* x, 13). » Intelligi et aliter potest, pugnatori suo Dominus dividere certamina voluit, ut hostis prius victus denuo veniret, tuncque ei aliud iterum vincendo, concederet ut eo famulus mirabilis victor existeret, quo contra eum victus hostis se adbellare pararet. ALLEGORICE. Manus Satanæ non potestas, sed tentatio accipitur. Redemptor igitur noster qui Judæam, quæ prius substantia C ejus fuerat, amisit per infidelitatem, et post ejus caro patibulo crucis est affixa, quasi prius habita perdidit, et postmodum in semetipso adversarii nequitiam pertulit. TROPICE. Ac si dicat : Electi uniuscujusque bona sic tentanda exterius tribuo, ut tamen ipse noveris quia perseveranter mihi illum in mentis radice conservo sequitur : *Egressusque est Satan a facie Domini.* — Quo exitur ab eo qui ubique est ? Hinc namque ait : « Cœlum et terram ego impleo (*Jer.* XXIII, 14. » Sed quandiu Satan, pressus majestatis potentia, appetitum suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit. A facie autem Domini exiit, quia relaxatus divinitus ab internæ retentionis angustia ad sui desiderii effectum venit. MYSTICE. Sicut D superius a facie exiit Domini, quia ad desiderii sua vota pervenit. MORALITER. A facie Domini exiit, quia per hoc quod usque ad effectum cordis prævalere nequaquam permittitur, exclusus ab intimis exterius vacat, quia etiam si vires mentis plerumque turbat, eo ipso foris est, quo assistente Deo usque ad interitum bonorum corda non vulnerat. Sequitur :

VERS. 13. *Cum autem quadam die filii filiæ ejus comederent et biberent*, et reliqua. — Tunc quippe diabolus tentandi opus elegit quando beatus Job filios in convivio invenit. Quod videlicet nobis Deo dispensante proditur, quia prænuntiat tribulationem lætitia societatis. Boves arantes nuntiat, ut videlicet memorato fructu operis causa crescat doloris. Aucta est etiam mensura gemituum particula nuntiorum. TYPICE. Beati Job filios ac filias vel apostolorum ordinem, vel cunctorum fidelium diximus multitudinem designasse. Quis autem major Domini filius nisi Judaicus accipi populus debet, qui ei dudum datæ legis fuerat doctrina generatus ? Minor autem gentilis populus qui in mundi extremitate collectus est. In domo fratris primogeniti convivantur filii, quia videlicet adhuc sancti apostoli, quibus dictum fuerat, « In viam gentium ne abieritis (*Math.* x, 5), » sacræ Scripturæ epulis in solius Judaici populi collectione vescebantur. Ut illud : « Non jejunabunt filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus, et reliqua (*Matth.* IX, 15). »

VERS. 14. *Boves arabant et asinæ pascebantur.*— Quid boves, quam bene operantes ? quid aliud asinas, quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Quæ bene juxta boves pascuntur, quia prudentibus conjuncti tardiores, eorum intelligentia aluntur, dum eis bona sua fraterna charitate credunt.

Sabæi autem captivantes interpretantur. Captivantium autem nomine immundi spiritus designantur, qui eos quos sibi subjiciunt, infideliter captivos ducunt. Qui et pueros gladio feriunt, quia tentationis suæ jaculis eos vulnerant, quos nondum juvenilis constantia liberos vel robustos servat. Puer qui nuntiat evadens, sermo est propheticus, qui dum fiunt mala omnia quæ prædixit, quasi sanus ad Dominum redit. TROPICE. In electorum corde prior bonorum sequentium quasi primogenita proles sapientia nascitur quæ profecto nostra est fides, ut propheta ait : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII, 9). » In domo ergo fratris primogeniti filii convivantur, dum virtutes nostræ in habitaculo fidei sacri eloquii cibo satiantur. Quid arantes boves, nisi graviores nostras cogitationes accipimus ? Quid pascentes intelligimus asinas, nisi simplices motus cordis ? Sed plerumque hostis callidus graves cogitationes voluptatis delectatione corrumpit, et motus simplices cordis laude subtilitatis etsi non interimit, subrepens tamen nocet. Aliter. Arantes boves, cogitationes sunt charitatis, quibus prædicando prodesse aliis conamur. Per asinas vero patientia et mansuetudo signari potest. Sed malignus arantes boves subtrahit, cum nos in torporem mergit, ut aliis prodesse non libeat, etiam cum a propriis vacamus et dum tolerantiam cogitationis vel ad momentum turbat quasi abstulisse se ab agro cordis asinas exulat. Aliis ergo pereuntibus, unus ad domum redit, dum turbatis in tentatione motibus, discretio ad conscientiam recurrit, ut quod repentinis incursibus preoccupata mente perdidisse se pensat, hoc compunctionis studio afflicta recipiat. Sequitur :

VERS. 16. *Cumque adhuc ille loqueretur, venit alius et dixit : Ignis Dei cecidit e cœlo ,et tactas oves*, etc.—Intuendum quippe est quam callide dicitur ignis Dei. Ac si diceretur: Illius anima animadversionem sustines, quem tot hostiis placare voluisti, ejus iram toleras, cui quotidie serviens insuda-

bas. TYPICE. Cœlum hoc in loco sacerdotes vel Pharisæos, vel legis doctores non inconvenienter accipimus, ut Moyses ait : « Attende, cœlum, et loquar. » Qui per cœleste officium superlucere videbantur. Sed quia ipsi summopere in Redemptoris nostri adversitate commoti sunt quasi ignis de cœlo cecidit, dum ad decipiendum imperitum populum ab his etiam qui vera docere putabantur, flamma invidiæ exarsit. Quid autem in ovibus atque pueris, nisi innocentes quosque, si tamen adhuc infirmos accipimus ? qui dum adversitatem Pharisæorum ac principum tolerare timuerunt, infidelitatis concrematione consumpti sunt. A præpositorum ovium cordibus flamma invidiæ corruit, et quidquid boni in plebibus oriebatur, incendit. Unus fugit, quia dum impletur prædicta causa malitiæ, fallaciæ interitum evadit sermo propheticus qui ait : « Et nunc ignis adversarios consumit (*Joan.* XIX, 6). MORALITER. Quid per oves, nisi cogitationis innocentia, vel bonorum cordium munditia designatur ? Et quia ab aeris potestatibus qui cœlum dicitur, contra cogitationum nostrarum munditiam flamma livoris irruit, de cœlo ignis venit, qui ignis Dei dicitur, quia etsi non faciente Deo, tamen permittente Deo generatur. Sed unus fugit cum perturbatis cogitationibus discretio non succumbit, ut damna sua animo renuntiet, et quasi dominum ad lamentum vocet. Sequitur :

VERS. 17. *Chaldei fecerunt tres turmas.* — Ecce iterum ne quid minus de humana adversitate doluisset, Chaldæorum turmas irruisse denuntiat. TYPICE. Chaldæi interpretantur feroces, quo nomine designantur persecutionis Domini auctores, qui dicebant : «Crucifige, crucifige (*Luc.* XXIII, 21).» Tres turmæ Pharisæi, Herodiani, et Sadducæi sunt, Camelos rapiunt, dum Samaritanos et quosdam ex Judæa, vel tortuosas mentes infirmantium persuadendo ad interitum trahunt. Pueros etiam gladio feriunt, quia et si qui in popule uti jam ratione potuerant, eis ipsis non virtute rationis, sed potestatis ratione contraibant. A quibus evadens puer qui nuntiat, fugit ; quia illis iniqua patrantibus, eos nimirum deserens, sermo propheticus convalescit, qui ait : « Et tenentes legem, nescierunt me (*Jer.* II, 8).» TROPOLOGICE, Per camelos qui mundum aliquid dum ruminant, immundum dum nequaquam ungulam findunt habent, supra diximus bonas rerum temporalium dispensationes intelligi. In quibus quo est cura distentior, eo nobis multiplicius insidiatur inimicus. Omnis enim terrenis rebus dispensandis præsidens, occulti hostis jaculis latius patet. Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum rerum dispensationum studia, modo illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare. Unus autem fugiens redit, quia discretionis ratio mentis nostræ oculis occurrit, et sollicita sibimet anima, quod subito impulsu tentationis intrinsecus amittit, intelligit. Sequitur :

VERS. 18. *Loquebatur ille, et ecce alius intravit et*

A *dixit: filiis tuis et filiabus vescentibus, et bibentibus vinum,* et reliqua. — Latenter infert Satan quod ipse contra illum elementa moverit, qui moveri permisit. Quamvis et ipse semel accepta a Domino potestate ad usum suæ nequitiæ etiam elementa concutere prævalet. Et notandum quia in extremo filiorum mortem intulit, ne vilia pater rei familiaris damna duceret, si illa jam orbatur audiret. Quanquam enim convivia peragi sine culpa vix possint, absit ut tanti viri filios per conviviorum studia ingurgitando ventri vacasse suspicemur. In die ergo primi fratris, filios obruit, quia antiquus hostis in minorum morte subversionis aditum per negligentiam majorum quærit. MYSTICE. Filii et filiæ prædicantes apostoli ac plebes

B designantur, qui in domo fratris primogeniti convivari referantur, quia in habitatione adhuc Judaici populi sacræ prædicationis deliciis vescebantur. Regio deserti, cor infidelium est, quod dum Creator deserit, nullus inhabitator colit. Ventus vehemens a regione deserti irruit, quia in passione Redemptoris nostri contra fideles ejus fortis tentatio a cordibus Judæorum venit. Vel certe regio deserti immundorum spirituum est multitudo, qui corda persecutorum commoverunt. Domus est synagoga. Quatuor anguli, quatuor ordines regentium, sacerdotum scilicet et Scribarum, et seniorum populi, atque Pharisæorum. Ab immundis spiritibus quippe ventus, ib est tentatio, irruit : et mentes quatuor ordinum malitia persecutionis

C excitavit. Domus liberos oppressit, quia dum Judæa incredulitate Dominicæ persecutionis cadit, apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Unus evadit, quia convaluisse sermo propheticus qui hæc nuntiaverat ostenditur, dicens ; « Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa (*Jerem.* XI, 15) ; » et illud : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Matth.* XXVI, 31).» MORALITER. Domus, nostra conscientia est. Quatuor anguli, quatuor sunt virtutes, scilicet : Prudentia, Fortitudo, Temperantia, et Justitia. Regio deserti immundi sunt spiritus, qui a Deo sunt derelicti.

Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit, quia fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit : quassatis angulis domus ruit, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur. Intra

D hos autem quatuor angulos domus filii convivantur, quia intra arcana mentis cor principaliter his quatuor virtutibus ad summæ rectitudinis culmen erigitur, et virtutes cæteræ, quasi quædam cordis soboles, se invicem pascunt. Eversa igitur domo, moriuntur filii, quia turbata in tentatione conscientia, obruuntur genitæ in corde virtutes. Cum quibus etiam et tres sorores occumbunt, quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Unus evadit, quia mentis discretio etiam in tentamenta incolumis permanet, ut dolens animus vires, quas quasi amittere cœperat pœnitendo conservet. Sequitur :

VERS. 20. *Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta*

*sua, et tenso capite corruens in terram adoravit.* — Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam putant, si disciplinæ asperitate correcti, ictus verberum doloresque non sentiant. Nonnulli vero tam nimis percussionum flagella sentiunt, ut immoderato dolore commoti, etiam in excessu linguæ dilabantur. De illis quippe dicitur per prophetam : « Percussisti eos, nec doluerunt. Attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam (*Jer.* v, 3). » De istis Psalmista ait : « In miseriis non subsistent (*Psal.* CXXXIX, 11). » Beatus itaque Job quia veræ philosophiæ regulam tenuit, contra utraque mira se arte servabat. Quod vestimenta scidit flagelli dolorem sensit. Quod vero adoravit, contra flagellatis judicium non excessit. Duo enim sunt præcepta charitatis : amor videlicet Dei et proximi. Ut dilectionem proximi exolveret, impendit luctum ; ut Dei non desereret, explevit inter gemitus orationem. Mos veterum fuit ut quisquis capillos nutriendo servaret, eos tempore afflictionis abscinderet : et qui tranquillitatis tempore capillos abscinderet, eos in afflictione enutriret. Beatus itaque Job tranquillitatis tempore capillos servasse ostenditur, cum ad dolorem caput totondisse memoratur. MYSTICE. Surgere Domini est peccatores, qua districto judicio ne derelinquat ostendere. Surrexit quia quando judicio persecutores suos desereret, monstravit. Quid enim vestimentum Domini, nisi Synagoga exstitit ? Sicut enim his nunc vestitur, a quibus diligitur, ut Paulus ait : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem rugam aut maculam (*Ephes.* v, 27), » ita cum incarnandum eum prophetis prædicantibus Judæa credidit, adhærendo nihilominus vestis fuit. Sed vestem scidit, dum in Judæa alios ab infidelitate sustulit, alios in infidelitate dereliquit. Scissa enim vestis erat, de qua Evangelista ait : « Alii autem dicebant quia bonus est, alii autem non, sed seducit turbas (*Joan.* VII, 12). » Quid per decisos capillos, nisi sacramentorum subtilitas ? Quid per caput, nisi summa sacerdotii designatur ? Uude ad Ezechielem prophetam dicitur ; « Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem capillos, et assumes eum, et duces per caput tuum et barbam (*Ezech.* V. 1). » Quid per terram hoc loco, nisi pecator homo exprimitur. Primo enim homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 1). » Terra ergo nomine peccatrix gentilitas designatur. Mediator igitur noster quasi detonso capite in terram corruit, quia sacramenta legis, a sacerdatio Synagogæ sustulit, eamque deserens, ad notitiam gentium venit. Corruere Dominus dicitur, ut illud : « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel (*Isa.* IX, 8). » Bene autem dicitur quod corruens adoravit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim quæ fieri docuit, sicut et de ejus spiritu dicitur : « Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26). » Qui Patrem etiam ante passionem pro nobis exoravit. MORALITER. Auditis ergo adversis surgere est expertis tentationibus mentem ad certamina robustius parare. Vestimenta scindimus, dum discernendo nostra opera retractamus. Quod nostra nos opera velut vestimenta ante Deum tegant, angelus dicit : « Beatus qui vigilat et sustodit vestimenta sua, ne nudus ambulet (*Apoc.* XVI, 15). » Quid moraliter per capillos nisi animi affluentes cogitationes accipimus ? Quid per caput, nisi mens ipsa signatur ? Caput ergo detondere est cogitationes superfluas a mente resecare. *Et detonso capite in terram corruit.* Qui repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quam in semetipsum infirmus sit, humiliter agnoscit. Ergo adversis auditis detondetur caput, cum tentationibus vehementer irruentibus, a præsumptionis suæ cogitationibus mens nudatur. Et notandum quod in terram corruens, adoravit. Ille enim veram Deo orationem exhibet qui semetipsum quia pulvis sit humiliter videt. Sequitur :

VERS. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* — Quia vero omnes nos terra genuit, hanc non immerito matrem vocamus, ut scriptum est : « Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium (*Eccli.* XL, 1). » Ac si dicat. Nudum me huc intrantem terra potulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet. MYSTICE. Redemptoris mater juxta carnem Synagoga exstitit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit. Sed nudus de utero matris exiit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit. Sed nudus de utero matris exiit, quia Synagogæ carne prodiens, conspicuus ad gentes venit. Quod bene Joseph qui relicto pallio fugit, signatum est. Nudus quippe ad uterum matris revertitur, cum in mundi hujus termino is qui in sæculo factus homo despitur, Sinagogæ suæ oculis Deus ante sæcula declaratur. Hinc Paulus ait : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 24). » MORALITER. Ac si tentatus animus, et infirmitatis suæ inopia deprehensus dicat. Nudum me in fide prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione salvabit. Est namque magnum turbati animi solatium, ut pulsatus vitiis, cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiæ spem recurrat, et eo se nudari non sinat, quo se a virtutibus humiliter nudum putat. Sequitur : *Dominus dedit, Dominus abstulit.* — Sanctus vir tentante adversario cuncta perdiderat, sed tamen sciens quia contra se Satan tentandi vires, nisi permittente Deo non haberet, non ait, Dominus dedit, diabolus abstulit, sed *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Fortassis enim fuerat dolendum, si quod Conditor dederat, hostis abstulisset, at postquam non abstulit, nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Addit dicens : *Sicut Domino placuit ita factum est.* — Si igitur justa placere Domino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus, justa sunt cuncta quæ patimur, et valde injustum est, si de justa passione murmuramus. Sequitur. *Sit nomen Domini benedictum.* — Ecce omne quod rectum sensit,

Domini benedictione conclusit. Ut hinc adversarius inspiciat ad pœnam suam unde erubescat, quia ipse Deo contumax etiam in beatitudine conditus exstitit, cui homo hymnum gloriæ etiam percussus dicit. Redemptor autem noster per hoc quod dictus est, cum Patre dat omnia, per hoc vero quod homo est, a Patre accipit omnia. Dicat igitur de Judæa cum venturum incarnationis ejus mysterium crederet : *Dominus dedit :* Dicat de Judæa cum exspectatam Incarnationis præsentia contempsisset : *Dominus abstulit.* Quod autem Dominus gratias egisset, Evangelium attestatur ; *accepto* enim pane gratias agisse perhibetur (*Luc.* XXI, 19). Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscepit, et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit. Ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello propriæ culpæ facere debeat, si ille æquanimiter flagella culpæ portavit alienæ, et quid faciat subditus, si hæc fecit Patri æqualis. MORALITER. Tentationibus eruditus crescit, qui et in virtute habita largitatem dantis, et in perturbatione fortitudinis potestatem tollentis agnoscit. Quæ tamen fortitudo non tollitur, sed perturbatur, cum a mente humili sedulo custoditur. In hoc vero quod interna perturbatione concutimur, dignum est ut ad Conditoris judicium recurramus, ut inde cor nostrum adjutorio suo majores laudes exhibeat, unde pulsatum verius imbecillitatem infirmitatis suæ pensat. Sequitur.

VERS. 22. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis,* etc. — Quia tacito cogitationis motu possumus non loquendo peccare, et de beato Job dictum est *non peccavit,* constat quod murmurationis vitium a cogitatione restrinxit. Et cum dicit. *Stultum locutus non est,* patet quia culpam a lingua compescit. Nec peccavit ergo, nec stulte locutus est, quia nec per conscientiam tacitus tumuit, nec linguam in contumaciam relaxavit. ALLEGORICE. Quod nec peccasse, nec stultum aliquid contra Deum locutus sit Dominus, Petrus attestatur dicens : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* I. 32). » MORALITER. Solerti enim cura custodire animus dolens debet, ne cum se intus tentatio stimulat, in verbis forte illicitæ locutionis erumpat. Ne de probatione murmuret, ne ignis qui bone velut aurum concremat, per excessum sermonis illiciti in paleæ favilla vertat. Nil vero obstat, si hoc quod de virtutibus diximus, de his quæ in ostensione virtutis dantur donis Spiritus sancti sentiamus « Alii namque prophetiæ, alii genera linguarum, alii virtutes curationum » donantur (*I Cor.* XII, 10). Sed quia hæc ipsa dona non semper in mente eodem modo sint, liquido ostenditur. Quod ne se mens in præsumptione elevet, aliquando utiliter subtrahuntur. Aliæ namque sunt donationes sancti Spiritus, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur : ut est mansuetudo, humilitas, fides, spes, charitas ; aliæ quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur : ut est prophetia, virtus curationum, genera linguarum. Illa ergo sine periculo amitti non possunt ; ista plerumque sine dispendio subtrahuntur. Sed cum subtrahuntur dicamus : *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.*

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT II.

VERS. 1-3. *Factum est cum quadam die venissent filii Dei, et assisterent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan : Unde venis ? Qui respondens ait, Circuivi terram et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan : Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum et recedens a malo ?* — Hæc quia latius superius disseruimus, melius est ut silendo prætereamus. Quamvis quod ei dicitur *unde venis ?* non ut prius dicatur, ac si enim Dei vox dicat : Ecce ab uno, et in infirma carne posito vinceris, qui te contra me auctorem omnium erigere conaris. Unde mox Dominus cum beati Job bona, sicut prius, diceret ; hæc cum victoriæ triumphis enumerans adjungit : *Adhuc retinens innocentiam suam.* Ac si aperte dicat : Tu quidem malitiam exercuisti, sed ille innocentiam non amisit. Sequitur : *Tu autem commovisti me adversus eam, ut affligerem eum frustra.* — Quæramus ergo quomodo frustra, quomodo non frustra. Quia enim justus est Deus, affligere frustra non potest. Sed rursum quia verax est, aliter non potuit dixisse quam fecit. Necesse quippe erat, ut sanctus vir soli Deo sibique notus, quanta virtute polleret, ad imitandum cunctis innotesceret. Aperta namque aliis virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione remaneret. Frustra ergo percussus est, cui culpa nulla reciditur, et non frustra, cui virtus ad meritum cumulatur. Quid est quod dicit : *Commovisti me?* Nunquid Satanæ verbis veritas in subditorum suorum cruciatibus accenditur ? Absit. Sed quia nos ferire nisi commoti nescimus ipsa divina percussio commotio dicitur, et ad nostra verba, divina voce descenditur, ut ejus factum utcunque capiatur. Sed quia hæc jam allegorice supra discussimus, replicare vitamus. Hinc ergo initium sumimus. Itaque ait : *Commovisti me frustra.* Cum Job Redemptoris nostri speciem teneat, eique una sit cum Patre substantia, unaque potestas, quomodo per Satan motum se adversus eum asserit ? Satan itaque ad hujus afflictionem Dominum tunc commo-

vit, quando in paradisum primum hominem a culmine, justitiæ, inobedientiæ culpa, prostravit. Nisi enim Adam primus per voluntarium vitium in anima mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem non veniret voluntariam. De quo et bene additur *frustra*. Frustra quippe afflictus est, qui, et culpæ ultione pressus est, et culpæ contagio inquinatus non est. Hinc est quod Patri quidam sapiens dicit : « Cum sis justus, juste disponis omnia (*Sap.* XII, 15), » eum quoque qui non debet puniri condemnas. Sequitur :

VERS. 4. *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* — Sæpe enim dum venire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus, ut ab ictu oculos defendamus, et corpus vulneri objicimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Satan ergo hæc consuere sciens fieri, dicit : *Pellem pro pelle.* Ac si aperte dicat : Idcirco Job tot extra se flagella æquanimiter patitur, quia pavet ne ipse feriatur. Sequitur :

VERS. 5. *Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem*, et reliqua. — Superius dixit. *Tange cuncta quæ possidet*, nunc quasi prioris propositionis oblitus, fractus de aliis, alia postulat. MYSTICE. Malignus spiritus Redemptorem nostrum miraculis coruscare conspiciens, elamat : « Scimus quia sis Sanctus Dei (*Marc.* I, 24), » Qui hæc dicens, cognoscendo Dei Filium pertimescit. Sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, nonnunquam dum passibilem considerat, hominem purum putat. Multos autem substantialis specie in pastorali positos loco didicerat, quia a visceribus charitatis alieni, valde pro minimo aliena damna pensabant. Hunc ergo quasi ex illis colligens, quia subtractis multis superari non vidit, usque ad ejus carnem per tactum passionis exarsit, velut diceret : *Pellem pro pelle*, et reliqua Ac si aperte dicat : Moveri de his quæ extra se sunt, negligunt ; sed tunc veraciter qui sit agnoscitur, si in seipso quod doleat experitur. Hæc per se Satan cum fieri appetit, non verbis, sed desideriis, dixit. Hæc per membra sua et verbis et desideriis intulit. Ipse quippe loquitur, cum juxta prophetæ vocem ejus sequaces dicunt : « Mittamus lignum in panem ejus (*Jerem.* XI, 19). » Sequitur :

VERS. 6. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam ejus serva.* — Manui itaque adversarii sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adjutoris sui manu retinetur. De illis quippe ovibus erat, de quibus Veritas dicit : « Non rapiet eas quisquam de manu mea (*Joan.* X, 28). » Et tamen expetenti hosti dicitur : *Ecce in manu tua est.* Isdem ergo in manu Dei, isdem in manu diaboli. Pius enim adjutor ; quia tenuit quem concessit, et dando non dedit, quem adversarii sui jaculis ejectis abscondit. Servare autem animam Satan dicitur, irrumpere non audere, sicut Patri dicimus : « Et ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI. 18). » MYSTICE. Membrum diaboli Pilatus, corpus ejus sacerdotum principes exstiterunt. Cum ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum Satanæ manibus

A tradidit, quid aliud quam ejusdem Satanæ manum in se sævire permisit ? Si igitur potestas Satanæ, ejus accipitur manus, ejus manus juxta carnem pertulit ; cujus potestatem corporis usque ad sputa, colaphos, flagella, crucem, lanceamque toleravit. Unde et Pilato dixit ; « Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper. Animam vero ejus serva (*Joan.* XIX. 11). » Non quo hanc tentare prohibetur, sed quo hanc tentare non posse convincitur. Neque enim sicut nos tentatione concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Etenim si tentationem exterius est dignatus suscipere, mens tamen ejus exterius divinitatis suæ inhærens, inconcussa permanebat. Potest etiam ejus anima electorum vita si-
B gnari, et cum Satan ad feriendam Redemptoris carnem permittitur, ab anima separatur. Quia cum corpus ejus ad passionem accipit, electos ejus a jure suæ potestatis amittit. Cumque illus caro per crucem moritur, horum mens contra testamenta solidatur. Sequitur :

VERS. 7. *Egressus Satan a facie Domini.* — Sæpius hæc sunt superius dicta. *Percussit Job ulcere pessimo a planta perdis usque ad verticem ejus.* — Sæpe enim multa flagella ex qualitate, si videlicet cum multa sunt, non sint gravia, et sæpe gravia ex quantitate, si non sint multa, levigantur. Adversarius vero in sanctum virum non solum per nequitiam, qualitatis ut illud : *Percussit Job ulcere pessimo* ; sed etiam per pondus quantitatis exar-
C sit, ut illud : *A planta pedis usque ad verticem ejus.* MYSTICE. Corpus Domini omnes sunt electi. Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit qui a puris hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit. Nullus itaque electorum in hac vita venit qui non hujus hostis adversa sustinuit. MORALITER. Sic nos quippe divina pietas deserit, ut deserendo custodiat. Sic custodit, ut tamen permisso tentationis articulo, statum nobis nostræ infirmitatis ostendat. A planta nos pedis usque ad verticem hostis vulnerat, quia nimirum cum licentiam percipit, a minimis incipiens, usque ad majora pervenit. Qui corpus lacerat, sed ad animam non pervenit, cum cunctis cogitationibus interior,
D inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit, ut quamvis delectatio mentem mordeat, deliberatione tamen sanctæ rectitudinis usque ad consensum molliter non inflectat. Sequitur :

VERS. 8. *Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* — Quid testa, nisi lutum ? quid sanies, nisi lutum ? Luto ergo tergebat lutum. Pensabat quippe vir sanctus unde sumptum fuerat quod gestabat, et corpus quod sibi sanum subdiderat, percussum fragmento fictili curavit. In sterquilinio ponebat corpus, ut ex terra sumptum quæ esset carnis substantia, bene proficiens perpenderet animus. Intueri libet quare omnipotens Deus in hoc sæculo sic vehementer despicit, quos sic sublimiter ante sæcula

elegit. Idcirco quippe nos sic premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis. Hinc ergo unusquisque colligat, quid illic sint passuri quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat ? Typice. Quid aliud in manu Domini est testa, nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta ? Etenim testa igne solidatur, et caro Domini per passionem robustior exstitit, ut illud Prophetæ : « Aruit velut testa virtus mea (*Psal.* xxi, 16). » Sanies itaque putredo est sanguinis, et peccata carnis, ex longa vetustate pejor sanies est. Vulnus itaque in saniem vertitur, cum neglecta culpa usu deterius gravatur. Redemptor itaque noster corpus suum in manibus persequentium tradens, saniem testa rasit, quia peccata nostra carne sua delevit. Venit, ut scriptum est, « in similitudinem carnis peccati (*Rom*, vi, 5), » ut de peccato damnaret peccatum. Testa ergo sanies raditur, cum carne culpa superatur. Qui non in foro ubi lex perstrepit, sed in sterquilinio residet ; quia attestante Paulo : « Infirma mundi elegit, ut confunderet fortia (*I Cor.* i, 17). » Ecce dolens in sterquilinio sedet, quia post perpetratas culpas libenter corda pænitentium possidet. Qui dum mala sua flendo considerant, quasi ante se stercora sese abjiciendo coacervant. Unde per prophetam dicitur : « Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum ? » (*Isa.* lxvi, 2). Quotidie etiam nunc usque perversa tolerat, cum a reprobis ejus electi lacerantur. Pravis enim moribus in Ecclesia Redemptoris vitam multi insequuntur, non gladiis, sed malis actibus. Qui non solum pravæ actioni seipsos inferunt, sed etiam justorum rectitudinem inflectere ad perversa moliuntur. Moraliter. Quid per testam nisi vigor districtionis, quid per saniem nisi fluctus illicitæ cogitationis accipitur ? Percussi ergo testa saniem radimus, cum post pollutionem cogitationis illicitæ nosmetipsos aspere dimicando mundamus. Aliter : Per testam fragilitas mortalitatis intelligitur. Testa ergo saniem mundare est mortalitatis cursum fragilitatemque pensare. Cum ergo prava se cogitatio menti influit, quasi ex vulnere sanies decurrit. Sed citius sanies tergitur, si in consideratione nostra fragilitas quasi in manu testa teneatur. Sanies itaque tergitur, cum culpa non solum ab opere, sed etiam a cogitatione resecatur. Hinc Dominus : « Dico, inquit, vobis, quod si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v, 28). » In sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, et se de bonis quæ per gratiam percipit, non extollit. In sterquilinio nobis sedere est, ad ea quæ illicite gessimus, mentis oculos pœnitendo reducere. Sequitur :

Vers. 9. *Dixit autem illi uxor sua. Adhuc tu permanes in simplicitate tua. Benedic Deo, morere.* — Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit. Ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. In utrisque ergo contra beatum Job se vehementer exercuit. Nam patrifamilias intulit damna rerum, victusque ad subtilia tentandi argumenta convertitur. Cor igitur mulieris tenuit, et quasi scalam qua ad cor viri ascendere potuisset, invenit, sed nihil hoc arte prævaluit. Cum enim cor nostrum antiquus hostis sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium subrepit. Hinc enim scriptum est. « A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende (*Eccli.* xxxii, 26). » Et rursum : « Inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 36). » Mystice. Cujus speciem male persuadens mulier renuit, nisi quorumlibet carnalium in Ecclesiæ sinu positorum ? Qui quo verbis professæ fidei intus sunt, eo bonos incorrectis suis moribus pejus premunt. Suadent namque nos aliquando verbis, aliquando exemplis illiciunt. Sed hoc ipsum aliquando metu, aliquando vero audacia agere moliuntur. Quorum Petrus et Sarviæ filius speciem tenuerunt. Ille videlicet passione Dominum prohibendo, hic vero maledicentem regi exstinguere cupiens. Sed valde deteriores sunt, qui huic culpæ non formidine sed elatione succumbunt. Moraliter. Uxor namque male suadens, est carnalis cogitatio mentem lacescens. Sæpe enim et foris flagellis atterimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc Jeremias ait : « Foris interficit gladius, et domi mors similis est (*Thren.* i, 20). » Sed hæc aliter aguntur a reprobis, aliter ab electis. Illorum namque corda ita tentantur ut consentiant; istorum non tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Sequitur :

Vers. 10. *Respondens autem Job dixit : Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* — Ecce ubique hostis frangitur, ubique superatur, quia enim sensus pravæ mulieris, non autem sexus in vitio est, nequaquam ait : locuta es quasi una ex mulieribus, sed ex ineptis mulieribus, ut videlicet ostendatur, quia quod pravum sapit, accedentis stultitiæ, non autem conditæ sit naturæ. Sequitur. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus ?* — Bona, scilicet dona Dei, vel temporalia vel æterna ; mala autem flagella præsentia appellans. De quibus Dominus per prophetam dicit : « Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum (*Isa.* xli, 7). » Magna quippe consolatio tribulationis est, si cum adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus, nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. Hinc namque scriptum est : « In die bonorum, ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum (*Eccli.* xi, 17). » Mystice. Sancti viri tribulationum bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, alios suadentes sentiunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis jacula intorquent doctrinæ. Hos docentes corrigunt, illos tolerantes premunt. Insurgentes namque hostes patiendo despiciunt; infirmantes vero cives, compatiendo ad salutem educunt. Quia enim electis dicitur : « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (*Psal.* xvi, 4), » mentes carnalium quæ in fluxa Deo intentione

deserviunt, non immerito mulieres vocantur. Ac si dicatur : Si ad bona æterna tendimus, quid mirum si temporalia mala sufferamus ? Hinc Paulus ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » MORALITER. Quisquis subigere vitia appetit, et ab æterna intentione retributionis culmina veræ intentionis gressibus tendit, quo magis vallari se vitiorum bello undique conspicit, eo se virtutum armis robustius accingit, et tanto minus jacula metuit, quanto contra hæc jacula venientia fortiter pectus munit. Sequitur : *In omnibus his, non peccavit Job labiis suis.* — Duobus modis labiis delinquimus, cum aut injusta dicimus, aut justa reticemus. Nam et si aliquando reticere culpa non esset, propheta non diceret : « Væ mihi, quia tacui (*Isa.* VI, 5). » Beatus Job in cunctis quæ egit, in labiis suis minime peccavit, quia nec contra ferientem superba dixit, nec contra suadentem reticuit. MYSTICE. Sancti viri cum persecutionem foris intusque patiuntur, non solum in Dei injuriis minime excedunt, sed neque contra ipsos adversarios contumeliosa verba jaculantur. Hinc Petrus ait : « Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus (*I Petr.* IV, 15). » Maledicus enim patitur, qui passionis suæ in tempore sui saltem injuria persecutoris effrenatur. Sequitur :

VERS. 11. *Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei*, et reliqua. — Qui ex condicto ad afflicti consolationem veniunt, et inter se et erga percussum quantæ charitatis fuerint demonstrantur. Quamvis et per hoc quod Scriptura hos tanti viri amicos fuisse testatur, quia boni studii et rectæ fuerint intentionis ostenditur, sed tamen hæc ipsa illorum intentio eis ad verba prorumpentibus ante districti judicis oculos suborta indiscretione fuscavit. MYSTICE. Amici beati Job, et si bona intentione ad eum conveniunt, hæreticorum tamen idcirco speciem tenent, quia ad culpam indiscrete loquendo dilabuntur. Sancta itaque Ecclesia cum vulnera sustinet, cum membrorum suorum lapsus dolet, insuper alios sub Christi nomine tolerat hostes Christi. Ad augmentum namque doloris ejus, etiam hæretici in contentione conveniunt, eamque, quasi quibusdam jaculis, irrationabilitus verbis figunt. Sequitur : *Convenerunt de loco suo.* Hæreticorum quippe locus ipsa est superbia, sicut e contra humilitas locus bonorum, ut illud Salomonis. « Si ascenderit super te spiritus potestatem habens, locum tuum ne dimiseris (*Eccle.* X, 4). » Hæretici igitur de loco suo veniunt, quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia moventur. Eliphas interpretatur *Dei contemptus*. Baldad autem *velustas sola*. Dum novæ vitæ conversionem hæretici negligunt, et ex sola vetustate est quod intendunt ; Sophar *dissipatio speculæ*, vel *speculatorem dissipans*. Montes namque fidelium ad contemplanda superna se erigunt, sed dum hæreticorum verba pervertere recta contemplantes appetunt, speculam dissipare

A conantur. Bene autem loca de quibus veniunt, congrua hæreticorum actibus describuntur. Dicitur enim Themanites, austes [auster] Suites, *loquens* ; Naamatites, *decor*. Prius enim hæreticos inordinatus calor accendit, nitor deinde loquacitatis erigit, et tunc demum decoros hominibus hypocrisis offendit. Sequitur : *Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur.* Condicunt sibi hæretici, quando prava quædam contra Ecclesiam concorditer sentiunt, et in quibus a veritate discrepant, sibi in falsitate concordant. Hæretici autem qui sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum si amici nominantur, cum et ipsi traditori dicitur : « Amice, ad quid venisti ? » B (*Matth.* XXVI, 30.) MORALITER. Amici consolari veniunt, sed in contumelias erumpunt, qui vitia insidiantia, virtutum faciem sumunt, sed hostili invectione nos feriunt. Sæpe immoderata ira, justitia, dissoluta remissio, misericordia, sæpe incautus timor humilitas vult videri. Bene autem dicitur. *Condixerant enim sibi*, Vicina namque est superbia iræ, remissio timori. Condicendo enim veniunt, quæ contra nos sibi ex quadam pravitatis cogitatione sociantur. Sequitur :

VERS. 12. *Cumque elevassent oculos procul, non cognoverunt eum.* — Ordo quippe consolationis est, ut cum volumus afflictum quempiam a mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem namque non potest C consolari, qui non concordat dolori. Sed inter hæc sciendum est, quia his qui afflictum consolari desiderat, mensuram necesse est dolori quem suscipit ponat ; ne non solum dolentem non mulceat, sed intemperate dolens, afflicti animum ad pondus desperationis premat. Amici vero beati Job plusquam necesse fuerat in consolatione doluerunt, qui dum percussionem cernunt, sed percussi mentem nesciunt, ita in immensum luctum versi sunt, ac si percussus vir tantæ fortitudinis in plagam corporis, etiam corde cecidisset. MYSTICE. Hæretici quique cum sanctæ Ecclesiæ facta considerant, oculos levant, quia ipsi videlicet in imis sunt. Sancta quippe Ecclesia appetit hic mala recipere, ut possit ad æternæ remunerationis præmium purgata pervenire. Hæretici igitur quia D pro magno præsentia appetunt, eam in vulneribus positam non cognoscunt. Hic namque quod in illa cernunt, in suorum cordium cognitione non relinquunt. Sequitur : *Scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.* — Sicut vestimenta Ecclesiæ cunctos fideles accipimus, ut illud prophetæ : « Omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX, 18), » ita hæreticorum sunt omnes qui eis concordant, inhærentes illorum erroribus involvuntur. Qui dum ad deteriora quotidie ruunt, et sentiendo pejora in multis se partibus scindunt. Sicque fit, ut scissis sequacibus malitia eorum cogitationis aperiatur, ut discordiam dolus patefaciat, quos spiritus gravis concordiæ culpa claudebat. Per pulverem, terrenam intelligentiam,

per caput mentem, per cœlum præceptum supernæ locutionis accipimus. Pulverem ergo super caput in cœlo spargere est, seculari intellectu mentem corrumpere, et de verbis cœlestibus terrena sentire. Super capita igitur pulverem spargunt, quia in præceptis Dei per terrenam intelligentiam ultra suarum mentium vires nituntur. MORALITER. Afflictos enim nos vitia minime cognoscunt, quia triste cor mox ut pulsaverint reprobata resiliunt, et quæ nos lætos quasi noverant, qui penetrabant, mœrentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur. *Qui exclamantes ploraverunt.* Signatur enim pietas per ploratum, discretio per scissionem vestium, affectus operum per pulverum capitum. Sequitur :

VERS. 13. *Sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus*, et reliqua. — Utrum continuis septem diebus et septem noctibus cum afflicto Job sederint, an certe diebus et noctibus totidem instantia ei crebræ visitationis adhæserint, ignoramus. Sæpe tamen Scriptura totum pro parte, et pro toto partem ponere consuevit. Intuendum videlicet est, quia sunt nonnulli qui et loqui præcipitanter incipiunt, et effrenate cæpta effrenatius exsequuntur. Et sunt nonnulli qui tarde quidem loqui inchoant, sed semel inchoantes habere modum locutionis ignorant. Amici igitur beati Job dolorem videntes, diu tacuerunt, sed tarde inchoantes indiscrete locuti sunt, quia parcere dolenti noluerunt. Unde necesse est ut non solum intueamur quid agimus, sed etiam cum quanta discretione peragamus. MYSTICE. In die quæ videmus agnoscimus, in nocte autem aut cæcitate nil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem vero ignorantia designatur. Septenario autem numero summa universitatis exprimitur. Septem enim diebus omne hoc tempus consumitur. Quid est ergo in terra septem diebus et noctibus sedere, nisi quod hæretici, vel his in quibus verum lumen intelligunt, vel in his in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur, quasi

A infirmitati sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, et sub blandimentorum specie dolos deceptionis parant. In terra ergo consedere est, aliquid de imagine humilitatis ostendere, ut, dum humilia exhibent, persuadent superba quæ docent. Potest etiam per terram ipsa Mediatoris incarnatio designari. Unde ad Israel dicitur : « Altare de terra facietis mihi (*Exod.* XX, 24, 25, 26). » In terra ergo sedere est vel in hoc quod aliquid de plenitudine veritatis intelligunt, vel in hoc quod suæ stultitiæ tenebris excæcantur hæretici, incarnationis mysterium negare non posse, veramque Redemptoris carnem cum sancta Ecclesia credere. MORALITER. Cum afflictis nobis vitia sedent in terra, cum imaginem humilitatis ostentant, ut

B affectum utilitatis subtrahant, ut dum se unusquisque indignum considerat, res in quibus prodesse proximis poterat, ministrare pertimescat. Sequitur : *Et nemo loquebatur ei verbum.* — Tacentes enim adversarios habemus, si vere filios fidei prædicando generare negligimus. Si autem loqui recte incipimus, graves mox contumelias ex eorum responsione sentimus. Nonnunquam tamen hæretici cum torpore inertiæ fidelium corda considerant, erroris semen aspergere loquendo non cessant. Cum vero mentes bonorum vident alta sapere, de ærumna hujus exsilii strenue dolere, circumspectione sollicita linguam frenant. Quia vident quod contra corda dolentium in cassum loquentes citius obmutescunt. Unde mox

C subditur : *Videbant enim dolorem esse vehementem.* — MORALITER. Si enim cor veraciter dolet linguam contra nos vitia non habent. Nam cum plene vita rectitudinis quæritur, supervacua suggestio pravitatis obduratur. Sæpe autem si nos fortiter stringimus, vitia ad usum virtutis immutamus. Sed dum iram rationi subjicimus, in sancti zeli ministerium vertimus, si cum superbia erigit, hanc ad defensionem justitiæ immutamus : si cum fortitudo carnis illecebrat, pietatis lucra mercemur.

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT III.

Qui textum considerat, et sensum sacræ lectionis ignorat, non tam se eruditione instruit, quam ambiguitate confundit. Ecce enim beatus Job maledixisse diei suo describitur, dicens :

VERS. 3. *Pereat dies in qua natus sum.* — Quis autem nesciat dies qua natus est nequaquam tunc stare potuisse ? Cur ergo vir tantus malediceret rei quam nequaquam subsistere non ignoraret ? Si enim subsistenti rei maledixit, perniciose egit. Si non subsistenti rei maledixit, otiose. Ideoque sic otiosa velut etiam perniciosa formidanda sunt. Hinc enim scriptum est : « Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem (*Matth.* XII, 36). Sequitur :

D VERS. 4. *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper et non lustretur lumine.* — Dies qui lapsus cursu temporis scitur, cur verti in tenebras dicitur, et qui non subsistit, quomodo umbra volvit ? Aut quam noctem tenebrosus turbo possidet, quam nullus status tenet ? Aut quomodo optatur solitaria fieri, quæ transeundo jam fuerat nulla ? Aut lucem quomodo exspectat, quæ sensu caret ? Sequitur :

*Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii ? Quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus ? Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem* VERS. 11-13. — Nunquid si egressus ex utero statim periisset, retributionis meritum ex hac ipsa perditione perciperet ? Nunquid æterna

præmia abortivi perfruuntur? Quod vero apud nos valet baptismus, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides; vel pro majoribus virtus sacrificii, vel mysteria circumcisionis. Scriptum est: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et reliqua (*Psal.* L, 7). » Veritas autem dicit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non habet vitam æternam (*Joan.* III, 5). » Quid est quod quiescere se asserit, si a reatu originalis culpæ nequaquam divina eum sacramenta liberassent? Sequitur: *Cum regibus et consulibus terræ.* — Quis ignoret quod reges et consules a solitudine procul sint, vel quam difficile ad requiem tendant? Ut illud: « Judicium durissimum in his qui præsunt fiet (*Sap.* VI, 6). » Et illud: « Cui multum donatum est, multum quæretur ab eo (*Luc.* XII, 48). » Sequitur: *Aut cum principibus qui possident aurum.* — Rarum valde est ut qui aurum possident ad requiem tendant. Cum Veritas dicat: « Difficile qui pecunias habent intrabunt in regnum cœlorum (*Matth.* XV, 23; *Marc.* X, 25). » Quia igitur verba hæc in superficie a ratione discordans, ipsa jam littera indicat. Sed quid est quod David, qui retribuentibus mala non reddidit (*Psal.* VII, 5). Gelboe tamen montibus maledixit? (*II Reg.* I, 21). Quid moriente Saul montes Gelboe peccaverunt? Hac ergo et aliis sacræ Scripturæ maledictionibus discimus, quid apud beatum Job in voce maledictionis inquiramus. Ne quem Deus post verbera remunerat; lector redarguere non intelligens præsumat. Sed sciendum est quod Scriptura duobus modis maledictum memorat. Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Hinc scriptum est: « Benedicite, et nolite maledicere (*Rom.* XII, 14); » et: « Neque maledici regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 10). » Illinc: « Maledicta terra in opere tuo (*Gen.* III, 17). » Hinc pensandum est, quia cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt, ut Petrus Simoni, ut Elias quinquagenariis. Sed nec illud prætereundum est cur dicit, post hæc, post illa, videlicet quæ ei acciderunt. Nimis itaque incongruum est, ut suspicemur eum nullo instigante nullo pulsante, ex impatientia ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum novimus inter tot verbera magna Creatoris præconio humili mente reddidisse. ALLEGORICE. *Pereat dies in qua natus sum.* Per diem nativitatis, omne hoc tempus nostræ mortalitatis intelligi potest. Quisquis igitur jam diem æternitatis videt, ægre diem mortalitatis suæ [sustinet] videt. Et notandum quia non ait: *Pereat dies* in qua conditus, sed *in qua natus sum.* In die quippe justitiæ homo est conditus, sed jam in tempore culpæ natus. Ac si aperte dicat: Dies mutabilitatis pereat, et lumen æternitatis erumpat. Sed quia duobus modis perire dicimus, vel cum optamus aliquid ut non sit, vel cum optamus ut male sit, liquido hic ostenditur, quia dies iste non ita ut non sit, sed perire optatur, ut male sit, unde et paulo inferius dicitur: *Obscuret eum caligo, et in-*

A *volvatur amaritudine.* Hoc autem tempus mutabilitatis non transiturum est ut male sit, sed ut penitus non sit. Ut illud angeli: « Per viventem in sæcula, quia tempus jam non erit (*Apoc.* X, 6-7). » Humana enim anima seu angelicus spiritus et immortaliter mortalis est, et mortaliter immortalis, Nam beate vivere sive per vitium, seu per supplicium perdit. Essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. Igitur diei nomine, vir sanctus apostatam spiritum exprimere voluit, qui in vivendi essentia, etiam moriendo subsistit. Antiquus autem hostis dies est per naturam bene conditus, sed nox est per meritum ad tenebras delapsus. Dies est cum bona promittit, sed nox est cum mentes consentium [consentien-
B tium] erroris tenebris obscurat. De illo enim Paulus ait: «Cum sit angelus tenebrarum, transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI, 14). » Ac si ergo diceret: Pereat antiquus hostis, qui lucem promissionis ostendit, et peccati tenebras contulit. Pereat, id est, licentiam tentandi amittat. MORALITER. Quasi dies quædam est nobis, cum mundi hujus prosperitas arridet, quæ in nocte desinit, quia sæpe ad tribulationis tenebras perducit. Hinc propheta ait: « Diem hominis non desideravi, tu scis (*Jer.* XVII, 16). » Hinc Dominus per Prophetam dicit: « Usque ad noctem increpuerunt me renes mei (*Psal.* XV, 7). » Potest autem per diem peccati delectatio, per noctem vero cæcitas intelligi. Optat igitur perire diem, ut om-
C ne quod blandire culpa cernitur, vigore justitiæ interveniente, destruatur. Optat etiam perire noctem, ut cæcata mens etiam per consensum perpetrat, animadversione pœnitentiæ exstinguat. Sed quærendum nobis est cur in die homo natus dicitur, in nocte autem conceptus. Scriptura sacra tribus modis hominem appellat, scilicet aliquando per naturam, ut illud: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I, 26). » Aliquando per culpam, ut illud: « Vos autem sicut homines moriemini (*Psal.* LXXXI, 7). » Et Paulus ait: « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? » (*I Cor.* III, 3). Aliquando per infirmitatem, ut illud: « Maledictus qui spem suam ponit in homine (*Jer.* XVII, 5). »
D Homo ergo in die nascitur, sed in nocte concipitur, quia nequaquam a delectatione peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Pereat ergo delectatio, quæ in culpa hominem rapuit. Pereat incauta mentis infirmitas, quæ usque ad tenebras pravi consensus excæcavit. Sequitur: *Dies illa vertatur in tenebras.* In tenebras dies vertitur, cum malignus hostis qualis est ex merito sæviens, talis perspicitur in blandimentis latens. Quasi enim lucet dies iste, cum pravitatis ejus persuasio prospera creditur. Sed, cum iniquitas illius sicut est, agnoscitur; dies falsæ promissionis tenebris obscuratur. Dies in tenebras vertitur, cum culpa ipso delectationis exordio, ad quem perditionis finem rapiat, videtur. In tenebras diem vertimus

cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis pravæ blandimenta per districta pœnitentiæ lamenta cruciamus, cum flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccavimus. Sequitur : *Non requirat eum Deus desuper et non illustret lumine.* — Duas omnipotens Deus ad se intelligendum creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam. Utramque vero superbia percutit. Sed eam redimere debuit misertus, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse. Hinc enim Propheta ait : « Recordatus est quia caro sunt (*Psal.* LXXVII, 39). » Et eo altius angelum apostatam repellere debuit, quo nil infirmum ex carne gestavit. Est adhuc aliud quo et perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit. Quia nimirum angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Ac si de eo dicatur. Quia ipse tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit, nec unquam pristini luminis status recipiat, quia hoc etiam non suasus amisit. MORALITER. Requirit quæ judicando discutit, non requirit quæ ignoscendo in suo jam judicio impunita dereliquit. Hic itaque dies, id est, hæc peccati delectatio a Domino non requiretur, si animadversione spontanea punitur, Paulo attestante qui ait : « Si nosipsos dijudicaremus, non utique a Domino judicaremur (*I Cor.* II, 31). » In judicio namque Dominus apparens, omne quod tunc redarguit lumine illustrat. Quasi enim sub quadam obscuritate tegitur, quidquid tunc in memoriam non revocatur judicis. Scriptum quippe est : « Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur (*Ephes.* V, 13). » Quia ergo omne quod tegitur velut in tenebris occultatur, in die extremi judicii non illustratur lumine, quod non discutitur ultione. Scriptum est enim : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). » Sequitur :

VERS. 5. *Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis.* — Per umbram mortis oblivio debet intelligi, quia sicut mors interimit vitam, ita oblivio exstinguit memoriam. Quia ergo apostata angelus æternæ oblivioni traditur, umbra mortis obscuratur. Ac si dicat : Sic enim eum erroris sui cæcitas obruat, ut nequaquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini respectus memoriam resurgat. MORALITER. Diem tenebræ obscurant quando delectationem mentis inflicta pœnitentiæ lamenta transverberant. Possunt etiam per tenebras occulta judicia designari. Occulta enim judicia quasi quædam ante nostros oculos tenebræ sunt, quia perscrutari nequaquam possunt. Unde de Domino scriptum est : « Posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12), » Diem igitur tenebræ obscurant, cum flendo nostræ delectationis gaudium ab illo justæ animadversionis radio inscrutabilia ejus judicia misericorditer occultant. In Scriptura enim sacra umbra mortis aliquando oblivio mortis accipitur, ut illud : « Illuminare his qui in tenebris et umbra mortis sedent (*Luc.* I, 79). » Aliquando imitatio diaboli. De illo quippe dicitur : « Nonne illi mors (*Apoc.* VI, 8). » Hinc utique scriptum est : « Sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis (*Matth.* IV, 16). » Aliquando mors carnis, ut illud : « Humiliasti nos in loco afflictionis, operuit nos umbra mortis (*Psal* XLIII, 20). » Vera enim mors est cum anima separatur a Deo. Quia ergo Redemptor solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, et ante oculos culpam quam fecimus abscondit. Ac si ergo diceret : Ille veniat qui ut a morte carnis et spiritus debitores eripiat, mortem carnis non debens solvat. Sequitur : *Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.* — Quia enim antiquus hostis a luce intimi ordinis cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur. Quia enim in caligine oculus confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus subnubilat mentem. Hinc scriptum est : « Et confusio adducens gloriam (*Eccli.* IV, 15). » Hæc caligo eorum mentem oppresserat, quibus Paulus dicebat : « Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis (*Rom.* VI, 21) ? » Dies enim amaritudine involvitur, cum ad cogitationem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ sequuntur. Quidquid enim involvitur ex latere omnis partis operitur. Diem ergo amaritudine involvimus, cum pravæ delectationis gaudium quod supplicia sequantur ex omni parte aspicimus, et asperis hoc fletibus circumdamus. Sequitur :

VERS. 6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*—Scriptum quippe est : « Ignis in conspectu ejus ardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. » Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiritum a conspectu districti judicis ad æterna illa supplicia pavenda illa tempestas rapit. Turbine nox ista possidetur, quia superba ejus cæcitas districta animadversione percutitur. MORALITER. Quasi enim quidam turbo tempestatis est, concitatus spiritus mœroris. Nam dum paccatum quisque, quod fecit, intelligit, mœrore mentem obnubilat, et quasi concusso serenæ lætitæ aere, omnem in se tranquillitatem cordis pœnitentiæ turbine devastat. Hinc enim scriptum est : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis (*Psal.* XLVII, 8). » Tharsis interpretatur *exploratio gaudii*, id est, perpetrationem culpæ non blandimenta securæ quietis foveant, sed piæ desæviens amaritudo pœnitentiæ irrumpat. Sequitur : *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus anni.* — Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus. Quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum, quia sicut ex dierum multitudine annus dicitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. Hinc Isaias ait : « Spiritus

Domini per me (*Isa.* LXI, 1). » Et post paululum infert : « Et prædicarem annum placabilem Domino (*Ibid.*, II). » Quid vero per dies, nisi singulæ quæque electorum mentes? Quid per menses, nisi multiplicatæ eorum Ecclesiæ, quæ unam catholicam faciunt, designantur? Illa ergo nox non computatur in diebus anni, quia antiquus hostis superbiæ suæ tenebris pressus, adventum quidem Redemptoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est : « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit (*Heb.* II, 16). » Possunt dici hi, qui interna luce permanent, angelici spiritus ; menses autem, eorum ordines et dignitates intelligi. Singuli quique enim spiritus, quia lucent, dies sunt. Sed quia certis quibusdam dignitatibus distinguuntur, B ut alii Throni, alii Dominationes sint, menses vocantur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur, nec in diebus anni, nec in mensibus numeratur. MORALITER. Illuminationis nostræ annus tunc perficitur, quando apparente æterno judice sanctæ Ecclesiæ, peregrinationis suæ vita completur. Tunc laboris sui remunerationem recipiet, cum expleto hoc belli tempore, ad patriam redit, ut illud Prophetæ : « Benedices coronam anni benignitatis tuæ (*Psal.* LXIV, 12). » Dies vero anni hujus sunt singulæ quæque virtutes, menses autem multiplicia facta virtutum. Ac si ergo districtum judicem exoret dicens : Cum completo sanctæ Ecclesiæ tempore, extremo te examine manifestas, C sic dona quæ contulisti remunera, ut mala quæ commisimus, non requiras. Si enim nox illa computatur, omne quod egimus ex pravitatis nostræ æstimatione confunditur ; et dies virtutum jam non lucent, si hos in conspectu tuo annumerata nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret. Sequitur :

VERS. 7. *Sit nox illa solitaria.*—Nox illa solitaria efficitur, quia districtione perpetua a frequentia supernæ patriæ separatur, Aliter. Ad perditionem quippe socium hominem fecerat sibi, quem Redemptoris sublatis eis qui electi sunt, solus antiquus hostis cum suo corpore æternis ignibus gehennæ mancipatur. Sequitur : *Nec laude digna.*—Cum enim humanum genus erroris tenebris pressum, deos lapides crederet, quid aliud quam noctis tenebras laudavit ? Hinc Paulus ait : « Scimus quia idolum nihil est (*I Cor.* VIII, 4). » Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant. Sed ecce D jam cernimus, quia nox illa non esse digna laude cognoscitur, cum a redempto humano genere, idolorum veneratio reprobatur, et solitaria nox relinquitur, quia cum damnato apostata spiritu ad tormenta non it. MORALITER. Sunt nonnulli qui non solum nequaquam deflent quod faciunt, sed etiam laudare et defendere non desistunt. Et nimirum cum defenditur culpa, geminatur. Contra quod recte dicitur : « Peccasti ? ne adjicias iterum (*Eccli.* XXI, 1). » Ac si ergo dicat : Culpa quam fecimus sola remaneat. nec laudatur et defenditur, in conspectu nos judicis multiplicius adstringat Peccare quidem non debuimus, sed utinam non ungentes vel ea quæ fecimus sola deseramus. Sequitur :

VERS. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei.* In veteri translatione dicitur : « Maledicat eam, qui maledixit diem, qui capturus est grande cetum. » Antichristi enim his verbis perditio [prævidetur providetur futura. Maledicens namque spiritus, qui per meritum nox est, diem se in mundi finem simulat, cum se quasi Deum hominibus ostendat. Noctem igitur maledicit, qui maledicit diem, quia ille nunc ejusmalitiam destruit, qui illustratione adventus sui, tunc etiam potentiam ejus fortitudinis exstinguit. Hujus enim est fortitudo in aquis capitur, quia antiqui hostis versutia baptismi sacramento superatur. Hic autem de electis ejus angelis dicitur : Diem se quippe superbiens spiritus ostentare etiam angelicis potestatibus voluit, cum se quasi in potentia divinitatis super cæteros extollens, tot post se ad interitum legiones traxit. Sed hi qui in auctore suo humili corde perstiterunt, cum errori ejus noctem inesse conspicerent, diem claritatis illius de semetipsis humilia sentiendo calcaverunt, qui nunc nobis doli ejus tenebras indicant, et quam sit illis despicienda facta claritas demonstrant. MORALITER. Illi veraciter mala transacta per animadversionem pœnitentiæ corrigunt, qui jam ad bona fallentia nulla delectatione rapiuntur. Non quos adhuc noxia alia delectant, falsum est quod cernitur, quia perpetrata alia deplorant. Aliter : Illi transactas culpas vere puniunt, qui maligni seductoris insidias in ipsa blanda suggestione deprehendunt. Sequitur : *Qui parati sunt suscitare Leviathan.*—Leviathan quippe *additamentum eorum* interpretatur, hominum scilicet, quia postquam primam culpam mala suggestione intulit, hanc quotidie augere gravioribus persuasionibus non desistit. Vel certe per exprobrationem additamentum hominum dicitur. Eos namque in paradiso immortales reperit, sed divinitatem promittendo, immortalitatem calliditate subtraxit. Electi enim spiritus superbum apostatam comprimunt, quia humiles hunc sequi noluerunt, ipsisque administrantibus disponitur, ut ad internecionem apti certaminis destruendus funditus quandoque revocetur. MORALITER. Omnes qui ea quæ mundi sunt mente calcant, et ea quæ Dei sunt plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant, quia ejus malitiam instigatione suæ conversationis inflammant. Nam qui ejus voluntati subjecti sunt, quasi quieto ab illo jure possidentur. Et quasi dormit, dum sopitus in eorum pravo corde quiescit. Sed excitatur in provocatione certaminis,cum jus amiserit perversæ dominationis. Hi ergo contra peccatum forti judicio districtionis se erigunt, qui in suis tentationibus excitare antiquum adversarium non formidant. Sequitur :

VERS. 9. *Obtenebrentur caligine stellæ ejus.*—In Scriptura sacra aliquando sanctorum justitia desi-

gnatur, ut Paulus apostolus ait : « In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo (*Phil.* II, 15). » Aliquando hypocritarum ficto demonstratur, ut illud : « Misit draco caudam, et traxit partem stellarum (*Apoc.* XII, 4). » Ac si ergo dicat : Contra eos quante (*Videtur phrasis corrupta*) humanos oculos, quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura prævaleat, et hoc quod ante humana judicia sumpserant, lumen laudis deponant. MORALITER. Stellæ quippe noctis caligine tenebrantur, quando et hi qui magnis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent, ut etiam magna claritate luceant, ut tamen adhuc noctis reliqua nolentes trahant. Unde et in terra repromissionis in medio Ephraim tribui canentes tribu, talarius relinquitur. Aliter. Nox est consensus ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata. Nosque jam post pœnam ad hanc vitam damnati, cum mortis merito venimus. Multi tamen in tenebris vitæ præsentis dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent. Qui tamen quantolibet se igne compunctionis accendant, dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, æternum lumen, sicut est, videre non possunt. Dicat ergo : *Obtenebrentur stellæ caligine ejus.* Id est etiam illi in contemplatione sua antiquæ noctis adhuc tenebras sentiant, de quibus nimirum constat quod humano generi in hujus vitæ caligine virtutum suarum radios expandant. Sequitur : *Exspectet lucem, et non videat.* — Lux Dominus est, ipse quippe ait : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Nox vero tenebrosus hostis, cum membris suis est, quæ lucem exspectat et non videt. Quia vel hi qui fidem sine operibus retinent cum pro eadem fide in extremo judicio salvare se posse confidunt, spes illorum frustrabitur, ut hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, in cassum advenientem judicem retributionem bonorum operum sperant, Veritate attestante, quæ ait : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VII, 2). » Sequitur : *Nec ortum surgentis auroræ.* — Aurora quippe Ecclesia dicitur, quæ a peccatorum suorum tenebris, ad lucem justitiæ permutatur. De qua dicitur : « Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens ? » (*Cant.* VI, 9.) In illa igitur luce, quæ in districti judicis adventu monstrabitur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt, quia iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in internum cordis lumen surgat, ignorat. Quæ etiam Ecclesia in judicio adhuc aurora erit, sed in regno dies. Ortus itaque auroræ est exordium clarescentis Ecclesiæ, quem videre reprobi nequeunt, quia in conspectu districti judicis malorum suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur. De quibus propheta ait : « Tollatur impius ne videat gloriam justi (*Isa.* XXVI, 10). » Aliter : Judæa lucem exspectavit, et non vidit, quia humani generis Redemptorem venturum, quod est prophetando, sustinuit ; sed venientem minime cognovit. Quæ et surgentis auroræ ortum non vidit, quia infirma illa sanctæ Ecclesiæ primordia venerari contempsit. MORALITER. Quantalibet intentione adhuc peregrina mens satagat, videre lucem sicut est, non valet, quia hanc ei damnationis suæ cæcitas abscondit. Ortus vero est auroræ illa nova nativitas resurrectionis Ecclesiæ. Hinc Dominus ait : » In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth.* XIX, 28). » Sed quantalibet virtute electi nunc fulgeant, penetrare nequeunt quæ erit illa novæ nativitatis gloria, qua tunc carne ad contemplandum æternitatis lumen abscondunt. Sequitur.

VERS. 10. *Quia non conclusi ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.* — Quod unicuique homini venter est matris, hoc universo humano generi exstitit illa summa paradisi. Ex ipsa namque humanum genus velut ex ventre prodiit Sed hujus ventris ostia serpens aperuit, cum persuasione callida in corde hominis mandatum cœleste dissolvit. Nec moveat quod non conclusisse quæritur, quem aperuisse paradisi januam detestatur. Non conclusit enim dicit, aperuit, et mala non abstulit, irrogavit. Quasi enim auferret, si quiesceret, et quasi clauderet si ab irruptione cessaret. MORALITER. Ostia quippe ventris sunt desideria concupiscentiæ carnalis, de quibus per prophetam dicitur : « Intra in cubicula tua, et claude ostia tua (*Isa.* XXVI, 20). » Nox vero est culpa peccati, quæ ostia ventris aperuit, quia concepto a peccato homini desideria concupiscentiæ reseravit, non conclusit, ut supra aperuit, et non abstulit, irrogavit. Sequitur :

VERS. 11. *Quare non in vulva mortuus sum* ? et reliqua. — Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere : In corde namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Iisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur, in opere : Prius namque latens culpa agit, postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, ac hinc in consuetudinem dicitur, ad extremum quoque aut falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Beatus igitur vir humani generis lapsus aspiciat, et dicat : *Quare non in vulva mortuus sum* ? Id est, in ipsa occulta perpetratione peccati, cur a carnis vita mortificare me nolui ? Sequitur : *Egressus ex utero, non statim perii ?* — Id est, postquàm ad apertam iniquitatem exii, cur me tunc saltem perditum non cognovi ? Periisset quippe in suo judicio, si se perditum cognovisset. Sequitur :

VERS. 12. *Quare exceptus genibus ?* — Id est, post apertam culpam, cur me adhuc in illa etiam consuetudo suscepit, ut valentiorem ad nequitias redderet, et pravis motibus sustinens foveret ? Sequitur : *Cur lactatus uberibus ?* — Id est, postquam in culpæ consuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequitiam,

vel falsæ spei fiducia, vel lacte miseræ desperationis enutrivi? Augetur etiam culpa favoribus enutrita. Hinc Salomon ait : « Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas (*Prov.* I, 10). » Sciendum quoque quod tres illli motus peccantium, juxta discessus sui ordinem facilius corriguntur, quartus vero iste difficilius emendatur. Unde et Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, Lazarum de sepulcro, quartum vero non suscitat mortuum. Aliter: *Quare non in vulva mortuus sum?* Id est, cum serpentis suggestio me conciperet, tunc utinam quæ me mors sequeretur, agnovissem, ne usque ad delectationem suggestio raperet, et morti arctius ligaret. Sequitur: *Egressus ex utero, non statim perii?* Ac si dicat : Utinam ad exteriorem delectationem exiens, quo interiore lumine privabar, agnovissem, et saltem in ipsa delectatione occumberem, ne per consensum mors acrius puniret! Sequitur : *Cur exceptus genibus!* Ac si dicat : Utinam minime me consensus subjectis pravis sensibus excepisset, nec ipsa consentio me audaciam deterius raperet! Sequitur : *Cur lactatus uberibus?* Id est, utinam blandiri mihi saltim post mala perpetrata voluissem, ne tanto me nequius astringerem, quanto mollius in illa me foverem! Sequitur :

VERS. 13. *Nunc enim dormiens silerem, et sommo meo requiescerem.* — Ad hoc homo in paradiso positus fuerat, ut si se Conditori suo astringeret, ad cœlestem angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Hoc quietis silentium homo habuit, cum contra hostem suum liberum voluntatis arbitrium accepit, cui quia sua sponte succubuit, mox de se quod contra se perstreperet invenit. Hinc Paulus ait: « Video aliam legem in membris meis (*Rom.* VII, 23). » Ipsa enim carnis suggestio, quasi quidam clamor est contra quietem mentis, quam ante transgressionem homo non sensit. Sequitur :

VERS. 14. *Cum regibus et consulibus terræ.* — Reges non immerito angelorum spiritus accipimus qui quo auctori omnium familiarius serviunt, eo subjecta potius regunt. Qui bene consules vocantur, quia dum ipsis nuntiantibus voluntatem Conditoris agnoscimus, in eis procul dubio consultum ab angustia nostræ tribulationis invenimus. Cum quibus homo dormiret, quia nimirum cum eis quiesceret, si persuasoris linguam sequi noluisset. Aliter : Reges sunt sancti prædicatores Ecclesiæ, qui et commissos sibi recte disponere, et sua bene regere corpora sciunt. Qui dum desideriorum in se motus temperant, super subjectis cogitationibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam consules terræ vocantur, quia exstinctis peccatoribus vitæ consultum præbent. Qui et terrenas mentes per exhortationis suæ consilium ad cœlestia pertrahunt. Consul enim erat qui dicebat : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do (*I Cor.* VII, 25). » Sequitur : *Qui ædificant sibi solitudines.* — Omnes enim qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus, in corde comprimuntur. Dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem pede miseriæ frequentationis calcant. At contra sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde cogitationum tumultibus premuntur. Solitudines ergo ædificare est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et una intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos a se cogitationum tumultus expulerat qui dicebat ? « Unam petii a Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini (*Psal.* XXVI, 4) » Et : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Et Jeremias ait : « A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me (*Jer.* XV, 17). » Sequitur :

VERS. 15. *Cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento.* — Quos alios principes, nisi sanctæ Ecclesiæ rectores vocat ? Quos indesinenter in loco præcedentium prædicatorum divina dispensatio subrogat. De quibus eidem Ecclesiæ Psalmista ait : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, » et reliqua (*Psal.* XLIV, 17). Quid vero aurum nisi sapientiam appellat ? Ut illud Salomonis : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI, 20). » Quid autem per domos nisi conscientiæ designantur ? Unde sanato cuidam dicitur : « Vade in domum tuam (*Matth.* IX, 6.) » Quid per argentum, nisi eloquia divina figurantur ? De quibus per Psalmistam dicitur : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 7). » Si enim parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret. Sed hi qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur. Eosdem ergo electos aspicit vir sanctus, atque quomodo cum eis quiescere potuisset, intendit. Sequitur :

VERS. 16. *Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem.* — Abortivum dicitur, quod ante plenum tempus oritur, exstinctum protinus occultatur. Abortivos enim cum quibus quiescere potuisset omnes vocat, qui ab ipso primordio mundi ante redemptionis tempus exorti sunt, et tamen huic mundo mortificare semetipsos curaverunt. Qui conscriptæ legis tabulas non habentes, quasi ab utero mortui sunt, quia Auctorem suum naturali lege timuerunt. Tempus itaque illud, quod juxta mundi initium mortuos huic sæculo Patres nostros protulit, quasi abortivus uterus fuit. Ibi namque Abel, Enoch et Noe, ibi Abraham, Isaac et Jacob fuerunt. Quia ergo a mundi primordio edita multitudo bonorum ex magna parte nostræ notitiæ subtrahitur, abortivum hoc absconditum vocatur. Neque enim tot solummodo justos, usque ad acceptam legem exstitisse credendum est, quot Moyses brevissima descriptione perstrinxit, quod non substitisse dicitur, quia enumeratis paucis eorum frequentia nullo apud nos memoriæ scripto retineatur. Sequitur : *Vel qui concepti non viderunt lucem.* — Hi namque

qui post acceptam legem in hoc mundo nati sunt, Auctori suo ejusdem legis sunt admonitione concepti. Sed tamen concepti lucem minime viderunt, quia ad adventum Dominicæ incarnationis, quamvis hanc fideliter apertis prophetarum vocibus excitati crederent, pervenire nequiverunt. Incarnatus quippe Dominus dicit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Atque ipse, Lux ipsa ait : « Multi prophetæ et justi desideraverunt videre quæ videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII, 17). » Sequitur :

VERS. 17. *Ibi impii cessaverunt a tumultu.* — Corda peccantium per hoc quod strepitus desideriorum possidet, gravis cogitationum instigantium tumultus premit. Sed in hac luce a tumultu impii cessaverunt, quia nimirum Mediatoris adventum ad vitæ suæ requiem populi gentiles invenerunt, Paulo attestante qui ait : « Quod quærebat Israel hoc non est consecutus, electio autem consecuta est (*Rom.* XI, 7). » In hac luce impii cessant, dum perversorum mentes veritate cognita laboriosa mundi desideria fugiunt, et tranquillitati intimi moris acquiescunt. Hinc, ipsa Lux ait : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI, 28,29). » Sequitur : *Ibi requieverunt fessi robore.* — Omnes enim qui in hoc mundo fortes sunt, quasi robore fortes sunt, non robore defessi. Qui vero in Auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt. Hinc Psalmista ait : « Defecit in salutare tuum anima mea (*Psal.* CXVIII, 81). » Et rursum : « Concupivit anima mea, et defecit in atria Domini (*Psal.* LXXXIII, 3). » Ac si aperte dicat : Illic requies lucis remunerat, quos hic interius recreans provectus fatigat. Notandum quia non ait in hac luce, sed ibi. Quam enim continere electos conspicit, quasi locum nostrum hanc esse deprehendit. Hinc Psalmista ait : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum habitabunt (*Psal.* CI, 28, 29). » Sequitur :

VERS. 18. *Et quondam vincti pariter sine molestia* — Justos enim quamvis nullus desideriorum carnalium possideat tumultus, duris tamen vinculis eos in hac vita positos suæ corruptionis molestia ligat. Scriptum quippe est : « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). » Aliud namque de mente, aliud de corpore tolerant, et contra semetipsos quotidie in interno certamine exsudant. Jure ergo vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderii ad Deum liberum non habemus. Hinc Paulus ait : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I, 23). » Hæc autem vincula in resurrectione rumpenda conspexerat, qui dicebat gaudens : « Dirupisti vincula mea, » et reliqua (*Psal.* CXV, 17). Bene autem dicitur, *quondam vincti* ; quia dum illa semper præsens lætitia cernitur, omne quod erit et defluit, quasi jam præteritum videtur. Dum enim rerum finis attenditur, omne quod præterit quasi fuisse pensatur. Sequitur : *Non exaudierunt vocem exactoris sui.* — Exactor ille importunus est persuasor, qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, et ob hoc quotidie expetere mortis debitum non desistit. De hoc Veritas dicit : « Et judex tradet te exactori (*Luc.* XII, 58). » Hujus vox est tentatio miseræ suggestionis. Hujus vocem audimus cum tentatione pulsamur, sed non exaudimus cum tentanti resistimus. Cujus vocem justi non exaudierunt, quinimo suggestionem ejus, et si audiunt cum tentantur, non tamen exaudiunt, quia consentire contemnunt. Sequitur :

VERS. 19. *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* — Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum : ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Hinc Veritas ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » Hinc Psalmista ait : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo scribuntur (*Psal.* CXXXVIII, 16). » Tanta enim vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, se accepisse in alio exsultet.

# LIBER QUINTUS.

VERS. 20. Beatus etenim Job cum supernam requiem contemplatus diceret, *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo.* Illico adjungit : *Quare data est misero lux?* — In Scriptura sacra nonnunquam lucis appellatione prosperitas, noctis autem nomine adversitas designatur. Unde et per Psalmistam dicitur : « Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus (*Psal.* CXXXVIII, 12). » Lux enim miseris datur, quando hi qui sublimia contemplantes esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ prosperitatis non accipiunt, et cum valde defleant, quia tarde ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur. Sequitur : *Et vita his qui in amaritudine animæ sunt?* — In amaritudine quippe animæ sunt omnes electi, quia punire flendo non desinunt, quæ deliquerunt, vel gravi se mœrore afficiunt, quia longe huc a facie Conditoris projecti, adhuc in æternæ patriæ gaudiis non sunt. De quorum corde bene per Salomonem dicitur : « Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus (*Prov.* XIV, 10). » Sequitur :

Vers. 21. *Qui exspectant mortem, et non venit.* — Desiderant quippe sancti mortificatione se induere, atque ab omni vita gloriæ temporalis exstinguere, sed occultis Dei sæpe judiciis, vel præesse in regimine, vel occupari injunctis honoribus compelluntur. Desideriorum suorum detrimenta tolerat, ut majora lucra conversis aliis reportent. Sequitur : *Quasi effodientes thesaurum.* — Qui thesaurum effodiunt, illi, appropinquantes in effossione, enixius laborant ; sic quippe qui mortificationem suam plene appetunt, quasi effodientes thesaurum quærunt, et eo in opere delectabilius exsudant, quo jam velut thesaurum præmia propinquiora considerant. Unde Paulus ait : « Non deserentes collectionem nostram sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem (*Hebr.* x, 25]. » Aliter : Mundo morimur, si relictis visibilibus, in invisibilibus abscondamur. Thesaurum effodimus cum sapientiam perquirimus, de qua Salomon ait : « Si quæsieris illam quasi pecuniam, et sicut thesauros effodies eam (*Prov.* II, 4). » Quam facile invenit, qui molem a se terrenæ cogitationis repellit. Sequitur :

Vers. 22. *Gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* — Sicut enim in sepulcro absconditur corpus, ita in divina contemplatione absconditur anima. Mundo adhuc vivimus cum mente foris vagamur ; sed mortui in sepulcro absconditur cum mortificati exterius, in secreto internæ contemplationis celamur. Hinc Paulus ait : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Col.* III, 3). » Aliter thesaurum in sepulcro gaudentes quærimus, cum sacræ Scripturæ paginas sapientiam perquirentes volvimus, cum exempla præcedentium perscrutamur, quasi ex sepulcro gaudium sumimus, quia mentis divitias apud mortuos invenimus. Sequitur :

Vers. 23. *Viro cui abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris?* — Via enim sua viro abscondita est, quia et si jam in qua sit vitæ qualitate considerat, adhuc tamen, ad quem finem tendat, ignorat. Et si jam superna appetit, etsi plenis hæc desideriis quærit, adhuc si in eisdem desideriis permaneat, nescit. Est autem et alia vitæ nostræ absconsio, quia nonnunquam et ad ipsa quæ recte nos agere credimus, an in districti judicis examine recta sit ignoramus, Salomone attestante, qui ait : « Est via quæ videtur hominibus recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem (*Prov.* XIV, 12). » Sequitur : *Et circumdedit eum Deus tenebris.* — Tenebris namque homo circumdatur, quia quamvis cœlesti desiderio ferveat, quid de semetipso sit dispositum intrinsecus ignorat. Sequitur :

Vers. 24. *Antequam comedam suspiro.* — Comedere est namque animæ, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia gemitu tribulationis afficitur, et postmodum contemplationis refectione satiatur. Sequitur : *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.* — Aquæ, cum inundant, cum impetu veniunt, et crescentibus multipliciter voluminibus intumescunt. Electi vero dum menti suæ oculis divina judicia opponunt, dum de occulta in se sententia trepidant, dum præteritorum suorum recolunt quæ deflent, dumque sibi adhuc futura quæ nesciunt pertimescunt, quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mœroris rugitus, quasi in subjecta littora defluunt. Sequitur :

Vers. 25. *Quia timor quem timebam venit mihi.* — Electi flent et pavent, et magnis se lamentis cruciant, quia deseri formidant. Et quamvis de correctione gaudeant, eorum trepidam mentem correctio ipsa perturbat, ne malum quod tolerant, non pia percussio disciplinæ sit, sed animadversio justæ vindictæ. Ut illud Psalmistæ : « Quis novit potestatem iræ tuæ ? » (*Psal.* LXXXIX, 11.) Sequitur :

Vers. 26. *Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.* — Quamvis quolibet in loco positi, cogitando, agendo, loquendo peccemus, tunc tamen per tria hæc animus effrenatius rapitur, cum mundi hujus prosperitate sublevatur. Nam cum auctoritate vocis a nullo restringitur lingua, licentius per abrupta diffrenatur. Sed sancti viri cum mundi hujus potestate fulciuntur, cor ad considerandam suam gloriam reprimunt, linguam ab immoderata locutione restringunt, opus ab inquietudinis vagatione custodiunt. Potestas quippe, cum habetur, et cogitanda est ad utilitatem et dissimulanda propter tumorem. Aliter : Silere est mentem a terrenorum desideriorum voce restringere. Quiescunt qui terrenarum actionum strepitus pro divino amore postponunt. Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat ? Bene autem in Psalmis dicitur « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus (*Psal.* XLV, 11). » Quia vacare Deo negligit, suo sibi judicio lumen ejus visionis abscondit. Sequitur : *Et venit super me indignatio.* — Magna quippe arte doctrinæ dicturus, verbera prætulit recte facta, ut unusquisque hinc consideret, quæ peccantibus postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc Petrus ait : « Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? » (*I Petr.* IV, 18.) Sequitur :

## CAPUT IV.

Vers. 1, 2. *Respondens Eliphaz Themanites dixit : Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* — Eliphaz namque Latina lingua dicitur *Domini contemptus.* Et quid aliud hæretici faciunt, nisi quod dum falsa de Deo sentiunt, eum superbiendo contemnunt ? Loqui namque molliter Eliphaz inchoat, qui hæreticorum speciem tenet, qui et primus amicorum loquitur, qui dum loquendi custodiam negligit, usque ad afflicti contumelias excedit dicens : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam (*Job.* IV, 11). » Exasperare quippe hæretici auditores suos

in exordio locutionis metuunt, ut vigilanter audiantur, et pene semper blanda sunt quæ proponunt, sed aspera quæ prosequendo subinferunt. Sequitur :

VERS. 3. *Sed conceptum sermonem quis tenere posset?* — Tria genera sunt hominum qui a se dissident : Sunt qui ad loquendum prava concipiunt, et nulla silentii gravitate refrenantur ; et sunt qui cum prava concipiunt, magni silentii se vigore restringunt ; et sunt qui virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum in corde quidem perversa concipiant quæ silendo compescant. Eliphaz itaque ex quo sit ordine ostenditur, cum ait: *Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Qui enim in loquendo se offensurum novit. Pravi igitur sicut in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites. Hinc Salomon ait : « Qui emittit aquam, caput est jurgiorum (*Prov.* XVII, 14). » Sequitur.

VERS. 4. *Ecce docuisti plurimos*, et reliqua. Magnæ celsitudinis iste vir fuit, qui inter curam domus, et multiplicium rerum custodiam, affectus pignorum studiaque laborum, erudiendis cæteris se impendit. Temporalia regenda disposuit, æterna prædicando nuntiavit. Sed seu hæretici, seu perversi quilibet, cum bona justorum referunt, ea ad argumentum criminis flectunt. Nam sequitur :

VERS. 5. *Nunc autem venit super te plaga et defecisti.* — Ab iniquis vero modo bonorum locuto, aut ejusdem linguæ suæ adjudicata testimonio in crimine vita succumbat. Qui etiam bona de justis aliis cognita loquuntur, sed hæc ipsa protinus ad cumulum objurgationis pertrahunt. Sequitur :

VERS. 6. *Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua et perfectio viarum tuarum?* — Quæ cuncta superiori conjungit sententiæ. Sed intuendum valde est, quia quamvis inconvenienter inchoasset, congruenter tamen ordines rerum narrat. Quatuor quippe modis vitam beati Job virtutibus enumerando distinxit, dum et timori fortitudinem, et fortitudini patientiam, et patientiæ perfectionem junxit. In via namque Dei timor gignit fortitudinem, ut Salomon ait : « In timore Dei, fiducia fortitudinis (*Prov.* XIV, 26). » Quia dum mens nostra recto metu Conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur. fortitudo autem nonnisi in adversitate ostenditur. Unde mox patientia subrogatur, et statim post patientiam viarum perfectio subinfertur. Ille enim perfectus est qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Sequitur.

VERS. 7. *Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit?* et reliqua. Sæpe enim hic et innocentes pereunt, sed ad æternam gloriam pereundo servantur. Quia hic innocens perit, propheta affirmat : « Justus perit et nemo est qui recogitet (*Isa.* LVII, 1). » De rectis Sapientia dicit : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus (*Sap.* IV, 11). » Sequitur :

VERS. 8, 9. *Quin potius vide eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo perisse.* Dolores seminare et fraudulentiam dicere eos, et metere est dicendo prævalere. Vel certe dolores seminant qui perversa agunt, metunt cum de eadem perversitate puniuntur. Fructus quippe doloris est retributio damnationis. Seminant ergo, inquit, dolores et metunt, quia iniqua sunt quæ faciunt, et in ipsa iniquitate prosperantur, sicut Psalmista ait : « Polluuntur viæ ejus in omni tempore (*Psal.* IX, 25). » Flare Dei, vindicta retributionis dicitur. Bene itaque qui dolores seminant, flante Deo, pereunt, quia unde foris perversa faciunt, inde ab intimis recte feriuntur. Flare irascendo dicitur, quia is qui in se tranquillus est pereuntibus turbulentus videtur. Sequitur :

VERS. 10. *Rugitus leonis et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt.* — Quid enim rugitus leonis appellat, nisi, ut paulo ante præmisimus, severitatem viri ? quid vocem leænæ, nisi loquacitatem conjugis ? Quid dentes catulorum leonum, nisi edacitatem prolis ? Quia enim filii convivantes extincti sunt, dentium expressione signantur. Quæ cuncta dum contrita Eliphaz exsultat [exaltat], quasi jure damnata denuntiat. Cujus adhuc duritiam increpationis ingeminat, cum subjungit :

VERS. 11. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.* — Quem enim nomine tigris nisi beatus Job nota varietatis signa ? vel aspersum maculis simulationis ? Sed nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum mundus color dissimulatione dicitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe dum de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiæ fœdatur. Quæ videlicet tigris rapit prædam, quia humanis sibi favoribus usurpat gloriam. Quia enim rapta laude extollitur, quasi præda satiatur. Translatio autem Septuaginta Interpretum non habet *tigris*, sed, *mirmicoleon periit*. Mirmicoleon quippe parvum valde est animal formicis adversum ? Dicitur autem Latine formicarum leo, vel certe formica et leo. Quid in micoleontis nomine Eliphaz in beato Job nisi pavorem et audaciam reprehendit ? Ac si aperte dicat : Non injuste percussus es ; contra erectos timidus, contra subditos audax fuisti. TYPICE. Leo, propter virtutem, Dominum ; propter sævitiam diabolum, designat. De Domino : « Vicit leo de tribu Juda (*Apoc.* V. 5). » De diabolo : « Adversarius vester diabolus, sicut leo rugiens (*I Petr.* V, 8). » Leænæ autem nomine aliquando sancta Ecclesia designatur, quia audax est in adversis, ut isdem Job ait : « Non pertransivit per eam leæna (*Job.* XXVIII, 8). » Aliquando Babylonia propter immanitatem. Catuli autem leonum sunt quilibet reprobi, ad iniquam vitam malignorum spirituum errore generati. Sancti etenim viri sollicite custodiunt semetipsos, ne leo idem antiquus hostis eos sub aliqua imagine virtutis occidat, ne læenæ vox auribus perstrepat, idem ne Babylonis gloria censum ab amore cœlestis patriæ avertat, ne catulorum dentes mordeant, id est ne reproborum suasio in corde conva-

lescat. Sed hæretici jam quasi de sanctitate securi sunt, quia suæ vitæ meritis cuncta se superasse suspicantur. In tigris etiam nomine propter multiformis astutiæ varietatem non incongrue eum signavit, quem superius per leonem. Satan quippe modo stultorum mentes blande persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit. Item per mirmicoleon designatur, quia carnalibus leo est, spiritualibus autem formica. Sequitur :

Vers. 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum.* Verbum absconditum hæretici audire se simulant, ut auditorum mentibus quadam prædicationis suæ reverentiam obducant. Quis scilicet, ut mira ostendere valeant, nova semper exquirunt, ut Salomon ait : « Aquæ furtivæ dulciores sunt, » et reliqua (*Prov.* IX, 17). Typice. Verbum absconditum invisibilis Filius vocatur, de quo Joannes ait : « In principio erat Verbum, » et reliqua (*Joan.* I, 1). Sed hoc verbum absconditum electorum mentibus dicitur, cum potestas unigeniti Filii credentibus manifestatur. Potest etiam absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Joannes ait : « Unctio ejus docet nos de omnibus (*I Joan.* II, 7). » Quæ nimium aspiratio humanam mentem tangendo sublevat, et ex desiderii internis inflammat. Absconditum ergo verbum audire est locutionem sancti Spiritus corde percipere. Quæ profecto sciri non potest, nisi a qua haberi potest. Verbum hoc absconditum dicitur, quia illud a quibusdam procul dubio in corde percipitur, quod a maxima parte hominum nescitur. Vel certe afflatio sancti Spiritus, absconditum verbum est, quia sentiri potest, strepitu locutionis exprimi non potest. Sequitur : *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* — Venas itaque susurri divini suscepit furtive, qui ad percipiendam virtutis ejus notitiam, deserto publicæ prædicationis ostio, pravæ intelligentiæ rimas quærit, de quibus Dominus dicit : « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, hic fur est et latro (*Joan.* X, 1). » Typice. Venias superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens raptim et occulte cognoscit, quia et subtracta a visibilibus invisibilia conspicit, et repleta invisibilibus visibilia perfecte contemnit. Susurrum quippe occulti verbi est, hæc ipsa locutio aspirationis internæ. Venæ autem susurri dicuntur causarum origines, quibus hæc ipsa aspiratio ad montem ducitur. Quasi enim venam susurri sui aperit, cum nobis latenter insinuat quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim amore, aliquando terrori compungit. Aliter : Qui enim susurrat, occulte loquitur, et vocem non exprimit, sed imitatur. Cum ergo Omnipotens se nobis per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur, sed susurrat, quia et se plene non intimat ; quiddam tamen de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam jam susurrat, sed loquitur cum ejus nobis certa species revelatur. Hinc Dominus ait : « Palam de Patre annuntiabo vobis (*Joan.* XVI, 25). »

A Et Joannes : « Videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2). » Sequitur :

Vers. 13. *In honore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.* — In nocturna quippe visione, dubie cernitur. Rimas ergo susurri in pavore nocturnæ visionis se percepisse hæretici asserunt, quia ut ea quæ docent alta alii ostendant, vix ea se capere posse denuntiant. Sed hinc colligendum est, quomodo audientibus certa esse poterunt quæ ipsi dubie viderunt. Typice. Horror nocturnæ visionis est pavor occultæ contemplationis. Humana etenim mens, quo altius elevata quæ sint æterna considerat eo de factis temporalibus gravius tremefacta formidat. Sequitur : *Quando solet sopor occupare homines.* — Ac si dicant hære- B tici. Cum homines interius [inferius] dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus. Figurate autem tribuo modis somnus accipitur : aliquando enim mors carnis accipitur, ut Paulus ait : « Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, » et paulo post : « Ita et Deus eos, qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo (*I Thess.* IV, 13, 14). » Aliquando torpor negligentiæ, ut illud : « Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII, 11) ; » Et : « Evigilate, justi (*I Cor.* XV, 34). » Aliquando vero calcatis desideriis terrenis, quies vitæ accipitur et illud : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V, 2). » Quisquis enim ea quæ mundi sunt agere appetit, quasi vigilat ; quisquis vero internam requiem quærens, hujus mundi strepitum fugit, velut ob- C dormiscit. Quia igitur nequaquam notitia interna concipitur, nisi ab externa implicatione cessetur, recte nunc dicitur : *Quando sopor solet occupare homines,* ut Dominus ait : « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). » Sequitur :

Vers. 14. *Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.* — Quia enim hæretici, de doctrinæ suæ altitudine miri videri appetunt, quasi pertimescunt quod dicunt. Figurate. Quid per ossa nisi fortia acta accipimus? De quibus Propheta ait : « Dominus custodit omnia ossa eorum (*Ps.* XXXIII, 21). » Ac si diceretur : Subtilitatis intimæ arcana percipiens, unde me apud me fore credidi, ante conspectum judicis inde titubavi. Districtionem quippe justitiæ contemplantes, etiam D de ipsis operibus juste pertimescimus, quæ nos fortia egisse putabamus. Sequitur :

Vers. 15. *Et cum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* — Ut incomprehensibilia se cognovisse judicent, non stetisse, sed transisse coram se spiritum narrat. Mystice autem nobis præsentibus transit spiritus, quando invisibilia cognoscimus, et tamen hæc non solide, sed raptim videbimus. Non ergo stat spiritus, sed transit, quia in suavitate contemplationis intimæ diu mens fixa non permanet, quæ mox ad semetipsum ipse immensitate luminis reverberata revocatur. Pili carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationes. Transeunte ergo spiritu,

pili carnis inhorruerunt, quia ante compunctionis vim cogitationes superfluæ fugiunt, ut nil fluxum libeat, quia afflatam mentem etiam contra semetipsam visitationis intimæ severitas inflammat. Sequitur :

VERS. 16. *Stetit quidem cujus non agnoscebam vultum.* — Vultum se vidisse incognitum hæretici simulant, ut esse se ei cognitos, qui ab humana mente cognosci non valet, ostendant. TYPICE. Quidam namque non dicimus, nisi de eo utique quem exprimere aut nolumus, aut non volumus. Sed qua mente hoc loco dicitur *quidam*, exponitur cum protinus subinfertur : *Cujus non cognoscebam vultum.* Cum enim animus postponens omnia imaginem rerum, phantasmata, substantiamque semper ut est idem est et ubique præsens est, cogitat, conspicit hanc. Quam si necdum quid sit apprehendit, agnovit certe quid non sit. Bene autem dictum est : *Stetit.* Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta est, et per semetipsam ad nihilum tendit. Stare ergo solius Creatoris est, per quem cuncta transeuntem transeunt, et in quo aliquo aliqua ne transeant retinentur. Sequitur : *Imago eorum oculis meis.* — Sæpe hæretici Deum sibi imaginaliter fingunt, quem intueri spiritaliter nequeunt, ejusque vocem quasi auræ levis audire se perhibent, qui ad secreta illius cognoscenda quasi esse se familiariores cæteris gaudent. Non enim ea docent quæ publice Deus loquitur, sed quæ eorum auri quasi latenter aspirat. MYSTICE. Imago Patris Filius est, sicut Moyses de formatione hominis ait : « Ad imaginem suam fecit illum (*Gen* I, 27). » Et Apostolus. « Qui cum sit spendor gloriæ et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I, 3), » Cum ergo æternitas cernitur, prout infirmitatis nostræ possibilitas admittit, imago ejus mentis nostræ oculis antefertur. Quia vero cum in Patre intendimus, hunc quantum accepimus per suam imaginem, id est per Filium, videmus, ut ipse Dominus ait : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV, 6). Sequitur. *Et vocem quasi auræ levis audivi.* — Quid enim per vocem auræ levis, nisi cognitio Spiritus sancti ? Qui de Patre procedens, et de eo quod est Filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur. Quia igitur humana mens, quantalibet virtute tetenderit, vix de intimis extrema cognoscit, recte nunc dicitur : *Et vocem quasi levis audivi.* — Sequitur :

VERS. 17. *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur ?* — Humana justitia divinæ justitiæ comparata injustitia est. Quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur. Bene autem subditur : *Aut Factore suo purior erit vir ?* — Muriorem autem se vir Factori suo æstimat, si contra flagellum querelam parat, eumque sibi procul dubio postponit, cujus judicium de sua afflictione redarguit. Qui enim mire hominem ex nihilo fecit factum impie non affligit. Quapropter male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. Sequitur :

VERS. 18. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles.* — Natura quippe angelica etsi contemplatione Auctori inhærendo in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen quo factura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem ex alio ad aliud ire est, et in semetipsa stabilem non esse. Sola autem natura incomprehensibilis nescit moveri, quæ ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Hanc autem in angelis mutabilitatem dicit, quamvis immutabiles sint per hoc quod ei qui semper idem est, vinculis ligantur. Sequitur : *Et in angelis suis reperit pravitatem.* — Hoc de apostatis spiritibus infertur. Mire autem Deus omnipotens naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut et qui manere nollent, ruerent, et qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent. Sequitur :

VERS. 19. *Quanto magis qui habitant domos luteas.* — Luteas quippe domos habitamus, qui in corpora terrena subsistimus, ut Paulus ait : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Et rursum : « Scimus quia si terrestris domus nostra dissolvatur, » et reliqua (*II Cor.* V, 5). Sequitur : *Qui terrenum habent fundamentum.* — Terrenum fundamentum est substantia carnalis, ut Psalmista ait : « Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terræ (*Psal.* CXXXVIII, 15). » Sequitur : *Consumentur velut a tinea.* — Tinea de veste nascitur, et eamdem vestem de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quædam vero vestis animæ caro est. Ex qua nimirum carnalis tentatio velut tinea nascitur, ac per hanc ad interitum lacerata pervenit. Ac si dicatur : Si illi spiritus immutabiles esse nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate se homines in bonis permanere constanter æstimant ? Possunt quoque per angelos sancti doctores intelligi, ut illud prophetæ : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* II, 7). » Qui esse omnino sine culpa nequeunt, cum præsentis vitæ iter gradiuntur, quantalibet virtute fulgeant, quia eorum gressus tangitur, aut luto illiciti operis, aut pulvereæ cogitationis. Domus luteas habitant, qui de illecebrosa hac vita carnis exsultant. Hanc Paulus despexerat habitare dicens : « Nostra conversatio in cœlis est (*Phil.* III, 20). » *Qui* enim *serviunt ei, non sunt stabiles* quia cum mens ad alta nititur carnis suæ cogitatione dissipatur. Pravitas ergo in angelis reperitur, dum ipsos quoque qui veritatem nuntiant, nonnunquam subreptio vitæ fallacis gravat. Ac si dicat : Si electi mundi hujus iniquitate feriuntur, quibus ictibus penetrantur reprobi ? Tinea quippe damnum et non solutum facit. Ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ætatem vitæ. Sed hæc nequaquam conspiciunt. Sequitur :

VERS. 20. *De mane usque ad vesperam succidentur.* — De mane usque ad vesperam peccator succiditur, dum a vitæ suæ exordio usque ad terminum, iniquitatis perpetratione vulneratur, ut Psalmista ait : « Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV, 24). » Sequitur : *Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* — Nullus intelligit vel eorum qui pereunt, vel eorum qui perditos pereuntium mores imitantur. Ut illud : « Justus periit, et nemo est qui recogitet (*Isa.* LVII, 1). » Potest etiam per mane prosperitas, vespere hujus mundi adversitas designari. De mane ergo usque ad vesperam reprobi succiduntur, quia et per prospera lasciviantes depereunt, et per adversa impatientes ad insaniam exsurgunt. Quos de mane usque ad vesperam culpa nequaquam succideret, B si vel prospera fomentum crederent, vel adversa sectionem sui vulneris æstimarent. Sequitur :

VERS. 21. *Qui autem reliqui fuerint auferentur ex eis.* — Reliquos autem hujus mundi despectos dicit, quos præsens sæculum ad nullius gloriæ usum eligit, sed quasi minimos indignosque dere linquit. Sed hos Dominus eligere non dedignatur. Paulo attestante, qui ait : « Quæ stulta mundi sunt elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi eligit, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 27). » Sequitur : *Morientur et non in sapientia.* — Hoc loco Eliphas cum de electis diceret, qui reliqui fuerint auferentur et eis, illico adjungens : *Morientur et non in sapientia*, ad illud protinus recurrit, quod sapientius de reprobis protulit dicens : *Et quia nullus intelligit*, et reliqua. — Mortem quidem et sapientiam pariter reprobi fugiunt, sed sapientiam penitus deserunt, mortis autem laqueos non evadunt. Et qui quando morituri vivere moriendo potuerant, dum mortem quæ procul dubio ventura est metuunt, et vitam simul, et sapientiam perdunt. Sequitur :

CAPUT V.

VERS. 1. *Voca ergo si est qui tibi respondeat.* — Omnipotens Deus sæpe ejus precem in perturbatione deserit, qui præcepta ejus in tranquillitate contemnit. Unde scriptum est : « Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). » Vocare nostrum est humili Deum prece deposcere. Respondere Dei est effectum precibus præbere. Ac si dicat : Quantumlibet afflictus clames, Deum respondentem non habes, quia vox in tribulatione non invenit quem mens in tranquillitate contempsit. Sequitur : *Et ad* A *aliquem sanctorum convertere.* — Ac si deridens dicat : Sanctos quoque invenire in afflictione adjutores non vales, quos habere socios in hilaritate noluisti. Sequitur :

VERS. 2. *Virum stultum interficit iracundia.* — Hæc nimirum sententia vera esset, si illata contra tanti viri patientiam non fuisset. Scriptum quippe est : « Tu autem cum tranquillitate judicas (*Sap.* XII, 18). » Sciendum vero quia quoties turbulentos motus animæ sub mansuetudinis virtute restringimus, redire ad similitudinem Conditoris conamur. Quam nimirum similitudinem, cum tranquillitatem mentis ira perturbat, amittit. Per iram sapientia perditur, ut illud : « Ira in sinu stulti requiescit (*Eccle.* VII, 10). » Per iram justitia relinquitur, sicut scriptum est : « Ira viri justitiam Dei non operatur (*Jac.* I, 20). » Per iram lux veritatis amittitur, ut illud : « Sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* IV, 25). » Duobus vero modis iracundia vincitur : Primus est, ut omnes sibi quasi pati potest contumelias proponat. Secundus modus est, ut cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Sciendum vero est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, ista ex virtute generatur. De hac Psalmista ait : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV, 5). » De hac Salomon ait : « Melior est ira risu (*Eccles.* VII, 4). » De illa : « Virum stultum interficit iracundia (*Job.* V, 2). » Ac si dicat : Ira C per zelum sapientes turbat. Ira vero per vitium stultum trucidat. Sequitur : *Et parvulum occidit invidia.* — Invidere enim non possumus, nisi eis quos in aliquo nobis meliores putamus. Parvulus ergo est qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit, cujus invidia torquetur. Quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Hinc scriptum est : « Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). » Invidia enim cum mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene gesta consumit, ut illud Salomonis : « Vita carnium sanitas cordis putredo ossium invidia (*Prov.* XIV, 30). » Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. Imminutio ergo livoris est affectus urgens D internæ dulcedinis, et plena mors ejus est perfectus amor æternitatis. Quia cum nulla terrena desiderat, nihil est quod ejus erga proximum charitate contradicat.

# LIBER SEXTUS.

VERS. 3. *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* — Stultus quippe Judæorum populus exstitit, qui ipsam incarnationem æternæ Sapientiæ sprevit. Qui quasi firma radice convaluit, quia electorem Vitam temporaliter exstinguendo superavit. Sed hunc Eliphas maledicendo despicit, quia nimirum omnes hæretici quorum tenere speciem amicos beati Job diximus, cum de nomine

Christi gloriantur, Judæorum perfidiam ex auctoritate reprehendunt. MORALITER. Quasi firma radice stultus in terra figitur, quia totis desideriis in terreno amore solidatur. Cujus enim fortes gloriam aspiciunt, protinus post gloriam quæ pœna sequatur, attendunt, et tacita intus cogitatione despiciunt. Pulchritudinem quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare. Statim ac si diceret : Contra stulti pulchritudinem moram in maledictione non habui, quia cum hæc cernerem, simul etiam pœnam sequentem vidi. Nemini statim maledicerem, si qua me illius gloriæ delectatio tenuisset. Sequitur :

VERS. 4. *Longe fiant filii ejus a salute.* — Filii ejus stulti sunt omnes qui perfidiæ illius prædicatione generantur. Qui scilicet a salute longe sunt, qui etsi temporaliter vitam sine afflictione percipiunt, æterna gravius ultione feriuntur. Sicut de eisdem filiis illius dicitur : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos (*Matth.* XXIII, 15). » MORALITER. Filii quippe stulti sunt qui in ambitione hujus sæculi, ex ejus imitatione pascuntur, qui profecto a salute longius fiunt, quanto impetratione [in perpetratione] nequitiæ nulla infirmitate feriuntur. Sequitur : *Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat.* — Quis portæ nomine, nisi Mediator Dei et hominum debet intelligi ? Qui ait : « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X, 9). » Filii igitur hujus stulti extra portam projiciuntur, in porta conterentur, quia pravæ Judæorum soboles ante Mediatoris adventum in legis observatione floruerunt, sed in ipsa Redemptoris nostri præsentia a divinitatis obsequio perfidiæ suæ meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat. Quia scilicet dum ipsum Redemptorem exstinguere persequendo conati sunt, oblatæ sibi remedium ereptionis absconderunt. MORALITER. Sicut urbis aditus porta dicitur, ita est dies judicii porta regni, et per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. Hinc Salomon ait : « Nobilis in porta vir ejus, quando se viderit cum senatoribus terræ (*Prov.* XXXI, 23). » Et rursum : « Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eum in portis opera ejus (*Prov.* XXXI, 31). » Filii igitur hujus stulti ante portum electi sunt, sed in porta conterentur, quia hujus sæculi amatores in præsenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu æterna animadversione feriuntur. Illos quippe Veritas æterna adversitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi. Sequitur ;

VERS. 5. *Cujus messem famelicus comedat.* — Hujus stulti messis fuerat sacræ legis eloquia. Quam stultus comedet. Quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edidit, ad quam plebs Judaica sine intellectu laboravit. Hinc Veritas ait : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntar (*Matth.* V, 6). » MORALITER. Habet etiam famelicus messem, quando iniquus quisque donum intelligentiæ rectæ accipit. Quam nimirum comedit famelicus, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit, et dum doctores pravi recta prædicatione reficiuntur, quid aliud quam stulti fruge satiantur ? Sequitur : *Et ipsum rapiet armatus.* — Antiquus hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulenta suggestione quasi jaculis exstinxit. MORALITER. Antiquus namque hostis quasi inermis vincitur, cum mala aperta suggerens, humanæ menti bona omnia simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bona alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Sequitur : *Et bibunt sitientes divitias ejus.* — Hujus stulti divitias sitientes bibunt, quia fluentis sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in superbiæ ostentatione possidet, conversæ gentilium mentes irrigantur. Unde et eis per prophetam dicitur : « Omnes sitientes, venite ad aquas, » et reliqua (*Isa.* LV, 1). MORALITER. Sæpe stultus habet interni liquoris fontem, sed non bibit, quia ingenium quidem accipit intelligentiæ, sed tamen veritatis sententias cognoscere loquendo contemnit. Divitiæ quoque mentis sunt verba sacræ locutionis ; sed has divitias stultus oculis aspicit, et in ore mentis suæ usum minime assumit. Ad comprehendenda enim verba nullo studio amoris elaborat ; si contra alius sitim habet. et sæpe hoc in divinæ legis eruditione quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit. Hinc Salomon ait : « Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis (*Prov.* XXX, 21). » Plerumque enim aves quas ad volatum pennæ sublevant in vepribus resident. Sequitur :

VERS. 6. *Nihil in terra sine causa.* — Idcirco enim sæpe desidiosus ingenium accipit, ut de negligentia justius puniatur, quia quod sine labore assequi potuit. scire contemnit, et idcirco studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia retributionis inveniat, quo magis studio inventionis elaborat. Sequitur : *Et de humo non egreditur dolor.* — Dolor namque quasi de humo egreditur, cum homo ad Dei imaginem conditus, de rebus insensibilibus flagellatur. Sed quia per occulta merita mentium, aperta prodeunt flagella pœnarum, de humo dolor non egreditur, quo modo sensus nostri malitia exigit, ut a rebus insensibilibus feriatur. Nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea procul dubio quæ peccando vim percussionis extorsit. Sequitur :

VERS. 7. *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volandum.* — Ad laborem quippe homo nascitur, quia nimirum is qui sui accepta est ratione præditus, considerat quod valde sibi sit impossibile, ut hæc peregrinationis suæ tempore sine gemitu evadat. Sed in eo quo caro flagellis afficitur, mens ad appetenda sublevatur altiora, Paulo attestante, qui ait : « Et licet qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem

(*I Cor.* IV, 16). » Inde enim mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat. Potest quoque appellatione hominis carnalium vita signari, unde Paulus ait : « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis et secundum homines ambulatis ? » (*I Cor.* III, 3.) In hac itaque vita homo ad laborem nascitur, quia carnalis quisque contra affligit. Tanto enim quisque hujus mundi veraciter mala sentit, quanto ejus bona inhianter appetit. At contra tanto animus a labore afflictionis se subtrahit, quanto per spem ad summa sustollit. An non quasi avis ad volandum Paulus natus fuerat, qui tot adversa sustinens dicebat : « Nostra conversatio in cœlis est ? » (*Phil.* III, 20). Sequitur :

VERS. 8. *Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum.* — Ac si aperte diceret : Illum rogo per quem hæc tribui scio. Sequitur :

VERS. 9. *Qui facit magna.* — Quis omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat ? Quod cuncta ex nihilo creavit, quod ipsa mundi fabrica mira potentiæ virtute disposita : et super aereum cœlum suspenditur, et super abyssum terra libratur ? Bene autem adjunxit : *Et inscrutabilia.* — Minus enim fuerat magna facere, si tamen quæ facta sunt perscrutari potuissent. Sequitur : *Et mirabilia absque numero.* — Minoris autem esset magnitudinis, si qua inscrutabilia pauca fecissent. Sed inter hæc sciendum est, quia divina miracula et semper debent considerari per studium, et nunquam discuti per intellectum. Sæpe enim fit, ut dum nonnulli homines mortuorum corpora in pulverem redacta considerant, et resurrectionis vim colligere ex ratione non possunt, hæc ad statum pristinum redire posse desperant. Sequitur :

VERS. 10. *Qui dat pluviam super faciem terræ,* et reliqua. — Omnipotens enim Deus terræ pluviam tribuit, cum arentia corda gentilium supernæ gratia prædicationis perfundit ; et aquis universa irrigat, quia sterilitatem perditi hominis repletione spiritus ad fructificationem format, sicut per semetipsam Veritas dicit : « Qui biberit aquam, » et reliqua (*Joan.* IV, 13). Universitatis autem nomine homo significatur, quia in ipso vera species et magna communicatio universitatis ostenditur. Unde et Veritas discipulis dicit : « Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Quamvis hoc loco universa intelligi et aliter possunt, cum enim divites et pauperes, fortes et debiles, sapientes et insipientes spiritus ad suam cognitionem vocat, universa Deus aquis irrigat. Possunt autem universorum nomine ipsæ morum dissimilitudines designari. Alius namque elatione erigitur, alius libidine inflammatur, alius avaritia anhelat. Sed universa Deus aquis irrigat, quia vim sui sermonis in singulis juxta morum diversitates format, ut hoc in ejus eloquio quisque inveniat, per quod

A virtutis necessariæ germen ferat. Sequitur :

VERS. 11. *Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate.* — In sublime humiles ponuntur, quia ii qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo judices veniunt. Hinc enim Dominus dixit : « Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, et reliqua (*Matth.* XIX, 28). » Tunc mœrentes Dominus erigit, quia hi qui ejus desideriis prospera fugiunt, cruciatusque persequentium tolerant, tanto sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, quanto nunc a cunctis mundi gaudiis devoti moriuntur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur : « Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extra-
B neus (*Prov.* XIV, 10). » Quod tamen de electis Dei etiam in hac vita nihil obstat intelligi. In sublime quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, altæ mentis judicio cuncta temporalia transeunt. Videamus humilem Paulum ; ait enim : « Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum ; nos autem servos vestros per Christum (*II Cor.* IV, 5). » Videamus in sublime jam positum : « An nescitis quia angelos judicabimus ? » (*I Cor.* I, 3) ; et rursus : « Conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus (*Ephes.* II, 6). » Mœrentes etiam Dominus sospitate erigit, qui afflictos suos ad gloriam veræ lætitiæ soliditate sustulit. Sospitate quippe non insania erecti sunt, qui in bonis actibus positi
C ipsi in Domino firmi gratulantur. Nonnulli enim et iniquitates perpetrant, et gaudere non cessant. De quibus dicitur : « Qui lætantur cum malefecerint, » et reliqua (*Prov.* II, 13). Hi certe non sospitate eriguntur, sed insania, qui superbiunt cum affligi debuerant. Sequitur :

VERS 12. *Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quæ ceperant.* — Reproborum mentes perversis cogitationibus semper invigilant, sed plerumque eis superna dispensatio obviat. Et quamvis pravitatem consilii nec fracti adversitatibus corrigunt, tamen ne contra bonos prævaleant eorum vires refrenantur. Sequitur :

VERS. 13. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat.* — Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia compre-
D hendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue servavit cum resistunt. Astute namque aliquid agere fratres Joseph ausi sunt, ut Dei concilium mutaretur. Sed divino judicio quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Ideo quippe ab eis Joseph venditus fuerat, ne adoraretur (*Gen.* XXXVII, 28). Sed ideo est adoratus, quia venditus. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur. Sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur. Comprehendit etiam Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc ad pietatis suæ obsequium, nostræque salutis augmentum redigit, quod contra illum humana incredulitas exarsit. Hinc Psalmista ait : « Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.*

cx, 2).» Hinc Salomon ait : «Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum (*Prov.* xxi, 30).» Sequitur :

Vers. 14. *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* — Per diem tenebras incurrunt, qui in ipsa veritatis præsentia perfidiæ errore cæcati sunt. Persecutores igitur Redemptoris nostri, dum divinæ virtutis miracula cernerent, et tamen in ejus divinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, qui visum in luce perdiderunt. Hinc est quod de Judæa dicitur : « Occidit sol, cum adhuc esset dies (*Jer.* xv, 9). » Hinc iterum propheta dicit : « Quid de nocte, custos ? quid de nocte, custos ? Venit mane et nox (*Isa.* xxi, 11, 12). » De nocte enim custos venit, quia humani generis protector et manifestus in carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime agnovit. De cujus presentia et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. Judæi autem aperta Dei miracula viderunt, et adhuc eum quasi palpantes quærebant, cum dicerent : « Quousque animas nostras tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x, 14).» Moraliter. Mens quippe iniquorum hominum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur. Qui quasi in nocte, sic in meridie palpant, quia dum bonum quod vident accusare nequeunt cæcati malitia malum quod non vident accusare quærunt. Bona enim in proximis aperta vident, sed, si qua mala latent, investigant. Quod bene exprimitur, cum Loth protegentibus angelis, in domo ejus Sodomitæ ostium non invenerunt. Sequitur :

Vers. 15. *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.* — Ipse quippe pauper est, de quo per Paulum dicitur : Propter vos egenus factus est, cum dives factus esset (*II Cor.* viii, 9). » Potest per oris gladium accusantium Hebræorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur : « Filii hominum, dentes eorum arma, » et reliqua (*Psal.* lvi, 5). Ipsi quippe clamaverunt : « Crucifige, crucifige (*Joan.* xix, 6). » Per violenti vero manum, ipsa cucifigens gentilitas exprimitur, quæ in Redemptoris morte Hebræorum voces opere implevit. Redemptor autem noster et vires gentilium et linguam Hebræorum moriendo ex humilitate pertulit, sed ex divinitatis suæ potentia resurgendo superavit. Moraliter quippe est quisquis apud semetipsum elatus non est. Unde Veritas dicit : « Beati pauperes spiritu, » et reliqua (*Matth.* v, 3). Gladius namque oris est, iniquitas persuasionis. Manus autem violenti est adversitas potestatis. Ac si ergo diceret : sed et in se Dominus mentes hominum solidat, ut eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant. Sequitur :

Vers. 16. *Et erit egeno spes.* — Salvato enim paupere spem egenus recipit, quia resurgente carne Domino fidelis quisque ad æternæ vitæ fiduciam convalescit. Spes quippe in æternitate animum

A erigit, et idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, sentit. Sequitur : *Iniquitas autem contrahet os suum.* — Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat: quia humani generis lingua infidelium contumeliis lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahet, eam hoc quod non vult per studium, per studium claudet. Aliter : Clarescente miraculo resurrectionis Domini, dum copiosa multitudo infidelium credidit, ab Ereptoris sui injuriis contumeliisque cessavit. Os enim suum quod Deum deridendo aperuit, infirmando contraxit. Moraliter. Nunc enim malus bonis derogat, et recta quæ agere negligit hæc malus obtrectando lacerare non cessat. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cum justos quanta appetat gloria retributionis agnoscit.
B Tunc malorum lingua digna tormentorum retributione ligatur. Sequitur :

Vers. 17. *Beatus homo qui corripitur a Domino.* — Prima virtus est, ne perpetrari debeant, sed vitari peccata. Secunda autem, saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec commissa agnoscimus Turpis tamen animus percussione tangitur ut exerceatur, quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo jacet. Hinc Salomon ait : « Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit (*Prov.* iii, 12).» Sequitur : *Increpationem ergo Domini ne reprobes.* — Qui per culpam percutitur, sed ad querelam suæ percussionis elabitur, increpationem Domini reprobat, qui hanc
C injuste se perpeti accusat. Qui autem non per purgationem criminis, sed per fortitudinis probationem feriuntur, cum causam suæ percussionis inquirunt, nequaquam incepationem Domini reprobare dicendi sunt, quia in semetipsis satagunt invenire quod nesciunt. Sequitur :

Vers. 18. *Quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt.* — Duobus modis omnipotens Deus vulnerat quos reducere ad salutem curat : aliquando enim carnem percutit, et mentis duritiam suo pavore tabescit. Vulnerando ergo ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius ut interius vivant. Unde per Moysen dicit : « Ego occidam, » et reliqua (*Deut.* xxxii, 39) ; aliquando intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui jaculo transfixos ad sensum nos rectitudinis vocat. Unde et sponsa dicit : « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* ii). » Sequitur :

Vers. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* — Per senarium numerum præsentis vitæ operatio discursusque signatur. Sexto namque die omnia perficiens hominem condidit, et semetipso requievit. Quapropter per septenarium numerum requies designatur. Paterna ergo pietas eruditione præsentis vitæ labore nos atterit, sed in adventu judicii a verbere abscondit, ut tanto tunc ad salutem exibeat, quanto nunc nos flagella durius secant. Sequitur :

Vers. 20. *In fame eruet te de morte, et in bello de*

*manu gladii.* — Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita et fames est mentis silentium divinæ locutionis. Unde recte per prophetam dicitur: « Immittam famem in terram (*Ezech.* xx, 13); » non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Bellum quippe patimur, cum carnis nostræ tentationibus impugnamur. De quo Psalmista ait: « Obumbrasti caput meum in die belli (*Psal.* cxxxix, 8). » Quia igitur reprobi dum fame verbi deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur, electorum suorum Dominus mentes, dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sequitur:

Vers. 21. *A flagello linguæ absconderis.* — Flagellum linguæ est exprobratio illicitæ contumeliæ. Flagello linguæ bonos feriunt pravi, quia eorum opera irridendo persequuntur. Hinc scriptum est: « Ipse liberavit me de laqueo venantium, » et reliqua (*Psal.* xc, 3). Sancta ergo anima a flagello linguæ absconditur, quia, dum in hoc mundo est, honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit. Sequitur: *Et non timebis calamitatem cum venerit.* — Habent enim sancti viri contra famem divini verbi pabulum; contra belli gladium continentiæ; contra flagellum linguæ, protectionem patientiæ; contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adjutorium; quo enim eos hostis callidus numerosius tentat, eo circumspecti Dei milites virtutibus divinis ditiores fiunt. Potest etiam flagellum linguæ sententia ultimæ animadversionis intelligi, quia districtus judex reprobis dicet; « Discedite a me, » et reliqua (*Matth.* xxv, 41). Sed justus quisque in tanta districtione sententiæ, blanda tunc judicis voce refovetur, cum dicitur: « Esurivi, et dedistis mihi manducare, » et reliqua (*Matth.* xxv, 3). Et: « Venite, benedicti, » etc. (*Matth.* xxv, 34). Sequitur:

Vers 22. *In vastitate et fame ridebis.* — Tunc quippe reprobos fames interficiet, quia suam illis faciem Redemptor abscondet. Ipse quippe de se dixit: « Ego sum panis vivus, » et reliqua (*Joan.* vi, 51), Et scriptum est: « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. » Vastitas cruciat, quia gehenna concremat. Hinc Psalmista ait: « Pones eos ut clibanum igni, » et reliqua (*Psal.* x, 10). Sed tunc justus redibit, quia cum iniquos omnes extremas ultio percutit, ipse de gloria Domini dignæ retributionis hilarescit. Hinc Psalmista ait: « Videbunt justi et timebunt, » et reliqua (*Psal.* li, 8). Sequitur: *Et bestias terræ non formidabis.* — Callidus quippe adversarius, bestia terræ dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violenta crudelitate effrenatur. Sed tamen de Ecclesia dicitur: « Mala bestia non transibit per eam (*Isa.* xxxv, 9). » Illi igitur terræ bestiam morientes timent, qui Conditoris sui potentiam viventes non timent. Sancti enim viri quia divinæ se formidini medullitus subdunt, omne de adventu adversarii pondus timoris abjiciunt. Hinc Psalmista orat dicens: « Nequando rapiat ut leo animam meam (*Psal.* vii, 3). » Ac si ergo diceret: Quia blandiente hoste modo nunc vinceris, hunc postmodum sævientem non timebis. Sequitur:

Vers. 23. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.* — Quid ergo regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? Quibus dicimur: « Vos autem tanquam lapides vivi superædificamini (*I Petr.* ii, 5). » De quibus Ecclesiæ pollicetur: « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos (*Isa.* liv, 11). » Qui igitur recte vivit, pacto se lapidibus regionum sociat, vitam suam procul dubio ad sanctorum præcedentium imitationem ligat. Sequitur: *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* — Non ait pacatæ, sed pacificæ, quia non pacem habet, sed pacem faciunt. Terræ ergo bestiæ electis pacificæ fiunt, quia maligni spiritus cum bonorum corda adversantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domini impellunt; et afflicta mens tanto magis ad æternam patriam reditum dirigit, quantum in hoc ærumnoso exsilio laboriosius vivit. Possunt etiam per terræ bestias motus carnis intelligi, qui dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cor sub divina lege deprimitur, etiam cum carnis incentiva detumescunt, et si ad tentandum rugiunt, nequaquam tamen usque ad effectum operum quasi ad aperti morsus rabiem exurgunt. Pacificæ itaque sunt, quia motus carnis, etsi per desideria palpitant, aperta tamen nos contradictione non impugnant. Vel certe pacem nobiscum terræ bestiæ faciunt, quia motus carnis dum nos tentando lacessunt, ad amorem quietis intimæ impellunt. Sequitur:

Vers. 24. *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* — In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atque aliter inchoata. De illa quippe dicitur: « Nunc dimittis servum tuum, domine, in pace (*Luc.* ii, 29). » De ista vero: « Pacem meam do vobis, » et reliqua (*Joan.* xiv, 27). Pax enim nostra a desiderio Creatoris inchoatur, et manifesta visione perficitur. Tabernaculum igitur justi pacem habere dicitur, quia videlicet ejus corpus quod mente inhabitatur, a perversis desideriorum motibus, sub justitiæ dispositione refrenatur. Sequitur: *Et visitans speciem tuam non peccabis.* — Species quippe nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quod sumus ipsi. Speciem ergo suam visitat quis, cum ad eum quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit: ut in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmitati alterius condescendat. Hinc Paulus ait: « Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege esse (cum ipse non essem sum lege), ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem; iis qui sine lege erant tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem

salvos (*I Cor.* IX, 10, 22). » Tunc etiam plene vincitur peccatum, cum ex sua similitudine unusquisque perpendit quomodo in dilectione proximi dilatetur. Sequitur :

VERS. 25. *Et scies quoniam multiplex erit semen tuum.* — Cum vero a vitiis caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisque doceat vitam quam moribus servat. Ille enim uberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Et tanto ejus fecundius prædicationis tribuitur, quanto hoc in ejus pectore perfecti operis exaratione prævenitur. Sequitur : *Et progenies tua sicut herba terræ.* — Quia de ejus imitatione nascitur, dum arentem præsentis vitæ gloriam deserit, spe in æterna viridescit. Vel certe justi progenies sicut herba terræ oritur, quia dum vivendo monstrat quod prædicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exsurgit. Sequitur :

VERS. 26. *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* — Quid enim sepulcri nomine, nisi contemplativa vita signatur ? Activa quoque vita sepulcrum est, quia a pravis nos operibus mortuos tegit. Sed contemplativa perfecte sepelit, quia a cunctis mundi actionibus funditus dividit. Hinc Paulus sepultis dicebat : « Mortui enim estis, » et reliqua (*Col.* III, 3). Hinc est quod Abraham conjugem mortuam in sepulcro duplici sepelit. Vir quippe perfectus sepulcrum in abundantia ingreditur, quia prius activæ vitæ opera congregat, et postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum, huic mundo funditus occultat. Actionis namque tempus primum est : contemplationis extremum. Unde necesse est, ut perfectus quisque prius mentem virtutibus exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est quod Jacob pro Rachel servivit, et Liam accepit. Potest etiam per sepulcrum non solum in hac vita nostra contemplatio, sed quies æternæ et intimæ

A retributionis intelligi. In abundantia ergo sepulcrum ingreditur, qui post congesta vitæ præsentis opera a mutabilitate sua plene mortuus in secreto veri luminis occultatur. Unde per Psalmistam dicitur : « Abscondes eos in abscondito vultus sui, » et reliqua (*Psal.* XXX, 21). Sequitur : *Sicut affertur acervus tritici in tempore suo.* — Frumentum quippe in segete sole tangitur, quia in hac vita humana, anima respectu superni luminis illustratur. Pluvias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit. Ventis concutitur, quia tempestatibus exercetur ; et secum crescentes paleas portat, quia nequiorem contra se quotidie vitam peccantium tolerat ; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, ut a palearum connexione solB vatur. Quia mens nostra cœlesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, a societate carnalium mundior recedit, et relictis paleis, ad horreum ducitur : quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna sublevatur. Et in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo a percussione requiescunt. Electis quippe tempus est alienum vita præsens unde quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit : « Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum (*Joan.* VII, 6). Sequitur :

VERS. 27. *Ecce hoc ut investigavimus ita est.* — Liquet profecto quod in his nil ab eo juxta superficiem dicitur, quia nimirum ante faciem non jacet
C quod investigatur. Qui ergo hæc investigare se indicat, quia in verbis exterioribus interiora quæsierit demonstrat. Sequitur : *Quod auditum, mente pertracta.* — Quantalibet enim doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est velle docere meliorem. Unde et ea quæ ab inimicis recta prolata sunt, ab interno arbitro non recta judicantur. In eo namque vim suæ rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt.

---

# LIBER SEPTIMUS.

## CAPUT VI.

VERS. 2, 3. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera ! quasi arena maris hæc gravior appareret.* — Stateræ nomine Dei et hominum Mediator exprimitur, qui ad pensandum vitæ nostræ meritum venit, ac secum justitiam simul et misericordiam detulit. Sed misericordiæ lance præponderans culpas nostras, parcendo levigavit. Calamitas quidem in statera gravis apparuit, quia malum quod pertulit, nonnisi in præsentia Redemptoris agnovit. Magni autem arena maris est ponderis, sed calamitas hominis arena maris gravior dicitur, quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordiæ judicem culpa levigatur. Sequitur : *Unde et verba mea dolore sunt plena.* — Justi verba dolore plena sunt,

D quia quousque præsentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. Qui enim peregrinationem pro patria diligit, dolorem etiam inter dolores nescit. Sequitur :

VERS. 4. *Quia sagittæ Domini in me sunt.* — Sagittarum quippe nomine aliquando prædicationum verba signantur. De his Psalmista ait : « Sagittæ tuæ acutæ, » et reliqua (*Ps.* XLII, 6). Et Isaias : « Mittam ex his qui salvati fuerint ad gentes in mari, in Africa, in Lydia, tenentes sagittas, in Italiam, et Græciam (*Isa.* LXVI, 19). » Aliquando animadversionis sententia designatur, sicut Joas regi per Eliseum dicitur : « Jace sagittam (*IV Reg.* XIII, 17). » Quo jacente ait : « Percuties Syriam, donec consumes eam (*Ibid.*). » Ac si ergo diceret : Ego in exsilio damnationis non gaudeo, quia vim percussionis agnosco. Sequitur : *Quarum indignatio ebibit spiri-*

*tum meum.* — Quid est spiritus hominis, nisi spiritus elationis ? Sagittæ autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animadversionis sententia afflictam mentem ab elatione compescunt, cum supernæ sententiæ electos quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant, ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat. Sequitur : *Et terrores Domini militant contra me.* — Justorum mens non solum perpendit quid tolerat, sed etiam pavet quod restat. Videt qualia in hac vita patitur, metuit ne post hanc graviora patiatur. Hinc Psalmista ait : « In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me (*Psal.* LXXXVII, 17). » MORALITER. Jam quippe per fidem Mediatoris vivimus, et tamen adhuc per expurgationem vitiorum quasi sagittas Domini dura animadversionis intimæ flagella sustinemus. Sed ecce et divinæ correptionis percussione configimur, et tamen adhuc illud est gravius quod de terrore venturi Judicis æternam animadversionem formidamus. Sequitur :

VERS. 5. *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam ? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* — Per onagrum, agrestem asinum gentilis populus designatur. Per bovem, plebs Judaica significatur, quæ jugo supernæ dominationis supposita, ad spem proselytos colligens corda quæ valuit vomere legis traxit. Multos enim ex gentili populo, seu Judæorum, incarnationis Domini mysterium desiderasse, his verbis cognoscimus. De quibus Dominus ait : « Dico vobis, multi justi et phophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, » et reliqua (*Matth.* XIII, 16). Sed tunc onager herbam invenit, cum gentilis populus divinæ incarnationis gratiam accepit. Tunc etiam bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Judaicæ Domini carnem lex exhibuit, quam diu exspectante prophetavit. Unde et natus Dominus in præsepe ponitur. Ipse enim ex nostra substantia carnem assumens fenum fieri voluit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens : » Qui comedit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo (*Joan.* LIV, 56). » Ac si ergo dicat : Idcirco gentilitas gemit, quia eum necdum Redemptoris sui gratia refecit ; atque ideo Judæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante præsepe jejunat. MORALITER. Qui alii onagri appellatione signantur, nisi qui in campo fidei constituti, nullius officii loris ligantur ? Bovis vero nomine hos signat, quos intra sanctam Ecclesiam ad prædicationis officium suscepti ordinis jugum premit. Herba vero onagri et pabulum bovis est interna refectio populi fidelis. Quia enim longe ab interna sapientia positi, æternam hæreditatem non cernimus, velut bruta animalia a desiderata jejunamus. De qua nimirum herba Redemptoris voce dicitur : « Per me si quis introierit, salvabitur, » et reliqua (*Joan.* X, 9). Sequitur :

VERS. 6. *Aut poterit comedere insulsum, quod non est sale conditum ?* — Quisquis enim carnalibus obsequiis intentus, legem intelligere spiritaliter noluerit, quid aliud quam insulsum cibum comedit ? Sed quia præceptis ejus dura jubentibus gentilitas subdi recusavit, insulsum cibum comedere noluit, quæ priusquam spiritus condimentum perciperet, servare vim litteræ expavit. Sed in hoc cibo sal Veritas misit, et latere in lege saporem occultæ intelligentiæ docuit dicens : « Si crederetis Moysi, » et reliqua (*Joan.* V, 46). Et rursum. « Habete sal in vobis. » Et : Pacem habete inter vos (*Marc.* IX, 50). » MORALITER. Verba quippe moresque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus ingerunt, in delectationis ventre rapiuntur. Sed doctus quisque insulsa non comedit, quia pravorum dicta factaque dijudicans, ab ore [aure] cordis repellit. Hinc Psalmista ait : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes suas, » et reliqua (*Psal.* CXVIII, 85). Sequitur : *Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem ?* — Lex namque carnaliter degustata mortem intulit, quia commissa delinquentium dura animadversione distrinxit, et per præceptum culpam innotuit, et hanc per gratiam non delevit, Paulo attestante, qui ait : « Nihil ad perfectum perduxit lex (*Hebr.* VII, 19). » Ad Christum vero conversa gentilitas, quæ adhuc sonare per verba legis intelligit, angustata sunt desideriis suis. MORALITER. Sancti igitur viri cum æternis desideriis anhelant, in tanta vitæ altitudine se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi hac deprimens pondus credant. Valde namque intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat, quod intus amant. Sæpe enim mens superna appetit, et stulta in infimis contemnit, nec tamen adhuc pro amore veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus accingitur. Durum quippe est appetere quod cruciat, sequi quod vitam fugat. Sequitur :

VERS. 7. *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* — Absit enim ne vir sanctus in status sui incolumitate constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despexerit. Sed quia beatus Job membrum est Ecclesiæ sanctæ, ejus etiam voce loquitur. Quia nimirum amoris sui æstibus anxia, cibum Scripturæ veteris conversa gentilitas esurit quem dudum superba despexit. Aliter : Quia societatem gentilium Judæa habere contempsit, insulsum cibum sumere fastidivit, et quia divina sententia proposita morte vetuerat ne plebs Israelitica fœdus cum alienigenis jungeret, gustare noluit quod gustatum affert mortem. Sed ad Redemptoris gratiam Judæa veniens, ab Israelitis infidelibus repulsa, dum per sanctos apostolos ad collectionem se gentilium dilatat, quasi hoc in cibo esuriens accepit, quod indignum prius fastidiose despexit, et præ angustia cibos quos dudum contempserat, comedit : quia repulsa a Judæorum duritia gentiles suscipere populos quos despexerat concupiscit. MORALITER. Mens enim proficiens quæ prius dum sola propria curaret, ferre aliena fastidiebat, cum ad toleranda proximi infirma se attrahit, ita ut pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus tanto post fortis appe-

tat, quanto prius infirma fugiebat, hæc præ angustia comedit, quæ prius tangere nolebat. Sequitur.

Vers. 8. *Quis det ut veniat petitio mea, et quod expeto tribuat mihi Dominus, et qui cœpit ipse me conterat?*— Non enim per contumaciam expetit se exstingui, ut injustitiam ferientis accuset, quod verbis sequentibus demonstrat, dicens : « Non contradicam sermonibus sanctis (*Job.* xi, 10). » Sciendum vero est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex adversarii contritione deficimus a virtute. Per Domini vero contritionem fracti vitiis in virtute laboramus. Hinc scriptum est : « Reges eos in virga ferrea (*Psal.* ii, 9). » Cum enim nos exterius affligit, interius reficit. Et quia plerumque vitiorum contritionem in nobis Dominus agere inchoat, sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, adversario aditum pandit. Quapropter fanctus vir exorat dicens :

Vers. 9. *Qui cœpit, ipse me conterat.* —Ac si dicat : Hoc quod in me exorsum est, perficere feriendo non desinat, ne desertum me adversario ad contritionem tradat. Sequitur : *Solvat manum suam et succidat me.—Solvat manum* dicitur, exerceat effectnm. Sed cum nos extolli Conditor conspicit, et amorem suum erga nos per verbera non exercet, quia ad ferienda in nos nostra vitia manum ligat. Et cum securos nos ac de virtutum affluentia elatos repente vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus a status sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, ut de semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata manum levantis quærat. Hinc est quod sancti viri tentari appetunt, flagellari concupiscunt, dicentes : « Proba me, Domine, et tenta me (*Psal.* xxv, 2). « Et : Ego ad flagella paratus sum (*Psal.* xxxvii, 18). » Sequitur.

Vers. 10. *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.*—Ac si dicat : Quia hic ideo non parcit, ut in perpetuum parcat. Ex afflictione enim consolor, quia, corruptionis humanæ putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor. Valde quippe electi formidine tabescunt, cum perpetrasse se illicita novere, sed perscrutantes inveniunt, quia nulla pro illicitis adversa perpessi sunt. Sequitur : *Nec contradicam sermonibus sanctis.*—Verba Dei ad nos sunt effectus operationum. In eo ergo nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur. Beatus igitur Job sermonibus Dei contradiceret, si de ejus percussionibus murmuraret. Sed quid de percussore suo sentiat indicat, quem enim ferientem tolerat, sanctum vocat. Sequitur :

Vers. 11. *Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam ?* — Sciendum quod alia justorum, atque alia est fortitudo reproborum. Justorum quippe fortitudo est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere. Hinc enim sanctis dicitur : « Viriliter agite, » et reliqua (*Psal.* xxx, 25). Reproborum vero fortitudo est



A transitoria sine cessatione diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter perdurare. De his propheta ait : « Væ qui potentes estis ad potandum vinum. » Et reliqua (*Isa.* v. 22). Et : « Ecce occupaverunt animam meam, et irruerunt in me fortes (*Psal.* lviii, 4). » Fortes quippe qui mala mundi tolerant pro mundo, ejusque gaudia, ut ita dixerim, quærentes perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur. Ac si ergo vir sanctus dicat : Mala mundi pro mundo tolerare nequeo, quia jam in ejus desiderio fortis non sum. Dum enim præsentis vitæ finem conspicio, cur pro mundo patiar cujus appetitum calco ? Sequitur.

Vers. 12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.*—Quid hoc loco ære aut la- B pidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur, qui nulla percussione mollescunt? Quo contra electis dicitur : « Tollam vobis cor lapideum, » et reliqua (*Ezech.* xxxvi, 26). Paulus quoque ait : « Si linguis hominum loquar et angelorum, » et reliqua (*I Cor.* xiii, 1). Lapidi similis est quisquis a pietatis præcepto durescit, et percussus sonitum humilis confessionis non reddit. Quidam vero metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitus emittunt. Sed qui humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. Ac si ergo vir sanctus dicat : Reproborum similitudine sub disciplinæ verbere, nec more lapidum ita obduravi, ut a ministerio C confessionis obmutescam, nec rursum quasi æs vocem confessionis resono, et sensum vocis ignoro. Sequitur :

Vers. 13. *Ecce, non est auxilium mihi in me.* — Patet jam ad cujus speciem percussi animus percurrat, cum in se sibi esse auxilium degat. Plerumque enim virtus avita deterius quam si deesset, interficit ; quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit. Sequitur : *Et necessarii quoque mei recesserunt a me.*—Qui enim infirmum se in semetipsum insinuat, ad majoris adhuc meritum fortitudinis etiam proximis destituitur. Sequitur :

Vers. 14. *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquet.*—Amici nomine hoc loco proximus quilibet designatur. Duo sunt præcepta charitatis, amor videlicet Dei et proximi. Per amorem Dei, amor proximi gignitur ; et per amorem proximi, Dei amor nutritur ; Hinc scriptum est : « Qui non diligit fratrem suum quem videt, » et reliqua (*Joan.* iv, 20). Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Scriptum est enim : « Non agnoscetur in bonis amicus, et non celatur in malis inimicus (*Eccli.* xii, 8). » Quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quod hunc in prosperis non amavit. Et cum omnipotens Deus, ideo quosdam percutit, ut percussos erudiat, et non percussis occasionem boni operis præbeat, quisquis percussum despicit, occasionem virtutis a se repellit, et tanto nequius se contra Auctorem erigit,

quanto hunc nec pium salute propria, nec justum in alieno vulnere agnoscit. Sequitur :

VERS. 15. *Præterierunt me sicut torrens qui raptim transit in convallibus fratres mei.*—Sæpe reprobi eam fidem quam tenemus, retinent : eadem sacramenta percipiunt, ejusdem religionis veritate continentur, sed tamen cum passio is viscera nesciunt, vim charitatis, qua in Domino flagramus et proximo, non agnoscunt. Recte ergo et prætereuntes vocantur, quia ex uno matris nobiscum gremio per fidem prodeunt, sed in uno charitatis studio erga Deum et proximum non figuntur. Qui enim terrena diligunt. spem supernæ patriæ deserunt, quasi ex montibus more torrentis valles petunt. Quos temen hiems præsentis vitæ multiplicat, sed æstas venturi judicii exsiccat, et reproborum lætitiam in ariditatem vertit. Torrentem quippe ad convallem rapiim transire est, pravorum mentes ad ima desideria sine obstaculo ac difficultate descendere. Omnis enim ascensus in labore est, descensus in voluntate. Aliter. Si convalles ima pœnarum loca intelligimus, injusti quique sicut terrena raptim ad convallem transeunt, qui in hac vita quam totis desideriis appetunt, diu nequaquam *Videtur hic verbum quoddam deesse.* possunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt. In longum quidem voluptatum desideria pertrahunt, sed ad inferni claustra repente producuntur. Sequitur :

VERS. 16. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.*— Pruina quippe interius gelescit, nix autem de superioribus ruit. Et sæpe nonnulli dum temporalia adversa pertimescunt, districtionem æternæ adversionis abjiciunt, de quibus dicitur. « Illic trepidaverunt timore, » et reliqua (*Psal.* XIII, 5). Contra alii in terra homines contra veritatem pavent, ejus veritatis iram cœlitus sustinent, et alii cum pati in terra inopiam metuunt, in æternum sibi abundantiam supernæ refectionis abscindunt. Sequitur :

VERS. 17. *Tempore quo fuerint dissipati peribunt.* — Quos enim præsentis vitæ sollicitudo ordinat, amissio dissipat, et tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perierunt. Sequitur : *Et cum incaluerint, solventur de loco suo.* — Iniquus enim quisque cum incaluerit, de loco suo solvitur, quia in judicio intimæ districtionis appropinquans cum jam per cognitionem pœnæ fervere cœperit, ab ea quæ dudum inhæserat carnis suæ delectatione separatur. Hinc contra reprobos dicitur per prophetam : « Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui (*Isa.* XXVIII, 19). » Præsentem vitam ex desiderio retinet, sed de loco suo solvitur, qui oblectamenta carnis desiderans, ejus duritia per supplicium liquatur. Sequitur :

VERS. 18. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.* — Omne quod involvitur, in semetipsum replicatur. Sed sunt nonnulli qui recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, et quasi extra se tensi ad semetipsos per circuitum redeunt. Qui bona quidem cupiunt, sed a malis nunquam recedunt. Esse quippe humiles, sed sine despectu, esse contenti propriis, sed sine necessitate, esse casti, sed sine maceratione corporis, esse patientes, sed sine contumeliis, volunt. Aliter. Sæpe namque nonnulli contra quæda . vitia se vehementer accingunt, sed quædam subigere negligunt. Cumque se contra ista non erigunt, et illa contra se reparant quæ subegerant. Alius carnem a luxura domuit, sed mentem ab avaritia retinet, erumpente occasionis articulo, etiam in luxuriam labitur, quam jam subegisse videbatur. Aliqnando vero involutis gressuum semitis, et nonnulla culpa devincitur, et alia per aliam perpetratur. Nam sæpe furto negationis jungitur, et perjurii deinceps reatu cumulatur, et culpa culpæ adjungitur. Quid aliud quam involutis semitis atque innodatis vinculis pravorum gressus ligant ? Unde per Isaiam dicitur : « Et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent dæmonia, onocentaurus et pilosus clamavit alter ad alterum (*Isa.* XXIV, 13). » Quid per dracones, nisi malitia; quid per struthionem, nisi hypocrisis designatur? Et quia Græce *onos* asinus dicitur, per asinum luxuria designatur ; per aurum vero cervix superbiæ demonstratur, ut illud : « Tauri pingues obsederunt me (*Ps.* XX:, 13). » Onocentauri ergo sunt, qui subjecti vitiis luxuriæ, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerant. Pilosus, Græce dicitur πάνας Latine , *incubos.* Quorum nimirum forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate terminatur. Nam sæpe edendi delectatio servit gulæ, et simulat servire indigentiæ. Cumque ventrem in ingluviem extendit, membra in luxuriam erigit. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetratra nequitia ad perpetrandam aliam provocat. Sequitur : *Ambulabunt in vacuum et peribunt.* — In vacuum quippe ambulant quid nihil secum de fructu sui laboris portant. Cuncta enim hæc moriens deserit, quæ injuste vivens concupivit. At contra in lege dicitur. « Non apparebis in conspectu meo vacuus (*Exod.* XXIII, 14). » Et de justis dicitur : « Venientes autem venient cum exsultatione, » et reliqua (*Ps.* CXXV, 6). Sed quia injustus quisque promerendæ vitæ meritum bene agendo non providet, in conspectu Dei vacuus apparet. Sequitur :

VERS. 19. *Considerate semitas Thema, itinera Saba.* — Thema, *auster* , Saba autem *rete* interpretatur. Quid hic per austrum, qui flatu teporis membra dissolvit, nisi fluxa remissio vivendi ? Quid autem per rete, nisi actionis obligatio demonstratur ? Qui enim dissoluta mente ea quæ terrena sunt appetunt, nec per gressus liberos ad Deum prodeunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant. Sunt namque plerique, qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta, quæ possederant in mundo, derelinqunt. Sed dum amori propinquitatis indi-

secrete deserviunt, ad ea sæpe per effectum cognationis redeunt quæ damnarunt. Quo itaque isti, nisi in rete ambulant, quos in præsenti sæculo inchoatæ jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Hinc Veritas dicit: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 16). » Recte igitur post Thema semitas, Saba itinera memorat, quia quos auster reprobi temporis solverit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem pravorum opera describens considerare admonet, quia perversa agere diligimus, sed hæc visa in aliis dijudicamus, et ea quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actione cognoscimus. Sicque fit, ut ad semetipsam mens redeat, et agere quod reprehendit erubescat. Sequitur: *Et exspectate paulisper.* — Sæpe dum præsentis vitæ brevitas quasi perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, sed repente vitam finiens, æterna invenit supplicia, quæ jam vitare nequeat. Hinc enim dicitur. « Væ his qui perdiderunt sustinentiam (*Eccli.* II, 16). » Cumque enim mens in præsentibus figitur, vita terminatur, et repente ad supplicia improvisa pervenit. Hinc Psalmista ait: « Pusillum adhuc, et non erit peccator (*Psal.* XXXVI, 10). » Sequitur:

VERS. 20. *Confusi sunt quia speravi.* — Cum bonis mala reprobi ingerunt. Si hos a spe intima labefactari conspiciunt, effectu deceptionis hilarescunt. Cum vero bonorum operum spes interior figitur, et nequaquam malis exterioribus ad ima reclinatur, pravorum mentes confusio occupat, quia, dum pervenire ad afflictorum intima nequeunt, incassum existere crudeles erubescunt. Sequitur: *Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.* — Usque ad sanctam quippe Ecclesiam in die judicii reprobi veniunt, quia usque ad ejus conspiciendam gloriam perducuntur, ut ad majora reatus sui supplicia repulsi, videant quod perdiderunt. Tunc vero iniquos pudor cooperit, cum eos in conspectu judicis testis conscientia adducit. Tunc omnis culpa ante oculos reducitur, et mens super gehennæ incendio, suo gravius igne cruciatur. De quibus recte per prophetam dicitur: Domine, exaltetur manus tua, ut quæ vident videant et confundantur (*Isa.* XXVI, 11). » Possunt etiam hæc omnia amicis beati Job congruere. Ac si de eis dicat: Dum me stultis increpationibus ad desperationem flectere nequeunt, ipsi temeritatis suæ insania confundantur, videntes corporis vulnera, et mentis conscientiam nescientes. Dum me de injustia increpare ausi sunt, usque ad me necdum venerunt, sed dura me invectione pulsantes, dum victorem animum inter adversa deprehendunt, quasi ad me venientes erubescunt. Sequitur:

VERS. 21. *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam, timetis.* — Ac si aperte dicat: Ego tunc timui Deum, cum, fultus prosperis, flagellorum detrimenta non sensi. Vos qui ex amore Deum non timetis, ex sola eum percussione formidatis. Sequitur:

VERS. 22, 23. *Nunquid dixi: Afferte mihi de substantia vestra, et donate mihi, vel, liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?* — Hæreticorum quippe prædicatio substantia carnalis non inconvenienter accipitur, qua dum perversa fulciuntur, quasi in verbis divites ostendunt. Quam eos sancta Ecclesia non quærit, quo hanc spiritali intellectu transcendit. Manum quippe hostis, Satanæ fortitudem vocat; et manum robustorum, vires malignorum spirituum appellat. Quos idcirco robustos appellat, quia dum absque carnis infirmitate sunt conditi, pravis eorum assertionibus imbecillitas adjuncta non obviat Hoc vero quod subsequitur:

VERS. 24. *Docete me, et ego tacebo, et si quid forte ignoravi instruite me.* — Sub cujus discretionis libramine pendeat, incertum videtur, utrum sit quod intulerat. Nunquid dixi, an certe a superioribus disjuncta sententia promitur, ut quasi per increpationem dicatur? *Docete me*, et reliqua. Quod tamen utrique distinctioni convenit, quia ab intellectus sano tramite neutrumque recedit. Beatus igitur Job contra mundi divites, pauper, contra potentes oppressus, contra sapientes stultus, doctrinam respondit, quia nec pauper eorum substantiam, nec oppressus adjutorium contra robustos, nec stultus doctrinam sapientiæ carnalis quærit. Sanctus etenim vir, quia mente pulchre super semetipsum rapitur, et pauper inopia non angustatur, et oppressus nil patitur, et voluntarie stultus, carnalem sapientiam non miratur. Sequitur:

VERS. 25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui me arguere possit?* — Ac si aperte diceretur: Qua temeritate audita reprehenditis, qui percussionis meæ causas ignoratis? Mundus quippe ipse esse debet, qui curat aliena corrigere. Unde ad David dicitur: « Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es (*III Reg.* VIII, 9). » Sequitur:

VERS. 26. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis.* — Duo sunt verba noxia humano generi. Unum quod curat etiam adversa laudare, aliud quod studet etiam semper recta corripere. Ex hujus ergo qualitate beatus Job amicos fuisse redarguit. Sequitur: *Et in ventum verba profertis.* — in ventum enim proferre est verba otiosa dicere. Nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effrenatur. Prius enim loqui aliena libet, et postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat; quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc Salomon ait: « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum (*Prov.* XVII, 14). » Et item: « Qui imponit stulto silentium, iras mitigat (*Prov.* XXVI, 10). » Et Isaias: « Cultus justitiæ silentium (*Isa.* XXXII, 17). » Otiosum quippe verbum est quod ratione justæ necessitatis, aut intentione

[illegible] . Plerumque nimis taciti, dum quorumdam mala respiciunt, et tamen in silentium linguam premunt, eo auctores mortis fiunt, quo virus, quod poterant, ejicere loquendo noluerunt. Hinc propheta ait: « Væ mihi quia tacui A (*Isa.* VI, 5). » Justus autem cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt in usum se utilitatis impendit. Hinc namque dicitur: « Sapiens tacebit usque ad tempus (*Eccli.* XX, 7). »

---

# LIBER OCTAVUS.

VERS. 27. *Super pupillum irruistis, et subvertere nitimini amicum vestrum.* — Quantæ namque infirmitatis superpendat, insinuat quem pupillum vocat, quia vero ab amore recedere etiam læsa charitas nescit, et subverti velle se queretur, et tamen amicum se esse testatur. TYPICE. Sanctæ quippe Ecclesiæ populus qui mortui patria est, filius, pupillus, non incongue dicitur, cujus resurgentis vitam jam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur. Super pupillum vero hæretici irruunt, cum humilitatem fidelis populi importunis falsisque allegationibus affligunt. Tamen amicus est quem nituntur evertere, quia fidelis Dei populus, ipsos quoque quos tolerat persequentes, amando non desinit ad veritatem vocare. Sequitur:

VERS. 28. *Verumtamen quod cœpistis explete.* — Ac si aperte diceret: Nec ante illatas molestias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adjutoria abscondo, quia et malis pressus exerceor, et ipsis misericordiam persecutoribus benigne impendens cresco. Quia enim « charitas patiens est, benigna est (*I Cor.* IV, 4). » et cum unum ex utroque defuerit, charitas non est: ut a nobis charitas vere teneatur, necesse est quatenus et benignitatem patientia, et patientiam benignitas suffragetur. Beatus igitur Job, quia patiens est, dicat: *Verumtamen quod cœpistis explete.* Et quia benignitate præditus, dicat: *Præbete aurem.* — Sequitur: *Et videte an mentiar.* — Ac si aperte dicat: Ea quæ assero nequaquam mihi ex auctoritate credite, sed an vera sint ex ratione pensate. Neque enim sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta recta quæ errantibus dicit, quasi ex auctoritate præcepit, sed ex ratione persuadet. Sequitur:

VERS. 29. *Respondete, quæso, absque contentione.* — Neque enim hæretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Unde fit, ut contentionis certamina exquirant, et de Deo, qui « pax nostra est (*Eph.* II, 14), » loqui pacifice nesciant, atque ea pacis negotio, rixæ inventores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: « Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus (I *Cor.* XI, 19). » Sequitur: *Et loquentes id quod justum est, judicate.* — Is namque qui loquitur, dum vel in sui auditoris sententiam exspectat quasi ejus judicio supponitur, a quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobationem metuit, ipse debet prius exa- B minare quod dicit, quatenus inter cor et linguam, æquus discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensans si recta verba offerat, quæ utiliter suscipiens ad auditorum judicium lingua perducat. Sequitur:

VERS. 30. *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, et in faucibus meis stultitia non personabit.* — Ac si aperte diceret: Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensatis. Et cum rectum esse cœperit quod dicitis, justum cognoscitis quod audistis. Sic enim sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, et tunc prædicamenta virtutis aperire. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces vero occulta tractatio designatur. Et quia ea quæ per publicam locutionem sancta prædicat Ecclesia, et jam per intimam C fidem servat, in lingua iniquitas non resonat, sed nec in faucibus stultitia, quidquid per linguam prædicationis emanat, hoc per fauces tacitæ exspectationis degustat. Sequitur.

## CAPUT VII.

VERS. 1. *Militia est vita hominis super terram.* — Alia translatio habet *tentatio,* sed utriusque verbi sensus aspicitur. Quid enim tentationis nomine, nisi pugna contra malignos spiritus exprimitur? Et quid appellatione militiæ, nisi contra hostes exercitus designatur? Tentatio itaque ipsa militia est, quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu procul dubio exsudat. Vita vero hominis tentatio perhibetur D esse, quia ab statu conditionis lapsa, et corruptionis suæ putredine subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam facta quod tolerat. Sic itaque humana vita tentatio est, ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescimus, in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur: Tentatio ergo est, quæ aut aliena virtutibus ad cœleste præmium non valet assurgere, aut ditata donis spiritualibus aliquando deterius ex occasione virtutum ruit. Militia vero est vita hominis, quia unusquisque, dum quotidie ad vitæ terminum per temporum augmenta tendit, augendo vitam vivere desinit. Et dum spatia temporum crescere appetit, ab eodem spatio quod protendendo colligit, crescendo pertransit. Nam cum ordinem militiæ locus crescit, toto simul homini deficit. Sequitur: *Et sicut dies mercenarii dies ejus.* — Mercenarius ad laboris sui

præmium citius pervenire exoptat. Dies itaque hominis æterna sapientis, recte diebus mercenarii comparantur, quia præsentem vitam, viam non patriam deputant, et mercenarius in alienis laboribus exsudat, sed tamen sibi proprium præmium præparat. Voce autem Redemptoris dicitur : » Regnum meum non est de hoc mundo (*Joan.* XVIII, 36). » Omnes ergo qui spe cœlestium præditi exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus, et alieno quidem labore fatigamur, sed tamen præmia nostra percipimus, et per hoc pervenimus ad propria, quod pure administramus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit : « Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis ? » (*Luc.* XVI, 12.) Sciendum quoque est quod mercenarius sollicite curat inspicere, ne unquam dies vacuus habeatur ab opere. Unde et electus tanto fidentius spe tendit ad præmia, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementa. Dies cum operibus numerat, ne a labore vacua transeant vitæ momenta formidat. Hinc namque dicunt : « Propter te mortificamur tota die (*Rom.* VIII, 13).» Et : « Scio cui credidi, et certus sum (*II Tim.* I, 12). » Sequitur :

VERS. 2. *Sicut cervus desiderat umbram.* — Umbram quippe desiderare cervo est, pro tentationis æstu sudoreque operis, æterni refrigerii requiem quærere. Hinc scriptum est : « Sitivit anima mea ad Deum vivum, » et reliqua (*Psal.* XLI, 3). Et : « Heu me, incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX, 5). » Et : « Ingrediar in locum tabernaculi Admirabilis, » et reliqua (*Ps.* XLI, 5). Sequitur : *Et sicut mercenarius præstolatur finem operis ejus.* — Mercenarius enim quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione. Sic quippe quod electis valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. Hinc est quod Paulus quam sit grave quod patitur indicat ; « qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter (*II Cor.* XI, 32) » fuisse testatur. Qui ultra vires gravatum se asserit dicens : « Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8) ; » sed remunerationem considerans ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* I, 18). » Sequitur :

VERS. 3. *Sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* — Electi quippe Conditori rerum serviunt, et sæpe rerum inopia coangustantur. Qui igitur per actiones suas præsentia non quærunt, a mundi compendiis menses vacuos ducunt. Noctes quoque laboriosas tolerant, qui adversitatum tenebras non solum usque inopiam, sed sæpe ad corporis cruciatum portant. Potest etiam non inconvenienter intelligi, quod sanctus quisque menses vacuos sicut mercenarius ducit, qui laborem jam sustinet, sed præmium necdum tenet. Hoc tolerat ; illud exspectat. Noctes vero laboriosas enumerat, quia adversitates sibi præsentis temporis in virtutibus exercendo coacervat. Mystice. Vacuos Ecclesia menses habet, quæ infirmis suis terrenas actiones absque vitæ præmio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas quæ in membris fortibus multiplices tribulationes portat. Mensium quippe nomine, dierum collectio et summa signatur. Per diem ergo unaquæque actio exprimi potest, per menses autem actuum finis intelligitur. Non solum igitur dies, sed menses vacuos dicimus, cum nos in terrenis actibus sine fructu laborasse, non ex actione principium, sed fine pensamus. Cum enim labores nostros adversitas sequitur, quasi vitæ nostræ vacui menses arguuntur, quia ex actionis completione agnoscimur quam frustra in actionibus subdebatur. Sed quia in sacro eloquio nonnunquam nox pro ignorantia ponitur, Paulo attestante, qui venturam vitam scientibus dicit : « Omnes vos filii lucis, et filii diei estis, non sumus noctis, neque tenebrarum (*I Thess.*, V, 5). » Potest hoc in loco ex eorum persona vox sanctæ Ecclesiæ accipi, qui post ignorantiæ suæ caliginem, ad amorem rectitudinis redeunt, et veritatis radiis illustrati, fletibus luunt quod erraverunt. In eis ergo sancta Ecclesia, in quibus ad vitam revertitur, laborem suum æstuanti servo, et desideranti finem mercenario comparat, dicens : *Sicut cervus desiderat umbram*, et reliqua. Ad æstuantem, menses vacuos reddit, quia quo magis æternum refrigerium quæritur, eo magis quam vacue pro ista laboratur. Ad præstolantem vero, laboriosas noctes subintulit, quia quo magis ex termino operis præmium quod assequamur inspicimus, eo magis ingemiscimus diu nos nescisse quod quærimus. Quanto enim verius ad Deum revertimur, tanto subtilius labores quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo pensamus. Sequitur :

VERS. 4. *Si dormiero dicam : Quando surgam? Et rursum exspectabo vesperum.* — Si vero ad solam historiam hæc verba pensantur, per hæc proculdubio animus dolentis exprimitur, qualiter per diversos motus desiderii mœstitia impellente varietur. In nocte dies quæritur, in die vesperum desideratur, quia nimirum dolor non permittit placere quæ adsunt. Aliter. Sancta quoque Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit, flere mutabilitatis suæ damna non desinit. Ac si ergo dicat : In somno resurrectionem desidero, in resurrectione vero vesperum exspecto, quia quieta exercitium actionis appeto, et exercitata otium quietis quæro. Conditus quippe homo fuerat, ut ab amore Conditoris sui nunquam declinaret. Sed in eo quod pedem ad culpam movit, a dilectione Conditoris in semetipsum protinus cecidit, et salutis suæ fortitudinem perdidit. Aliter, Dormire namque in peccatis jacere. Hinc Paulus ait ; « Evigilate, justi, » et reliqua (*I Cor.* XV, 34). Et rursum : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, » et reliqua (*Ephes.* V, 14). Electus igitur quisque cum peccati sommo premitur, ad justitiæ vigilias exurgere conatur, sed sæpe cum surrexit, ipsa se extolli magnitudine virtutum sentit. Unde et tentari se præsentis vitæ adversita-

tibus post virtutes desiderat, ne pejus ex confidentia virtutum cadat. Hinc scriptum est : « Proba me, Domine, et tenta me (*Psal.* xxv, 2). » In somno quippe peccati, lumen justitiæ quæritur, et cum virtutum prospera mentem levant, adjutrix adversitas desideratur. Exspectamus prospera, formidamus adversa. Vir igitur justus vesperum exspectat, quia cum exerceri hunc tribulatione necesse est, ipsa fit ei adversitas prospera. Potest vesperi nomine etiam peccati tentatio designari. Hinc Moyses ait : « Factum est mane, et factum est vespere (*Gen.* I, 5). » Mane quippe ad vesperum ducitur, quia nimirum lucem rectitudinis umbra sequitur tentationis. Electi ergo post somnum resurrectionem appetunt, quia et de peccato ad justitiæ lumen evigilant, et in ipso justitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant. Quas nimirum non timent, sed exspectant, quia utilitati suæ rectitudinis etiam tentamenta proficere non ignorant. Sequitur : *Et replebor doloribus usque ad tenebras.* — Et quia modo surgentia vitia bellum carnis excitant, modo devicta animum ad elationem vocant. Bonorum vita usque ad tenebras doloribus repletur, quia quousque tempus corruptionis agit, interna externaque afflictione concutitur, et salutis securitatem non invenit, nisi cum diem funditus tentationis relinquit. Sequitur :

Vers. 5. *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris.* — Ac si aperte diceret : Carnalem vitam quam patior, aut labes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria, caligo miseræ cogitationis premit. Consentiendo quippe vitiis putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulveris fœdamur. Aliter. Multi quippe in sancta sunt Ecclesia, qui dum amori carnis inserviunt, fœtore luxuriæ computrescunt, et sunt nonnulli, qui a voluntate quidem carnis abstinent, sed tamen tota mente in terrenis actibus jacent. Ac si ergo dicat : In illis quos lubricos tolero, carnem videlicet putrescentem gemo. In istis autem quos terram quærentes patior, quid aliud quam fœditatem pulveris porto? Sequitur : *Cutis mea aruit, et contracta est.* — In sanctæ quippe Ecclesiæ corpore hi qui solis exterioribus curis inserviunt, congrue cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescendo attrahitur, quia mentes carnalium, dum præsentia diligunt, et quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendere per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, ut attrahantur arefiunt, et quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat, cum siccitatem metuens dicebat : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* xxvi, 9). » Sequitur :

Vers. 6. *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur.* — Congrua valde similitudine vita carnis telæ comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit, sed quoad augmentum proficit, ad incisionem tendit, quia tempora percepta prætereunt, cum ventura breviantur. Velocius ergo dies transeunt, quia tela tarditatem profectus habet, vita autem præsens moram defectus non habet. Ad finem quippe nostri itineris etiam quiescendo pervenimus, et per cursum nostri transitus etiam dormientes imus, Sequitur : *Et consumpti sunt absque ulla spe.* — Ac si aperte diceretur : Mentis fiduciam in præsenti vita non posui, quia omne quod præterit, calcando sprevi. Reproborum etenim mens dies præsentes amore constringit, ut sic semper hic appetant vivere. quatenus si valeant, vivendi cursum desiderant nunquam finire. At contra rectorum mens ad æternitatis intentionem tenditur, etiam cum præsens eam feliciter vita comitatur. Sequitur :

Vers. 7. *Memento quia ventus est vita mea.* — Ac si aperte diceretur : Transeuntum velociter benignus respice, qui et tanto misericordius a te videri debeo, quanto ipse a consideratione brevitatis meæ oculos non averto : Hi etenim vitam carnis quasi permanentem diligunt, quia quanta sit vitæ sequentis æternitas non intendunt. Sancti autem viri, quod ad æterna cor elevant, quam breve sit quod fine clauditur pensant, et eorum sensui vilescit quod præterit, quo intellectui radiat, et interlucet quod acceptum nunquam recedit. Sequitur : *Nec revertatur oculus meus, ut videat bona.* — Ad videnda bona exstinctus oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera exuta carne, anima non recurrit. Hinc Salomon ait : « Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas (*Eccle.* ix, 10). » Sequitur :

Vers. 8. *Nec aspicit me visus hominis.* — Visus quippe hominis est misericordia Redemptoris, quæ, insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit, emollit. Unde teste Evangelio dicitur : « Respexit Jesus Petrum. » Et : « Recordatus verbi quod dixerat Jesus. » Et : « Egressus foras flevit amare (*Luc.* xxii, 61, 63). » Exutam vero carne animam nequaquam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus ait : « Ecce nunc tempus acceptabile (*II Cor.* vi, 2). » Et reliqua. Hinc Salomon ait « Lignum ubi cecidit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit (*Eccli.* ii, 3). » Vir igitur sanctus damna humani generis considerat, quod a præsenti sæculo, sine Redemptoris agnitione subtrahitur, atque æternis ignibus irreparabiliter sepelitur, et ex ejus voce dicit : *Nec aspiciat me visus hominis.* — Sequitur : *Oculi tui in me, et non subsistam.* — Ac si aperte diceret, districtus ad judicium veniens, ad salvandum non vides, ad feriendum vides. Quia quem in præsenti vita dispensationis tuæ miseratione non respicis, respiciendo postmodum per justitiam exstinguis. Tunc quippe peccator non substitit, quia cum districtus Judex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Quamvis hoc etiam justorum

voci congruat, quorum mens semper sollicita examina intendit, considerant quam districte judicet bona opera, quam subtiliter penset, et perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate judicentur. Bene autem electionis cursum defectumque humani generis exprimens dicit :

Vers. 9. *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendit.* — Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata vento impellitur ut currat, calore autem solis dissipatur, ut evanescat. Sic nimirum sunt corda hominum, quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emicant, impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum suorum notibus huc illucque pertrahuntur. Sed districto respectu superni Judicis, quasi solis calore liquefiunt, et semel locis pœnalibus traditi, ad operationis usum ultra non redeunt. Potest etiam inferni nomine peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur : « In inferno autem quis confitebitur tibi ? » (*Psal.* VI, 6). Et illud : Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit (*Prov.* XVIII, 3). » Qui autem impietati succumbit, vitam profecto justitiæ moriendo derelinquit. Qui vero post peccatum mole desperationis obruitur, quid aliud quam post mortem inferni supplicio sepelitur ? A quo via jam reversionis absciuditur. Recte autem corda desperantium comparantur nubibus, qui et caligine erroris obscura sunt, et peccatorum multiplicitate condensa. Sed consumpta pertranseunt, qui claritate extremi judicii irradiata dissipantur. Sequitur :

Vers. 10. *Nec revertatur ultra in domum suam.* — Sicut domus corporis habitaculum corporale est, ita unicuique mente hoc domus fit, quod ex desiderio inhabitare consuevit. Ad domum igitur suam ultra non revertitur, qui semel quisque æternis suppliciis traditus ad hoc ubi amore inhæserat, nullatenus revocatur. Potest etiam domus habitatio cordis intelligi. Unde sanato cuidam dicitur : « Vade in domum tuam (*Matth.* IX, 6). » Cum ergo quem desperatio obruit, a cordis sui habitaculo foras mittit, et redire introrsus non valet, quia rursus exterius ad deteriora quotidie pulsus cadit. Sequitur : *Neque cognoscet eum amplius locus ejus.* — Locus quippe hominis, se non localis, ipse scilicet Conditor exstitit, qui hunc ut in semetipsum consisteret creavit. De quo Psalmista ait : « Filii servorum tuorum habitabunt (*Psal.* CI, 29). » Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum, seductoris verba audiens, a conditoris amore discessit. A Conditore ergo suo tanto quisque districtius in judicio non agnoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona revocatur. Qui Judex districtus ad examen ultimum veniens in iniquitate durantibus, dixit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » « Nescio vos, unde estis (*Matth.* XXV, 12). Sequitur :

Vers. 11. *Quare et ego non parcam ori meo.* — Ori etenim suo non parcit, qui confiteri malum quod fecit, non erubescit. Hinc Psalmista ait : Præve-
A niamus faciem ejus in confessione (*Psal.* XCIV, 2). » Hinc rursus scriptum est : « Qui abcondit scelera sua, non dirigetur (*Prov.* XXVIII, 13). » Sequitur. *Loquar in tribulatione spiritus mei.* — Tribulationem quippe spiritus lingua commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est, quia et sape reprobi peccata confitentur, sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas, quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animadversionis fletibus insequuntur. Hinc Psalmista ait : Iniquitatem meam ego pronuntiabo, » et reliqua (*Psal.* I, 5). Qui enim mala quæ perpetravit insinuat, sed flere recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente, medicamentum vulneri non apponit. Sequitur : *Et confa-*
B *bulabor cum amaritudine animæ meæ.* — Pavore namque districti judicis afflicti, dum quædam male gesta plangimus, ipsa vim nostræ amaritudinis ad discutiendum nos vigilantius excitant, alia etiam in nobis quæ amplius defleamus, invenimus. Nam sæpe quæ torpentibus latuit, flentibus subtilius culpa innotescit. Habet enim in corde justorum amaritudo animæ linguam suam, cum qua afflictam mentem, modo per replicationem donorum Dei, modo per propria actionis suæ severiter increpat. Unde et nequaquam dicitur, fabulator, sed *confabulabor*, quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format. Sequitur :

C Vers. 12. *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere ?* — Ac si aperte diceret : Mare vel cetus, iniqui videlicet, eorumque auctor malignus spiritus, quia effrenari ad solam perpetrandæ iniquitatis licentiam appetunt, recte pœnæ suæ carcere constringuntur. Ego autem qui jam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ corruptionis carcere premor ? Carcere enim homo circumdatur, quia et plerumque virtutum profectibus ad alta exsurgere nititur, et tamen carnis suæ corruptione præpeditur. Scriptum quippe est : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15). » Maris nomine corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa signantur. Ceti vero nomine antiquus hostis exprimitur, qui dum mentes secularium possidendo penetrat,
D quasi in eorum lubricas cogitationes natat. Qui in inferioribus dejectus, ne ad cœlestia volare prævaleat, pœnæ suæ pondere coarctatur. Hinc Petrus ait : « Deus angelis peccantibus non pepercit, sed irruentibus in infernum detractos in tartara tradidit in judicio reservare cruciandos (*II Petr.* II, 4). » Cetus ergo ac mare circumdatione carceris premitur, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, iniquorum se mentibus colligit, atque in eis undam tumentium cogitationum voluit, ut implere mala quæ appetunt, nequeant, superna districtione angustantur. Sequitur :

Vers. 13, 14. *Si dixero : Consolabitur me, lectulus meus, et revelabor loquens mecum in statu meo,*

*terrebis me per somnia, et per visiones horrore* A *concuties.* — In sacro eloquio lectus, cubile, stratum, secretum solet cordis intelligi. Hinc scriptum est; « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea (*Cant.* III, 1). « Et in Psalmo: « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*Psal.* CXLIX, 5). » Quid vero hoc loco somnia vel visiones accipimus, nisi imagines ultimi districtique examinis? Quod jam utcumque per timorem cernimus, sed tamen ut est, veraciter non videmus. Sancti itaque viri ad cordis semper secreta redeunt cum ab hoc mundo, vel ultra votum prospera, vel ultra vires adversa patiuntur, atque externis laboribus fessi quasi stratum vel lectulum cubilia mentis petunt. Ac si ergo aperte diceret: Si exteriora fugiens introrsus redeo, et B utcunque requiescere in cordis cubili concupisco, ibi mihi dum districtionis contemplationem subjicis, quam districtus advenies judex, vehementer me per ipsas meæ providentiæ imaginationes terres. *Et revelabor loquens mecum.* — Quia nimirum cum ad mentis nostræ silentium fessi revertimur, quasi in stratu colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba versamur. Sciendum quoque est, quod imagines somniorum, aliquando ventris plenitudine vel inanitate fiunt, aliquando illusione, ut illud Salomonis: « Multas curas sequuntur somnia (*Eccle.* v, 2). Aliquando per revelationem, ut Joseph admonitus in somnis ut fugeret in Ægyptum. Aliquando cogitatione simul et revelatione, ut illud Danielis: « Tu, rex, cogitare cœpisti in C stratu tuo quid esset post te, et qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt (*Dan.* II, 29). » Sequitur:

VERS. 15. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.* — Quid per animam, nisi mentis intentio? Quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Anima ergo suspendium elegit, ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri ad alta animum tollunt, et ad amorem supernæ patriæ in virtutum se studiis accingunt, et hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur. Hinc Paulus ait: « Vivo autem jam non ego, » et reliqua (*Gal.* II, 20). Hinc: « Hebræus et Hebræis D secundum legem, Pharisæus (*Phil.* III). » Et rursum. « Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta (*Phil.* VII). » Sequitur:

VERS. 16. *Desperavi, nequaquam jam ultra vivam.* — Justi quippe desperare est præsentis vitæ bona, electione æternitatis deserere, mansura quærere, et in rebus temporalibus fiduciam non habere. Sunt nonnulli justorum, qui sic cœlestia appetunt, ut tamen honores sibi temporaliter impensos teneant, aliena non ambiant, suis licite utuntur. Et sunt nonnulli justorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt. De talibus Paulus ait: « Mortui enim estis, » et reliqua (*Col.* III, 3). Sequitur: *Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei.* — Absit enim ne vir sanctus de divinæ misericordiæ largitate desperet, qui sibi parci desiderat. Sed quia dum bona vitæ transeuntis per desperationem deserit, ad obtinenda quæ permanent in spe robustius assurgit. Sancti enim viri quo verius summa cognoscunt, eo sublimius terrena despiciunt, et idcirco præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, quia illuminatæ mentis oculos in consideratione æternitatis figunt. Sequitur:

VERS. 17. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore illatæ virtutis exaltat. Sed cor suum erga eum Dominus ponit, quia post dona judicium erexit, merita subtiliter pensat, vitæ pondera vehementer examinat. Ac si ergo aperte exclamet, dicens: Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen caro est: et vias ejus post munera districte considerat, sed tamen si remota pietate judicetur, pondus quod tua subtilitate imminet, ferre, nec sublevatus ad justitiam spiritus valet. Sequitur:

VERS. 18. *Visitas eum diluculo.* — Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur, cum erroris nostri obscuritas veritatis agnitione radiatur. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat. Diluculum dicitur, cum jam nocturna tempora in charitatem lucis nutantur. Sequitur: *Et subito probas illum.* — Quia et accedendo corda nostra ad virtutes provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concuteretur, has se habere animus per semetipsum gloriaretur. Hinc Paulus ad tertium cœlum raptus legem repugnantem in membris suis habere se dolet. Sequitur:

VERS. 19. *Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?* — Saliva in os ex capite labitur, ab ore vero ad ventrem ducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi, divinitas per quam existendi principium sumimus et creatura sumus? Hinc Paulus ait; « Caput viri Christus. Caput autem Christi Deus (*I Cor.* XI, 3). » Ventris nomine mens designatur, quæ dum supernum intellectum suscipit, resecta proculdubio omnium membra actionum regit. Hinc Salomon ait: « Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris (*Prov.* XX, 27). » Salivæ nomine, sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ de claritate Conditoris adhuc in hac vita positos, vix gustu revelationis tangit. Quam glutire non possumus, quia supernæ claritatis bono satiari non permittimur. Ac si ergo aperte diceretur: Tunc homini plane parcis, cum hunc ad perfectionem tuæ comtemplationis admiseris, ut claritatem tuam raptus interius videat, et eum carnis suæ corruptio non repellat. Tunc permittis, *ut glutiam sali-*

*vam meam*, — cum me sapore tuæ claritatis usque A
ad abundantiam satietatis infuderis. Sequitur :

VERS. 20. — *Peccavi, quid faciam tibi, o custos
hominum?* — Ecce fatetur malum quod fecit, sed
bonum, quod Deo in recompensatione debeat offer
re, non invenit. Ut certe cum dicitur : *Quid fa-
ciam tibi*, quia hæc ipsa bona quæ agere præci-
pimur, non Præceptori, sed nobis prosunt. Hinc
scriptum est : « Bonorum meorum non eges (*Psal.*
XV, 2). » Custos autem Deus dicitur, quia si ejus
custodias nos minime protegit, ante occulti hostis
insidias nostræ sollicitudinis oculus vigilans dor-
mit. Hinc Psalmista ait : « Nisi Dominus custo-
dierit civitatem, » et reliqua (*Psal.* XII, 6, 1). Se-
quitur : *Quare posuisti me contrarium tibi, et
factus sum mihimetipsi gravis?* — Tunc sibi con- B
trarium Deus hominem posuit, cum homo Deum
peccando dereliquit. Serpentis quippe persuasio-
nibus captus, hostis ejus exstitit, cujus præcepta
contempsit. Sed hæc ipsa contrarietas culpæ facta
est homini pondus pœnæ, et cervicem cordis eri-
gendam supposuit, quia qui subesse divinis
jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus
stravit. Nam otio tabescit, opere deficit, cibo re-
ficitur, et cætera hujusmodi. Mens quoque modo
spe decipitur modo pavore vexatur. Amat sæpe
quod despexerat, despicit quod amaverat. Re-
pulsus enim homo a carne, molestias ; et in
mente quæstiones tolerat, grave nimirum pon-
dus semetipsum portat. Hinc scriptum est :
« Grave jugum super filios Adam a die exitus
de ventre matris eorum, usque ad diem sepul- C
turæ in matris omnium (*Eccli.* XL, 1). » Ac si
ergo aperte dicat : Cur quasi contrarium tibi ho-
minem despicis, qui certus scio, quia perire vel
ipsum quem despicere credideris, non vis ? Se-
quitur :

VERS. 21. *Cur non tollis peccatum meum, et
quare non aufers iniquitatem meam?* — Quibus
profecto verbis, quid aliud quam desiderium præ-
stolantis Mediatoris innuitur ? De quo Joannes ait :
« Ecce Agnus Dei, » et reliqua (*Joan.* I, 29). Vel
certe ab humano genere tunc peccatum plene tol-
litur cum per incorruptionis gloriam nostra cor-
ruptio permutatur. Redemptoris ergo gratiam, vel
resurrectionis soliditatem desiderat, qui iniquita-
tem suam funditus auferri sperat. Sequitur : *Ecce* D
*nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsie-
ris non subsistam*, — Peccanti primo homini dic-
tum est : « Pulvis, es et in pulverum ibis (*Gen.*
III, 19). » Mane autem dicitur illa tunc manifesta-
tio mentium, quæ in adventu judicis, apertis cogi-
tationibus quasi post noctis tenebras demonstra-
tur. Hinc Psalmista ait : « Mane astabo tibi et vi-
debo (*Psal.* V, 5). » Quærere autem Dei est homini
subtili interrogatione discutere, et districte discu-
tiendo judicare. Ac si ergo apertius deploret di-
cens : In præsenti quidem jam carnis mortem pa-
tior, et tamen adhuc de venturo judicio graviorem
mortem, districtionis tuæ sententiam, pertimesco.
Sequitur :

## CAPUT VIII.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Baldath suhites
dixit : Usquequo loqueris talia, et spiritus multi-
plexoris tui?* — Injustis semper gravia sunt
verba justorum, et quæ ad ædificationem pro-
lata audiunt ; hæc quasi superimpositum pondus
ferunt. Vis quippe et summa loquentium quadri-
faria qualitate distinguitur. Nam sunt nonnulli
quos sentiendi simul ac dicendi amplitudo dilatat
Sunt nonnulli quos sentiendi simul ac dicendi
inopia angustat. Sunt nonnulli qui efficaciam di-
cendi loquendo habent, sed acumen sentiendi
non habent. Et sunt nonnulli qui acumini sen-
tiendi subnixi sunt, sed ex inopia locutionis ob-
mutescunt. Sed in beato viro Baldath cum multi-
plicitatem sermonis ori tribuit, profecto inopiam
cordis reprehendit. Ac si aperte dicat : Abundan-
tia spiritus in sermone oris attolleris, sed sensus
indigentia coangustaris. Sequitur :

VERS. 3. *Nunquid Deus supplantat judicium, et
Omnipotens subvertit quod justum est?* — Hæc
beatus Job nec loquens negaverat, nec reticens
ignorabat. Sed procaces quippe etiam nota jac-
tanter proferunt, ut loquendo docti videantur.
Sciendum vero est, quia divinæ justitiæ rectitudi-
nem tunc laudant, cum se ad gaudium incolumi-
tas sublevat. Sed si eorum vitam quamlibet brevi-
ter vis supernæ correctionis attigerit, pulsati pro-
tinus consilium divini examinis increpant. Non
mirum ergo si hic divinam justitiam laudat, qui
nihil adversi ab ea justitia tolerabat, Sequitur :

VERS. 4. *Etiamsi filii tui peccaverunt ei, et di-
misit eos in manus iniquitatis suæ.* — Ac si affli-
ctis catholicis errorem prædicatores prædicant :
Vitæ vestræ providete, et quam perversa teneatis,
ex eorum qui inter vos defuncti sunt, damnatione
cognoscite, quia conditori omnium nisi perfidia
vestra displiceret, nequaquam a vobis tam nume-
rosos populos interitu sæviente subtraxerit. Se-
quitur :

VERS 5. *Tu tamen si diluculo surrexeris ad
Deum, et omnipotentem deprecatus fueris.* — Quia
enim hæretici tenere lucem veritatis æstimant,
sanctam Ecclesiam quasi in erroris nocte posita
ad diluculum veritatis vocant, quatenus et per
cognitionem Dei, quasi per diluculum surgant, et
per preces pœnitentiæ peccata diluant. Sequitur :

VERS. 6. *Si mundus et rectus incesseris.* — Mun-
dus videlicet in cogitatione, rectus in opere. Sequi-
tur : *Statim evigilabit ad te.* — Ac si aperte dicat :
Quia his qui nunc tribulationibus tuis virtutem
tuæ protectionis non exerit, quasi ab adjutorio
hæsitantis dormit. Sequitur : *Et pacatum reddet
habitaculum justitiæ tuæ.* — Idem præsentis vitæ
contrarietates admonet, ut tranquillitatis protinus
securitatem probet. Sequitur ;

VERS. 7. *Intantum ut priora tua fuerint parva,
et novissima multiplicentur nimis.* — Quia perversi
temporale gaudium, singulare bonum æstimant,
hoc aliis pro magno pollicentur. Si vero habitacu-

lum justitiæ consilium mentis vocat, afflictis catholicis, errorum magistri pacatum habitaculum justitiæ promittunt, quasi eos ad sua pertrahunt, profecto a contentione conticescunt. Opes quoque intelligentiæ sequentibus spondent crescere, dicentes : *Intantum ut priora tua fuerint parva.* Subditur :

VERS. 8. *Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.* — Generationem pristinam ac patrum memoriam nequaquam videri, sed investigari admonent, quia hoc in ea nolunt conspici, quod liquido cunctis patet. Subjungitur :

VERS. 9. *Hesterni quippe sumus, et ignoramus quomodo sicut umbra dies nostri sunt super terram.* — Generatio itaque pristina interroganda proponitur, ut transire tempus vitæ præsentis sicut umbra monstretur, quia videlicet si ea quæ erant, et jam tranacta [transacta] sunt, ad memoriam reducimus, patenter agnoscimus quam celeriter hoc quoque fugiat quod tenemus. Sequitur :

VERS. 10. *Ipsi docebunt te, et de corde suo proferunt eloquia.* — Notandum quod superius dixerat: *Spiritus oris tui.* Nunc vero reductis ad memoriam patribus dicit: *De corde suo proferunt eloquia.* Ac si vitam sanctæ ecclesiæ hæretici detestantes dicant: Multiplicitatem spiritus habes in ore, in corde non habes. Sed illi contra te audiendi sunt, qui verba ex corde proferentes recta vivendo docuerunt sequitur :

VERS. 11, 12, 13. *Nunquid potest vivere scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua* ? — Cui Baltath scriptum vel carectum comparet, ipse protinus aperit, cum subjungit : *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.* — Scirpi ego vel carecti nomine, hypocritæ vitam signat, quæ speciem quidem veritatem habet, sed adhuc manu ususfructum utilitatis non habet. Quæ sterilitatis opere arida permanens solo sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem quidem superni luminis percipit, sed in cunctis quæ agis exteriores laudes appetens, a fructu perceptæ infusionis inanescit. De quibus Veritas dicit : « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? » et reliqua (*Marc.* VII, 22). Scriptus in flore est, hypocrita in laude. Acutis vero angulis surgens carectum manu non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam sensibus, de pravitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, si hunc quisque corripere audeat, asperitate sua protinus corripientem secat, et quasi carpentis manu, sic a corripientis animo, quidam, ut ita dixerim, sanguis mœroris currat. Hinc Salomon ait : « Noli arguere derisorem, ne derideat te (*Prov.* IX, 9). « Juxta carnem quippe justi herba sunt, propheta attestante, qui ait : « Omnis caro fenum (*Isa.* XL, 6). » Sed ante omnes herbas scirpus arescere dicitur, quia justis in bono suo permanentibus, ad viriditatem assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbæ, etiam reliqua, quia justorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus prævenit, quia priusquam hypocrita de carne transeat, ea quæ in se ostenderat, virtutum facta derelinquit. Hinc scriptum est : « Fiant sicut fenum ædificiorum quod priusquam evellatur, exaruit (*Psal.* CXXVIII, 6). » Quid cunctis operibus suis sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab hominibus vocari ? Sed permanere spes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens, fugit quod tenet. De quibus Veritas dicit : « Receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 16). » Sequitur :

VERS. 14. *Non placebit vecordia sua.* — Magna quippe vecordia est, laboriosa agere, et ad auram laudis inhiare, forti opere præceptis cœlestibus inservire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Sed tamen hac ipsa sua vecordia pascitur, quia pro bono opere a cunctis honoratur. Hæc vero sua ei vecordia placet interim, sed non placebit cum retributionis tempus advenerit. In pœna displicet, quod vecors fuit. Sequitur : *Et sicut tela aranearum fiducia ejus.* — Bene hypocritarum fiducia aranearum telis simili dicitur, quia omne quod ad obtinendam gloriam exsudat, ventus vitæ mortalis dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Pensandum quoque est, quod fila araneæ per ordinem ducunt, quia sua hypocritæ quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela studiose texitur, flatu dissipatur, quia quidquid hypocrita cum labore peragit, aura humani favoris tollit. Hinc Veritas ait : « Exterminant enim facies suas, » et reliqua (*Matth.* VI, 16). Sanctitatis nunc fiduciam in ore hominum ponit, sed apparente cordis teste, præterit omne quod exterius de humano favore confidit. Sequitur :

VERS, 15. *Innititur super domum suam, et non stabit.* — Domus nostræ cogitationis est res quælibet quam per delectationem inhabitat animus. Domus itaque hypocritæ est delectatio favoris, quam quasi quietus inhabitat, quia per cuncta sua opera ad hanc se intra animum reclinat. Sed domus stare non valet, quia laus cum vita præterit, et humanus favor in judicio non subsistit. Unde fatuæ virgines turbatæ dituræ sunt « Date nobis de oleo vestro (*Matth.* XXV, 8). » Sequitur : *Fulciet eam, et non consurget.* — Hoc namque quod per se stare non valet, fulcitur ut stet, quia cum vitam suam hypocrita labefactari in judicio conspicit, hanc fulciendo statuere operum enumeratione contendit. Hinc quidam dicturi sunt : « Domine, Domine, in nomine tuo prophetavimus ? » et reliqua (*Matth.* VII, 22), Sed domus laudistot allegationibus fulta minime con-

surget, quia protinus Judex dicit : « Nunquam novi vos, discedite a me, » et reliqua (*Matth.* xxv, 12). Domus itaque hypocritæ surgere non valet, quia per omne quod juxta præcepta cœlestia agere potuit, a terrenis animam nunquam levat. Sequitur :

Vers. 16. *Humectus videtur antequam veniat sol.* — Sæpe in sacro eloquio Dominus solis appellatione figuratur, sicut per prophetam dicitur : « Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ (*Mal.* iv, 2). » Scirpus itaque ista in nocte humidus est, sole autem veniente siccatur, quia nimirum hypocrita in tenebris vitæ præsentis sanctus ab hominibus creditur, sed dum districtus Judex venerit, quam sit iniquus apparebit. Sequitur : *Et in ortu suo germen ejus egredietur.* — Herba quælibet nascendo e terra producitur, et post, aura et æstibus tangitur, et tunc demum ad proferendum seminis sui germen aperitur. Scirpus vero cum flore suo nascitur, moxque ut a terra surgit, sui secum seminis germen producit. Bene ergo per herbas reliquas sancti quilibet, per scirpum vero hypocrita designatur, quia justi viri prius in opere suæ conversationis oriuntur, et ad æternam patriam venientes exspectata retributione perfruuntur. At contra hypocrita, quæ mox in bono opere nascitur, præsentis mundi gloriam recipere conatur. Germen itaque in ortu est remuneratio in inchoatione. Sequitur :

Vers. 17. *Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur.* — Quid radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus ? — Quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt. Lapidum vero nomine in Scriptura sacra homines designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ per Isaiam dicitur : « Ponam jaspide lapide propugnacula tua, et portas tuas sculptas (*Isa.* liv, 12). » Scirpus itaque iste, qui inter lapides commoratur, super acervum petrarum radices densat, quia omnis hypocrita cogitationes in exquirendam hominum admirationem multiplicat. Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quas radices scirpi in acervum radices mittunt. Scirpus etiam inter lapides commoratur, quia hypocrita stat ubi mentis suæ intentionem solidat. Nam cum attestationem multorum ambit percipere, quasi in luctatione subsistit. Sequitur :

Vers. 18. *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet : Non novi te.* — De loco suo hypocrita absorbetur, cum a præsentis vitæ favoribus morte interveniente separatur. Sed hunc absorptum internus arbiter negat, seque eum nescire denuntiat, quia simulatorum vitam juste reprobando veritas ignorat, nec recognoscit ejus quæ egit bona, quia ex recta intentione non protulit. Unde et fatuis virginibus in judicio veniens, dicit : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* xxv, 12). » Sed utinam hypocritis sua perditio sola sufficeret, et nequaquam perversa eorum studia ardentes alios ad vitam duplicatis insti-

A garent. Hoc namque unusquisque proprium esse solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi alios conjungi vellet. Sequitur :

Vers. 19. *Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii geminentur.* — Ac si aperte diceretur : Venientem judicem nequaquam cognoscit, sed multipliciter recipit, quia et lætius in sua iniquitate lætus est, quo et aliis male propagatus est. Cui enim hic non sufficit iniquitas propria, torqueatur necesse est illic et merito reatus alieni. Sequitur :

Vers. 20. *Deus non projicit simplicem, nec porrigit manum malignis.* — Quia nimirum districtus in judicio apparens, et despectum simplicium glorificando erigit, et malignorum gloriam reprobando
B confringit. Maligni enim vocantur hypocritæ, qui bona non bene faciunt, et recta quæque sub studio laudis operantur. Manum vero cui porrigimus, hunc videlicet ab imis elevamus. Malignis ergo Deus manum non porrigit, quia quærentes terrenam gloriam in imo derelinquit, et quamlibet videantur recta esse quæ agunt, hos ad gaudia superna non provehit. Ut certe ideo appellantur maligni hypocritæ, quia benignitatem erga proximum ostendunt, et dolos suæ iniquitatis aperiunt. Quos contra bene per Moysem dicitur : « Non induas vestem ex lana linoque contextam (*Deut.* xxii, 11). » Per lanam quippe simplicitas, per linum vero subtilitas designatur. Sequitur :

Vers. 21. *Donec impleatur risu os tuum, et labia*
C *tua jubilo.* — Ac si aperte diceretur : Vita simplicium nec ante judicium deserit, et malignorum mentes percutere deserendo, nec priusquam appareat prætermittit. Os quippe justorum tunc risu replebitur, cum eodem corda finitis peregrinationis fletibus, æternæ lætitiæ exsultatione satiantur. De hoc risu discipulis Dominus dicit : « Mundus autem gaudebit, et vos tristes eritis, sed tristitia vestra in gaudium convertetur (*Joan.* xvi, 20). » Jubilum vero dicimus, cum tantam lætitiam corde concipimus quantam sermonis efficacia non explemus, et tamen mentis exsultatio hoc quod sermone non explicat, ore sonat. Bene autem os risu impleri dicitur, labia jubilo, quia in illa æterna patria cum justorum mens in exsulta-
D tione recipitur, lingua in cantu laudis elevatur. *Donec* autem dicitur, non quod omnipotens Deus eo usque malignos non sublevet, quousque electos suos ad jubilationis gaudia assumat, ac si post a pœna eripiat quos ante in culpa deserens damnat. Sed hoc nequaquam ante judicium faciet, cum dubium hominibus videri possit, an fiat. Nam in electorum suorum jubilo, quia malignis manum non porrigit, ex ipsa jam districtione ultimi examinis constat. Sic namque et per Psalmistam dicitur. « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedem tuorum (*Psal.* cix, 1, 4). » Sequitur :

Vers. 22. *Qui oderunt te induantur confusione.* — Justorum hostes in extremo examine confusio induit, quia cum transacta mala redundare sibi

ante oculos mentis aspexerint, suus eos undique deprimens reatus vestit. Ad pœnam quippe tunc factorum suorum memoriam tolerant, qui nunc quasi a sensu rationis extranei peccant gaudentes. Ibi vident quantum debuerint fugere quod amaverunt. Sequitur : *Tabernaculum impiorum non subsistet.* — Tabernaculum quippe construitur, ut ab æstu corpus et frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur ? Per quam super se casura multiplicant, ut se a præsentis vitæ necessitatibus, quasi ab æstu et imbribus defendant. Honoribus namque exerceri ambiunt ne despecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabescant. Ubi ergo mentis habitationem construunt, ibi tabernacula proculdubio fixerunt. At contra justi nec oblata bona suspiciunt, nec illata mala valde pertimescunt. Sed et cum bonis præsentibus utuntur, ventura mala metuunt. Et dum de præsentibus malis gemunt, bonorum sequentiam amore consolantur. Bene ergo dicitur : *Tabernaculum impiorum non subsistit.* — Quia vitæ effugientis amatores, dum studiose in præsentibus construuntur, repente ad æterna rapiuntur.

---

# LIBER NONUS.

## CAPUT IX.

Vers. 1, 2. *Respondens autem Job dixit : Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo.* — Homo quippe suppositus Deo justitiam percipit, compositus amittit. Quia quisquis se Auctori bonorum comparat, bono se quod accepit, privat. Sequitur :

Vers. 3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* — In Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc dicitur : « Verbi quod mandavit in mille generationes (*Psal.* CIV, 8). » Et Joannes ait : « Et regnabunt cum eo mille annis (*Apoc.* XX, 6). » Quia vero monas multiplicatus in denarium ducitur, denarius per semetipsum ductus in millenarium tenditur, cum ab uno incipimus, ut ad millenarium veniamus. Quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium ? Quid millenarii numeri amplitudine, nisi ejusdem vitæ bonæ perfectio designatur ? Cum Deo autem contendere est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Qui enim cum Auctore contendit, unum pro mille respondere non sufficit, quia qui se de perfectione erigit, habere se bene vivendi nec initium ostendit. Sequitur :

Vers. 4. *Sapiens corde est, et fortis robore.* — Sapiens quippe Deus dicitur, quia sapientia et occulta nostra subtiliter cognita percutit. Nunc ut sapiens omnia invisibilis aspicit, et a nobis falli non potest, tunc ut fortis sine ullo obstaculo quos reprobat punit nec vitari potest. Sequitur : *Quis resistit ei, et pacem habuit ?* — Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse ut creata sibimet conveniant, ordinat. In quo ergo Conditori resistitur, pacis conventio dissipatur. Perversa enim mens unde contra Auctorem se erigit, inde se in semetipsa confundit. Resistere autem dicimus, cum repugnare ejus dispositionibus conamur. Neque enim nostra infirmitas incommutabili ejus sententiæ obviat, sed tamen quod explere non valet tentat. Contraire satagit, sed ipso gladio contradictionis frangit. Sequitur :

Vers. 5. *Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subversit in furore suo.* — In Scriptura sacra sæpe montium nomine, prædicantium multitudo signatur. De quibus per Psalmistam dicitur : « Suscipiant montes pacem populo (*Psal.* LXXI, 3). » Sed montes veritas transtulit, cum prædicatores sanctos a Judaica obduratione subtraxit. Hinc dicitur : « Transferentur montes in cor maris (*Psal.* XLV, 3) ; » et ipsi aiunt : « Vobis primum oportebat loqui, » et reliqua (*Act.* XII, 46). Sed hanc ipsam translationem nescierunt hi qui in Domini furore subversi sunt, quia cum de suis finibus Hebræi apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quod prædicationis lumen amiserunt. Sequitur :

Vers. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* — De loco quippe suo terra commota est, cum plebs Israelitica, de Judææ finibus evulsa, nimirum colla gentibus subdidit, quia subdi Auctori recusavit. Quæ scilicet terra columnas habuit, quia in sacerdotes et principes, legis doctores atque Pharisæos ruitura ejus pertinaciter structura surrexit. Sed translatis montibus columnæ concussæ sunt, quia subductis a Judæa apostolis, nec ipsi vivere in illa permissi sunt, qui ab illa vitæ prædicatores expulerunt. Per Romanum quippe principem Titum protinus Judæa destruitur, atque in cunctis gentibus sparsa dissipatur. Sequitur :

Vers. 7. *Qui præcipit soli, et non oritur, stellas claudit quasi sub signaculo.* — Aliquando namque in sacro eloquio solis nomine claritas prædicatorum designatur, sicut per Joannem dicitur : « Factus est sol sicut saccus cilicinus (*Apoc.* VI, 12). » Ipsi etiam stellarum nomine signantur, de quibus dicitur : « Prohibitæ sunt stellæ pluviarum (*Jer.* III, 3). » Prædicatores quippe sancti, et sol nostris oculis per diem fiunt, cum contemplationem nobis veræ lucis aperiunt. Et velut in tenebris stellæ lucent, cum per activam vitam profuturi nostris necessitatibus terrena disponunt. Sed quia expulsis prædicatoribus non fuit qui plebi Judaicæ in perfidiæ suæ nocte remanenti, vel claritatem contemplationis osten-

deret, vel activæ vitæ lumen aperiret. Veritas A quippe quæ hanc repulsa deseruit, subtracto prædicationis lumine merito suæ pravitatis excæcavit, et quasi sub signaculo stellas clausit, quia dum prædicatores suos per silentium intra semetipsum retinuit, cæcis iniquorum sensibus cœleste lumen abscondit. Qui igitur prædicatores suos nunc Judææ oculis subtrahit, sed postmodum ostendit, quasi sub signaculo clausit stellas, ut absconsis prius et post coruscantibus astrorum spiritualium radiis noctem suæ perfidiæ, et nunc repulsa non videat, et tunc illuminata deprehendat. Hinc Isaias ait : « Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fiunt (*Isa.* x, 22). » Et Paulus : « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet (*Rom.* xi, 25). » Hinc est B quod duo illi eximii prædicatores dilata morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. De quibus dicitur : « Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini terræ (*Apoc.* xi, 4). » Sequitur :

Vers. 8. *Qui extendit cœlos solus.* — Quid namque cœlorum nomine, nisi hæc eadem cœlestis prædicantium vita signatur ? De quibus per Psalmistam dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii, 2). » Ipsi igitur cœli, ipsi sol esse memorantur. Cœli scilicet, quia intercedendo protegunt, sol autem, quia prædicando vim uminis ostendunt. Commota igitur terra, cœli extenti sunt, quia cum Judæa ad vim persecutionis infremuit, apostolo- C rum vitam Dominus in cunctarum gentium cognitione dilatavit. Augusti quippe cœli fuerant, cum una plebs tot egregios prædicatores tenebat, sed solus Deus cœlos extendit, qui secreti mira dispensatione consilii prædicatores suos unde permisit in una gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari. Sequitur : *Et graditur super fluctus maris.* — Quid enim maris nomine, nisi in bonorum nece sæviens mundi hujus amaritudo signatur ? Hinc scriptum est : « Congregans sicut in utre aquas maris (*Psal.* xxxii 7). » Super fluctus ergo maris Dominus graditur, quia cum se procellæ persecutionis erigunt, miraculorum ejus obstupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ vesaniæ mitigat, quasi erecta in cumulo undas calcat. Tot enim in his fluctibus Dominus gressus D posuit, quot superbis persecutoribus miracula ostendit. Unde Psalmista ait : « Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus (*Psal.* xcii, 4). » Quod bene per Jeremiam Dominus dicit : « Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit, et commovebuntur, et non poterunt ; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud (*Jer.* v. 22 ). » Arenam quippe Dominus mari opposuit, quando ad frangendam mundi gloriam, abjectos et pauperes elegit, sed transire arenam nequeunt, quia despectorum miraculis et humilitate franguntur. Sequitur :

Vers. 9. *Qui facit Arcturum et Oriones.* — Nequaquam sermo veritatis vanas Hesiodi, Arati et Callimachi fabulas sequitur, ut Arcturum nominans, extremam stellarum septem caudam Ursæ suspicetur , et quasi Orion gladium teneat armatus insanus . Hæc quippe astrorum nomina a cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt . Sed Scriptura sacra idcirco eisdem vocabulis utitur, ut res quas insinuare appetit , notitia usitatæ appellationis exprimantur . Quid namque Arcturi nomine, qui in cœli arce constitutus, septem stellarum radiis fulget, nisi Ecclesia universalis exprimitur , quæ in Joannis Apocalypsi, per septem Ecclesias, perque septem candelabra figuratur ? Quæ dum dona in se septiformis gratiæ Spiritus continet, claritate summæ virtutis irradians, quasi ab axe veritatis lucet. Et sicut Arcturus semper versatur, et nunquam mergitur, ita sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat , sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus ergo dum versatur, erigitur, quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Oriones quippe in suo ortu tempestates excitant, et maria terrasque perturbant. Significant autem martyres. Quia dum sancta Ecclesia ad statum prædicationis erigitur, pondus molestiasque persequentium passuri, ad cœli axem qnasi in hieme venerunt. Oriones ergo cœlum edidit, cum sancta Ecclesia martyres misit. Ex Orionibus itaque hiems horruit, quia crescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem se persecutionis excitavit. Quid itaque Hyadum nomine, nisi doctores sanctæ Ecclesiæ signantur ? Qui remota tempestate persecutionis, expletis noctibus longis infidelitatibus , tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cum etiam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur ; vocantur autem Græco vocabulo yetus, pluviæ. Bene ergo Hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum universalis Ecclesiæ, sanctæ prædicationis , ferunt imbres . Hinc Moyses ait « Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, » et reliqua (*Deut.* xxxii, 2). Et Isaias : « Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem (*Isa.* v, 6). » Extensis enim cœlis Dominus formavit Arcturum, quia in honorem deductis apostolis, in cœlesti conversatione fundavit Ecclesiam. Formato quoque Arcturo, fecit Oriones, qui reborata fide universalis Ecclesia contra procellas mundi edidit martyres. Editis quoque Orionibus, protulit Hyadas, quia convalescentibus contra adversa martyribus, ad infundendam ariditatem humanorum cordium, doctrinam contulit magistrorum. Sequitur : *Et interiora austri.* — Quid hoc austri nomine, nisi fervor sancti Spiritus assignatur ? Quo dum repletus quisque fuerit, ad amoren patriæ spiritualis ignescit. Hinc enim dicitur : « Surge, aquilo, et veni, auster, » et reliqua (*Cant.* iv, 16). Interiora ergo austri sunt occulti illi angelorum ordines, et secretissimæ patriæ cœlestis sinus quos implet calor Spiritus sancti. Illuc quippe

sanctorum animæ, et nunc corporibus exutæ, et post A corporibus restitutæ perveniunt, et quasi astra in abditis occultantur. Sequitur :

VERS. 10. *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Videlicet magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Divinæ quippe fortitudinis facta tunc verius explemus, cum hæc nos non posse cognoscimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obtupescendo reticemus. Hinc Psalmista ait : « Laudate eum in potentatibus ejus, » et reliqua (*Psal.* XIX, 7). Sequitur.

VERS. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum, et si abierit, non intelligam.*— Accessus igitur recessusque Dei a mente nostra minime cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignoratur, B quia et de tentatione incertum est utrum probet, an trucidet, et de donis nequaquam deprehenditur, utrum hic desertos remunerent, an in via nutriunt, ut ad patriam perducant. Ac si ergo aperte deploret dicens : Postquam semel sponte oculos perdidi, quomodo quæsitæ noctis cæcitatem patior, nec ortum jam nec occasum solis agnosco ? Sequitur :

VERS. 12. *Si repente interroget, quis respondebit ei ?* — Repente interrogat Deus, cum nos ad districtionem sui examinis inopinatos vocat. Sed interrogationi illius respondere homo non sufficit, quia si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit. Vel certe interrogat, cum duris nos persecutionibus pulsat, et C plerumque qui percutitur, gemit. Sed respondere non sufficit, quia et ipsa ei percussionis suæ adversitas displicet, sed tamen homo tacet, et divina judicia discutere metuit, qui esse se pulverem agnoscit. Hinc Paulus ait : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo (*Rom.* IX, 20). » Sequitur : *Vel quis ei dicere potest, cur ita facis?*—Auctoris facta semper veneranda sunt indiscussa, quia injusta nequaquam esse possunt. Rationem quippe de occulto ejus consilio quærere nihil est aliud, quam contra ejus consilium superbire. Ad semetipsam ergo in percussione mens redeat, et quod apprehendere non valet, non requirat. Hinc Paulus dicit : « Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare me fecisti sic ? » (*Ibid.*) Sequitur : D

VERS. 13. *Deus cujus iræ nemo resistere potest.* — Mirandum valde est, quomodo divinæ iræ nullum posse resistere dicitur, cum multos sæpe restitisse, exemplis exigentibus demonstratur, sicut Moyses, Aaron, Phinees et David. Sed si subtiliter pensamus et verum cognoscimus, quia divinæ iræ non resistitur, et verum quod multi sæpe restiterunt. Omnes enim sancti qui iræ Dei obviant, ab ipso accipiunt, ut contra impetum percussionis ejus opponantur, atque, ut ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, et velut nolenti opponitur, quod ab ipso ut fiat imperatur. Cum vero superat, indignatio humana non retinet. Hinc Moyses et dispositæ ultionis iracundiam a semetipso repellere non valuit, ut terram intraret repromissionis, qui hanc volente Domino et a populo amovit. Iræ igitur Dei et resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur ; et resisti omnino non valet, quando se et ad ulciscendum excitat et ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat. Hinc ad Jeremiam dicitur : « Tu ergo noli orare pro populo, nec assumas pro eis laudem et orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me (*Jer.* VII, 16). » Hinc rursum scriptum est : « Quid clamas super contritione tua ? Insanabilis dolor tuus (*Jer.* XXX, 15). » Sequitur : *Et sub quo curvantur qui portant orbem.* — Ipsi etenim orbem portant, qui curas præsentis sæculi tolerant. Unde apud Græcos terræ principes βασιλεύς vocatur. Laus enim *populus* interpretatur. Basileus ergo Latine *basis populi* interpretatur, quia videlicet ipse super se populum sustinet qui motus illius potestatis pondere fixus regit. Ac si ergo aperte dicat : Et subjectos quondam districte deseris, et erectas potestates gentium misericorditer flectis. Aliter. Angelicæ virtutis orbem portant, quæ regendi curas administrant, Paulo attestante, qui ait : « Nonne omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ? » (*Hebr.* I, 14.) Ac si ergo diceret : Quis infirmorum hominum tuis nubibus obviet, cujus se formidine et virtutes angelicæ inclinant ? Vel certe erecti essent illi subtilissimi spiritus, si plene ejus majestatis potentiam attingerent. Sed qui orbem portant, sub Deo curvi sunt, quia divinitatis ejus celsitudinem quam sublevati videant, nec virtutes tamen angelicæ comprehendunt. Sequitur :

VERS. 14. *Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ?* — Ac si aperte dicat : Si creatura illa hunc considerare non sufficit, quæ carne non premitur, qua mente ego de judiciis disputo, qui pondere corruptionis angustor? Verba Dei ad nos sunt judicia illius, quæ nostrorum actuum sententiam loquuntur, et verba nostra ad Deum sunt opera quæ exhibemus. Sed cum Deo loqui verbis suis non valet homo, quia apud subtile ejus judicium nullam de suis actibus fiduciam tenet. Sequitur :

VERS. 15. *Quia etiamsi habuero quidquid justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* — Omnis quippe humana justitia, injustitia esse convincitur, si districte judicetur. Prece ergo post justitiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex solius judicis pietate convalescat. Ac si ergo dicat : Et si ad opus virtutis accrevero ad vitam, non ex meritis, sed venia convalescam. Prece itaque innitendum est cum recta agimus, ut omne quod juste vivimus ex humilitate condiamus. Sequitur :

VERS. 16. *Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam.* —Plerumque etenim mens igne divini amoris accenditur, atque ad intuenda cœlestia et arcana sublevatur, sed repentina tentatione percussa, quæ intentione forti erecta fuerat in Deum, ab hostis cogitationibus transfixa curvatur. Nam sæpe ad hoc usque perdu-

citur, ut miretur quomodo tam summa comprehendit, quam cogitatio illicita polluit, et rursum quomodo illicita recipit, quam super se validus fervor spiritus rapit. Hinc scriptum est : « Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos (*Psal.* CVI, 26). » Mens itaque ex ipsa sua mutabilitate fit trepida, et per hoc quod nolens patitur, repulsam se abjectamque suspicatur, sibique certitudinem exauditionis obnubilat. Sequitur :

VERS. 17. *In turbine enim conteret me.* — Peccator quisque in turbine atteritur, qui erectus in tranquillitate videbatur, quia quem diu superna longanimitas tolerat, extremi judicii severitas necat. Hinc Psalmista ait : « Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 3). » Justus autem idcirco tunc non conteritur, quia hic semper sollicite metuit ne conteratur. Sequitur : *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* — Nonnulli etenim prius a præsenti luce subtrahuntur quam ad proferenda bona malave merita active perveniant. Quos quia a culpa originis salutis sacramenta non liberant, et hic nihil ex proprio egerunt, et illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est, corruptibiles nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, et qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Hinc namque scriptum est : « Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram. » Hinc per semetipsam Veritas dicit : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Quæ etiam beato Job non incongrue verba conveniunt. Vulneratum se itaque sine causa asserens, hoc de se foris loquitur, quod de illo Veritas in occulto testatur dicens : « Commovisti me adversum eum ut affligerem eum frustra. » Sequitur :

VERS. 18. *Non concedit quiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus.* Sæpe justis exercitium est virtutis, sola exterius adversa tolerare. Sed ut eorum vires certamen plenæ probationis erudiat, nonnunquam et foris tormenta lacerant, et intus tormenta adversarii. Unde vir sanctus impletum se amaritudinibus asserit. Sequitur :

VERS. 19. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est ; si æquitas judicis, nemo pro me audet testimonium dicere.* — Ille quippe vitæ causas examinat, qui has per alienum testimonium non explorat. Quia qui districtus quandoque ostenditur illator pœnæ, diu tacitus exstitit testis culpæ. Hinc etenim per prophetam dicitur : « Ego sum judex et testis (*Jer.* XXIX, 23). » Hinc rursum ait : « Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar (*Isa.* XLII, 14). » Sequitur :

VERS. 20. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* — Ac si aperte dicat : Quid de aliis loquar, qui de me testimonium ipse ferre non valeo ? Subdit etiam :

VERS. 21. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* — Ac si aperte diceret : Conditoris contra me judicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me infirmitatis caligine ignoro : Unde per prophetam dicitur : « Dedit abyssus vocem suam (*Habac.* III, 10), » et reliqua. Plerumque enim si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur, si scimus, minime servamus. Quis autem de virtutis suæ conscientia non quantulumcunque superbiat ? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat ? Et contra utraque, quid superest nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus, ut hæc et recta æstimemus, et minima ? Sequitur. *Et tædebat me vitæ meæ.* — Tædet justum vivere, quia et operando vitam non desinit quærere, et tamen ejusdem vitæ suæ meritum non valet invenire. Subjungitur :

VERS. 22. *Unum est quod locutus sum : Innocentem et impium ipse consumet.* — Ac si aperte diceretur : Hoc apud me verbum cogitationis protuli, quia nec innocens, si districte discutior, apparebo ; nec impius, si apud me latere voluero, a superni examinis acumine abscondor. Innocens ergo a Creatore consumitur, quia quantalibet ejus simplicitas fuerit, divinæ magnitudinis simplicitate devoratur. Impius quoque a Conditore consumitur, quia Deo cuncta ordinante, ipsis suis se versutiis, ejus impietas judicatur. Vel certe et innocentem et impium ipse consumere dicitur, quia quamvis in meritis vitæ divisi sunt, a primo culpæ merito æque ad carnis interitum pertrahuntur. Hinc Salomon dicit : « Moritur doctus similiter ut indoctus (*Eccle.* II, 16). » Et rursum : « Cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertentur (*Eccle.* III, 19, 20). Sequitur :

VERS. 23. *Si flagellat occidat semel, et non de pœnis innocentium rideat.* — Quis hæc non per superbiam prolata crederet, nisi sententiam judicis audiret, qui ait : « Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job (*Job* XLII, 7). » Sed nos qui jam a Deo mente recessimus, et carne ad pulverem redimus, pœna duplæ mortis astringimur. Sed venit ad nos qui pro nobis sola carne moreretur, qui simplam suam duplæ nostræ conjungeret, et nos ab utraque liberaret. De qua per Paulum dicitur : « Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel (*Rom.* VI, 10). » Omne desiderium cum desideratur pœna est. Hinc Salomon ait : « Spes quæ differtur affligit animam (*Prov.* XIII, 12). » Ridere enim Dei est humanæ animæ nolle misereri. Ut illud : « Ego quoque in interitu vestro ridebo (*Prov.* I, 26). » Ac si ergo ex voce eorum qui incarnationis mysterium cupierunt, dicat : Quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille jam veniat qui pro nobis semel sine culpa moriatur, et de innocentium pœnis dicatur, ultra non rideat, si ipso carne passibilis appareat, in cujus se desideriis mens nostra castigat. Vel

certe risum Dei lætitia appellat. De innocentium pœnis Dominus ridere dicitur, quia quo a nobis ardentius quæritur, eo suavius de nobis lætatur. Quasi quoddam quippe ex pœna gaudium facimus, cum per sancta desideria ejus nos amore castigamus. Hinc Psalmista ait : « Constituite solemnem in condensis, » et reliqua (*Psal.* CXVII, 27). Sequitur.

VERS. 24. *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operis.*— Terræ nomine caro Christi exprimitur, appellatione impii diabolus designatur. Hujus impii manus fuerunt hi qui in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impii, quia antiquus hostis Redemptoris mentem corrumpere per se tentando non valuit, sed ejus carnem per suos satellites, ad triduum permissus exstinxit. Hujus terræ judices, sacerdotes, et principes, Pilatus et illusores fuerunt. Vultus ergo judicum opertus exstitit ab impii malitia, quia mens persequentium eum quem carne tenere potuit, Deum nec per miracula agnovit. Hinc Paulus ait : « Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum (*I Cor.* III, 15). » Sequitur : *Quod si non ille est, quis ergo est?* — Ac si ergo diceret : Quis unquam impius esse putandus est, si ille populus qui ipsam pietatem persecutus est, impius non est ? Repente enim privatur a diabolo ad sequaces ejus. Sequitur :

VERS. 25. *Dies mei velociores fuerunt cursore.*— Cursoris officium est quod sequitur annuntiare. Omnes igitur electi qui ante adventum Redemptoris orti sunt ; quia hunc aut videndo tantummodo, aut etiam loquendo nuntiarunt, quasi cursores in mundo fuerunt. Sed quia ante præstolatum Redemptoris tempus subtrahi prævidebantur, transire se velocius cursore dolent, diesque suos esse ingemiscunt, quia usque ad videndam Redemptoris lucem minime tenduntur. Sequitur : *Fugerunt, et non viderunt bonum.* — Omnia quæ creata sunt, bona sunt, ut illud : « Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen.* I, 31). » Sed hoc bonum principaliter bonum est, per quod hæc omnia bona sunt. Hinc Veritas ait : « Nemo bonus nisi solus Deus (*Matth.* X, 18).» Ac si ergo diceret : Ante exspectatum tempus elapsi sunt, qui ad Redemptoris præsentiam pervenire nequiverunt. MORALITER. Ad hoc homo conditus fuit, ut bonum quod est videre, videre possit, et per augmenta temporum, tendi possit ejus vita tantummodo, non evolvi. Sed qui sponte ad culpam decidit, quod attigit vetitum pertulit decursum, et qui stare ad lucem noluit, fugiendo oculos amisit, quia culpa cœpit ad ima decurrere, et se cæcitate perculit, ne intus lumen videret. Sequitur :

VERS. 26. *Pertransierunt quasi naves poma portantes.* — Hi qui poma deferentes maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorumdem fructuum aliis cibos fuerunt. Qui igitur antiqui Patres, nisi naves poma portantes exstiterunt ? Qui divinæ incarnationis mysterium prophetantes, ipse quidem odore potati sunt, sed

A nobis fructum de eadem spei perceptione detulerunt. Quod enim illi exspectando odorati sunt, hoc nos cernendo et percipiendo satiamur. Hinc Dominus ait : « Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (*Joan.* IV, 38). » Vel certe qui navibus poma portant, cum paleis poma miscent, ut illæsa permaneant. Ita nimirum præcedentes in eo quod mysteria spiritualis vitæ denuntiant, per interfusam hæc historiæ stipulam servant, et opertum nobis fructum spiritus deferunt, cum carnalia loquuntur. MORALITER. Naves cum poma portant fructus terræ, videlicet per fluctus ferunt. Terra vero hominis paradisus exstitit ; poma etiam fuerunt mandati sermo, concessa possibilitas operis naturæ indita, intelligentia Conditoris. Sed quia

B per crucis mysterium, ad ingenita naturæ bona restringimur, quasi per lignum poma portamus, et dum tot bona munerum servare etiam nunc in tentationibus conamur, aura vitæ præsentis impellimur, mutabilitatis nostræ fluctu fatigamur. Aliter. Naves cum poma portant, suavitatem odoris habent, sed gravitudinem ponderis non habent, et humanum genus cum ad superna repetenda se erigit, flagrat quidem odore memoriæ, sed ignem non exerit pondus vitæ. Paradisi celsitudinem cum ardoris recordatione meminimus, et importunos tentationum fluctus ex carne toleramus. Subditur : *Sicut aquila volans ad escam.* — Sicut enim aquila quæ ad alta evolat, et tamen pro sumendis carnibus terram petit, ita antiqui Patres fuerunt, qui in-

C quantum humanitatis infirmitas admittebat, Creatoris lucem recta mente contemplati sunt, sed incarnandum hunc in mundi fine præscientes, quasi a solis radii ad terram oculos deflexerunt. Quem dum pro humano genere passurum, moriturumque conspiciunt, quasi de ejus morte semetipsos reficiunt. MORALITER. Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, sed per appetitum ventris terram expetit. Sic et humanum genus, in parente primo ad ima de sublimibus corruit. Sed quia cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, et quasi carnibus pascitur, cum deorsum corporeis voluptatibus lætatur. Sequitur :

VERS. 27. *Cum dixero : Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, et dolore torqueor.* — Plebs

D quippe Judaica loqui ut prius noluit, quæcunque prædixerat, negavit. Sed commutata facie torquetur, quia dum interni sui hominis aspectum, quo agnosci a Conditore potuerat, fœditate perfidiæ polluit, a præsentibus malis incipiens sub æterna se ultione damnavit. Quasi enim commutata facie ab Auctore non cognoscitur, quæ perdita bonæ conscientiæ fide reprobatur. MORALITER. Sæpe enim tacitis urgemur cogitationibus : cur omnipotens Deus condidit hominem, quem periturum præscivit ? cur non talem facere voluit, qui perire non possit ? Sed cum hæc tacita mens interrogat, pavet, ne in superbiæ ausum erumpat : et nequaquam ita nos debere loqui dicimus, cum nostræ infirmitatis modum ex inquisitione transeuntes nosmetipsos pavore reprehendimus. Sic facies commutatur, quia quæ prius capiens mens

summa requirebat, infirmitatem suam agnoscens, venerari incipit quod ignorabat. Sed in ipsa comminatione dolor est, quia valde affligitur, quod primæ culpæ merito ad intelligenda ea quæ de ipso sunt cæcatur. Ori silentium incidit, sed excitatus dolor ex ipso quo restringitur, augetur. Sequitur :

Vers. 28. *Verebar omnia opera mea.* — Quæ sint opera beati Job sacer hujus historiæ textus ostendit. Quæ ergo opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari erga iniquitatem solet ? Hinc itaque colligimus, ut si veraciter placere Deo cupimus, postquam perversa subegimus, etiam bene gesta timeamus. Deo quippe sunt quæ in bonis operibus formidanda sunt desidia videlicet et fraus. Hinc propheta ait : « Maledictus omnis qui facit opus Domini fraudulenter et desidiose (*Jer.* XLVIII, 10). » Desidiam quippe minor Dei amor exaggerat. Fraudem vero mala mente possidens proprius amor creat. Contra hanc dicitur : « Excutit manus suas ab omni munere (*Isa.* XXXIII, 15). » Munus namque a corde est, capta gratia a cogitatione. Munus ab ore est, gloria per favorem. Munus ex manu est, præmium per elationem. Ac si ergo humili confessione diceretur : Quæ aperte egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. Sequitur : *Sciens quod non parceres delinquenti.* — Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum a delicto mundus nemo reperitur ? An pœnitenti parcet, delinquenti non parcet ? Quia cum delicta plangimus, delinquentes non sumus ? Et cum Petrus negans respicitur, et ad lacrymas vocatur ? Cur Paulus cum Redemptoris nomen in terra conaretur exstinguere, ejus verba meruit de cœlo audire ? Sed tamen culpa in utroque punita est. Delinquenti ergo Dominus non parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sequitur :

Vers. 29. *Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi?* Si enim remota pietate discutimur, opus nostrum pœna dignum est, quo remunerari præmiis præstolamur, non quod hunc laborasse pœnitet, sed quod incertus esset de præmiis, et inter labores dolet. Sciendum vero est quia sancti viri ita incerti sunt, ut confideant ; atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant. Sequitur :

Vers. 30. *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ.* — Atquæ nivis sunt lamenta humilitatis. Quæ profecto humilitas, quia ante districti Judicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt vero nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent. Hi nimirum aquas habent, sed nivis aquas non habent. De quibus aquis nivis quidam ait : « Cor contritum et humiliatum, etc. (*Psal.* L, 19). » Vel certe aquæ fontis vel fluminis ex terra oriuntur, aquæ vero nivis aere proruunt. Qui enim pro terrenis bonis in precibus compunguntur, ex terræ aqua perfusi sunt. Qui vero idcirco plorant, quoniam præmia superna desiderant, aqua nivis hos diluit, quia cœlestis compunctio infundit. Per manus enim quid aliud quam opera designantur ? Unde de quibusdam per prophetam dicitur : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt (*Isa.* II, 15). » Notandum quod non ait : Fulserint mundissimæ, sed velut mundissimæ, quia quousque pœna corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus vivamus, veram munditiam non apprehendimus, sed imitamur. Sequitur :

Vers. 31. *Tamen sordibus intinges me.* — Deus nos intingere dicitur, intinctos sordibus demonstrare, quia quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Ac si ergo aperte dicat : Quamvis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamvis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video quia mundus non sum. Sequitur : *Et abominabuntur me vestimenta mea.* — Vestis nomine corpus designatur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitate suæ substantiæ nuda esse videatur. Hinc Salomon ait : « Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccle.* IX, 8). » Et Isaias : « Vestimentum mistum sanguine erit in combustione (*Isa.* IX, 5). » More enim sacri eloquii vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt, sicut per Petrum de Juda dicitur : « Hic possidens agrum de mercede iniquitatis (*Act.* I, 18). » Quem agrum moriens possidere non potuit, *sed possedit*, dictum est, possidere fecit. Hanc vestimentorum sordem metuebat Paulus dicens : « Video aliam legem in membris meis, » et reliqua (*Rom.* VII, 23) Sequitur :

Vers. 32. *Neque enim viro qui similis mei est, respondebo, nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri* — Dum cum quolibet ex æquo in judicio contendimus, et quod contra nos dicatur, agnoscimus ; et in his quæ dicimus, audimus. Quia ergo invisibilis Judex quæ facimus videt, quasi quæ dicimus audit. Sed quia id quod ei displicet nequaquam plene cognoscimus, quasi quod ipse dixit, ignoramus. Sequitur :

Vers. 33. *Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.* Durum quippe sonat quod Deum dicit arguere, sed durum non erit si recurrerit ad memoriam, quod ipse per alium prophetam dicit : « Quiescite agere perverse, » et reliqua (*Isa.* I, 16). Et rursum : « Et venite et arguite me, dicit Dominus (*Isa.* I, 18). » In hoc enim quod Dominus se præcipit arguere, aperte insinuat quantam bonis actibus fiduciam præstet Hinc est quod Dominus dicit : « Quæsivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me ne dissiparem eam, et non inveni (*Ezech.* XXII, 30). » Sed quanquam præsentis motibus animadversionis obvient, non tamen valent virtute propria ab humano genere supplicia mortis expellere. Redemptor quippe humani generis in hominibus solus justus apparuit, qui et hominem arguit ne delinqueret, et Deo obstitit ne feriret. In utrisque quippe manum po-

suit, quia et exempla hominibus quæ imitarentur præbuit, et Deo in se opera quibus erga homines placarentur moriendo ostendit. Sequitur :

Vers. 34. *Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat.* — Per legem quippe virga Deus terruerat, cum dicebat : Si quis hæc vel illa fecerit morte moriatur. Sed incarnatus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Hinc est quod ei dicitur. « Intende, prospere procede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam (*Psal.* XLIV, 5). » Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi Pater ut amaretur inspiravit. Quod liquido Paulus dicit : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater) (*Rom.* VIII, 15). » Sequitur :

Vers. 35. *Loquar, et non timebo eum.* — Vir etenim sanctus, quia humani generis Redemptorem venire mitem conspicit, non metum a Domino, sed affectum a Patre sumit, et timorem despicit, quia per adoptionis gratiam ad amorem surgit. Hinc Joannes ait : « Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18). » A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia exerit. Sequitur : *Neque enim possum metuens respondere.* — Respondere quippe cuilibet dicimus, cum factis illius digna opera recompensamus. Deo ergo respondere est, donis ejus præcedentibus nostra obsequia reddere. Dona enim nobis largitur, benignitatem suam, et erga malos utitur. Respondere homo tot beneficiis debet, sed tamen respondere metuens non valet ; quia humani generis Conditorem, qui adhuc serviliter formidat, procul dubio non amat. Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eos propter amoris fiduciam non timemus, cum nos ad bona opera affectus, non metus, dirigit. Sequitur :

## CAPUT X.

Vers. 1. *Tædet animam meam vitæ meæ.* — Cum enim in amore Conditoris mens nostra accenditur, omne desiderium præsentis vitæ levigatur. In tædium delectatio vertitur, atque hanc cum errore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore serviebat. Sequitur : *Dimittam adversum me eloquium meum.* — Quasi pro se eloquio suo utitur, qui prava quæ gessit, defendere excusationibus conatur. Sed adversum se eloquium dimittit, qui accusare in se hoc incipit, quod erravit. Sequitur : *Loquar in amaritudine animæ meæ.* — Quis culpas suas detestans loquitur. restat necesse est ut has in amaritudine animæ loquatur, ut hæc ipsa amaritudo puniat, quidquid lingua per mentis judicium accusat. Sequitur :

Vers. 2. *Dicam Deo* : *Noli me condemnare.* — Qui peccatorem se in amaritudine animæ asserit, quid Deo aliud quam ne condemnatur dicit, quia amaritudo præsentis pœnitentiæ, exstinguit supplicia sequentis iræ ? Duobus enim modis in hac vita judicat Deus, cum aut per mala præsentia irrogare jam tormenta incipit sequentia. Unde scriptum est : « Secundo eos qui non crediderunt, perdidit (*Jud.* V). » Et in psalmo : « Induantur sicut diploide confusione (*Psal.* CXVIII, 29). » Aut cum tormenta sequentia flagellis præsentibus extinguit. Hinc Paulus ait : « Cum judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* XI, 32). » Et alibi : « Ego quos amo arguo, et castigo (*Apoc.* III, 19). » Sequitur : *indica mihi cur me ita judices ?* Ac si diceret : Quia flagellando me judicas, ostende quod ad judicium per flagellum securum reddas. Aliter : Plerumque enim justus flagella ad probationem percipit, sed pro qua tamen specialiter culpa percutiatur minime cognoscit, atque magis in percussione trepidat, quo causam suæ percussionis ignorat. Petit ut semetipsum sibi judex indicet, quatenus quod ille animadvertendo percutit, hoc in se flendo et ipse castiget. Sequitur :

Vers. 3. *Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris, et opprimas me pauperem ?* — Ac si aperte diceretur : Tu qui summe bonus es, novi quia bonum non æstimas, ut pauperem per calumniam premas. Scio ergo quia non est justum quod patior, et eo magis doleo, quod causas justitiæ ignoro. Cum vero se pauperem, non innocentem memorat, non jam de vita audaciam arripit, sed quam se infirmum conspiciat ostendit. Sequitur : *Opus manuum tuarum.* — Ac si aperte dicat : Impie opprimere non potes, quem te fecisse gratuito recordaris. Sequitur : *Et consilium impiorum adjuves ?* — Quos namque hoc in loco impios, nisi malignos spiritus vocat ? Qui cum redire ipsi ad vitam nequeunt, crudeliter socios ad mortem quærunt. Quorum nimirum consilium fuit, ut beatum Job divina correptio tangeret, et qui in tranquillitate justus exstiterat, saltem per flagella peccaret. Sed impiorum consilium Dominus non audivit, quia eorum tentationibus carnem justi prodidit, animam negavit. Hoc etiam consilium assidue Dominus destruit, quia pius Conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem justorum pœna transeat persequentium, et per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Hinc Paulus ait : « Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, » et reliqua (*I Cor.* x, 13). Sequitur :

Vers. 4, 5, 6, 7. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo et tu vides? Nunquid sicut dies hominis, dies tui, aut anni tui sicut humana sunt tempora ut quæras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris, et scias quia nihil impium fecerim ?* — Ac si humiliter requirens diceret : Cur me in tempore per flagella examinas, quem apud te perfecte et ante tempora scisti ? Cur culpas meas verberibus interrogas, quem per te æternitatis tuæ potentiam, nec prius quam conderes ignoras ? Oculi quippe carnei, facta temporum, nonnisi in tempore agnoscunt, et humanus visus quodlibet opus sequitur, non percurrit. Dies quoque et anni hominum, a diebus et annis æternitatis discrepant, quia vita-

nostra quæ tempore incipitur, et tempore finitur. Deo quippe nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura quasi quæ non appareant, desunt. Quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cum aspiciendo post et ante non tenditur. Sequitur : *Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere?* — Ac si aperte dicat : Quid tibi restat, nisi parcere, cujus virtuti nullus valet obviare ? Quo enim nemo est, qui animadversionem tuam ex merito suæ virtutis retineat, eo a te facilius tua pietas exigit, ut parcas. Sequitur :

VERS. 8. *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me?* — Ac si humiliter dicat. Quia sub justo examine dignum non est tuæ placationi quod feci, pensa misericorditer ne pereat, quod fecisti. Quibus etiam verbis perversum Manichæi dogma destruitur, qui duo principia esse mentiens, a Deo spiritum, a Satana vero carnem conditam asserere conatur plasmatum vero se propter imaginem retulit, factum vero se totum in circuitu, in eo quod ex carnis constat indumento memoravit. Notandum vero est, quia per hoc plasmatum Dei manibus asserit, misericordiæ Judicis dignitatem suæ conditionis supponit. Ac si aperte dicat : Cur tanta vilitate despicis, quem tanta dignitate condidisti ? Et quem ratione cæteris rebus præfers, cur ex dolore supponis ? Sequitur :

VERS. 9. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* — Ac si aperte dicat : Infirmitatem carnis, et reatum iniquitatis laxa. Sicut lutum itaque homo est conditus, de limo sumptus, quia quasi aqua infundit pulverem, cum anima rigat carnem. Lutum quippe fit, cum se aqua terræ conspergit. Hæc autem quæ de exteriori homine dicitur, etiam interiori potest congruere. Sicut lutum quippe homo interior exstitit, quia cum spiritus gratiæ terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum sui Conditoris erigatur. Humana namque cogitatio quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim Sancti Spiritus viridescit Sequitur : *Et in pulverem reduces me.* — Ac si patenter postulet dicens : Materiam, quæso, originis et pœnam finis aspice, et culpis citius transeuntis parce. MORALITER. Cum enim per subtractionem spiritus mens electa, ad aliquantulum in tentationem deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur, ut infirmitatem suam derelicta sentiat, et sine infusione supernæ gratiæ quantum homo aruit, agnoscat. Sequitur :

VERS. 10, 11. *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Plasmatus quippe homo, sicut lutum factus est, propagatus autem, et sicut lac mulgetur semine, et sicut caseum coagulatur in carne. Carnibus et pelle induitur, ossibus nervisque subditur MORALITER. Mens etenim cum per sancti Spiritus gratiam ab usu vetustæ conversationis abstrahitur, sicut lac mulgetur, quia in quadam inchoationis novæ teneritudine et subtilitate formatur. Sicut caseum

A coagulatur, quia in constipatione pinguescentis cogitationis astringitur, ut nequaquam jam per desideria defluat, sed in uno amore se colligens, ad solidam reformationem surgat. Pelle quippe et carnibus interior homo vestitur, quia cum ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur. Carnibus et pelle vestimur, sed ossibus et nervis compingimur, quia etsi foris irruente tentatione concutimur, intus tamen nos Conditoris manus roborat contra tentamenta. Sequitur :

VERS. 12. *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* — Angustia quippe Dei laus esset discreta a creati corporis, nisi etiam sequenter exprimeretur mira aspiratio vivificationis. MORALITER. Vita quippe tribuitur, cum malignis mentibus benignitas aspira-
B tur. Sed vita sine misericordia accipi nequaquam valet, quia ad obtinenda justitiæ bona Dominus non adjuvat, si prius misericorditer ante actas nequitias non relaxat. Vel certe vitam et misericordiam nobis tribuit, quia eam qua nos misericordia ab bene vivendum prævenit, etiam subsequenter custodit. Nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita quam præbet. Sequitur : *Et visitatio tua custodivit spiritum meum.* — Incassum enim nobis Conditor bona tribuit, si non omne quod tribuerit, ipse custodierit. MORALITER. Humanum quippe spiritum superna visitatio custodit, cum hunc virtutibus dilatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit. Sequitur :

C VERS. 13. *Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.* — Ac si aperte dicat : Cur de me trepido, qui et universas gentes colligas, scio. Quod tamen in corde celas, quia hoc adhuc aperto sermone non indicas. Sed quia universorum reminisceris, me procul dubio de venia certum facis. Sequitur :

VERS. 14. *Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non poteris ?* — Ad horam Dominus peccato parcit, cum reatum culpæ concessis fletibus diluit. Sed ab iniquitate nostra mundos nos esse non patitur, quia volentes culpam fecimus, sed nonnunquam nolentes ejus memoriam cum delectatione toleramus. « Computruerunt et deterioraverunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ (*Psal.* XXXVII, 6). »
D Ac si aperte dicat : Si culpam venia abstulit, cur et a memoria non detergit ? Sequitur :

VERS. 15. *Et si impius fuero, væ mihi est, et si justus, non levabo caput.* — Impius væ habet, justus miseriam, quia æterna damnatio reprobum sequitur, et electus quisque doloribus transitoriæ adversitatis expiatur. Impius caput levat, sed elatus evadere væ, quod sequitur, non valet. Justus laboris sui certamine afflictus, caput levare non sinitur, sed pressus a perpetua afflictione liberatur. Ac si ergo aperte deploret dicens : Aut substratus carnis desideriis, supplicio æterno subjicior, aut repugnans illicitis motibus pœna præsenti crucior. Sequitur :

VERS. 16. *Et propter superbiam, quasi leæna capies me.* Leæna cum escam catulis exquirit, inhianter in foveam captionis cadit. Sic nimirum humana mens capta est, quæ in libertate arbitrii condita desideria carnis nutrire appetiit, quasi leæna catulis escam quæsivit, atque in captionis suæ foveam cecidit, quæ suadente hoste ad cibum prohibitum manum tetendit. Quasi leæna ergo captus est per superbiam, quia inde hunc disciplina suæ correptionis deprimit, unde transgressionem præcepti non timens, audacter saltum in foveam dedit. Dumque etiam quisque nostrum per culpam aliquid appetit, quid aliud quam prædam in foveam concupiscit? Quem tamen superna miseratio captum a fovea evehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Qui dum virtute extollitur lapsus ad desideria in humilitate religatur. Sequitur: *Reversusque mirabiliter me crucias.* Cum Auctorem relinquimus, nec ipsa ullatenus destitutionis damna sentimus. Quo enim longe Conditor deserit, eo mens nostra insensibilibus obdurescit. At si afflatu sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus evigilat, in cœlestium inquisitione se excutit, amoris summi æstibus inardescit : quia omnipotens Deus, unde mentem nostram visitans ad amorem suum erigit, inde hanc per lacrymas gravius affligit. Et dum perflata mens ad summa rapitur, compunctionis suæ pœnam gaudens miratur. Sequitur :

VERS. 17. *Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me.* — Testes enim Dei sunt, qui per exercitium boni operis testantur quæ electos secutura sint præmia veritatis. Unde hos quoque quos pro veritate passos agnoscimus, Græco eloquio μάρτυρες, id est, testes vocamus. Testes quippe suos contra nos Dominus instaurat, cum electorum vitam pravitati nostræ ad arguendos nos instruendosque multiplicat ut qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur. Sequitur : *Et multiplicas iram tuam.* — Eo multiplicari ira Dei dicitur quo esse multiplex indicatur, quia ex ea nunc bonorum vita et labore cognoscimus, si emendari, dum tempus est nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus et pia agere, et crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur districtus Judex quanta illic feriat districtione quos reprobat, si hic cruciat quos amat, Petro attestante, qui ait : « Tempus est ut judicium incipiat de domo Dei (*I Petr.* IV, 17). » Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelium ? Sequitur : *Et pœnæ militant in me.* — Consideratis quippe Dei testibus, pœnæ in nobis militant, quia dum miranda illorum facta conspicimus, vitam nostram quæ ex eorum comparatione nobis displicet, studiosa afflictione cruciamus, ut quidquid in nobis polluerunt, opera, diluant lamenta. Sequitur.

VERS. 18, 19. *Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret!* Hoc enim in prima oratione jam protulit dicens : « Quare non in vulva mortuus sum (*Job.* III, » qui hoc quoque quod hic adjicit subdens : *Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.* — Illic verbis aliis non aliter adjungit dicens : « Sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem (*Ibid.*, 16). » Quia vero hæc superius late digessimus, pro vitando lectoris fastidio exposita replicare devitamus. Sequitur :

VERS. 20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* — Cautum se ac sollicitum vivere ostendit, qui brevitatem præsentis vitæ considerans, non ejus usum, sed terminum conspicit, ut ex fine colligat nihil esse quod transiens delectat. Hinc namque per Salomonem dicitur : « Si multis annis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præteritæ (*Eccle.* XI, 8). » Sequitur : *Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum.* — Ac si aperte dicat : Flagella tuæ percussionis tempera, ut moderatis doloribus æstimare mala quæ patior flendo convalescam. Sicut enim moderata afflictio lacrymas exprimit, ita immoderata subducit, quia mœror ipse quasi sine mœrore fit, qui afflicti mentem devorans sensum doloris tollit. Flere dolorem suum non volet, qui pravæ quidem consuetudini contraire nititur, sed tamen adhuc succrescentibus desideriis carnis gravatur, quia nisi a reatu culpæ nos ligavimus misericorditer dimittamur, perfecte flere non possumus hoc, quod in nobis ipsis contra nosmetipsos dolemus. Sequitur :

VERS. 21. *Antequam vadam et non revartar ad terram tenebrosam et opertam caligine mortis.* — Quid enim terræ tenebrosæ nomine, nisi terræ Tartari claustra signantur ? Quam æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitæ luce disjungit ? Nec immerito infernus terra dicitur, quia quique ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est : « Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat (*Eccle.* I, 4). » Non quia ad terram tenebrosam qui culpam detlet, iturus est ; sed quia ad hanc procul dubio qui plangere negligit, vadit. Subditur : *Non revertar.* — Quia nunquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicandi damnat. Sequitur :

VERS. 22. *Terra miseriæ et tenebrarum.* — Miseria ad dolorem, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ a conspectu districti judicis expulsos tenet, miseriæ et tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero intus cæcitas obscurat lumine, quamvis miseriæ et tenebrarum terra et aliter intelligi potest. Nam hæc quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum non est, quia multa hic corruptionis nostræ patimur, sed tamen adhuc in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus. Veritate suadente, quæ ait : « Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant (*Joan.* XII, 35). » Illa vero simul

miseriæ et tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda ejus mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem reddit. Sequitur : *Ubi umbra mortis et nullus ordo.* — Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas divisionis, quia damnatus quisque cum æterno succenditur igne, ab interno lumine tenebratur. Natura vero ignis est ut a seipso et lucem exibeat et concremationem. Sed transgressorum illa ultrix flamma concremationem habet, et lumen non habet. Hinc enim est quod de reprobis Veritas dicit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » et reliqua (*Matth.* xxv, 41). Hinc etiam per Psalmistam dicitur : « Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem (*Psal.* LVII, 9). » Mirum vero est valde quod dicitur, *ubi nullus ordo.* Neque enim omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta sunt [sinit]. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemquam juxta modum criminis, et retributio sequitur ultionis ? Hinc quippe scriptum est : « Potentes potenter tormenta patiuntur (*Sap.* vi, 7), » et fortioribus fortior instat cruciatio. Sed sanctus vir post umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subjungit, quia ipsa quoque supplicia quæ ordinata per justitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Repulsis ergo in suppliciis ordo non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis sævit. Quanta enim mira potentia judicantis æquitas ordinat, ut pœna animum quasi inordinata confundat. Vel certe abesse ordo suppliciis dicitur, quia quibuslibet rebus in pœnam surgentibus propria qualitas non servatur. Sequitur : *Et sempiternus horror inhabitat.* — In hujus vitæ

A tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem motus cruciat, cum pati cœperit jam quod metuebat. Infernum vero et umbra mortis obscurat, *et sempiternus horror inhabitat*, quia ejus ignibus traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsanti se semper pavore feriuntur, ut et quod timent, tolerent, et rursus quod tolerant, sine cessatione pertimescant. De his etenim scriptum est : Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Marc.* ix, 48). » Quia ergo et mors perimit et non exstinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat, flamma comburit sed nequaquam tenebras discutit ; quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non
B habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent. Quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto Evangelio teste collegimus, in quo, veritate nuntiante, dives ille quem contigit ad incendii æterni tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. Sicut ergo cœlestis ignis ardere novit ad solatium puerorum ut vincula incenderet, et tamen ardere ad supplicium nescit ut vestimenta
C incenderet, ita e diverso gehennæ flamma reprobis, et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam, ut damnatorum oculis ignis suplicii et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum dilecti qualiter crucientur, ostendat.

# LIBER DECIMUS.

## CAPUT XI.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Sophar Naamathites, dixit : Nunquid qui multa loquitur, non audiet ? Et vir verbosus justificatur ?* — Mos esse procacium solet, ut recte dictis e diverso semper respondeant, ne si ad prolata consentiant inferiores esse videantur. Quibus justorum verba, quamlibet facta [alte] sonuerint, multa [muta] sunt, quia quorum vitia resecant, auditum gravant. Unde et ad crimen trahitur, hoc quod recta prædicatio contra crimina profertur. Nec fallacem quidem Sophar sententiam protulit, quod vir verbosus justificari nequaquam possit, quia dum quisque per verba defluit, perdita gravitate silentii, mentis amittit (*Deest hic substantivum aliquod nomen*). Hinc quippe scriptum est : « Cultus justitiæ silentium (*Isa.* XXXII, 17). » Hinc Salomon ait : Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum (*Prov.* xxv, 2). » Sed virtus veræ sen-
D tentiæ perditur, quæ sud discretionis custodia non profertur. Sequitur :

VERS. 3. *Tibi soli tacebunt homines, et cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis ?* — Imperita mens, ut diximus, veritatis sententias graviter tolerat, et silentium pœnam putat. Ferre vocem non valet, quia tenta in vulnere sui reatus dolet, unde mox se ad defensionem præparat, ut reatus sui verecundiam per verba pravæ refutationis tegat. Perversi enim correctionis vocem, contumeliam derisionis putant. Sequitur :

VERS. 4. *Dixisti enim : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.* — Quomodo enim beatus Job se mundum dicere potuit, qui ait : « Si justificare me voluero os meum condemnabit me ? »

(*Job* IV, 20). Sic habet hoc pravorum malitia, ut cum vera in se flere mala renuit, fingat aliena. Nam quasi solatio facinoris utitur, si falsis vocibus et vita corripientis inquinetur. Sequitur :

VERS. 5. *Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi.* — Ipse quippe homo sibi loquitur, cum per hoc quod sentit nequaquam divinitatis spiritu a carnalis prudentiæ intellectu separatur. Unde et adhuc Petro, hoc terrena sapienti, Veritas dicit : « Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum (*Matth.* XVI, 23). » Cui tamen recta confitenti dicitur : « Caro et sanguis revelavit tibi, » et reliqua (*Matth.* XVI, 17). Quid autem Dei labia, nisi judicia ejus accipimus ? Labia itaque sua Deus aperit, cum voluntatem suam hominibus per aperta judicia ostendit. Quasi enim reserato ore loquitur, cum remota obscuritate dispositionis intimæ renuit occultare quod vult. Nam velut clausis labiis sensum nobis suum non indicat, cum occulta judicia cur quid faciat celat. Ac si ergo patienter diceret: Imperitiæ tuæ potius quam pœnæ compatior, quia sola carnis prudentia preditum, a veritatis te spiritu vacuum agnosco. Si enim Dei occulta judicia cognosceres, tam procaces contra illum sententias non sonares. Sequitur :

VERS. 6. *Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ et quod multiplex sit lex ejus.* — Publica sapientia superna sunt opera, cum omnipotens Deus regit quos creat, perficit bona quæ inchoat, et aspirando adjuvat quos visitationis suæ lumine illustrat. Secreta vero sapientia superna sunt opera, cum Dominus quos creavit deserit, cum bona quæ proveniendo cæperat, nequaquam prosequendo consummat, cum dona quæ contulit minime custodit. Ad hæc se Paulus sapientiæ illius secreta tetenderat cum dicebat : « O altitudo divitiarum sapientiæ Dei, » et reliqua (*Rom*, XI, 33). Sequitur :

*Et quod multiplex sit lex ejus.* — Qui hoc loco Dei lex accipi, nisi charitas debet? per quam semper leguntur in mente præcepta vitæ qualiter in actione teneantur. De hac etenim lege Veritatis voce dicitur : « Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem (*Joan.* XV, 12). » De hac Paulus ait; « Plenitudo legis dilectio (*Rom.* XIII, 10). » Sed hæc eadem lex multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ a duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumerabilia extendit. Hujus namque legis initium, dilectio est Dei, ac dilectio proximi. Sed Dei dilectio per tria distinguitur, proximi autem ad duo præcepta derivatur. Sed hæc nimirum duo dum sollicita cogitantur intentione, cor ad innumera virtutum mysteria tendunt, ne vel ad inferenda quæ non debet, desideriis inquieta mens ferveat, vel erga exibenda quæ debet, otio resoluta torpescat. Hujus nimirum legis multiplicitatem bene Paulus enumerat dicens: « Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, et reliqua (*I Cor.* XIII, 4). » Sequitur: *Et intelligeres*

A *quod multum minora exigaris a Deo, quam mereatur iniquitas tua.* — Dolor quippe flagello temperatur, cum culpa cognoscitur. Si autem culpas perpendimus, profecto æquanimiter flagella toleramus, nec ex dolore ad impatientam proruit, cum suo judicio conscientia addicit. Sed Sophar sciens quid diceret, sed cui diceret nesciens, non sine magna iniquitate fuit, qui virum justum usque ad objectionem iniquitatis increpavit. Quamquam enim Sophar iniquum vocet, quem superna sententia laudaverat, non tamen a venia reprobatus excluditur, qui ad verba contumeliæ, divini amoris zelo promovetur. Citius enim culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur. Sequitur :

VERS. 7. *Forsitam vestigia Dei comprehendes, et*
B *usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* — Quid vestigia, nisi benignitatem illius visitationis vocat? Quibus nimirum progredi ad superna provocamur, cum ejus spiritus afflatu tangimur, et extra carnis angustias, sublevati per amorem, agnoscimus Auctoris nostri contemplandam speciem quam sequamur. Nam cum mentem nostram spiritualis patriæ amor inflammat, quasi sequentibus iter insinuat. Quæ enim necdum cernimus, restat necesse est, ut vestigia sui amoris indagemus, quatenus usque ad contemplationis speciem quandoque mens veniat, quem nunc quasi tergo subsequens per sancta desideria explorat. Hinc Psalmista ait : «Adhæsit anima mea post me (*Psal.* LXII, 9).» Tunc quippe manifeste Omnipotens reperitur, cum
C mortalitatis nostræ funditus corruptione calcata, ab assumptis nobis in divinitatis suæ claritate conspicitur. Nunc autem a carnali cogitatione animum infusi Spiritus gratia sublevat, et in contemptum rerum prætereuntium exaltat. Incircumscripti luminis jubar intueri conatur et non valet, quod infirmitate pressus animus, et nequaquam penetrat, et tamen repulsus amat. Sequitur:

VERS. 8, 9. *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari.*— Hæc quidem tanto spiritualiter debent intelligi, quanto de Deo quidquam nefas est justa corporea lineamenta sentiri. Sed *cœlo est excelsior*, quia incircumscriptione sui spiritus cuncta transcendit. *Inferno profundior*, quia transcendendo subvehit. *Terra*
D *longior*, quia creaturæ modum perennitate suæ æternitatis excedit. *Mari latior*, quia rerum temporalium fluctus sic regens possidet, ut hos sub omnimoda potentiæ suæ præsentia coangustando circumdet. Possunt et cæli appellatione, angeli, et inferni vocabulo demonia designari ; per terram vero, justi homines; per mare autem peccatores intelligi. *Excelsior* itaque *cœlo est,* qui ipsi quoque electi spiritus, visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant. *Profundior inferno* est, quia malignorum spirituum astutias longe subtilius quam ipsi putaverunt, judicans damnat. *Terra longior*. Quia longanimitatem nostram, patientia divinæ longanimitatis exsuperat. *Mari latior*. Quia ubique facta peccantium retribu-

tionis suæ ultione damnat. Cujus bene potentiam egregius nobis doctor insinuat, cum breviter narrat : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum (*Ephes.* III, 18). » Habet quippe Deus latitudinem, quia et in dilectione sua usque ad collationem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem, quia ipsorum quoque intelligentiam qui recepti fuerint, in superna congregatione transcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius districtionis suæ judicium incomprehensibiliter exerit. Ac si ergo despecto diceretur : Profunditatem ejus atque excellentiam quanto tu cognoscere sufficis, qui vel virtute ad summa evehi, vel temetipsum reprehendere in tentationibus nescis. Sequitur :

VERS. 10. *Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? (vel quis dicere ei potest. Cur ita facis?)* — Subvertit Dominus cœlum, cum, terribili et occulta dispensatione, humanæ contemplationis celsitudinem destruit. Subvertit infernum, cum cujuslibet mentem in suis tentationibus pavidam cadere etiam ad deteriora permittit. Subvertit terram : cum fructificationem boni operis adversis irruentibus intercidit. Subvertit mare, cum fluctuationem nostræ titubationis immergenti subito pavore confodit. Cœlum etiam simul infernusque coarctatur, cum unam eamdemque mentem, et sublevatio contemplationis illuminat, et importunitas tentationis obscurat. De cœlo quippe lux oritur, infernus autem tenebris possidetur. In unum etiam terra mareque coarctatur, cum unam eamdemque et certitudo solidæ fidei roborat, et tamen ex aliquantula mutabilitate perfidiæ aura dubietatis versat. Hinc quidem ait : « Credo, Domine, adjuva infidelitatem meam (*Marc.* IX, 33). » Divinum quippe judicium nec adversitate valet imminui, nec inquisitione agnosci. Sequitur :

VERS 11. *Ipse novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat.* — Vana namque agimus, quoties transitoria cogitamus. Unde evanescere dicitur, quod repente ab intuentium oculis aufertur. Hinc Psalmista ait: « Universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XVIII, 6). » Apte autem post vanitatem, protinus iniquitas adjungitur, quia dum per quædam transitorie ducimur, in quibusdam noxie ligamur. Cumque mens incommutabilitatis statum non tenet, a semetipsa defluens ad vitia prorumpit. Potest ergo et vanitas culpa intelligi, et iniquitatis nomine reatus gravior demonstrari. Si enim aliquando vanitas culpa non esset, Psalmista non diceret : « Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur (*Psal.* XXXVIII, 7). » Ex vanitate ergo, ut superius dictum est, ad iniquitatem ducimur, cum prius ad levia delicta defluimus, et usu cuncta levigante nequaquam post committere etiam graviora timemus. Hinc Salomon ait : « Qui modica spernit, paulatim decidit (*Eccli.* XIX, 1). » Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, au- A denter etiam majora perpetramus. Et notandum quod non videri, sed considerari dicitur. Deus itaque vanitatem hominum novit, iniquitatem considerat, quia nec minora delicta multa deserit, et ad majora ferienda se intentius accingit. Sequitur :

VERS. 12. *Vir vanus in superbiam erigitur.* — Vanitatis quippe finis est, ut cum peccato mentem sauciat, hanc ex culpa audacem reddat, quatenus sui reatus oblita, qui amisisse innocentiam non dolet, justo excæcata judicio simul et humilitatem perdat. Sequitur : *Et quasi pullum onagri se liberum natum putat.* — Per pullum quippe onagri omne agrestinum genus exprimitur. Agri namque animalia in libertate habent, et ire quo appetunt, et quiescere cum lassantur. Hoc tamen plerumque B homini non licet, quod brutis animalibus licet. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat, per effrenatam libertatem quærit, quid aliud quam pullo onagri similis esse concupiscit ; ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat. Restat ergo ut si esse jam similes pullo onagri nolumus, in cunctis quæ appetimus nutum prius intimæ dispensationis exquiramus. Sequitur :

VERS. 13. *Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas.* — Firmasti cor non hoc per virtutem dicitur, sed per insensibilitatem, quis autem pertinacia insensibilitatis obdurescit, quasi confirmat, ne hoc jacula superni timoris confodiant. Unde quibusdam per prophetam Dominus dicit : C « Tollam a vobis cor lapideum, et dabo vobis carneum (*Ezech.* XI, 19). » Per manus opera designantur. Cum culpa igitur manus ad Deum expandere est, contra largitoris gratiam de virtute operum superbire. Qui in conspectu divini Judicis loquens sibi bona quæ facit tribuit, ad Deum manus superbiens tendit. Sic profecto contra electos reprobi, sic contra catholicos hæretici effrenantur, quatenus eos quos redarguere ex infirmitate actionis non valent, ex crimine rumoris accusent. Sequitur :

VERS. 14, 15. *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula.* — Omne peccatum aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul et opere. D Iniquitas ergo in manu est, culpa in opere. Injustitia vero in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe nostra tabernaculum non incongrue vocatur, in qua apud nosmetipsos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Prius enim iniquitatem a manu substrahi, et post a tabernaculo admonet injustitiam abscidi, quia quisquis jam prava a se opera exterius resecat, necesse profecto est, ut ad semetipsum rediens solerter in mentis intentione sese discernat, ne culpa quam jam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret. Hinc Salomon ait : « Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam (*Prov.* XXIV, 27). » Quod si perfecte hæc duo tergimus, ad Deum statim sine macula faciem levamus. Interna quippe facies

hominis mens est; in qua nimirum recognoscimus, ut ab auctore nostro diligamur. Quam scilicet faciem levare est in Deo animum per studia orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat. Quæ ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus necdum devictæ culpæ memoria mordetur. Hinc per Joannem dicitur : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus ab eo, accipiemus (*I Joan.* III, 21, 22). » Hinc Salomon ait : « Qui avertit aurem suam ne audiat legem, et reliqua (*Prov.* XXVIII, 9). » Ut ergo ad precem facies sine macula levetur ante orationis tempora, semper debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari, et tunc etiam vere sine macula faciem levamus, cum nec prohibita mala nos committimus, nec quæ nobis commissa sunt ex proprio zelo, retinemus. Sequitur : *Et eris stabilis, et non timebis.* — Tanto nimirum minus quisque ante judicem trepidat, quanto in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem servat, quia dum sollicitus studet peragere quod mansuete conditor imperat, securus cogitat etiam quod terribiliter intendat. Sequitur :

VERS. 16. *Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ prætererunt recordaberis.* — Ac si aperte dicat : Si degustas gaudium quod intus permanet, leve fit protinus omne quod foris dolet; mala quippe vitæ præsentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum quod sequitur, negligit. Ac si semel quisque se ad æterna erigat, prope nihil esse hic conspicit quidquid ad finem currit. Præsentis vitæ adversa tolerat, et quasi nihil esse omne quod labitur, pensat. Bene autem præsentis vitæ miserias aquis prætereuntibus comparat, quia calamitas transiens electi mentem nequaquam concussione subruit, sed tamen tactu mœroris [doloris] infundit. Nam minatur quidem per cruorem vulneris, et a suæ certudine non frangitur salutis. Sequitur :

VERS. 17. *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.* — Fulgor quippe meridianus est, in vespere virtutis renovatio in tentatione, ut repentino charitatis fervore mens vigeat, quæ jam lumen sibi gratiæ occubuisse formidabat. Sequitur : *Et cum te consumptum putabis, orieris ut Lucifer.* — Sæpe namque tot tentamenta obsident, ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum desperationis inclinet. Sed mœroris nostri caliginem conditor conspicit, et subtracti luminis radios infundit, ita ut recta protinus per dona mens vigeat, quam paulo ante decertantia vitia superbiæ calce deprimebant. Justus ergo cum se consumptum putaverit, ut Lucifer oritur, qui mox ut tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, et in seipso demonstrat diem justitiæ, qui casurus paulo ante timuit noctem culpæ. Recte autem Lucifero justi vita comparatur. Solem quippe præcurrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia, nisi sequentis judicis

A claritatem clamat? In eorum namque admiratione conspicimus, quid de majestate veri luminis æstimemus. Aliter : Peccatoris enim lumen in die est, obscuritas in vespere, quia in præsenti vita felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine debacchatur. Justo autem meridianus fulgor ad vesperum surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cum jam lumen occumbere cœperit, agnoscit. Hinc namque scriptum est : « Timenti, Dominum bene erit in extremis (*Eccli.* I, 13). » Et Psalmista : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (*Psal.* CXXVI, 3). » Qui in hujus quoque vitæ adhuc certamine positus, cum se consumptum putaverit, ut Lucifer oritur, qui foris cadens, intus innovatur, et quo magis exterius adversa tolerat,
B eo verius virtutum lumine interius coruscat, Paulo attestante, qui ait : « Sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem (*II Cor.* IV, 16). » Sequitur :

VERS. 18. *Et habebis fiduciam, proposita tibi spe.* — Tanto namque spes in Deum solidior surgit, quanto quisque pro illo graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Hinc per Psalmistam dicitur : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV, 6). » Hinc Paulus ait : « Si commorimur, et convivemus, si sustinemus et
C conregnabimus (*II Tim.* II, 12). » Tanto ergo major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Sequitur : *Et defossus securus dormies.* — Sicut enim malis præsens securitas laborem, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. Defossum se securum dormire posse jam noverat, qui dicebat : « Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, » et reliqua (*II Tim.* IV, 6). Aliter : Rebus namque transitoriis occupati pensare negligimus, per quanta pensamus. Sed si reducto considerationis cultu, vomere ager excutitur, quidquid in mente latebat invenitur. Effossi ergo dormiunt, quia dum sua intima vigilanter penetrant, a laboriosis mundi oneribus sub quietis otio occultantur. Sequitur :

D VERS. 19. *Requiesces, et non erit qui te exterreat.* — Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit; at contra quisquis in populo æternitate desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur. Dum nil habet in mundo quod appetat, nil est quod in mundo pertimescat. Hinc etenim Salomon ait : « Non contristabit justum quidquid ei acciderit (*Prov.* XII, 21). » Et rursum : « Justus quasi leo absque terrore erit (*Prov.* XXVIII, 1). » Sequitur : *Et deprecabuntur faciem tuam plurimi.* — Neque enim justi viri idcirco per innocentiam itinera arcta custodiunt, ut ab aliis exorentur. Sed sive hæretici seu perversi quilibet per hoc quod inter homines quasi innocenter vivunt, videri pro hominibus intercessores volunt, et cum sancta insinuant

loquentes quod ipsi appetunt, hoc aliis pro magno A
pollicentur. Sequitur :

Vers. 20. *Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis.* — Quod oculorum nomine vis intentionis exprimitur per Evangelium Veritas dicit : « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit (*Matth.* vi, 22). » Oculi ergo impiorum sunt intentiones in eis carnalium desideriorum. Qui idcirco deficiunt quia æterna negligunt, et sola semper transitoria præstolantur. Carnis vita per momenta deficit, et tamen carnale desiderium crescit. Quorum scilicet oculi tunc superna ultione deficiunt, quia suo judicio a terrena hic deficere delectatione noluerunt. Hinc Psalmista ait : « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Psal.* cxlv, 4). » A quibus et omne effugium perit, quia eorum malitia ab animadversione districti judicis quo se occultare valeat, non invenit. Nam nunc tot hic habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque eis effugium perit, quia eorum mens amissis omnibus se solummodo et judicem conspicit. Sequitur : *Et spes eorum abominatio animæ.* — Quid hic peccator totis cogitationibus sperat, nisi ut potestate cæteros transeat? Cunctis rerum multiplicitate obsequentibus mirandus innotescat ? Bene ergo spes eorum abominatio dicitur animæ, quia ea quæ carnales ambiunt, spiritales quique judicio rectitudinis adversantur. Nam quod peccatores voluptatem æstimant, hoc justi procul dubio pœnam putant. Ut enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. Spes itaque carnalium abominatio dicitur, quia inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter vivit. Sequitur :

## CAPUT XII.

Vers. 1, 2. *Respondens autem Job, dixit : Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur scientia ?* — Quisquis se præire omnes ratione æstimat, quid iste aliud quam solum esse se hominem exsultat ? et sæpe contingit, ut cum per rumorem mens in altum ducitur, in despectum humanum, et sui admiratione sublevatur, in cogitatione etenim proprii favoris oritur scientia, sibique de singularitate sapientiæ blanditur. Qui ergo solum se sapere æstimat, quid aliud quam hanc eamdem secum oriri sapientiam putat ? Sequitur :

Vers. 3. *Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum.* — Ut amicorum superbiam beati Job corrigat, esse se superiorem tacet. Nec præferendo, sed conferendo indicat, quod de se ii qui sibi longe sunt impares discant. Sequitur : *Quis enim hæc quæ nostis ignorat ?* Ac si aperte dicat : Cum cunctis sint nota quæ dicitis, de doctorum scientia singulariter tumetis ? Sequitur :

Vers. 4. *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Dominum, et exaudiet eum.* — Sæpe infirma mens cum de bonis actibus cura humani favoris excipitur, ad gaudia exteriora derivatur. Cumque laudis suæ vocibus inhiat, quod esse cœperat relinquit. Inde ergo a Deo disjungitur, unde in Deo laudanda videbatur. Nonnunquam vero recto operi animus constanter innititur, et tamen humanis irrisionibus urgetur, et eo seipsum robustius in Deo solidat, quo foris non invenit quo requiescat ; fitque Deo tanto proximus, quanto et a gratia humani favoris alienus. In precem protinus funditur, et pressus exterius ad penetranda quæ intus sunt mundius loquitur. Quæ dum compuncta sese in precibus accingit, inde intra se supernæ exauditioni jungitur. Unde extra se ab humana laude separatur. Notandum vero, quam provide interponitur *sicut ego.* Quia sunt nonnulli quos et humanæ irrisiones deprimunt, et tamen divinis auribus exaudibiles non sunt. Hinc Elias quibusdam dicebat : « Clamare voce majori Deus enim est, et forsitan loquetur, aut in diversorio est (*III Reg.* xviii, 27). » Sed illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum. Sequitur : *Deridetur enim justi simplicitas.* — Hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere : quæ vera, fallacia demonstrare. At contra justorum sapientia est, nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt, demonstrare, falsa devitare, gratis bona exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam de injuria ultionem quærere, pro veritate contumeliam pati lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujusmodi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur. Sequitur :

Vers. 5. *Lampas contempta apud cogitationes divitum.* — Quid hoc loco significatur nomine divitum, nisi elatio superborum ? Qui venturum judicis aspectum non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument. Quoscunque itaque sequentis vitæ amor non humiliat, hoc in loco sacer sermo divites appellat, quia in judicii quique ultione non discrepant, utrum an solis moribus intumescant. Bene itaque justi simplicitas et *lampas* esse dicitur, et *contempta.* Lampas, quia interius lucet : contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lampas ergo contempta justus est, quia superbi quique dum pensare bona sequentia nequeunt pene nil æstimant quos non vident habere quod amant. Lampas ergo David per innocentiam fuerat, sed tamen valde contempta, quia exteriora cernentibus non lucebat. Quid igitur Paulus, nisi contempta lampas apud divitum congregationes fuit ? de quo dicebant : « Epistolæ graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis (*II Cor.* x, 10). » Sequitur : *Parata ad tempus statutum.* — Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est extremi judicii prædestinatus dies, quo justus quisque nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur. Tunc enim cum Deo judices venient, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Unde electis suis Veritas dicit. « Vos qui secuti estis me, in regeneratione, » et reliqua (*Matth.* xix, 28). Mystice Lampas nobis

etiam Redemptor noster exstitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hinc scriptum est : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, » et reliqua (*Joan.* I, 9). Quem tamen apud cogitationes divitum contemptum vidit Evangelista, cum diceret : « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Et rursum : « Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et A illusit (*Luc.* XXIII, 11). » Quæ in tempore parata, de quo scriptum est : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo (*Ps.* LXXIV, 3). » Lampas ergo quæ nunc contemnitur, ad statutum tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die ultima judicat, qui nunc peccantium derisiones portat. Hinc Propheta ait : « Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar (*Psal.* XLII, 14). »

# LIBER UNDECIMUS.

## SEQUITUR CAPUT XII.

VERS. 6. *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* — Quia plerumque mali eo magis contra Deum superbiunt, quo ab ejus largitate et contra meritum ditantur : et qui provocari, bonis ad meliora debuerunt, donis pejores fiunt. Sed intelligendum est nobis, quomodo prædones appellentur, dum protinus addatur : *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* — Si enim prædones sunt, violenter abstulerunt. Et dubium non est, quia violentorum non sit adjutor Deus. Quomodo igitur ipse dat, quod hi qui prædones sunt nequiter tollunt ? Sed sciendum est, quia aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus habere sinit. Nam quod perverse prædones faciunt, hoc dispositor æquissimus fieri, nonnisi juste permittit, ut et is qui rapere sinitur, cæcatus mente culpam augeat, et is qui rapinam patitur, jam in ejusdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetravit culpa feriatur. Quod tamen intelligi de rebus quoque spiritalibus potest. Nam plerumque nonnulli doctrinæ dona percipiunt, sed ex ejusdem donis intumescunt, et magni præ cæteris videri volunt. Atque omnipotentem Deum provocare est, de ejus donis inter proximos superbire. Qui etiam prædones non immerito vocantur, quia dum loquuntur quæ non faciunt, in usu locutionis suæ verba justorum tollunt. Sequitur :

VERS. 7, 8. *Nimirum interroga jumenta et docebunt te, volatilia cœli et indicabunt tibi : loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris* — Quid per jumenta nisi sensus pigriores ? Quid per cœli volatilia, nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus ? De jumentis namque, id est, sensu pigrioribus scriptum est : « Animalia tua inhabitabunt in ea (*Psal.* LXVII, 11). » Et quia sublimia sapientes in verbis nostri Redemptoris evolant, scriptum est : « Ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus (*Matth.* XIII, 32). » Quid vero per terram, nisi terrena sapientes ? Unde et primo homini cœlestia deserenti dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Quid per pisces maris nisi curiosos hujus sæculi debemus accipere ? de quibus Psalmista ait : B « Pisces maris qui perambulant semitas maris (*Psal.* VIII, 9). » Qui in magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta hæc inquisita doceant, adjungit dicens :

VERS. 9. *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit ?* — Ac si aperte dicat : Sine sensu tardiores, seu sublimia sapientes sine terrenis actibus deditos, seu hujus mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta hæc creatorem omnium Deum fatentur, et de potestate ejus concorditer sentiunt, quamvis sub ea non concorditer vivant. Quod tamen intelligi etiam juxta solam speciem litteræ utiliter potest, quia omnis respecta creatura, quasi dat vocem attestationis propriæ ipsam quam habet speciem suam, quia dum nostris oculis suas C species ingerunt, se a semetipsis non esse testantur. Eo ipso enim quod creatura sunt, per ostensam speciem Creatori suo quasi vocem confessionis reddunt. Qui quia omnia condidit, qualiter etiam debeant administrari disponit. Sequitur.

VERS. 10. *In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis est.* — Per manus quippe potestas exprimitur. Anima igitur omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis, in ejus potestate est, a quo est ut ipse provideat, qualiter sit qui præstat esse, quod non fuit. Potest vero per animam omnis viventis jumentorum vita signari. Omnipotens autem Deus jumentorum animam ad corporeos sensus vivificat, hominum vero spiritum, usque ad spiritualem intellectum ten- D dit. In ejus ergo manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis, dum et in illo hoc præstat animæ, ut vivificet carnem, et in isto hoc vivificat animam, ut ad intelligendam perveniat æternitatem. In sacro autem eloquio spiritus hominis aliquando pro anima ponitur, ut illud : « Inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* XVIII, 30), » aliquando pro effectu spiritali, sicut scriptum est : « Qui facit angelos suos spiritus (*Hebr.* I, 7). » Hoc autem loco si anima omnis viventis ipsa vita corporis signatur, spiritus universæ carnis hominis, effectus intelligentiæ spiritalis exprimitur. Sequitur :

VERS. 11. *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem ?* — Pene nullum latet, quod

quinque sensus corporis nostri, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus, in omni quod sentiunt atque discernunt, virtutem discretionis et census a cerebro trahunt. Ex istis ergo corporalibus exterioribusque interiora et spiritalia colligenda sunt. Intuendum quippe est quia cum una sit sapientia, alium minus, alium majus inhabitat. Alii hoc, alii illud præstat, et quasi cerebri more, nobismetipsis velut quibusdam sensibus utitur, ut quamvis ipsa sibimet nunquam sit dissimilis, per nos tamen diversa et dissimilia operetur semper. Sed in his verbis beatus Job etiam de electis ac reprobis aliquid innuere videtur ; quia verba sapientiæ quæ reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. His etiam verbis beatus Job, amicorum suorum imperitiam, et eorum qui de doctrina sapientiæ inflantur, arrogantiam reprobat. Sequitur :

VERS. 12. *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* — Illa enim dicta in sapientiæ radice solidata sunt, quæ per vivendi usum etiam actuum experimento convalescunt. Sequitur :

VERS. 13. *Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam.* — Hæc non incongrue de Unigenito summi Patris accipimus, ut ipsum esse Dei Sapientiam sentiamus. Nam Paulus quoque nostro intellectui attestatur dicens : « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, quia apud ipsum semper est (*I Cor.* I, 24), « quia » in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). Habet autem Deus consilium et intelligentiam : consilium videlicet quia disponit sua ; intelligentiam, quia cognoscit nostra. Potest quoque consilii nomine ipsa occulta judicii mota signari, vel quod aliquando tardius delinquentes percutit, non quia iniquorum culpa non conspicitur, sed ut damnationis eorum retinentia, quæ pro agenda pœnitentia differtur, quasi tarda ex consilio prodire videatur. Sequitur :

VERS. 14. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet.* — Omnipotens Deus humanum cor destruit cum relinquit ; ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut cum audiens exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædicatore moneatur ; quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Hic Propheta ait : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI, 1). » Sequitur : *Si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.* — Quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc reatus animi premat, etiamsi nemo exterius accuset ? Qui cum judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque est Dei clausis non aperire. Unde et ad Moysem dicitur de Pharaone : « Ego indurabo cor ejus (*Exod.* VII, 3). » Sequitur :

VERS. 15. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* — Si aqua scientia prædicationis accipitur, ut scriptum est : « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVIII, 4) ; » cum aqua continetur cuncta siccantur, quia si scientia prædicatorum subtrahitur, eorum qui viridescere in spe æterna poterant, corda protinus arefiunt, ut in desperata siccitate remaneant, dum fugitiva diligentes, nesciunt sperare mansura. Potest etiam aquæ nomine sancti Spiritus gratia designari. Hinc Veritas ait : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Si ergo spiritus gratia ab auditoris mente subtrahitur, arescit protinus qui jam per spem viridescere in audiente videbatur. Quod autem non aquam, sed aquas memorat, pluralitatis appellatione, ad septiformem donorum spiritualium gratiam recurrit. Sequitur : *Si emiserit eas, subvertent terram.* — Sed sancti Spiritus gratia superno munere juxta vocem prædicantis infunditur, statim terra subvertitur, quia peccatricis mentis duritia, ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, ut tanto se postmodum præceptis Dominicis flendo subjiciat, quantum superbiendo prius contra Dominum cervicem erigebat. Sequitur :

VERS. 16. *Apud ipsum est fortitudo et sapientia.* — Quia enim omnipotens Deus, pietatis suæ mysterio homo factus est, prius mansuetudinis doctrinam protulit, et postmodum in judicio quantæ sit fortitudinis ostendit ; recte superius sapientia ante fortitudinem memoratur, cum de Patris Unigenito dicitur : « Apud ipsum est sapientia et fortitudo (*Dan.* II, 20). » Quia vero ad judicandum veniens, in terrore suæ virtutis apparebit, et repulsis reprobis, electis suis in regno perpetuo qualiter sit sapientia Patris indicavit ; recte in subsequenti sententia apud ipsum esse prius *fortitudo*, et post, *sapientia* dicitur. Sequitur : *Ipse novit et decipientem et eum qui decipitur.* — De iniquis quidem Dominus dicturus est : « Discedite a me, quia nescio vos (*Matth.* XXV, 41). » Sed quia scire Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare, et scit iniquum, quia cognoscendo judicat. Neque enim iniquum quempiam judicasset, si nequaquam cognosceret. Et tamen iniquum nescit, quia ejus facta non approbat. Et novit ergo quia deprehendit, et novit, quia non approbat. Novit etenim decipientem, quia plerumque anteriora ejus mala conspicit, et hunc justo judicio cadere etiam in alia peccata permittit. Scriptum est : « Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII, 11). » Novit quo-

que et eum qui decipitur, quia sæpe committunt homines mala quæ sciunt, et idcirco permittuntur decipi, ut cadant in mala etiam quæ nesciunt. Quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando ad ultionis initium fieri solet. Sequitur :

VERS. 17. *Adducit consiliarios in stultum finem.* — Adducit autem consiliarios in stultum finem, cum etiam bonum quodlibet non bona intentione faciunt, sed ad temporalis muneris retributionem tendunt. Recte etiam consiliarios prædicatores accipimus, qui suis auditoribus consilium vitæ præbent. Sed cum prædicator quisque ideo æterna prædicat, ut temporalia lucra consequatur, profecto in stultum finem deducitur, quia illo per laborem tendit, unde per mentis rectitudinem fugere debuit. Sequitur : *Et judices stuporem.* — Omnes enim qui in examinandis aliorum moribus præsunt, recte judices vocantur. Sed cum is qui præest subjectorum vitam nequaquam sollicite discutit, neque qualiter corrigat agnoscit, in stuporem judex deductus est, quia qui judicare mala acta debuit, nequaquam ea quæ judicanda sunt, deprehendit. Sequitur :

VERS. 18. *Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.* — Quid in fune accipitur, nisi peccatum, sicut in Salomone dicitur : « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur (*Prov.* v, 22). » In renibus autem carnis delectatio accipitur. Regum itaque balteum dissolvit, quando in his qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit, ut eorum membris delectatio peccati dominetur. Sequitur :

VERS. 19. *Ducit sacerdotes ingloriosos, et optimates supplantat.* Magna sacerdotis gloria est, rectitudo subditorum. Unde bene egregius prædicator discipulis dicit : « Quæ est nostra spes, et gaudium aut corona gloriæ. Nonne vos ante Dominum ? » (*I Thess.* II, 19). Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, et nullum de eorum provectibus ante Deum fructum ferunt, quid aliud quam ingloriosi ducuntur ? Quia ante districtum judicem nimirum gloriam tunc non inveniunt, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt. Sequitur : *Et optimates supplantat.* — Quia cum mentem regentium justo judicio deserit hæc, internum retributionis præmium non requirit, et in eo supplantatur quod fallitur, ut pro æterna gloria, de principatu temporali gratuletur. Sequitur :

VERS. 20. *Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens.* — Cum sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? » (*Psal.* XLIX, 16). Et plerumque doctor qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui quæ operari contempsit, docere incipit subdito prava quæ agit. Commutat ergo labium veracium, quia hi qui prius cœlestia prædicando veraces erant, dum temporalia diligentes ad terrena corruunt labium veracium commutatur, et senum doctrina tollitur, quia diligentes temporalia..... suorum præcepta sequuntur ut locum regiminis quasi ad fructum voluptatis teneant, non ad usum laboris. Quod tamen apertius de Judæis valet intelligi, qui ante incarnationem Domini veraces fuerunt, quia hunc venturum esse crediderunt atque nuntiaverunt. Sed postquam in carne apparuit, hunc esse negaverunt. Labium itaque veracium mutatum est, quia quem venturum dixerant, negaverunt præsentem, et doctrina senum ablata est, quia nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ patres suos meminerunt prædixisse. Sin vero senes eosdem quoque Judæos accipimus, qui suadente perfidia, Veritatis verbo contraire conati sunt; doctrina senum ablata est, postquam hanc Ecclesia ex gentibus videlicet juvencula accepit, quæ per Psalmistam dicit : « Super senes intellexi (*Psal.* CXVIII, 100). » Sequitur :

VERS. 21. *Effundens despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevans.* — Cum enim Judæorum populus in legis mandato permaneret, et cuncta gentilitas nulla Dei præcepta cognosceret, et illi per fidem principari videbantur, et isti in profundo pressi jacuerant per infidelitatem. Sed cum incarnationis Dominicæ mysterium Judæa negavit, gentilitas credidit, et principes in despectionem ceciderunt, et hi qui oppressi in culpa perfidiæ fuerant, in veræ fidei libertate levati sunt. Aliter : Principes etenim non immerito vocantur qui suis semper cogitationibus principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiæ comprimunt. Sed sæpe contingit, ut in occulto animus de ipsa sua sapientia in elationis fastu sublevetur, et sub eis vitiis corruat, de quibus se victorem fuisse gaudebat. Sed nonnunquam hi qui in vitiis jacere videntur, ad pœnitentiæ lamenta currunt, seque contra culpas, quibus subjacebant, erigunt; et sub se postmodum carnis suæ motus deprimunt, a quibus ante premebantur. Sequitur :

VERS. 22. *Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.* — Cum enim quoque mystica de occultis prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur ? Hinc Dominus ait : « Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine (*Matth.* X, 27). » Umbra autem mortis erat legis duritia, quæ unumquemque peccantem morte corporis punire sanciebat. Sed postquam Redemptor noster asperitatem legalis sanctionis per mansuetudinem temperavit, non jam pro culpa mortem carnis inferni constituit, sed mors quantum timenda esset indicavit. In luce procul dubio umbram mortis produxit. Ista etenim mors in qua caro separatur ab anima; umbra illius mortis est, in qua anima separatur a Deo. In luce ergo umbra mortis producitur, cum intellecta morte spiritus mors carnis minime timetur. Aliter : Profunda enim de tenebris Dominus revelat, quando aperta sententia ex occultis suis consiliis judicat, ut

de unoquoque quæ sentiat ostendat. Quia enim videt nunc Creator omnia, et ipse in consiliis non videtur, recte de illo per Psalmistam dicitur: « Posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12). » Umbra enim mortis est prava operatio, quæ de imitatione antiqui hostis quasi de corporis lineamentis exprimitur. De quo etiam sub cujusdam significatione dicitur: « Et nomen illi mors (*Apoc.* VI, 8). » Et plerumque ejus maligna cogitatio mentes hominum latet, atque per hoc quod nescitur amplius prævalet. Umbra ergo in lucem producitur, dum sanctorum mentibus maligna operatio antiqui hostis ut destrui possit aperitur. Sequitur:

VERS. 23. *Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit.* — Intelligi fortasse valet, quoniam gentes Dominus multiplicat et perdit, quia nascuntur quotidie morituri. *Et subversas in integrum restituet*, quia resurgunt qui fuerint mortui. Quod tamen melius accipimus, si hoc, qualiter in earum mente agitur, sentiamus. Multiplicat enim gentes et perdit, quia eas et per fecunditatem sobolis extendit, et tamen in propria infidelitate derelinquit. Sed *subversas in integrum restituet*, quia quas in infidelitatis casu reliquerat quandoque ad fidei statum reducet. Sequitur:

VERS. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ, et decepit eos ut frustra incedant per invicem.* — Cor enim principum terræ immutatum est, cum in Judæa summi sacerdotes et seniores populi illi suo consilio conabantur obsistere, quem prius venturum esse prædicabant. Cumque ejus nomen persequendo molirentur exstinguere, decepti sua malitia incedere per invicem frustra conabantur. Sequitur:

VERS. 25. *Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce.* — Qui enim inter tot miracula aperta trepidat, quasi in tenebris palpat, quia quod tangit non videt. Omnis vero qui errat, nunc huc, nunc illuc ducitur: et quia aliquando ostendebant credere cum dicerent: « Nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam (*Joan.* IX, 23). » Aliquando vero hanc a Deo esse denegabant, cum despicientes dicerent: « Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph, et Simon et Judas, et sorores ejus nonne apud nos sunt? » (*Matth.* XIII, 55.) Sequitur: *Et errare eos faciet quasi ebrios.* — Videbant quippe eum et suscitare mortuos, et tamen esse mortalem, quia non crederent Deum, quem conspiciebant suscitare mortuum? Sed rursum cum hunc mortalem conspicerent, despiciebant credere hunc immortalem esse Deum. Per hoc ergo quod omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit, qui possit et divina ostendere et humana pati, errare eos quasi ebrios facit, ut eorum superbia, quæ incarnationis ejus mysterium despicere maluit quam sequi, et contra humanitatem ejus se extolleret, inter lucentem divinitatis ejus potentiam miraretur. Quæ cuncta quia beatus Job oculis presentia per prophetiæ spiritum facta sunt, recte sequitur:

## CAPUT XIII.

VERS. 1. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea.* — In illo enim ea quæ secutura erant videbat assistentia, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante oculos ejus assistunt. Sed utilitatem dicta non habent, si intellectu carent. Sequitur: *Et intellexi per singula.* — Cum enim aliquid ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minime est. Vidit namque Pharao per somnium quæ erant Ægypto ventura (*Gen.* XLI, 17). Sed quia nequivit intelligere quod vidit, propheta scilicet non fuit. Aspexit Balthazar rex articulum manus scribentis in pariete (*Dan.* V, 25), sed propheta non fuit, quia intellectum rei quam viderat non accepit. Ut igitur beatus Job prophetiæ spiritum se habere testetur, non solum audisse et vidisse, sed etiam intellexisse se omnia asserit. Sequitur:

VERS. 2. *Secundum scientiam vestram et ego novi, nec inferior vestri sum.* — Quibus videlicet dictis innotuit quantæ humilitatis fuit, qui se eis inferiorem negat, quorum vitam sancte vivendo longe transcenderat. Nam et secundum eorum scientiam se nosse confirmat, qui sciendo cœlestia eorum terrenas cogitationes per prophetiæ spiritum transibat. Sequitur:

VERS 3. *Sed tamen cum Omnipotente loquar, et disputare cum Deo cupio.* — Cum Omnipotente loquimur, dum ejus misericordiam deprecamur. Cum eo vero disputamus, dum nos illius conjungentes justitiæ, facta nostra subtili indagatione discutimus. Vel certe cum Deo disputare est eum qui hic ejus præceptis paruit, cum illo postmodum ad judicandos populos judicem venire, sicut cuncta relinquentibus prædicatoribus dicitur: « Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Loqui ergo ad orationem, disputare ad judicium pertinet. Vir igitur sanctus modo ad Omnipotentem loquitur, ut cum Omnipotente postmodum disputet. Quia ille cum Deo postmodum judex venit, qui hic ei modo in prece familiaris exstiterit. Sequitur.

VERS 4. *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum* — Liquet enim quia catholicorum figuram non teneant, qui cultores perversorum dogmatum vocantur. Qua in re hoc quoque oportet intendi, quod mendacii fabricatores dicuntur. Sicut enim paries ædificatur lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Sequitur:

VERS. 5. *Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.* — Sicut clausa janua in domo quæ intus membra lateant, ignoratur, sic plerumque stultus si tacuerit, utrum stultus an sapiens sit, absconditur, si tamen nulla alia opera prodeant, quæ sensum etiam tacentis loquantur. Unde per

Salomonem dicitur: « Stultus, si tacuerit, sapiens putabitur (*Prov.* XVII, 28). » Sequitur :

VERS. 6. *Audite ergo correptiones meas, et judicium labiorum meorum attendite.* — Bene autem prius correptionem, et postmodum judicium intulit, quia nisi per correptionem prius tumor stulti deprimatur, nequaquam intelligentia judicium justi cognoscitur. Sequitur :

VERS. 7. *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* — Deus mendacio non eget, quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Hæretici autem quia quæ prave de Deo intelligunt, ex veritate tueri non possunt, quasi ad probandum radium luminis falsitatis requirunt. Sequitur :

VERS. 8. *Nunquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini?* — Stulti cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis omnia esse reprehensibilia videntur, suæque imperitiæ atque infirmitatis obliti, tanto intentius de alienis judicant, quanto profundius sua ignorant. At contra justi, et cum pravorum facto redarguunt, semper suæ infirmitatis conscii, eos, etsi exterius sæviendo tamen interius compatiendo, reprehendunt; quia illius solius est peccata hominum sine compassione discutere, qui ex naturæ suæ omnipotentia ignorat peccare. Quia igitur amici beati Job ita ejus facta reprehenderant, ac si in se ipsi reprehensibile nihil haberent. Sequitur :

VERS. 9. *Aut placebit ei quem celare nil potest? aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* — Fraudem Deo hæretici exhibent, qui ea astruunt, quæ nequaquam ipsi pro quo loquuntur, placent; eumque dum quasi defendere nituntur, offendunt dum in adversitate ejus corruunt, cui videntur ex prædicatione famulari. Unde et per Psalmistàm dicitur: « Ut destruas inimicum et ultorem (*Psal.* VIII, 3). » Quia autem latere Deum nil potest, hoc in eis judicat, quod intus sentiunt, non quod famulari foris videntur. Sequitur :

VERS. 10. *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.* — Sunt namque nonnulli qui et veritatem in corde sentiunt, et tamen quæ falsa sunt de Deo foris loquuntur. Ne enim vinci videantur, et cognoscunt veritatem interius, et tamen hanc interius [exterius] impugnant. Ac si ergo diceret: Tanto magis de falsitate apud eum estis reprehensibiles, quanto et apud vosmetipsos quod verum est, videtis. Et sunt nonnulli qui quando ad mentem redeunt, Dei justitiam et rectitudinem contemplantur, et orando et flendo contremiscunt: sed postquam contemplatio transierit, sic audaces ad iniquitatem redeunt, ac si post dorsum ejus positi, ad justitiam ejus lumine videantur. Hi itaque apud se in abscondito quasi corporaliter videntem accipiunt faciem Dei. Sequitur :

VERS. 11. *Statim ut se commoverit turbavit vos, et terror ejus irruet super vos.* Cum sit naturæ incommutabilis Omnipotens, in ira judicii pertubabilis non est. Sed humano verbo motus Dei dicitur ipsa rectitudinis ejus districtio, qua humana pravitas feritur. Justi autem viri ante Deum metuunt, quam ejus ira contra eos moveatur, et ne commotum sentiant, tranquillum timent. At contra perversi tunc jam feriri pertimescunt, cum feriuntur, eosque tunc terror ejus a somno sui temporis exsuscitat, cum vindicta perturbat. Unde per prophetam dicitur: « Et tanto sola vexatio intellectum dabit auditui (*Isa.* XXVIII, 19). » Sequitur :

VERS. 12.— *Memoria vestra comparabitur cineri.* — Omnes qui cogitatione terrena huic sæculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alii bellorum titulis, alii altis ædificiorum mœnibus. Aura enim
B cinerem spargit, sicut scriptum est: « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » Recte ergo stultorum memoriam cineri comparat, quia illic ponitur, ubi ab aura rapitur. Sequitur : *Et redigentur in lutum cervices vestræ.* — Sicut per oculum visus, sic per cervicem solet superbia designari. Cervix itaque in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, et elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulcris jacent divitum cadavera. Sequitur :

VERS. 13. *Tacete paulisper, ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit.* — Sensum carnis locutos indicat. Quos idcirco silentium restringit, ut ea quæ illi mens suggesserit dicat. Ac si aperte
C dicat. Non ergo carnaliter, sed spiritualiter loquor, quia per sensum spiritus audio, quæ per ministerium corporis profero. Sequitur :

VERS. 14. *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* — In scriptura sacra dentes aliquando sancti prædicatores accipi solent, ut illud: « Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* VI, 5).» Aliquando interni accipi sensus solent, ut illud Jeremiæ: «Fregit ad numerum dentes meos (*Thren.* III, 16).» Hoc igitur loco, quia dentes internos sensus accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt et comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt, considerare magnopere quid agere justi soleant, debemus; qui plerumque si qua in se quamlibet leviter carnalia esse deprehendunt, hæc internis sensibus
D retractantes, vehementer in semetipsis insequuntur, afflictione se conterunt, magnisque cruciatibus vel minima in se prava dijudicant, atque hæc per pœnitentiam damnant. Quod idcirco agunt, ut in conspectu æterni judicis et ipsi inveniri, in quantum possibile est, irreprehensibiles debeant, et hi qui eos sic se judicare conspiciunt, emendare semetipsos a culpis gravioribus inardescant. Sequitur: *Et animam meam porto in manibus meis.* — Animam in manibus portare est intentionem cordis in operatione ostendere. Ac si igitur contra amicos suos beatus Job dicat: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?* Id est cur vel me districte coram hominibus dijudico, vel quid

appetam in opere ostendo, si utilitate proximorum, nec mala dijudicando, nec bona ostendendo proficio? Sequitur :

VERS. 15. *Etiam si occiderit me, sperabo in ipso.* — Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere est patiens, qui et diversis atteritur, et tamen ab spei suæ rectitudine non incurvatur. De reprobi namque sensu scriptum est : «Confitebitur tibi, cum benefeceris ei (*Psal.* XLVIII, 10). » Sequitur :

VERS. 16. *Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit Salvator meus.* — Cum Paulus apostolus dicat : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique dijudicaremur (*II Cor.* XI, 31). » Eo tunc Dominus Salvator invenitur facilius, quo nunc pro primore Domini peccatum nostrum a nobismetipsis plus redarguitur. Sequitur : *Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.* — Sciendum quippe est quod duobus modis in conspectu Domini venimus. Unum quidem quod hic peccata subtiliter perpendentes in ejus nos conspectu ponimus, et flendo dijudicamus. Nam quoties conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu ejus stamus. Unde recte quoque per virum Dei Eliam dicitur : « Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto (*III Reg.* XVII, 1). » Alio quoque modo in conspectu Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal ejus assistimus. Hypocrita igitur per examen ultimum ante conspectum judicis venit. Sed quia modo culpas suas considerare et deflere dissimulat, in conspectu Domini venire recusat. Sequitur :

VERS. 17. *Audite sermonem meum, et enigmata percipite auribus vestris.* — Per hoc quod enigmata nominat, figuratas se habere locutiones demonstrat. Unde apte quoque voce fidelis populi subditur :

VERS. 18. *Si fuero judicatus, scio quia justus inveniar.* — Quod ab ejusdem beati Job persona non discrepat, quando hoc ipse foris de semetipso loquitur, quod de illo Veritas hosti ejus interius dixerat : « Vidisti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram ? » (*Job* I, 8). Sed in his verbis questio est. Inferius enim dicit : *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Neque enim simul convenire queunt, peccata et justitia. Sed sanctus vir sibi iniquitatem tribuens, et omnipotenti Deo purgationem suam, et peccatorem se cognoscit ex se, et justum se factum non ignorat ex munere. Sequitur :

VERS. 19. *Quis est qui judicatur mecum ? veniat.* — Sancti viri ita se in operibus suis Deo auctore custodiunt, ut omnino unde accusantur exterius non inveniatur. Sequitur :

VERS. 20. *Quare tacens consumor?* — Tacens enim consumitur, qui de stulta se cogitatione reprehendens, apud semetipsum dente conscientiæ mordetur. Ac si aperte dicat : Sicut vixi ut accusatorem exterius nullum timerem, utinam sic vixissem ut intra memetipsum accusatricem co-

A scientiam non haberem ? Tacens enim consumitur, qui intus in re invenit, unde irascatur. Sequitur : *Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar.* — Hoc loco quid Dei faciem, nisi animadversionem debeamus accipere? in qua dum peccata respicit, punit. A qua videlicet nullus etiam justus absconditur, si duo quæ postulat non amoveantur. Sequitur ;

VERS. 21. *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.* — In quibus videlicet duobus, quid aliud prophetiæ vocem, quam tempus gratiæ et redemptionis inquirit? Lex namque sub percussionis ultione populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur. Nec enim plebs Israelitica ex amore Domino, sed ex

B timore serviebat. Nunquam vero impleri justitia per timorem potest, quia juxta Joannis vocem : « Perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18). » Ac si ergo diceret : Percussionis duritiam remove, formidinis pondus tolle, sed et irradiante gratia dilectionis spiritum securitatis infunde, quia si longe a percussione et formidine non fuero, scio quia a districtione tui examinis non abscondor ; quoniam in conspectu tuo justus esse non valet, qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem servit. Sequitur :

VERS. 22. *Voca me, et respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi.* — Dum humanis oculis per assumptam carnem Redemptor noster apparuit, sua peccata hominibus apparuit, quæ

C et perpetrabant, et nesciebant. Aliter : Vocare Dei est, nos amando et eligendo respicere. Respondere autem nostrum est, amori illius bonis operibus parere. Ubi apte subditur. *Aut certe loquar, et tu responde mihi.* Loquimur namque, cum ejus faciem per desiderium postulamus. Respondit autem Deus loquentibus, cum nobis se amantibus apparet. Sequitur :

VERS. 23. *Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi,* — Iste in hac vita justorum labor est, ut semetipsos inveniant, et invenientes flendo et corrigendo, ad meliora perducant. Et quamvis inter iniquitatem atque peccatum nihil distare perhibeat Joannes apostolus, qui ait : « iniquitas peccatum est (*I Joan.* III, 4). »

D Ipso tamen usu loquendi, plus iniquitas quam peccatum sonat, et omnis se homo libere peccatorem fatetur, iniquum vero nonnunquam erubescit dicere. Inter scelera vero et delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, quia cum offerri sacrificium per legem jubetur nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto. Et scelus nonnunquam in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Sequitur :

VERS. 24. *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* — Humanum genus contemplationem intimæ lucis habuit in paradiso. Sed sibimetipsi placens, qua a se recessit, lumen conditoris perdidit, ejusque faciem ad ligna paradisi fugit; quia post culpam videre metuebat, quem amare consueverat. Sed ecce post culpam venit in pœnam, ex

pœna autem ad amorem redit, quia quisquis fugerit, culpæ fructus invenit, atque illam faciem quam timuit in culpa, excitatus requirit ex pœna, ut jam caliginem cæcitatis suæ fugiat, atque hoc ipsum quod auctorem suum non videt, graviter perhorrescat. Sequitur :

Vers. 25. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris?* — Qui est homo nisi folium ? Qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit, quid est nisi folium? Qui tentationis vento rapitur, et desideriorum flatibus levatur. Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus, motibus movetur. Bene autem post folium, etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium a semetipso factus est in tentatione, sed post stipula apparuit in dejectione. Quia enim de alto cecidit, folium ; quia vero per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, jam stipula sicca est. Ac si aperte deploret dicens : Cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis ? Sequitur :

Vers. 26. *Scribis contra me amaritudines.*— Quia omne quod loquimur transit ; quod vero scribimus, manet. Deus non loqui, sed scribere amaritudines dicitur, cum diu super nos ejus flagella perdurant. Semel quippe peccanti homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). Quæ in paradiso, data de morte carnis nostræ sententia, ab ipso initio generis humani usque in finem sæculi non mutatur. «Quis est enim homo qui vivit, et non videbit mortem (*Psal.* LXXXVIII)? » Sequitur : *Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.*— Ecce vir justus, quia in juventute sua se pecasse non invenit, adolescentiæ facta pertimescit. Vel certe quia prima ætas apta bonis actibus adolescentia est, et justi viri cum magna mentis maturitate proficiunt, nonnumquam ad memoriam actionum suarum initium reducant, seque tantum de suis primordiis reprehendunt, quantum ex gravitate mentis altius profecerunt : quia eo indiscretos se fuisse inveniunt, quo discretionis arcem plenius postmodum consequuntur : recte nunc per sancti viri vocem adolescentiæ peccata formidantur. Sequitur :

Vers. 27. *Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti.* — In nervo Deus pedem hominis posuit, quia pravitatem illius sorti districtionis suæ sententia ligavit. Cujus omnes semitas observat, quia subtiliter singula ejus quæque dijudicat. Semita enim angustior esse solet quam via. Quia autem vias actiones, non immerito semitas actionum cogitationes accipimus ; Deus itaque omnes semitas observat, quia in singulis quibusque nostris, et cogitationes pensat, et vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum quam recte ponantur, ne et hoc quod bonum agitur, non recto desiderio, agatur. Possunt quoque per pedum vestigia, quædam male acta designari. Nam pes in corpore est, vestigium in via ; et plerumque dum quædam prave agimus, intuentibus hoc fratribus exemplum malum præbemus. Et quia inflexu, extra viam pedibus sequentibus, vestigia distorta relinquimus dum per nostra opera ad scandalum aliena amæna corda provocamus. Quæ tamen cuncta omnipotens Deus subtiliter examinat, atque in judicio singula recompensat. Sed quando homo, qui carnis suæ infirmitate constringitur, contra cuncta valeat subtiliter assurgere atque inconcussa cogitatione rectitudinem tenere ? Sequitur ?

Vers. 28. *Qui quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.*— Sicut enim vestimentum de se exorta tinea comeditur, ita homo in semetipso putredinem habet de qua consumatur, atque hoc est unde consumitur, ut non sit. Aliter : Homo enim quasi putredo consumitur, dum carnis suæ corruptione contritus, cui quia immunda tentatio, non aliunde, sed a semetipso nascitur, more tineæ carnem tentatio, quasi vestem de qua exit, consumit. Sequitur :

## CAPUT XIV.

Vers. 1. *Homo natus de miliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* — In sacro eloquio mulier aut pro sexu ponitur, aut pro infirmitate. Pro sexu quippe sicut scriptum est : « Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege (*Gal.* IV, 4). » Pro infirmitate vero, sicut per quemdam sapientem dicitur : « Melior iniquitas viri, quam benefaciens mulier (*Eccli.* XXIV, 14). » Hoc igitur loco, mulieris nomine, quid nisi infirmitas designatur, cum dicitur. *Homo natus de muliere?* Ac si apertius dicatur : Quid in se habet fortitudinis, qui natus est de infirmitate ? Ecce viri sancti vocibus pœna hominibus breviter est expressa, qui et angustatur ad vitam, et dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne quod hic agitur, pœna miseriæ est. Ipsi enim corruptioni carnis servire ad necessaria atque concessa miseria est. Sequitur :

Vers. 2. *Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* — Quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo ? Unde Isaias ait : «Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus, sicut flos agri (*Isa.* XL, 6). » Homo etenim more floris procedit ex occulto et subito apparet in publico ; qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Quæri enim potest, cur vitæ hominis cursum umbræ potius quam soli comparat, nisi quia amisso amore conditoris, calorem cordis perdidit, et in solo iniquitatis suæ frigore remansit. Quia juxta Veritatis vocem : « Abundavit iniquitas et refrigescit charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12). » Qui igitur in amore Dei calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit, tenet, scilicet velut umbra fugit. Unde recte quoque de illo scriptum est : Quia secutus est umbram. Bene autem dicitur : *Et nunquam in eodem statu permanet,* quia

dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur. Sequitur :

Vers. 3. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere tecum in judicium ?* — Consideravit quippe superius et omnipotentis Dei potentiam, et infirmitatem suam deduxit ante oculos. Se et Dominum pensavit, quis cum quo ad judicium veniat. Vidit hinc hominem, inde Conditorem, id est et pulverem et Deum. Et recte ait : *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos* ? Sequitur :

Vers. 4. *Qui potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus est?* Ipse, — qui per se solus est mundus, mundare prævalet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso, qui nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus conceptio immunditia est. Unde Psalmista ait : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal.* L, 7). »

# LIBER DUODECIMUS.

Vers. 5. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.* — Hoc etenim apud nos velut non esse considerat, quanta velocitate transcurrit. Quia vero omnipotenti Deo etiam labentia instant, apud eum esse numerum mensium nostrorum perhibet. Vel certe indiebus brevitas temporis in mensibus vero quasi multiplicata dierum spatia designantur. Nobis vero dies breves sunt. Sed quia vita nostra ostenditur apud Deum numerum mensium nostrorum esse memoratur. Unde et per Salomonem dicitur : « Longitudo dierum in dextra illius (*Prov.* III, 16). » Sequitur : *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* — Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei consilio occulto veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam homini est, quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Quod tamen intelligi etiam juxta spiritum valet, quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, et qædam dona percipimus, a quibusdam vero repulsi in imis jacemus. Nemo enim est qui tantum virtutes apprehendat, quantum desiderat- quia omnipotens Deus interiora discernens ipsi, spiritualibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, et non valet, in illis, se non elevet quæ valet. Sequitur :

Vers. 6. *Recede paululum ab eo, ut requiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus.* — Hoc loco *recede* dicitur, vim flagelli amove. Quis enim valet Deo recedente quiescere, cum ipse solus sit requies ? Et a quo quisque quanto longe fuerit, fiit tanto et inquietus. Itaque sic *recede ab eo* dicitur, ut intelligas feriendo. Mercenarius quanto longe est a fine operis, tanto et a retributione mercedis. Ita vir quisque sanctus in hac vita positus, dum longe se ab exitu vitæ presentis conspicit, longe se essse ab æternis gaudiis gemit. Sequitur.

Vers. 7. *Lignum habet spem; si præcisum fuerit rursum virescit, et rami ejus pullulant.* — In Scriptura etenim sacra ligni nomine aliquando crux intelligitur, ut illud : « Mittamus lignum in panem ejus (*Jer.* XI, 19). » Aliquando autem vir justus aut etiam injustus, ut illud prophetæ : « Ego Dominus humiliavi lignum sublime, exaltavi lignum humile (*Ezech.* I, 24). » Aliquando autem incarnata Dei Sapientia figuratur, ut illud : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam (*Prov.* III, 18). » Hoc ita loco cum lignum præfertur homini, quid homo, nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine, nisi justi uniuscujusque vita signatur ? *Dignum* etenim *habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit.* Quia cum in morte passionis pro veritate afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur, et qui hic virebat per fidem, illic virescit per speciem. *Et rami ejus pullulant.* Quia plerumque ex passione justi fideles quoque ad amorem celestis patriæ multiplicantur, et viriditatem vitæ spiritalis accipiunt, dum hunc pro Deo fortiter egisse gratulantur Sequitur :

Vers. 8, 9. *Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus, illius : ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est.* — Quid radix justi, nisi sancta prædicatio, quia ab ipsa oritur, et in ipsa subsistit ? Et quid terræ vel pulveris nomine, nisi peccator accipitur ? Justi igitur radix in terra senescit, et in pulvere truncus emoritur, quia corda pravorum ejus prædicatio despecta, cunctis viribus effeta creditur. Et in pulvere truncus emoritur, quia inter manus persequentium corpus illius examinatur. Ad odorem aquæ germinat, quia per afflatum sancti Spiritus in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Succisor trunco, comam facere est, extincto corporaliter justo, ipso suæ passionis exemplo, multorum corda excitare, et ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur : *Quasi cum primum plantatum est.* Omne quod hic a

justis agitur, secunda plantatio est, quia prima [A] videlicet plantatio, non in opere justorum, sed in præscientia Conditoris est. Potest etiam radix justi ipsa natura humanitatis intelligi ex qua subsistit. Quæ videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit, in pulverem redacta. Cujus in pulvere truncus emoritur, quia extinctum corpus a sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquæ germinat, quia per adventum sancti Spiritus resurgit. *Et faciet comam quasi cum primum plantatum est*, quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset. Quod fortase de domino valet intelligi, quoniam et si occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad viriditatem vitæ venit. Hujus rami pullulant, qui ex resurrectione [B] illius multiplicati, longe lateque fideles creverunt. Hujus radix in terra quasi senuit, quia ejus prædicatio Judæorum perfidiæ despecta fuit. *Et in pulvere truncus emortuus est*. Quia in corde persequentium quod perfidiæ suæ vento levabatur, despectabilis et contemptus est habitus, quia carni potuit occidi. Sed *ad odorem aquæ germinavit*. Quia per virtutem Dei instincta caro illius ad vitam rediit, juxta quod justum est : « Quem Deus suscitavit a mortuis (*I Thes.* I, 10). *Et fecit comam quasi cum primum plantatum est*. Quia illa apostolorum debilitas, quæ in morte illius expavit et negavit, et negando aruit, per resurrectionis ejus gloriam rursus ad fidem viruit. Unde et subditur :

VERS. 10. *Homo vero cum mortuus fuerit et* [C] *nudatus atque consumptus, ubi, quæso, est?* — Nullus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum non venit ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur, ipsa amissione justitiæ morimur. Concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur culpa, nudatur a justitia, consumitur in pœna. Hanc nuditatem peccatoris filii tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit : « Cito proferte stolam primam (*Luc.* XXV, 22). » Primo quippe stola est innocentiæ vestis, quam homo bene conditus accepit, male a serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur : « Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet (*Apoc.* [D] XVI, 15). » Vestimenta quidem custodimus, cum præcepta innocentiæ servamus in mente, ut cum nos judici culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pænitentia operiat. Quia peccator homo illic stare noluit, ubi conditus fuit : hic vero ubi cecidit, diversa ei prohibentur, patriam volens perdidit. A peregrinatione vero sua quam diligit, invitus expellitur. Ubi ergo est, qui in ejus amore non est, ubi verum esse est? Sequitur :

VERS. 11, 12. *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat : sic homo cum dormierit, non resurget.* — Mare mens hominis, et quasi fluctus maris sunt cogitationes [ejus] mentis, quæ aliquando per iram tumescunt, per gratiam tranquillæ fiunt, per odium cum amaritudine defluunt. Sed cum homo moritur, aquæ maris recedunt, quia juxta Psalmistæ vocem, « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Psal.* CXLV, 4). » Et rursum de moriente scriptum est : « Amor quoque et odium simul peribunt (*Eccle.* IX, 6). » Arescit ergo fluvius vacuefactus, quia, subducta anima, vacuum corpus remanet. Quasi enim alveus fluminis vacuus, corpus exanime. Sed in his valde durum videtur esse quod *sic homo cum dormierit non resurget*. Cur itaque laboramus, si in resurrectionis retributione non tendimus ? Quomodo autem dicitur, *non resurget*, cum scriptum sit : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabitur (*I Cor.* XV, 51). » Sed subjecta sententia indicat quæ discretio in præmissa lateat. Nam subditur : *Donec atteratur cœlum, non evigilabit nec consurget de somno suo.* — Liquet enim quia non resurget, sed donec atteratur cœlum, quia nisi hujus finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam non evigilabit. Non ergo quia omnimodo non resurgat, sed, quia ante contritionem cœli humanum genus minime resurgat, insinuat. Sequitur :

VERS. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me?* — Quia ante adventum Mediatoris hominis, omnis homo, quamvis mundæ probatæque vitæ fuerit, ad inferni claustra descendit, dubium non est. Nec tamen ita justorum animas ad infernum dicimus descendisse, ut in locis pœnalibus tenerentur : sed esse superiora inferni loca credenda sunt, ut in superioribus requiescerent justi, et in inferioribus cruciarentur injusti. Unde et Psalmista prævenientem se Dei gratiam dicit : « Eripuisti animam meam ex inferno inferiori (*Psal.* LXXXV, 13). » Beatus igitur Job, ante Mediatoris adventum ad infernum se descendere sciens, Conditoris sui illic protectionem postulat, ut a locis pœnalibus alienus existat. Sequitur : *Et abscondas me donec pertranseat furor tuus.* — Furor etenim omnipotentis Dei, in hoc quotidie vim suæ districtionis peragit, quod viventes indigne suppliciis demergit. Qui furor nunc equidem transit, quia modo agitur, sed in mundi termino consummatur. Qui tamen iste furor, quantum ad electorum animas in Redemptoris nostri adventu pertransiit, quia eas ab inferni claustris ad paradisi gaudia Mediator Dei et hominum, dum ipse illuc pie descenderet, reduxit. Sequitur : *Et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* — « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*Gal.* IV, 4). » Hanc itaque redemptionem vir Domini præsciens, in qua erant multi ex gentilitate liberandi, sicut ipse ait : « Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris (*Job.* X, 13). » Apud omnipotentem Deum tempus sibi constitui suæ recordationis petit. Hinc est enim quod in Evangelio Dominus dicit : « Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Omnia videlicet electa. Sequitur :

Vers. 14. *Putasne mortuus homo rursum vivet?* — Solent justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam infirmantium dubietatem omnimodo contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant, et per hoc certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Sequitur : *Cunctis diebus quibus milito, exspecta donec veniat immutatio mea.* — Qui itaque immutationem suam tanto desiderio exspectat, quam sit de resurrectione certus, insinuat; et cursum vitæ præsentis quantum despiciat, innotescit qui hunc miseriam appellat. Per malitiam quippe semper ad finem tenditur, et quotidie conclusionis terminus exspectatur. Cursum itaque vitæ hujus despicit, et statum soliditatis requirit, qui per hoc, quod mutabiliter militat, ad immutationem suam pervenire festinat. Sequitur :

Vers. 15. *Vocabis me, et ego respondebo tibi.* — Respondere cuilibet dicimus, cum ejus factis congrua ad invicem opera reddimus. In illa igitur mutatione vocat Dominus, et respondet homo, quia ante incorrupti claritatem, incorruptus homo ostenditur post corruptionem. Nunc etenim quousque subditi corruptioni sumus, Auctori nostro minime respondemus, quia, dum corruptio ab incorruptione longe est, similitudo apta nostræ responsioni non est. De illa vero immutatione scriptum est : « Cum apparuerit, similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Sequitur : *Operi manuum tuarum porrige dexteram.* — Ac si patenter dicat : Idcirco creatura corruptibilis persistere ad incorruptionem potest, quia tuæ potestatis manu erigitur, et tui respectus gratia, ut persistat, tenetur. Potest quoque dexteræ nomine Filius designari, quia « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3). » Operi igitur manuum suarum porrexit omnipotens Deus dexteram suam, quia ut abjectum atque in infimis jacens, ad summa erigeret genus humanum, incarnatum ad hoc Unigenitum misit, ex cujus nobis incarnatione datum est, ut qui ex voluntate propria in corruptionem cecidimus, vocanti nos Deo quandoque ad incorruptionis gloriam respondere valeamus. Sequitur :

Vers. 16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* — Gressus Deus dinumerat, cum singula quæque nostra opera propter retributionem signat. Quid enim in gressibus, nisi unaquæque nostra actio designatur? Omnipotens itaque Deus et gressus dinumerat, et parcit peccatis, quia et subtiliter acta nostra considerat, et tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat. Sequitur :

Vers. 17. *Signasti quasi sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* — Signantur quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc quod nos exterius agimus, nisi pœnitentia interveniente diluamus, in A secreto judiciorum Dei, sub quadam occultatione servatur, ut quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum judicii. Unde etiam per Moysen dicit : « Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In diem ultionis reddam illis (*Deut.* XXXII, 34, 35). » Cum vero pro malis quæ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, et hæc per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram et signat et curat; quia nec inulta hic deserit, nec in judicio punienda servat. Vel certe peccata nostra signantur in sacculo, cum mala quæ fecimus, sollicito semper corde pensamus. Quid namque est cor hominis, nisi sacculus Dei? Ubi dum studiose conspicimus per quanta delinquimus, peccata nostra quasi in Dei sacculo signata B portamus. Ac si ergo dicat : Quomodo signas ut pœnitendo videam, agis procul dubio ne in retributione videantur. Sequitur :

Vers. 18, 19. *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur; et hominem ergo similiter perdes.* — Hoc crebro agitur, ut cadentibus rupibus saxum ad loca alia transferatur, ut aquæ lapides excavent, et paulatim terra alluvionibus consumatur. Sed magna nobis intentione discutiendum est quod infertur : *Et homines similiter perdes.* Quid est enim hoc quod cadenti monti et saxo translato, quod excavato lapidi, et per alluvionem terræ consumptæ perditio humana nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia duo C sunt genera tentationum? Unum quod in mente etiam justi hominis per repentinum eventum agitur, quatenus sic subito tentetur, ut hunc inopinato eventu concutiat et prosternat, casumque suum nonnisi, postquam ceciderit, videat. Aliud vero quod paulatim venit in mentem, et resistentem animum lenibus suggestionibus inficit, et omnes in eo vires justitiæ, non nimietate sua, sed assiduitate consumit. Quia ergo alia est tentatio quæ justos plerumque subita invasione prosternit, dicatur : *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo*, id est mens sua sancta, cujus locus justitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursum quia alia est tentatio quæ se cordi hominis leniter infunditur, omnem duritiam fortitudinis cor- D rumpit atque consumit, dicatur : *Lapides excavant aquæ.* Quia videlicet duritiam mentis absorbent assidua et mollia blandimenta libidinis, et lentum atque subtile vitium corrumpit durum et forte propositum mentis. Unde subditur : *Et alluvione paulatim terra consumitur.* Sicut enim influente aqua paulatim consumitur terra, sic leniter subripiente vitio mens etiam fortis absorbetur. Unde bene subjungitur : *Et homines ergo similiter perdes*, id est, quia cum tentationem justo judicio ejus menti qui stare in alto cernitur, repente dominari permittis, cadere ac defluere facis mentem, et voluntas ad judicium commutatur, quasi ad locum alium transfertur saxum. Sequitur :

Vers. 20. *Roborasti eum paululum, ut in perpe-*

*tuum transiret.* — Paululum roboratus est homo, quia vivendi vires ad modicum accepit, ut in perpetuum transeat, ubi ejus vitam terminus non concludat. Sequitur : *Immutabis faciem ejus, et mittes eum.* — Facies hominis immutatur, cum ejus species morte atteritur. Omittit vero, quia ab his quæ volens tenuit, transire ad æterna cogitur nolens. Sequitur :

Vers. 21. — *Sive nobiles fuerunt filii ejus, sive ignobiles, non intelligit.* — Sicut enim hi qui adhuc vires [vivi, *seu* in vivis *f.*] sunt, mortuorum animas quo loco habeantur, ignorant, ita mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponatur nesciunt. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est. Quia qui intus claritatem omnipotentis Dei vident, nullomodo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique qui amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt. Quod tamen si intelligi spiritaliter debet, non incongrue filiorum nomine opera designatus, sicut de muliere Paulus dicit, quia salva erit per filiorum generationem. Nobiles ergo sunt filii recta opera facientes, ignobiles autem facta perversa. Et sæpe homo agere quælibet bona intentione nititur, sed tamen pro multis quæ subrepunt, ejus acta apud omnipotentem Deum qualiter habeantur incertum est. Sequitur ;

Vers. 22. *Et tamen caro ejus dum vivet, dolebit : et anima ejus super semetipsum lugebit.* — De conjugibus Paulus dicit : « Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi (*I Cor.* vii, 28). » Quia quisquis in se gaudere appetit, eo ipso jam in luctu est, quo a vera lætitia recessit. Vera quippe lætitia menti Creator est. Sequitur :

## CAPUT XV.

Vers. 1. *Respondens autem Eliphaz Themanites dixit.* — Crebro jam diximus beatum Job, typum sanctæ universalis Ecclesiæ, amicos vero illius hæreticorum speciem tenere, qui quasi ex defensione Domini, occasionem stultæ locutionis inveniunt, et contumeliosa contra bonos verba jaculantur. Quibus cuncta quæ a fidelibus sentiuntur, quasi in vento prolata displicent. Unde nunc dicitur :

Vers. 2. *Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens ?* — Nec bonorum verba, dicta rationis æstimant, sed stimulos favoris. Unde et subditur. *Et implebit ardore stomachum suum.* — Qui ea etiam quæ sciunt contumeliose dicere, student semper, ut dictum est, ex Domini defensione palliare. Sequitur :

Vers. 3. *Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quæ tibi non expediunt.* — Nullum vero existimant timorem Domini habere, nisi eum quem potuerunt ad suæ confessionis stultitiam trahere. Unde adjungit :

Vers. 4. *Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Domino.* — Tulisti, dicitur

A abstulisti. Ac si aperte dicat : De tua justitia præsumens Creatoris tui gratiam despicis deprecari. Cum enim vera mala hæretici contra bonos non inveniunt, fingunt quæ redarguunt, ut justi esse videantur. Et fit plerumque ut ad aperta contumeliorum verba perveniant. Unde adhuc subditur :

Vers. 5. *Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.* — Iniquitas os docet, quando ex mala vita concipitur, quod pejus dicatur. Ac si ei aperte diceretur : Quod perverse loqueris, ex perversiori vita didicisti. Sed quoniam sancta Ecclesia veram Domini carnem, veram Domini mortem confitens, ab hæreticis qui hoc negant, irrogare Deo contumeliam creditur. Unde nunc dicitur : *Et imitaris linguam blasphe-*
B *mantium.* Sequitur :

Vers. 6. *Condemnabit te os tuum, et non ego, et labia tua respondebunt tibi.* — Quia enim ex errore confessionis existimant mala adversitatis erumpere, labia sua ei asserunt respondere, ut culpa eloquii sit causa flagelli. Sequitur :

Vers. 7, 8. *Nunquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus ? Nunquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia ?* — Ac si verbis apertioribus dicat : Qui de æterno loqueris, pensa quia temporalis es. Qui de ejus sapientia disputas, pensa quia consilium ignoras. Sequitur :

Vers. 9. *Quid nosti quod ignoremus ? Quid intelligis, quod nesciamus.* — Quæ videlicet dicta
C patenter ostenduut, ex qua mentis elatione prodeat, quidquid quasi ad Dominicam defensionem sonat. Sequitur :

Vers. 10. *Et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui.* — Quia omnes hæretici a sancta universali Ecclesia sunt egressi testatur Joannes, qui ait : « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis (*Joan.* ii, 19). » Sed ut ea quæ asserunt commendare stultis mentibus hominum quasi de antiquitate possent, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos doctores Ecclesiæ suæ professionis magistros dicunt. Cumque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsa præsumptione gloriantur, ut ea quæ ipsi dicunt etiam antiquos Patres tenuisse fateantur. Sequitur :

D Vers. 11. *Nunquid grande est, ut consoletur te Deus, sed verba tua prava hoc prohibent.* — Ac si ei patenter dicat : Si professione fidei corrigeris, jam dudum consolationem flagellis habere potuisses. Sequitur :

Vers. 12. *Qui te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ?* — Sæpe justorum mens ita ad altiora contemplanda suspenditur, ut exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed quia hanc contemplationis vim in occulto agere hæretici ignorant, hoc a justis et recta sapientibus fieri magis per hypocrisim, quam per veritatem putant. Sequitur :

Vers. 13. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones ?* —

Plerumque justi aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera coguntur fateri. Quod beatus Job fecerat, quem post justitiam flagella deprimebant. Sed cum eorum dicta injusti audiunt, hæc per elationem potius quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba justorum pensant, et dici humiliter posset vera bona non æstimant. Sequitur :

VERS. 14. *Quid est homo ut immaculatus sit ?* — Eo enim ipso quod dicitur homo, terrenus exprimitur, et infirmus. Homo enim b humo appellatus est. Et quomodo valet esset sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra. Ubi et additur. *Et justus appareat, natus de muliere ?* — Primam quippe viro injustitiam mulier propinavit in paradiso. Quomodo ergo justus apparebit, qui de illa natus est, quæ injustitiæ propinatrix exstitit ? Sequitur :

VERS. 15. *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus.*— Hoc cœlorum nomine repetiit, quod sanctorum prius appellatione signavit. Nam de eisdem sanctis scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 2).» Quia per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent. Sed dum immutabili veritati semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc se toto affectu tenent, quandoque accipiunt ut super semetipsos ducti, vincant hoc quod in semetipsis mutabiles exstiterunt. *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus*, quia per semetipsos ante districtum judicium, nec ipsi esse mundi ad perfectum possunt, qui munditiæ prædicatores fiunt, Joanne attestante, qui ait : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus , nosipsos seducimus *Joan.* I, 8) » et reliqua. Sequitur :

VERS. 16. *Quanto magis abominabilis et inutilis homo !* — Abominabilem scilicet propter immunditiam maculæ ; inutilem vero propter injustitiam imperfectæ vitæ. Qui tamen abominabilis et inutilis intelligi et aliter potest. Aliquando enim homo perversus quædam recte agere videtur, sed per ea quæ iniqua sunt, etiam ea ejus quæ recta sunt destruuntur. Et quia multum Deo displicent mala, neque illa placent quæ videntur bona. Qui ergo in malis suis Deo abominabilis est, in bonis inutilis. Sequitur : *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* — Culpa enim quæ ab stulto homine, sine ulla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Sequitur :

VERS. 17. *Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi.* — Habent hoc omnes arrogantes proprium, ut cum rectum quid vel parum senserint, in usum hoc elationis inflectant, atque unde per intellectum sibimetipsis altiores fiunt, inde per tumorem elationis in foveam cadant. Et ut fortiorem sibi auctoritatem arroget, dicit : *Quod vidi narrabo tibi.* — Quia vero nonnunquam hæretici de damnatis suis partibus confunduntur, et tamen eorum sententias, quasi cum auctoritate ad medium proferunt, ex quorum stultitia jure reprobantur. Subditur :

VERS. 18, 19. *Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos. Quibus solis data est terra, et non transivit par eos alienus.* — Solis suis patribus datam existimant, quia solos errorum suorum magistros rexisse veraciter Ecclesiam putant. Quis vero *alienus*, nisi apostata angelus vocatur ? Unde per Psalmistam de cunctis simul malignis spiritibus dicitur : « Quomodo alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam (*Psal.* LIII, 5). » Hæretici igitur, quia doctorum suorum corda apostatæ angelo existimant non fuisse subjecta, transisse per eos alienum denegant. Cui videlicet alieno per unumquemque transire est, iniquas in corde ejus cogitationes immittere. Sequitur :

VERS. 20. *Cunctis diebus suis impius superbit.*— Solent etiam electi in quibusdam cogitationibus suis atque actibus superbire, sed quia electi sunt, cunctis diebus suis superbire non possunt, quia priusquam vitam finiant, ad humilitatis metum [metam] ab elatione corda commutant. Impius vero diebus suis omnibus superbit, quia sic vitam terminat, ut ab elatione minime recedat. Unde bene subditur : *Et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.* — Superbire minime debuisset, etiamsi annorum suorum certum numerum habere potuisset, ut sciens quantum viveret, præsciret quando se ab elatione removeret. At postquam vita semper incerta est, tanto semper mors subrepens timeri debet, quantum nunquam præviderі valet. Bene autem superbiam impii tyrannidem vocat. Proprie enim tyrannus dicitur qui in communi republica non jure principatur. Sed sciendum est quia omnis superbia juxta modum proprium tyrannidem exercet, nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum vellet. Et cum deest potestas foris, apud se tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus. Sequitur :

VERS. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille insidias suspicatur.* — Nil autem simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nil est quod pati ab aliis formidet. At contra mens prava semper in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferantur, et quidquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari a proximis formidat. Fit undique suspecta, undique trepida. Omnis qui ad memoriam venit exquirere contraria creditur. Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic procul dubio *terroris sonitus* semper *in auribus est*, et sæpe contingit, ut tali cuilibet proximus suus simpliciter loquatur, nil adversum cogitet. Sed *cum pax sit, ille insidias suspicatur*, quia qui semper dolose agit simpliciter erga se agi non æstimat. Et quia scriptum est : « Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit (*Prov.* XVIII, 3). » Involutus iniquitatis suæ tenebris, jam de luce desperat. Unde et sequitur :

VERS. 22. *Non credit quod reverti possit de tenebris, circumspectans undique gladium.*— Quia dum

feriri se undique insidiis credit, salute desperata semper ad nequitiam exerescit. Sequitur :

Vers. 23. *Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.* — Panis etenim stipendium vitæ præsentis, tenebrarum vero dies tempus ultionis accipitur. In hac vita quæ..... suo aliquando iste perversus iram superni julicis perpendit præsentem, sed e malo non avertitur, ut etiam ipsa quoque ab ejus interitu valeat averti. Accusante autem se conscientia feriri metuit, sed tamen semper auget quod feriatur. Contemnit enim reditum suum, desperat veniam, superbit in culpa. Sequitur :

Vers. 24. *Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.* — In omni quod iniquus agit, tribulatione et angustia vallatur, quia cor ejus anxietate et suspectione confunditur. Sciendum quoque, quia rex qui præparatur ad prælium, sic de hoste suspectus est, ut eumdem quem ducit, exercitum metuat ne labefactetur, ne destitutione militum, jaculis pateat inimicorum. Iniquus ergo angustia vallatur sicut qui præparatur ad prælium, quia videlicet falsa loquens, formidat ne suos amittat milites, id est argumenta falsitatis, et veritatis jaculis pateat, si ei fortasse defuerit quod ex fallacia opponat. Sequitur :

Vers. 25. *Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.* — Hæc de ipso iniquorum capite scilicet Antichristo apertius sentiuntur. Qui contra Deum manum erigens, roborari dicitur, quia parvo tempore permittitur exaltari, ut cum ad modicum gloriari sinitur, eo in perpetuum atrocius puniatur. Sed quia ejus membra sunt omnes iniqui, hoc quod in fine mundi ille tunc singulariter acturus est unus, videamus modo qualiter a malis agatur singulis. Contra Deum quippe manum tendere est in operatione prava despectis Dei judiciis perseverare, et quia tunc magis irascitur cum permittit impleri, quod saltem concipi in cogitatione non debuit. Contra Omnipotentem iniquus iste roboratur, quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus et perversa faciat, et tamen feliciter vivat, de quo adhuc subditur :

Vers. 26. *Cucurrit adversus Deum erecto collo.* — Erecto collo adversus Deum currere est, ea quæ Creatori displicent cum audacia perpetrare. De quo recte dicitur *cucurrit*, id est, in malo opere obstaculum de adversitate non habuit, de quo adhuc additur. *Et pingui cervice armatus est.* — Pinguis cervix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus in pingui cervice armatur contra Dominum, quia rebus temporalibus tumens, contra præcepta veritatis quasi de magnitudine carnis erigitur. Sequitur :

Vers. 27. *Operuit faciem ejus crassitudo.* — Visus quippe in facie, in qua et prima corporis honorabilior pars est. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus, illud videmus. Faciem ergo crassitudo operis, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit, et hoc quod in eis honorabile esse debuit, ante Dei oculos fœdat, quia curis multiplicibus aggravat. Sequitur *Et de lateribus ejus arvina dependet.* — Quia arvina pinguedo est carnis, latera dicere solemus divitum, hos quos eis conjunctos cernimus. Arvina de lateribus ejus pendet, quia quisquis potenti et iniquo adhæret, ipse quoque de ejus potentia velut ex pinguedine rerum tumet. Qui patroni perversi iniquitatem sequens Deum non timet, quos valet,
B et quantos valet pauperes allligit, et de gloria temporali cor elevat. Sequitur :

Vers. 28. *Habitavit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quæ in tumulis sunt redactæ.* — Qui enim a conversatione conviventium civitas appellatur, civitates desolatæ sunt ipsi obsequentium cunei perversorum, quorum clamoribus perversus iste laudatur, cum ad prava opera per nequitiam rapitur. Domus vero desertæ sunt cogitationes pravæ quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit iniquorum omnium cogitationibus placere appetit Qui deserti et desolati dicuntur, quia omnipotens Deus et conversationes, et cogitationes talium deserit. Ruentia namque domorum atque civitatum ædificia tumulos faciunt.
C Quomodo dum pravi quique confusis actionibus sibimetipsis ad perversa opera junguntur, ostendunt procul dubio, quia ædificia vitæ ceciderunt. Sequitur :

Vers 29. *Non habitabitur* [*ditabitur*], *nec perseverabit substantia ejus, nec mittet, in terra radicem suam.* — Quod hic *non habitabitur* dictum est, in quibusdam codicibus reperi *non ditabitur* Sed sensus non discrepat, quamvis a se sermo discordet. Ille enim virtutibus dilabitur cujus mentem non habitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio Auctoris sui gratiam non inhabitat, profecto virtutibus non ditatur. Propter hoc ergo quod interius est vacuus ditatur, non inhabitabitur : propter hoc vero quod transitorie foris tu-
D met, recte subjungitur : *Nec perseverabit substantia ejus.* — Superbus enim quisque dum contra Dominum roboratur, dum currit *erecto collo*, et in *pingui cervice* contra Auctorem erigitur, stare quasi arbor videtur : sed status ejus sine radice est, quia velut ad levem flatum, sic ad modum occultæ sententiæ vita ejus eruitur. Sin vero hoc loco terram, æternæ vitæ retributionem accipimus, de qua Propheta ait : « Portio mea in terra viventium (*Psal.* CXLI, 6). » Iniquus iste in terra radicem suam non mittit, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat. Quod enim radix arbori, hoc unicuique hominum cagitatio sua est. Sequitur :

Vers. 30. *Non recedet de tenebris.* — Si superbus iste a culpa ad justitiam redire voluisset, de

tenebris recederet : sed quia lucem justitiæ non quærit, de tenebris non recedit. Sequitur : *Ramos ejus arefacit flamma.* — Quia ipsi quoque qui ei conjuncti sunt, terrenis desideriis æstuant, et dum desideriorum flamma clientium ejus animos accendit, scilicet ramos ejus arefacit, ut fructum boni operis non ferant. Sequitur : *Et auferetur spiritu oris sui.* — Superbus etenim quisque, quo in hac vita plus valet, eo sibi linguæ frena audacius relaxat, ut loquatur perversa quælibet, *et auferetur spiritu oris* ejus, quia eo percussionis sententiam accipit, quo oris sui spiritum sub divina formidine non restrinxit. Sequitur :

Vers. 31. *Non credit frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* — Quoties post culpam eleemosynas facimus quasi pro pravis actibus pretium damus. Unde et per Prophetam de eo qui hæc non agit, dicitur : « Non dabit propitiationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ (*Psal.* LXXXIV, 89). » Nonnunquam vero divites elati inferiores opprimunt, aliena rapiunt, et tamen quasi quædam aliis largiuntur. Sed non frustra credit, quod *pretio redimendus sit,* quia eleemosyna superbi divitis eum redimere non valet, quam perpetrata simul rapina pauperis ante Dei oculos ascendere non permittit. Quod fortasse intelligi et aliter potest. Quia sæpe superbi divites, cum eleemosynam tribuunt, non hanc pro æternæ vitæ desiderio, sed pro extendenda vita temporali largiuntur. Mortem se posse differre dationibus credunt. Sed *non credat frustra errore deceptus, quod* aliquo *pretio sit redimendus*, quia obtinere ex impenso munere non valet, ut finem debitum evadat, cujus etiam nequitia intercidit vitam. Unde subditur :

Vers. 32. *Antequam dies ejus impleantur, peribit, et manus ejus arescit.* — Præfixi dies singuli Dei præscientia nec augeri possunt nec minui, nisi contingat ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breviores. Sicut Ezechias augmentum meruit dierum impensione lacrymarum. Et sicut de perversis scriptum est : « Indisciplinatis obviat mors (*Isa.* XXXVIII, 5. » Sed sæpe iniquus quamvis in occulta Dei præscientia longa vitæ ejus tempora non sint prædestinata, ipse tamen quia carnaliter vivere appetit, longos dies animo proponit, et quia ad illud tempus pervenire non valet quod exspectat, quasi antequam dies illius impleantur, perit. Aliter. Sunt namque nonnulli, qui post vitam perditam ad semetipsos redeunt, et accusante se conscientia, perversa itinera relinquunt, commutant opera, antiquæ suæ pravitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur Sed priusquam in eisdem sanctis desideriis solidentur, per torporem mentis ad ea quæ dijudicare cœperant redeunt, atque ad mala quæ fugere disposuerant recurrunt : quia et si quid boni fortasse agere cœperit, priusquam in eo per longitudinem temporis convalescat, ad exteriora delabitur et perverse deserit quæ recte inchoasse videbatur *Hæc videntur legi debere numero plurali*. Unde apte subditur : *Manus ejus arescit.* Quia dum exterioribus actibus intempestive involvitur, ab omni nimirum bona operatione siccatur. Unde adhuc bene dicitur :

Vers. 33. *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus.* — Si florentem vineam per inæqualitatem aeris immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viridatis arefacit. Et sunt nonnulli qui post perversa itinera sanctas vias sectari appetunt, sed priusquam in eis, ut diximus, bona desideria roborentur, quædam illos præsentis sæculi prosperitas accipit, quæ eos rebus exterioribus implicat, et eorum mentem dum a calore intimi amoris retrahit, quasi ex frigore exstinguit, et quidquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. Nonnunquam vero vineam non frigus, sed æstus arefacit. Cumque immoderato calore tangitur, discusso flore botrus tabescit, et plerumque contigit, ut hi qui ad bona opera recta intentione non veniunt, cum placere se hominibus vident, ad exercenda hæc eadem opera vehementius accendantur, humanis placitura oculis agere anxie studeant, et quasi sancto desiderio fervescant. Quid itaque istos nisi in flore æstus attingit? Sequitur : *Et quasi oliva projiciens florem suum.* — Oliva quippe cum in flore est, si immoderata nebula tangitur, a plenitudine fructuum vacuatur. Et quoties quippe inchoantes bona opera ab aspicientibus laudari cæperint, atque in suis laudibus delectari, fit caligo intelligentiæ in cogitatione, ut jam discernere nequeam qua intentione quid faciant, et fructum perdunt operis, velut ex nebula favoris. Sequitur :

Vers. 34. *Congregatio enim hypocritarum sterilis.* — Cœpta enim bona non amitteret, si hypocrita non fuisset. Congregant enim hypocritæ bona opera, sed eorum sterilis est ipsa congregatio, quia per hoc quod agunt, fructum recipere in æterna retributione non appetunt, fecundi ac virides in suis operibus humanis oculis videntur, sed in conspectu occulti judicis infecundi et aridi apparent. Sequitur : *Et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* — Sicut enim corpus in tabernaculo, sic et mens habitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula devorat, cum æstus avaritiæ cogitationes devastant. Et fit plerumque ut hypocrita aurum, vel quæque bona corporalia ab hominibus contemnat ; sed quia hæc non accipit, majores ab eis laudes recipere quærat. Sin vero eorum tabernacula debemus accipere, in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula devorat, quia qui hic in mente ardent igne avaritiæ, illic etiam in carne concremantur ignibus gehennæ. Sequitur :

Vers. 35. *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos.* — Dolorem quippe concipit, dum perversa cogitat ; iniquitatem parit, cum explere cœperit quod cogitavit. Invidendo, dolorem concipit ; derogando, iniquitatem parit. Uteri itaque nomine, recte mens accipitur, quia

sicut proles in utero concipitur, sic cogitatio in mente generatur. Et sicut in ventre cibi, ita in mente continentur cogitationes. *Vetus* quippe hypocritæ *præparat dolos,* quia tanto semper majorem malitiam contra proximos in mente concipit, quanto solus præ omnibus videri innocentior quærit.

# LIBER TERTIUS DECIMUS.

## CAPUT XVI.

Vers. 1, 2. *Respondens Job dixit: Audivi frequenter talia.* — Electi quippe frequenter aliena mala quasi sua audiunt, et ab his eis crimen impingitur, a quibus crimina impacta perpetrantur. Hac enim responsione beatus Job illud Ecclesiæ tempus significat quo, oppressa ab adversariis temporali eorum potentia, quasi dejecta creditur. Unde sequitur: *Consolatores onerosi omnes vos.*— Sive enim hæretici seu pravi quilibet, cum laborare bonos in adversitate conspiciunt, in eo quod eos consolari appetunt, mala eis persuadere conantur. Unde non immerito bonorum mentibus onerosa fit eorum consolatio, quia inter verba dulcedinis, virus propinare cupiunt erroris. Sequitur:

Vers. 3. *Nunquid habebunt finem verba ventosa?* — Ventosa enim verba sunt, quæ inflationi temporali potius quam rectitudini serviunt. Sæpe autem mali etiam bona dicunt, sed quia non bene dicunt, ventosa verba proferunt. Nam dicta eorum etsi quando sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt per elationem. Sequitur: *Aut aliquid tibi molestum est si loquaris?* — Mali viri cum aliis similibus sibi conviciosa verba proferunt, eo citius obmutescunt, quod de se talia mox audiunt, qualia suis auditoribus dicunt. Cum autem bonos viros per vitiosa verba jaculantur, nihil eis molestiæ ex convicio nascitur, quia contra tacentes loquuntur, nec compellunt audire quod sunt, quia justi convicia non reddunt, etiam dum coguntur audire quod non sunt. Sequitur:

Vers. 4. *Poteram et ego similia vestri loqui.* — Narrat justus quid facere poterit, sed ne justitiam deserat, quod facere poterat declinat. Sequitur:

Vers. 5, 6. *Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, et moverem labia quasi parcens vobis.* — Aliquando necesse est ut pravis mentibus quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, divina flagella optari benigne debeant. Quod cum magno fit amoris studio, videlicet non errantis pœna, sed correptio quæritur, et oratio potius quam maledictio esse monstratur. Notandum quod non ait: Esset anima mea pro anima vestra, sed, *Utinam esset anima vestra, pro anima mea.* Quia profecto sibi malediceret, si se illis similem fieri optaret, illis vero meliora voluit quos sibi fieri similes quæsivit. Consolamur vero pravos in flagello constitutos, cum de exteriori per-

B cussione interiorem in eis convalescere salutem indicamus. Caput etiam movemus, cum mentem, quæ principale nostrum est, ad compassionem inflectimus, eosque inter flagella roboramus, cum doloris eorum vim verbis mitibus lenimus. Sunt namque nonnulli, qui dum interna nesciunt, de malis exterioribus desperabiliter affliguntur. Quod vero non ait, parcens, sed *quasi parcens vobis*, nequaquam hoc negligenter prætereundum puto, quia sancta Ecclesia disciplinæ vigorem cum permistione mansuetudinis servans, aliquando malis, et quasi parcens, parcit, aliquando vero et quasi non parcens, parcit. Sancta ergo Ecclesia cum prædicatores suos quædam facta malorum sub dispensatione invectionis increpat, labia quasi parcens
C movet, sed tamen parcendo non parcit, quia ab invectione culpæ generaliter non tacet, quæ specialiter tacet. Sequitur:

Vers. 7. *Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescit dolor meus, et si tacuero, non recedit a me.* — Hoc personæ beati Job qualiter congruat, nullus ignorat; sed si ad sanctæ Ecclesiæ typum trahatur, hæc et cum loquitur dolor minime quiescit, quando locutione sua perversos minime corrigi conspicit, et cum tacet dolor minime recedit, quia etsi aversata conticuerit, hoc ipsum amplius quod tacet gemit, quia se tacente perversorum culpas excrescere conspicit. Sequitur:

Vers. 8. *Nunc autem oppressit me dolor meus.* Dolore suo sancta Ecclesia premitur, quando in
D malitia sua crescere perversos intuetur. Et quia dum pauci crescunt, etiam infirmi qui in ea sunt, ad sequenda studia pravitatis irritantur, recte additur: *Et ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.* — Sicut enim per ossa fortes, sic per artus infirmi quique designari solent. Membra ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quando ex imitatione pravorum in hoc mundo crescentium, infirmi quique deterius informantur. Videntes etenim malorum felicitatem, sæpe et ab ipso fidei statu dilabuntur. Bene autem dicitur: *Nunc autem,* quia videlicet tempus doloris Ecclesiæ modo est, et tempus gaudii postmodum. Sequitur:

Vers. 9. *Et rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* — Quid per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Has autem rugas in electis suis Ecclesia sancta non habet, quia videlicet nesciunt

aliud foras ostendere, et intus aliud habere. Unde recte egregius prædicator dicit: » Ut exiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam nen habentem maculam aut rugam (*Ephes.* v, 27). » Ac si ergo dicat: Ipsi insequendo increpant,qui nunc in meo corpore positi, duplicitatis suæ in malitiam non emendant. Sequitur: *Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.* — Etiam pacis suæ tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi qui de æternitatis promissione diffidunt et tamen se fideles esse mentiuntur. Qui dum prædicationi ejus aperte contradicere non præsumunt, falsiloquium non contra faciem, sed quasi post dorsum patitur. Sed cum tempus malitiæ eruperit, eis qui nunc metuens derogat, ad contradicendum ante faciem venit, quia verbis veræ fidei apertis vocibus obsistit. Sequitur:

Vers. 10. *Colligit furorem suum in me.* — Habet nunc diabolus contra sanctam Ecclesiam furorem, sed sparsus furor ejus est, quia occultæ sunt ejus tentationes quas per singulos movet Cum vero contra eam aperta persecutione eruperit, furorem suum in ea colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Sequitur: *Et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.* — De quo et subditur: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* — Ille quippe antiquus hostis contra hanc dentibus fremit, eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, et per alios quæ exerceat providet. Dentes namque hujus hostis sunt bonorum persecutores atque carnifices, qui ejus membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi vero hujus hostis sunt hi qui contra eam provident mala quæ fiant, suisque consiliis persecutorum ejus crudelitatem inflammant. Antiquus ergo adversarius fremit contra eam dentibus suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum.Intuetur eam *terribilibus oculis*, quia pravorum consiliis non cessat mala exquirere, in quibus hanc semper deterius affligat. Sequitur:

Vers. 11. *Aperuerunt super me ora sua exprobrantes.* — Ora sua reprobi exprobantes aperiunt, cum et erroris sui mala prædicare non metuunt, et prædicamentis rectæ fidei invident. Sequitur: *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* — Maxilla quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur: « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus (*Thren.* I, 2). » Maxillam quippe perversi feriunt, cum bonos prædicatores insequuntur, et tunc reprobi grande aliquid fecisse æstimant, cum vitam predicatorum necant. Illa quippe pœna eos satiat, quæ mentem Ecclesiæ præcipue castigat. Sequitur:

Vers. 12. *Conclusit me Deus apud iniquum, et in manus impiorum me tradidit.* — Electorum populus apud iniquum concluditur, cum ejus caro antiqui hostis persecutionibus temporaliter datur. Qui non spiritui, sed manibus traditur impiorum, quia quo hunc in mente capere nequeunt, eo contra carnem illius crudelius inardescunt. Sequitur:

Vers. 13. *Ego ille quondam opulentes, repente contritus sum.* — In eo quod se repente contritum asseruit, infirmorum mentem improvidam designavit. Qui dum mala quæ ventura sunt prævidere nesciunt, tanto eis graviora fiunt, quanto et ab eis inopinata tolerantur. Firmis autem mentibus repente adversa non veniunt, quia, priusquam veniant, prævidentur. Quod tamen nunc quoque sancta Ecclesia in quibusdam retro latentibus patitur, qui post doctrinæ opulentiam, subditis aliquando vitiis conteruntur, ut sic in quibusdam malis corruant, ac si verbi pabulum nunquam habuissent. Sequitur: *Tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit quasi in signum.* — Sicut in malis cervix superbiam, sic in bonis libertatem erectionemque significat. Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quæ sentiunt prædicare libere non præsumunt, recte de hoc hoste dicitur. *Tenuit cervicem meam, confregit.* — Fortasse autem hi cervicis appellatione signati sunt, qui pacis ejus tempore plus quam decet, eriguntur; et sub occasione defendendæ rectitudinis, vitio deserviunt elationis. Qui persecutionis tempore, idcirco adversa plus sentiunt, quia de prosperis extolluntur. Constat nimirum quia idcirco signum ponitur ut sagittarum emissione feriatur. Fidelis autem populus in signum hosti suo est positus, quia eum semper suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita assidua mala tolerat, velut in signo positus excipit facientes. Sequitur:

Vers. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit et effudit in terra viscera mea.* — Hæc justa litteram beato Job congrui [congruere] posse videbantur per hoc quod dicitur. *Circumdedit me lanceis suis*, nisi, subderet quod eo scriptum minime legitur. *Effudit in terra viscera mea.* — Ex qua re necesse est, ut dum hoc justa litteram invenire non possumus, ea quæ in verbis ejus secundum historiam sonant, juxta spiritum requiramus.] Sancta Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum jaculis impeditur. Bene autem circumdare lanceis dicimus quia antiquus hostis intentionis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. *Convulneravit lumbos meos.* In lumbis quippe luxuria est. Unde et is qui cupiebat voluptatem libidinis a corde exstinguere, predicavit dicens: « Succincti lumbos mentis vestræ (*I Petr.* I, 13). » Cum ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc procul dubio in lumbis ferit. Ubi notandum quoque est, quod non ait: vulneravit, sed *convulneravit lumbos meos.* Sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui vero duorum, vel fortasse multorum: sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus. Sequitur:

*Non pepercit.* — Ac si dicat : Non destitit. *Et effudit in terra viscera mea.* (A) Quid aliud sanctæ Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes qui ejus quædam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deserviunt ? Sed antiquus adversarius cum fideles quosdam, qui interioribus sacramentis deservire videbantur, ad sæcularia negotia pertrahit, ejus procul dubio viscera in terram fundit. Sequitur :

VERS. 15. *Concidit me vulnere super vulnus.* — In infirmis suis sancta Ecclesia vulnere super vulnus conciditur, quando peccatum peccato additur, ut culpa vehementius exaggeretur. Quem avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, ut perpetrata culpa ex falsitate etiam defendatur, quid iste, nisi super vulnus concisus est (B) vulnere ? Unde quoque et per prophetam dicitur : « Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium, inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit (*Osee* IV, 2). » Sequitur : *Irruit in me quasi gigas.* — Facile quippe inimico resistitur, si non ei vel in multis, vel in uno diutius consentiatur, si vero ejus suasionibus anima subesse consuerit, quanto se ei crebrius subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat. Sequitur :

VERS. 16. *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.* — Quid in sacco et in cinere, nisi pœnitentia? Quid in cute et in carne, nisi peccatum carnis debet intelligi ? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam (C) redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, et cinere caro cooperitur, quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne in districti Judicis examine ad ultionem videatur. Sequitur :

VERS. 17. *Facies mea intumuit fletu.* — Facies quippe Ecclesiæ sunt hi qui in lucis regiminum positi apparent primi, ut ex eorum specie sit honor fidelis populi, etiamsi quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus ac si de propriis affligunt. Sequitur : *Et palpebræ meæ caligaverunt.* — Palpebræ enim recte appellatæ sunt, qui ad providenda pedum itinera vigilant. Sed cum occulta Dei judicia nec præpositi vigilantes intelligunt, palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant. Sequitur :

VERS. 18. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, dum haberem mundas ad Deum preces.* — Absque iniquitate enim manus suæ pertulit, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Et tamen dolorem crucis pro nostra redemptione toleravit. Qui solus pro omnibus *mundas ad Deum preces* habuit, quia et in ipso dolore passionis pro persecutoribus oravit dicens : « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Sequitur.

VERS. 19. *Terra ne operiat sanguinem meum, neque inveniat locum in te latendi clamor meus.* — Peccanti homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Quæ scilicet terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia unusquisque peccator redemptionis suæ pretium sumens, confitetur ac laudat, et quibus volet proximus innotescit. Terra etiam ejus sanguinem non aperuit, quia sancta Ecclesia redemptionis ejus mysterium in cunctis jam mundi partibus prædicavit. Ipse enim sanguis redemptoris qui sumitur, clamor est nostri Redemptoris. Unde etiam Paulus dicit : Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel (*Hebr.* XII, 24). » Locum enim latendi clamor ejus in nobis invenit, si hoc quod mens credit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor ejus lateat, restat ut unusquisque juxta modulum suum vivificationis suæ mysterium proximis innotescat. Sequitur :

VERS. 20. *Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.* — Cum enim filius labefactaretur in terra, erat ei testis in cœlo. Testis quippe Filii Pater est, de quo ipse in Evangelio dicit : « Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me (*Joan* V, 37). » Qui recte etiam *conscius* dicitur, quia una voluntate, uno consilio Pater cum Filio semper operatur. Quod fortasse etiam ad vocem ejus corporis referri valet. Sancta namque Ecclesia idcirco adversa vitæ præsentis tolerat, ut hanc superna gratia ad præmia æterna perducat. Carnis suæ mortem despicit, quia resurrectionis gloriæ intendit, transitoria sunt quæ patitur : perpetua quæ præstolatur. De quibus nimirum bonis perpetuis dubietatem non habet, quia fidele jam testimonium Redemptoris gloriam tenet. Qui recte *conscius* dicitur, quia naturam nostram non solum creando novit, sed etiam assumendo. Scire enim ejus est nostra suscepisse Unde etiam per Psalmistam dicitur : « Ipse enim scit figmentum nostrum (*Psal.* CII, 14). » Quæ tamen vox cum beato Job congruere nobis etiam singulis potest. Omnis enim, qui ex eo quod agit, humanas laudes appetit, testem in terra quærit ; qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se habere in cœlo considerat. Sequitur :

VERS. 21. *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus.* — Quid enim per oculum, nisi cordis intentio designatur ? Sicut scriptum est : « Si (D) fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit (*Luc.* XI, 34) » Cum ergo verbosi amici sunt, id est, cum et ipsi derogant, qui in fide sociantur ad Deum necesse est ut oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat. Sequitur :

VERS. 22. *Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.* — Peccatores quidem nos esse semper agnoscimus, sed tamen sæpe in flagello positi, pro quo magis peccato flagellamur, ignoramus. Et nos ipsi subtili inquisitione discutimus, ut sic quomodo possumus causam persecutionis nostræ investigare valeamus, quæ dum plerumque nos latet sit nobis oneri cæcitas nostra, et de eo quod patimur plus dolemus

Quisquis vero cum collega suo ad judicium accedit, et quod sentit, dicit, et quidquid contradicitur agnoscit, et voluerit, pulsat et novit unde pulsatur. Qui enim divina animadversione percutitur, dum novit quidem quia vapulat, sed cur vapulet ignorat, quasi dicit ipse quod sentit, sed quod contra se dicitur nescit, quia ipse quidem ingemiscit in verbere, sed Deus aperte non declarat, pro qua eum feriat ultione. Sequitur :

VERS. 23. *Ecce enim breves anni transeunt, et semitam per quam non revertur ambulo.* — Omne quod transit breve est, etiamsi tardius terminari videatur. In mortis autem semita, per quam non revertimur, ambulamus ; non quod ad vitam carnis minime resurgendo reducimur, sed quod ad labores hujus vitæ mortalis vel ad conquirenda præmia laboribus iterum non venimus. Sequitur :

CAPUT XVII.

VERS. 1. *Spiritus meus attenuabitur.* — Attenuatur spiritus timore judicii, quia electorum mentes quo amplius extremo judicio propinquare se sentiunt, eo ad discutiendos semetipsos terribilius contremiscant, et si quas in se carnales cogitationes unquam inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt. Sequitur : *Dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum.* — Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque unde in oculis suis jam quasi non vivit, inde veraciter in oculis sui Conditoris vivit. Sequitur :

VERS. 2. *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.* — Ac si aperte dicat : Culpam non feci, et flagella suscepi. Sed hac in re animum movet, qui in multis se historiæ locis peccasse confitetur, qua ratione nunc peccasse se abnegat ? Sed ad hæc ratio celeriter occurrit, quia nec tantum peccavit, ut flagella mereretur, nec tamen sine peccato esse potuit. Redemptor etiam ad ereptionem nostram veniens, et non peccavit, et amaritudinem pertulit, quia pœnam nostræ culpæ sine culpa suscepit. Sequitur :

VERS. 3. *Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis manu pugnet contra me.* — Ipse etenim non peccavit in cogitatione vel opere, ipse in amaritudine moratus est per passionem, ipse liberatus est per resurrectionem. Ipse juxta patrem positus est per ascensionem, quia profectus in cœlum sedet a dextris Dei. Et quia per ascensionis ejus gloriam Judæa in discipulorum ejus persecutionem commota est, recte nunc dicitur *Et cujusvis manus pugnet contra me.* Sequitur :

VERS. 4. *Cor eorum longe fecisti a disciplina.* — Si enim disciplinæ custodiam nossent, nequaquam Redemptoris nostri præcepta contemnerent. Ipsa eos carnis suæ mortalitas excitasset ad amorem vitæ immortalis. Hoc ipsum namque in hac vita corruptionis nos esse subjectos jam de flagello disciplinæ est. Æstu enim et frigore, fame sitique turbari, morbis affici, quandoque etiam exstingui, quid sunt hæc alia quam flagella peccati ?

A Neque hoc ita dicitur, ac si omnipotens et misericors Deus longe cor hominis a disciplina faciat, sed quod sponte lapsum ibi remanere ubi cecidit judicando permittat. Sequitur : *Propterea non exaltabuntur.* — Quia dum infimis voluptatibus dimissi terrena bona semper desiderant, cor ad superna gaudia nunquam levant. Exaltarentur quippe si mentem ad spem patriæ cœlestis erigerent. Sed qui per disciplinam custodire vitam minime student, semper per desideria in imis jacent. Sequitur :

VERS. 5. *Prædam pollicetur sociis et oculi filiorum deficient.* — Postquam de multitudine iniquorum, id est de antiqui hostis corpore beatus Job sententiam protulit, mox ad ipsum eorum princi-
B pem, id est caput omnium perditorum sententiam vertit, atque a plurali numero ad singularem redit. Perversus itaque iste auctor erroris prædam sociis polliceretur, quia malignis spiritibus pravorum mittit animas, in eorum fine rapiendas. *Et oculi filiorum ejus deficient.* Quia dum intentiones hominum ad sola terrena speranda excitat, hoc illos amare facit, quod diu tenere non possint. Possunt quoque et per socios fortasse intelligi crudelissimi quique et omni malitia jam repleti. Per filios vero hi qui adhuc deceptoris promissionibus illusi, augendæ pravitati nutriuntur. Sed *oculi filiorum* ejus *deficient*, quia pravorum intentiones cadunt. Sequitur :

VERS. 6. *Posuit me quasi in proverbium vulgi,*
C *et exemplum suum coram eis.* — Hæc beatus Job dicat ex se, dicat ex vocibus omnium electorum. Omnis quippe qui flagello percutitur, quasi in proverbium ponitur vulgi, quia stultus quisque dum cuiquam maledicere appetit, ex illius similitudine maledictionem sumit, quem temporaliter percussum videt, eamque pœnam suo optat adversario, quam evenisse conspicit justo, sicque fit ut non recte sapientibus in exemplum deducatur rectus. Sequitur :

VERS. 7. *Caligavit ad indignationem* [*ab indignatione*] *oculus meus, et membra mea quasi in nihilum sunt redacta.* — Ab indignatione oculus caligat quando ipsi quoque qui in Dominico corpore, id est in Ecclesia, lumen veritatis habent, dum
D se diutius despici ac designari conspiciunt, de occulti judicii admiratione turbantur, et secretum Dei penetrare nequeunt, cur prævalere perversi contra bonorum innocentiam permittantur. Membrorum quippe nomine, teneritudo infirmorum exprimitur, qui dum perversos prospiciunt florere, justosque cruciari, ad hoc nonnunquam perveniunt, ut se bona vel inchoasse pœniteant. Sequitur :

VERS. 8. *Stupebant super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabatur.* — Hoc loco innocens necdum perfectus justus accipitur, qui bona adhuc inchoans, etsi nocere aliis non novit, perfecta tamen ipse agere nequaquam valet. Succenditur vero contra hypocritam innocens, dum gloriæ simulatoris invidet, etiam qui nulli nocere solet. Sin vero hoc in loco innocens quilibet perfectus in

bono accipitur, contra hypocritam innocens suscitatur, quando et florere conspicit, et tamen cum suo eum flore contemnit. Sequitur :

Vers. 9. *Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.* — Considerato quippe hypocrita, justus viam suam tenet, quia dum illum ex perversa voluntate obtinere ea quæ mundi sunt intuetur : ipse ad amorem cœlestium robustius stringitur, sciens quia bonis desideriis præmia æterna non deerunt, dum et pravis et duplicibus cordibus bona temporalia non negantur. Qua ex re *mundis* quoque *manibus addet fortitudinem*, quia conspiciens perversos obtinere terrenam gloriam, bona opera sua provehit ad perfectionem, et tanto altius temporalia despicit, quanto hæc etiam malis abundare cernit. Sequitur :

Vers. 10. *Igitur vos omnes convertimini et venite.* — Quæ videlicet exhortationis verba, proprie ad electos format, quos ad æternitatem vocat. Qui duobus modis invitantur, scilicet ut et convertantur et veniant. Convertantur nimirum fide, veniant opere. Vel certe convertantur deserendo mala, et veniant bona faciendo, sicut scriptum est « Declina a malo et fac bonum (*Psal.* xxxvi, 27). » Sequitur : *Et non inveni in vobis ullam sapientiam.* — Quid est enim quod eos ad sapientiam vocat, et tamen optat ne illos sapientes inveniat, nisi quod ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur? De quibus scriptum est : « Væ vobis qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Isa.* v, 21). » Sequitur :

Vers. 11. *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* — Sancta electorum Ecclesia per diurna et nocturna tempora conspicit vitæ suæ spatia transire, quia noctem in adversitatibus, diem vero in prosperitatibus habere consuevit. Quasi enim lux ei oritur ex tranquillitate pacis, et nox ex dolore persecutionis. Sed cum post quietis otia, ad excrescentes contra se persecutiones laboremque redit, dies suos transisse testatur. In quibus tamen diebus solet tanto gravioribus curis premi, quanto a se ipsa tranquillitate pacis subtiliores a Judice rationes excogitat exquiri. Sed dum bonis mentibus temporalis felicitas transit, etiam cura eis terræ dispensationis subtrahitur, quæ eos in cogitationibus torquere videbatur. Sequitur :

Vers. 12. *Noctem verterunt in diem.* — Dissipatæ etenim cogitationes noctem in diem vertunt, quia nonnunquam justis amplius placet ex adversitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari. Sequitur : *Et rursum post tenebras spero lucem.* — Lux enim post tenebras speratur, quia vel post noctem vitæ præsentis æternum lumen percipitur, vel ita hic adversitas atque prosperitas alternat, ut sibi succedere vicissim non desinant. Unde fit, ut et in luce nox in suspicione sit, et nocte lux in præsumptione, sicut scriptum est : « In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die ma-

A lorum ne immemor sis bonorum (*Eccli*, ii, 27). » Sequitur :

Vers. 13. *Si sustinuero, infernus domus mea est, in tenebris stravi lectulum meum.* — Priores etenim sancti et sustinere adversa poterant, et tamen corporibus educti adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat qui illuc sine culpa descenderet, ut eos qui ibi ex culpa tenebantur, liberaret. Tunc vero homo suum lectulum in tenebris stravit, quando lucem justitiæ persuasori callido consentiendo deseruit, et quia in ipsis inferni locis justorum quoque animæ sine tormento tenebantur, ut et pro originali culpa adhuc illud descenderent, et tamen ex propriis actibus supplicium non haberent. Quasi in tenebris lectulum stra-
B visse, est in inferno sibi requiem præparasse. Grave enim tædium electis fuit post solutionem carnis, adhuc speciem non videre Creatoris. Quod tædium non immerito beatus Job tenebras vocat. Sequitur :

Vers. 14. *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus.* — Quid est quod dixit putredini. *Pater meus es*, nisi quod omnis homo ab origine jam vitiata descendit? Unde et additur : *Mater mea, et soror mea vermibus.* Quia videlicet, et ab ipsa putredine, et cum ipsa venimus in hunc mundum. Quantum enim ad materiam corruptilitis carnis, mater nostra ac soror vermes sunt, quia et de putredine processimus, et cum putredine venimus quam portamus. Quod si intelligi spiritaliter potest, et mater natura, et
C consuetudo non immerito soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus. Quæ videlicet mater et soror vermes sunt, quia ex natura corruptibili et consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus, sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. Carnis enim natura vitiata, et consuetudo perversa, quia innumeras curas in corde infirmitatis nostræ generant, bene mater et soror vermes vocantur. Mordent enim animum curæ dum inquietant. Sequitur :

Vers. 15. *Ubi est ergo nunc præstolatio mea?* — Quæ esse potuit præstolatio justorum, nisi justus et justificans Deus, qui ad pœnas humani generis sponte descenderit, ut captivos mortis justitiæ suæ virtute liberare? Hujus enim præsentiam mi-
D nime cessabant intenta cogitatione præstolari, quam quandoque esse venturam noverant, sed venire citius quærebant. Sequitur : *Et patientiam meam quis considerat?* Expressit desiderium quo festinat in carne positus redimi, et ab inferis ad superna revocari. Et quidem paucorum hominum ista fuit perpendere, ut scirent de præsentis vitæ laboribus, vel de subsequenti post mortem dilectione cogitare. Quod utrumque justi ante adventum Redemptoris nostri se perpeti dolebant. Unde recte dicitur : *Et patientiam meam quis considerat?* Et quidem non deest qui patientiam consideret, sed cum citius non exaudit, quasi minus considerari dicitur Deus. Ipsa enim humani generis quæ venit in fine mundi Dei redemptio, ab his qui a mundi initio præcesserunt

tarde credebatur. quia longo temporis spatio a A cœlestium remuneratione disjuncti sunt, Veritate attestante, quæ ait : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* x, 24). » Sequitur :

VERS. 16. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* — Cum constet quod apud inferos justi non in locis pœnalibus, sed in superiori quietis sinu tenerentur, magna nobis oboritur quæstio, quidnam sit quod beatus Job asserit, dicens : *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Si itaque quantum a celsitudine cœli aer iste caliginosus infernus est, quantum ad ejusdem aeris altitudinem terra inferius jacet, et infernus intelligi et profundus potest : quantum vero B ad ejusdem altitudinem terræ, et illa loca inferi, quæ superiora sunt aliis receptaculis, inferni profundissimi appellatione signantur, quod aer cœlo, terra ad aera, hoc ille est superior infernorum sinus ad terram. Sed mirum valde quod adjungit : *Descendent omnia mea.* Cum enim sola anima mea descensura esset ad inferni loca, quid est quod vir sanctus illuc perhibet omnia sua descendere, nisi quod ibi se esse totum videt, ubi pondus suæ remunerationis intelligit ? Quia hoc quod ex se insensibile in terra deserit, quousque ad incorruptionem resurrectionis redeat, se esse non sentit. Vel certe in infernum ejus omnia descendunt, quia laborum omnium retributio adhuc in sola inferni quiete recipi præstolabatur, et quasi illuc descendit omne quod egit, quia ibi quietem retributionis suæ ex omnibus invenit. Sequitur : *Putasne saltem ibi erit requies mihi ?* — In quibus nimirum verbis, et innotescit quod desiderat, et tamen se esse adhuc de suscipienda requie dubium designat, ne cujus sancta opera tot flagella secuta sunt, occulto judicio superni Judicis post flagella temporalia etiam mansura tormenta sequerentur. Qua in re cum magno nobis timore pensandum est, quis nostrum jam de requie æterna securus sit, si et ea adhuc et ille trepidat, cujus virtutis præconia et ipse judex qui pertulit clamat : « Si enim justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebit ? (*I Petr.* iv, 18.) »

# LIBER QUARTUS DECIMUS

## CAPUT XVIII.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Baldath Suhites dixit : Intellige prius et sic loquamur* [*Usque ad quem finem verba jactabitis. Intelligite*].—Omnes hæretici sanctam Ecclesiam in quibus incognitis superbire putant, quædam vero nec intelligere suspicantur. Sequitur :

VERS. 3. *Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te ?* — Humanæ mentis est proprium hoc sibi fieri suspicari quod facit. Arbitrantur enim se despici, quia bonorum mores despicere consueverunt. Et quia in his quæ comprehendi valent ratione contra hæreticos, ostendit Ecclesia rationabile non esse quod astruunt, æstimari se ab ejus judicia velut jumenta suspicantur. Sequitur :

VERS. 4. *Qui perdis animam in furore tuo.* — Hæretici vel zelum rectitudinis vel spiritalem gratiam sanctæ prædicationis, non virtutis pondus, sed insaniam furoris existimant, quo furore videlicet perire fidelium animas arbitrantur. Sequitur : *Nunquid propter te derelinquetur terra ?* Quid ergo est dicere, *nunquid propter te derelinquetur terra,* nisi hoc quod sæpe fidelibus dicunt, quia si hoc est verum quod vos dicitis, omnis terra derelicta, quam jam præ multitudine nos tenemus. Sequitur : *Et transferentur rupes de loco suo.*—Hæretici rupes vocant eos quos sublimibus in humano genere excedere sensibus æstimant, quos profecto doctores se habere gloriantur. Cum vero sancta Ecclesia perversos quosque prædicatores intra si- C num fidei rectæ colligere studeret, quid aliud quam de locis propriis movet, ut intra eam recta sentientes jaceant humiliter, qui in perversis suis sensibus prius rigidi stabant ? Sed hoc fieri hæretici omnino contradicunt, et propter vocem ejus rupes de loco proprio transferri renituntur. Sequitur.

VERS. 5, 6. *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus ?* — Hæc si in præsentis vitæ definitione denuntiat, fallitur : quia plerumque et impiis inesse lumen prosperitatis cernitur, et pios tenebræ ignobilitatis et paupertatis abscondunt. Sin vero ad hoc ejus sermo dirigitur, ut ostendat quid impii in suo fine patiantur, veraciter dicitur. *Nonne lux impii exstinguetur ?* Omnis namque impius habet flammam ignis pro- D prii, quem in corde suo ex fervore desideriorum temporalium accendit, sed non splendebat *flamma ignis ejus,* cum in die exitus omnis exterior decor subtrahitur, et solo suo intrinsecus ardore concrematur. Flamma ergo ab igne subtrahitur, cum gloria exterior ab æterno ejus ardore separatur. Habent etiam et justi flammam ignis sui, sed nimirum quæ resplendeat, quia videlicet eorum desideria in bonis operibus lucent. Sequitur : *Lux obtenebrescit in tabernaculo ipsius.* — Si plerumque tenebras tristitiam, non immerito lucem accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo illius obtenebrescit, quia in ejus conscientia quam male inhabitat gaudium, quod de temporalibus rebus fuerat, deficit. Sequitur : *Et lucerna quæ superest exstinguetur.* — Ut enim de usu multorum

loquar, lucerna lumen in testa est, gaudium in carne. *Lucerna* ergo *quæ super eum extinguetur*, quia cum malorum suorum retributio impium sequitur, in ejus mente gaudium carnale dissipatur. Sic enim iniquorum mentem terrena gaudia possident, ut super ipsam sint, non apud ipsam. Sequitur :

Vers. 7. *Arctabuntur gressus virtutis ejus.* Nunc enim quasi virtutis suæ gressus exerit, quoties potestatis suæ violentias exercet. Sed *gressus virtutis ejus arctabuntur*, quia vires malitiæ illius quas nunc in voluptatibus suis exhibet postmodum pœna constringit. Sequitur : *Et præcipitabit eum consilium suum.* — Habet nunc consilium omnis iniquus præsentia appetere, æterna desperare, injusta agere, justa deridere. Sed cum Judex justorum injustorumque venerit, suo unusquisque impius consilio præcipitatur, quia per hoc quod hic elegit appetere, pravis cogitationibus in æterni supplicii tenebras mergitur. Quem enim hic gloria temporalis extollit, illum illic sine termino pœna premit. Sequitur :

Vers. 8. *Immisit enim in rete pedem suum, et in maculis ejus ambulat.* — Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit, ejicit ; sic qui in peccatis se dejicit, non mox ut voluerit surgit, et qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, et cum expediri ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sæpe namque contingit ut quis hujus mundi delectatione persuasus in eo ad honoris gloriam pertingat, et plerumque habita vilescunt, percipiendo discit quam sit vile quod expetiit. Unde revocatus ad mentem, exquirit qualiter sine culpa fugiat, quod se conspicit esse adeptum. Sed ipsa eum dignitas quæ implicavit, tenet ; et sine culpis aliis fugere non valet hoc, ubi sine culpa pervenit. Sequitur :

Vers. 9. *Tenebitur planta illius laqueo.* — Quia videlicet stringitur funis in peccati laqueo, et quia hostis generis humani cum uniuscujusque vitam in culpa diligat, ad ejus mortem anxius anhelat. Sequitur : *Exardescet contra eum sitis.* — Antiquus quippe noster inimicus, cum in peccato vitam illaqueat, sitit, ut mortem peccatoris bibat. Quod tamen et aliter intelligi potest. Nam perversa mens cum in peccato se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie evadere peccati laqueos quærit. Sed vel terrores vel opprobria hominum timens, eligit in æternum mori, quam ad tempus aliquid adversitatis perpeti. Unde se totum vitiis deserit, quibus jam semel obligatum sentit. Cujus ergo usque ad finem vita in culpa constringitur, ejus planta laqueo tenetur. In cujus quippe animo contra eum sitis exardescit, quia quo agere perverse consuevit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire est hujus mundi bona concupiscere. Sequitur :

Vers. 10. *Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.* — In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis occultatur. Inimicus quippe insidians ostendit humanæ menti quid in terreno lucro appetat, et occultat, peccati laqueum unde ejus animam stringit. Decipula vero a decipiendo vocata est, et tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione hujus mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Quæ videlicet non facile deciperet, si videri potuisset. Sic quippe decipula ponitur, ut dum esca ostenditur, nequaquam ipsa a transeunte videatur : quasi esca quippe in laqueo est lucrum cum culpa, et hujus mundi prosperitas cum iniquitate. Ibi ergo inimicus decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit, quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenerit propinquæ cogitationis. Et quia perversus homo, omne quod facit, etiam pati metuit, recte sequitur :

Vers. 11. *Undique terrebunt eum formidines.*— Tales enim contra se omnes esse suspicatur, qualia ipse esse contra omnes nititur. Sequitur. *Et involvent pedes ejus.* — Prava itaque desideria ad pessimam actionem trahunt, et pessima actio restringit in formidine. Quæ videlicet formido involvit pedes, ne in rectam exire valeant actionem, et sæpe contingit, ut idcirco quisque bonus esse metuat, ne hoc a pravis ipse patiatur, quod se bonis fecisse reminiscitur ; dumque hoc pati quod fecit, metuit, undique territus, undique suspectus, quasi pedes involutos habet. Sequitur.

Vers. 12. *Attenuet fame robur ejus, et inedia invadat costas ejus.* — Scripturæ sacræ more optare videtur quod futurum prævidet, scilicet non maledicentis animo, sed prædicentis. Omnis itaque homo, quia ex anima et carne constat, quasi ex robore et infirmitate compositus est. Robur ergo hominis anima est rationalis, quæ impugnantibus vitiis resistere per rationem valet. Ergo robur iniqui fame attenuatur, quia ejus anima nulla interni cibi refectione pascitur, de qua scilicet fame per prophetam dicitur : « Emittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos.* VIII, 11). » Costæ ergo uniuscujusque sunt sensus animæ, qui latentes cogitationes muniunt. Inedia igitur invadet costas, quando omni spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt, et cogitationes suas regere vel tueri non possunt. Sequitur ;

Vers. 13. *Devoret pulchritudinem cutis ejus, et consumet brachia illius primogenita mors.* — Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur, quia corporale opus brachiis agitur : quia autem mors nisi peccatum est, quod ab interiori vita animam occidit ? Si igitur peccatum mors, non incongrue primogenita mors superbia valet intelligi, quia scriptum est : « Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* x, 15). » Pulchritudinem igitur cutis ejus et brachia illius primogenita mors devorat, quia iniqui gloriam vel operationem superbia supplantat. Sequitur :

VERS. 14. *Allevatur avellatur*[1] *ac tabernaculo* A *suo fiducia ejus, calcet super eum quasi rex interitus.* — Hoc loco interitus nomine, ipse hostis generis humani qui interitum intulit designatur. Iste itaque interitus, in die exitus quasi rex super impium calcat, quia quem prius blandis persuasionibus decipit, ad extremum violentis nisibus ad supplicium rapit. Sin vero interitus nomine, non aperte diabolus, sed peccatum debet intelligi, ex quo contigit reprobos ad interitum trahi : talis nimirum interitus quasi rex calcat mentem, cum eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito tentatio deesse peccati, sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud dominanti servire. Hujus quippe de tabernaculo fiducia avellitur, quando perversus quisque, qui multa B sibi ad votum in hac vita paraverat, repentina morte dissipatur. Sequitur :

VERS. 15. *Habitent in tabernaculo ipsius socii ejus qui non est.* — Id est, in mente ejus apostatæ angeli per cogitationes nequissimas conversentur, ejus videlicet socii, qui idcirco jam non est, quia summa essentia recessit, et per hoc quotidie excrescente defectu quasi ad non esse tendit, quod semel ab eo, qui vere est, cecidit. Sequitur : *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* — Sulphur quid aliud quam fontium ignis est ? Quod tamen sic ignem nutrit, ut fetorem gravissimum exhalet. Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus ? Quod dum perversis cogitationibus quasi quibusdam fetoribus mentem replet, æterna in- C cendia præparat. Hoc ergo in tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quoties perversa delectatio carnis iu ejus mente dominatur. Sequitur :

VERS. 16. *Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.* — Quid namque radicum nomine, quæ in occulto positæ [sitæ] sunt, et germen in apertum ferunt, nisi cogitationes accipimus ? Quæ dum non videntur in corde, visibilia opera producunt, unde et messis nomine, eadem aperta operatio designatur, quæ videlicet ex latenti radice producitur. Sed dum pravus quisque cogitationes suas in infirmis rebus ponit, et sempiternæ viriditatis gaudia appetere negligit, quid aliud quam radices suas deorsum siccare permittit ? Cujus messis sursum atteritur, quia ejus omnis operatio D a superno judicio quasi nihilum deputatur, etiamsi ante oculos humanos bona videatur. Sequitur :

VERS. 17. *Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen illius in plateis.* — Intuendum nobis est, quia sic Baldath Suhites de unoquoque loquitur, ut latenter ad caput omnium iniquorum, ejus verba vertantur. Plateæ quoque appellatione Græca, a latitudine sunt vocatæ. Memoriam vero suam in terra statuere conatur Antichristus, cum in terrena gloria appetit si esset possibile in perpetuum permanere. Nomen suum in plateis celebrare gaudet, cum longe lateque operationem suæ iniquitatis extendit. Sed quia diu hæc iniquitas non sinitur extolli, dicitur : *Memoria illius pereat de terra.* Sequitur :

VERS. 18. *Expellat eum de luce ad tenebras.* — De luce ad tenebras dicitur, cum de honore vitæ præsentis ad æterna supplicia damnatur. Unde apertius subditur : *Et de orbe transferet eum.* De orbe quippe transfertur, cum superno apparente judice de hoc mundo tollitur, in quo perverse gloriatur. Sequitur :

VERS. 19. *Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.* — Scriptum quippe est quia Dominus Jesus « interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Dum ergo ejus iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies ejus in populo suo non relinquitur, quia et ipse ejus populus cum eo ad supplicium pariter urgetur, et omnes iniqui qui de ejus perversa persuasione in pravis actibus nati sunt, illustratione adventus Domini æterno interitu cum eodem capite suo ferientur. Sequitur :

VERS. 20. *In diebus ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror.* — Tanta enim tunc contra justos iniquitate effrenabitur, ut etiam electorum corda non parvo pavore feriantur. Unde scriptum est : « Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV, 24). » Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc vero contra eum certamen justitiæ et novissimi electi habere narrantur et primi, quia scilicet et hi qui in fine mundi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt, et illi etiam qui a prioribus mundi partibus præcesserant, Enoch scilicet et Elias, ad medium revocantur, et crudelitatis ejus sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Hujus vires in tanta potestate laxatas novissimi obstupescunt, et primi metuunt. Sequitur :

VERS. 21. *Ergo hæc sunt tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.* — Superius enim dixerat : *Expellat eum de luce ad tenebras, et de orbe transferat eum*, cujus cum mala subjungeret, adjunxit : *Hæc sunt tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.* Videlicet indicat, quia is qui nunc Deum ignorando extollitur, tunc ad propria tabernacula pervenit, quando eum sua iniquitas in supplicia demergit, et locum suum quandoque invenit tenebras, qui dum hic de falsa gauderet luce justitiæ, locum tenebat alienum ; perversi enim in omni quod per simulationem faciunt, nomen gloriæ justorum quasi locum occupare alienum nituntur. Sequitur :

## CAPUT XIX.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Job dixit : Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus ?* — Sancti viri eloquia, ut sæpe jam diximus aliquando ex persona propria, aliquando vero ex voce capitis aliquando autem ex typo universalis Ecclesiæ sentienda, Valde ergo affligitur anima justorum, quando illi contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene vivere ignorant, et ex voce sibi justitiam vindicant, quam moribus impugnant. Atteruntur enim boni ser-

monibus iniquorum, quando contra illi in verbis tument. Sequitur :

Vers. 3. *En decies confudistis me.* — Numeratis vicibus locutionum amicorum Job, adhuc quinquies locutos eos esse cognoscimus. Sed propter hoc quod ab eis quinquies increpationes audierat, quorum increpationibus quinquies ipse respondit, decies se perhibet esse confusum : quia et in eo graviter laboravit quod frustra increpatus est, et in eo confusionem pertulit, quod verba doctrinæ non audientibus dixit. Sin vero ad typum sanctæ Ecclesiæ hæc verba referimus, liquet quod magnum est gaudium servare Decalogi præcepta. Sed hanc perversi decies confundunt, quia per omne quod peccant, pravis suis moribus Decalogi præcepta relinquunt. Sequitur : *Et non erubescitis opprimentes me?* — Sunt nonnulli quos ad perpetrandam nequitiam oborta subito malitia invitat, sed tamen humana verecundia revocat, et plerumque per hoc quod exterius erubescunt, ad interiora sua redeunt, et contra se internum judicium sumunt. Et sunt nonnulli, qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt. Hinc est enim quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est : « Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt (*Isa.* III, 9). » Plerumque enim tales sunt adversarii sanctæ Ecclesiæ, qui a perpetrandis malis, nec timore Domini, nec pudore hominum refrenantur. Sequitur :

Vers. 4. *Nempe et si ignoravi, mecum erit ignorantia mea.* — Habent hoc hæretici proprium, ut de inani scientiæ suæ arrogantia inflentur, et recte credentium simplicitatem sæpe derideant, et nullius esse meriti vitam humilium ducant. At contra, sancta Ecclesia in omni quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne scientia infletur, ne inquisitione occultorum tumeat, et perscrutari aliqua quæ ultra vires sunt illius præsumat. Utilius etenim studet nescire quæ perscrutari non valet quam audacter diffinire quæ nescit. Scriptum est quippe : « Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimitur gloria (*Prov.* XXV, 27). » Dulcedo etenim mellis, si plusquam necesse est, sumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque est requisitio majestatis, sed qui hanc plus scrutari appetit, quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc ejus gloria opprimit, quia velut immoderate mel sumptum perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Nobiscum vero esse dicitur, quod pro nobis est, et rursum non nobiscum esse dicitur, quod contra nos est. Quia ergo scientia sua cor hæretici inflat, fidelis autem cognitio ignorantiæ suæ humiliat, dicat beatus Job sua voce, dicat etiam confessione universalis Ecclesiæ, *mecum erit ignorantia mea.* Et quia hæc ipsa hæretici quæ scire quærunt, ad usum solius elationis accipiunt, ut contra fideles et humiles docti videantur, recte subjungitur :

A Vers. 5. *At vos contra me erigimini.* — Ac si apertius dicatur : Qui erigi contra vosmetipsos ex mea persecutione debuistis. Ordo quippe erectionis in bono iste est, ut primum contra nos, et postmodum contra malos erigamur. Nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Contra nosmetipsos enim erigimur, quando mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos pœnitentiæ ultione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, et nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur.

Qui si districte prius nostra in nobis mala insequimur, justum quoque est, ut etiam contra aliena mala utiliter erigamur, et ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus. Sequitur : *Et arguitis me opprobriis meis.* — Omnes reprobi grave opprobrium deputant mala temporalia, et tanto esse unumquemque a Deo despectum credunt, quanto hunc afflictum ex percussionis flagello conspiciunt. Nil enim in moribus, nil in actibus quærunt, sed quoslibet quos in hac vita viderint percussos esse, jam divino judicio damnatos arbitrantur. Sequitur :

Vers. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me.* — O quam durum sonat vox justi verberibus afflicti, quam tamen non elatio, sed dolor expressit. Sed justus non est qui justitiam in dolore deserit. Beatus autem Job, quia mite cor habuit, nec in dura voce peccavit. Nam si hunc peccasse in hac voce dicimus, implesse diabolum astruimus quod proposuit dicens : « Tange os ejus et carnem, si non in facie benedixerit tibi (*Job* II, 5). » Gravis itaque quæstio oritur. Si etenim non peccavit in eo quod dicit *saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me.* Deum quod dici nefas est injuste egisse aliquid consentimus. Beatus enim Job vitam suam attenderat, et ea quæ patiebatur flagella pensabat, et videbat æquum non esse, ut ad talem talia flagella reciperet, et cum dicit non se æquo judicio afflictum, hoc libenti voce locutus est, quod in secreto suo Dominus de illo adversario ejus dixerat : « Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra (*Job* II, 3). » Igitur et vera Job dixit, dum vitam cum flagello pensavit, et Deus non injusto judicio Job afflixit, quia merita ex flagello cumulavit, et diabolus quod promiserat, non implevit, quia beatus Job inter verba, quæ durum sonant, et a vera sententia, et a mente humilium non recessit. Sequitur : *Et flagellis suis me cinxerit.* — Aliud quippe est, flagellis percuti, aliud cingi. Flagellis namque percutimur, cum consolationem et in doloribus ex rebus aliis habemus. Nam cum tanta nos afflictio deprimit, ut ex nullius rei consolatione respirare animus possit, non jam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur, quia tribulationum verbere ex omni parte circumdamur. Cinctus enim flagellis Paulus fuerat cum dicebat : « Foris pugnæ, intus timores (*I Cor.* VII, 5). » Sequitur :

VERS. 7. *Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet vociferabor, et non est qui judicet.* — Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire vocem dolentium, ut augeat utilitatem, et purgetur vita per pœnam, ut quietis tranquillitas, quæ hic inveniri non valet, alibi quæratur. *Et non est qui judicet.* Non est enim qui judicet dicitur, quando judicare dissimulat. Sequitur :

VERS. 8. *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum et in calle meo tenebras posuit.* — Circumseptam verberibus semitam suam vidit, cum transire ad securitatem cupiens, evadere flagella non potuit, et quia se percuti aspexit, nec tamen percussione dignam vitam in semetipso reperit, quasi in calle cor ignorantiæ suæ tenebras invenit, qui cur ita flagellaretur penetrare non potuit. Quod ad infirma quoque membra sanctæ Ecclesiæ non incongrue refertur. Quia igitur sæpe infirmitate, nonnunquam vero ignorantia, peccatur, ex infirmantibus membris dicitur : *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum.* Ex eis vero qui ad ipsum opus bonum quod eligant, caligant, subditur : *Et in calle meo tenebras posuit.* In calle ergo suo tenebras invenit, qui in his quæ agere appetit, quid eligere debeat, nescit. Contra hæc utraque per Psalmistam dicitur : « Dominus illuminatio mea, et salus mea (*Psal.* XXVI, 1). » Sequitur :

VERS. 9. *Exspoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.* — Quod cuncta hæc beati viri in afflictione positi personæ conveniant, dubium non est. Sed quia historiæ verba patent, expositione juxta litteram non indigent. Oportet ergo ut per sensus debeat mysticos investigari, id est, justitia ab infirmis ablata est, quæ ab eis auferri non possit, sed idcirco potuit tolli, quia more vestimenti exterius adhæsit. Qua in re quærendum est quomodo sanctæ Ecclesiæ membra dici valeant qui potuerunt justitiam perdere, quam tenere videbantur. Sed sciendum est quod plerumque a membris ejus infirmantibus justitia ad tempus amittitur, sed per cognitionem culpæ postmodum ad pœnitentiam redeunt, seseque ad eamdem justitiam fortius quam credebatur astringunt. Sequitur : *Et abstulit coronam de capite meo.* — Sicut caput corporis prima pars est, ita principale interioris hominis mens est. Corona vero victoriæ præmium est, quod desuper ponitur, ut qui certaverit remuneretur. Quia ergo multi adversitatibus pressi minime in certamine perdurant, in eis sancta Ecclesia quasi de capite coronam amittit. Corona quippe in capite est superna remuneratio in mente. Et sunt plerique qui dum adversitatibus affliguntur superna præmia cogitare negligunt, et ad perfectionem victoriæ pervenire non possunt. In his itaque corona de capite aufertur, quia supernum et spiritale præmium de mentis cogitatione tollitur. Vel certe caput fidelium non immerito sacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini præmia sunt. Unde et per prophetam, « caput et cauda (*Isa.* IX, 14) » exterminari dicitur. Corona ergo de capite aufertur, cum supernæ remunerationis præmia etiam ipsi deserunt, qui in hoc Ecclesia corpore præesse videbantur. Sequitur :

VERS. 10. *Destruxit me undique et pereo, et quasi avulsæ arbori abstulit spem meam.* — Quasi indique enim Ecclesia destruitur, atque in infirmis membris deperit, quando ipsa quæ videbantur fortia corruunt, quando corona de capite abstrahitur. Arbor quippe vento impellitur ut cadat, et quem minæ terrent ut ad injustiam corruat, quid aliud quam arboris flatu ventum pertulit, et statum suæ rectitudinis amisit? Sequitur :

VERS. 11. *Iratus est furor ejus contra me, et sic me habuit quasi hostem suum.* — Prædicatore quippe attestante didicimus, quia « fidelis est Deus, et non patitur nos tentari supra id quod possumus ferre, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere (*I Cor.* X, 13). » Per prophetam quoque dicit Dominus : « Plaga inimici, percussi te castigatione crudeli (*Jer.* XXX, 14). » Qui ergo ita percutitur, ut vires illius a percussione superentur, non hunc Dominus quasi filium per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. Sequitur :

VERS. 12. *Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me.* — Latrones namque ejus, maligni sunt spiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur, qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter adversa quæ exterius tolerant, cogitationes quoque pravas immittere non desistunt. Sequitur : *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* — In gyro enim tabernaculum obsident, quando ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt, quæ tamen verba, ut jam prædiximus, beato Job, etiam juxta historiam, congruunt, qui dum mala quæ pertulit, ante oculos congessit, non quasi filium, sed quasi hostem percussum se esse indicavit. Per quem etiam sibi latrones ejus viam fecerunt, quia maligni spiritus contra eum licentiam percussionis acceperunt. Cujus in gyro tabernaculum obsiderunt, quia, sublatis rebus et filiis, etiam corpus ejus omne vulneribus attriverunt. Sed mirum valde est, cum *latrones* diceret, cur addidit *ejus.* Ut videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret, Sed quia in eis et voluntas injusta est, et potestas justa, et latrones dicuntur ejus, et Dei. Sed quia, ut sæpe jam diximus, sanctus vir positus in dolore pœnarum, modo suis, modo Ecclesiæ, modo Redemptoris nostri vocibus utitur, et plerumque sic sua narrat, ut tamen per typum, ea quæ sunt sanctæ Ecclesiæ ac Redemptoris nostri proferat, postposita cura historiæ, paulisper in his quæ subjungit, qualiter Redemptoris nostri vocibus congruat, demonstremus. Sequitur :

VERS. 13. *Fratres meos longe fecit a me et noti mei quasi alieni recesserunt a me.* — Hoc melius ostendimus, si Joannis ad medium testimonium proferamus, qui ait : « In propria venit, et sui eum non

receperunt (*Joan.* I, 11). Judæi quippe fratres longe facti sunt, et tanto recesserant, quem venturum legem prophetare Hebræi noverant, et præsentem minime recognoscebant. Unde et subditur :

Vers. 14. *Et dereliquerunt me propinqui mei et qui me noverant obliti sunt mei.* — Judæi etenim propinqui per carnem, noti per legis instructionem, quasi obliti sunt quem prophetaverunt, dum eum et incarnandum verbis legis canerent, et incarnandum verbis perfidiæ negarent. Sequitur :

Vers. 15. *Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me.* — Inquilini domus Dei fuerant sacerdotes, quorum origo in Dei servitio, deputatum jam per officium in conditionem tenebatur. Ancillæ autem non immerito intelliguntur levitarum animæ ad secreta tabernaculi, quasi ad interiora cubilis familiarius servientes, qui incarnatum Dominum, quem dudum per legis verba prædixerant, cognoscere ac venerari noluerunt. Sequitur : *Et quasi peregrinus fui in oculis eorum.* — Redemptor etenim noster dum a Synagoga cognitus non est, in domo sua quasi peregrinus exstitit. Quod aperte propheta testatur dicens : « Quare sicut colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? » (*Jer.* XIV, 8). Sequitur :

Vers. 16. *Servum meum vocavi, et non respondit.* — Quid enim Judaicus populus fuit, nisi servus, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili ? Quo contra nobis per Paulum dicitur : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater (*Rom.* VIII, 15). » Hunc igitur servum vocavit Dominus, quia collatis muneribus quasi emissis vocibus ad se eum ducere studuit, sed *non respondit*, quia digna opera donis ejus reddere contempsit. Vocat enim nos Dominus, cum muneribus prævenit. Sequitur : *Ore meo deprecabar illum.* — Ac si apertius diceretur : Ego ille qui ante incarnationem meam tot ei præcepta facienda per prophetarum ora mandaveram incarnatus ad eum veniens, ore eum proprio deprecabar. Hinc per sponsam dicitur : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I, 1). » Bene autem dicitur, *deprecabar*, quia in carne monstratus, dum mandata vitæ humiliter dixit, quasi superbientem servum ut viveret, rogavit. Sequitur :

Vers. 17. *Halitum meum exhorruit uxor mea.* — Quid uxor Domini, nisi Synagoga accipitur, in legis fœdere carnali ei intelligentia subjecta ? Halitus vero ex carne est, sed infidelis populus carnem Domini carnaliter intellexit, quia purum hunc hominem credidit. Halitum ergo ejus uxor exhorruit, quia Synagoga eum quem videbat hominem, Deum credere expavit. Sequitur : *Et orabam filios uteri mei.* — In utero autem proles concipitur, quæ in hac vita profertur. Quid ergo uterum Domini, nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus, ut creati per sæcula producamur ? Deus ergo, qui manet ante sæcula, uteri sui filios oravit, quia eos quos potenter per dignitatem suam condidit incarnatus veniens humiliter rogavit. Sequitur :

Vers. 18. *Stulti quoque despiciebant me.* — Sapientibus a veritatis fide cadentibus, recte de stultis additur quoque, qui dum Pharisæi Dominum ac legisperiti despicerent, eorum incredulitatem etiam populi sui turba secuta est, quæ in eo quod hominem vidit, Redemptoris mundi prædicamenta despexit. Sequitur : *Et cum ab eis recessissem detrahebant mihi.* — Quasi accedebat quippe ad corda populorum Dominus, cum eis miracula demonstraret, et quasi recedebat, cum nulla signa ostenderet. Sed recedenti Domino detrahebant, cum a miraculis quiescenti præbere fidem nolebant. Sequitur :

Vers. 19. *Abominati sunt me quondam consiliarii mei et quem maxime diligebam adversatus est mihi.* — Scribæ itaque et legis doctores qui erudire populos ad vitam consueverant, quid aliud quam venturi Redemptoris consiliarii fuerunt ? Qui tamen dum incarnatum Dominum conspicerent, consiliis suis multos ab ejus fide diviserunt, quamvis prius ad credendum incarnationem ejus per prophetarum verba multos docuisse viderentur. Ipse enim ordo suadente perfidia a fide veritatis aversus est, qui prius in labore prædicationis serviens maxime diligebatur. Sequitur :

Vers. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* — In osse fortitudo, in carnibus vero infirmitas corporis designatur. Quia igitur Christus et Ecclesia una persona est, quid per os nisi ipse Dominus designatur ? quid per carnem nisi discipuli, qui passionis ejus tempore infirma sapuerunt ? Per pellem vero quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ feminæ figurantur, quæ ad præparanda subsidia corporis, exterioribus Domino ministeriis serviebant ? Nam cum ejus discipuli, quamvis necdum firmi veritatis fidem populis prædicarent, ossi suo inhærebant carnes, et cum sanctæ mulieres ea quæ necessaria erant præpararent, quasi puellis exterius manebat in corpore. Quasi ergo consumpta carne os Domini pelli suæ adhæsit, quia fortitudo ejus passionis tempore fugientibus discipulis, juxta se mulieres invenit. Sequitur : *Et derelicta tantummodo labia circa dentes meos.* — Quid enim circa dentes aliud quam labia habemus, etiamsi nulla flagella patiamur ? Sed quid per labia, nisi locutio, quid per dentes, nisi sancti apostoli designantur ? Sed quia passionis ejus tempore, isti dentes præ timore mortis amiserunt morsum correptionis, amiserunt fiduciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodæ operationis, ita ut duo ambulantes post ejus mortem ac resurrectionem in via loquerentur, et dicerent : « Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV, 21) ; » recte nunc dicitur : *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* — Confabulabantur adhuc

de eo, sed jam in illo minime credebant. Peractis itaque his quæ in voce capitis dixit, ad propria verba beati Job revertitur dicens :

VERS. 21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* — Hoc habere solet proprium, mens priorum quod cum injusta ab adversariis patitur, non tam ad iram quam ad preces movetur, ut se moderari eorum pravitas placitate valeat, plus deprecari quam irasci eligunt. Notandum quoque quod eis quæ secreto apud Deum gesta sunt, beati viri in publico verba concordant. A Satan quippe percussus fuerat, nec tamen percussionem suam Satanæ tribuit, sed tamen se manu Domini appellat, sicut ipse quoque Satan dixerat : « Mitte manum tuam, et tange os et carnem (*Job.* II, 5). » Sequitur :

VERS. 22. *Quare perquimini me sicut Deus, et carnibus mei saturamini?* — Non abhorret a locutione pietatis, quod a Deo se perhibet persequi. Est namque persecutor bonus, sicut de semetipso ore prophetico Dominus dicit : Detrahentem occulte adversus proximum suum hunc persequebar (*Psal.* c. 5). » Cum vero sanctus quisque flagellari permittitur, scit quod persecutionem contra commissa vitia ex interna dispensatione patiatur. Crudeles autem mentes persecutorum cum potestatem feriendi appetunt contra bonorum vitam, non studio purgationis, sed livoris fascibus accenduntur. Et quidem hoc faciunt, quod Deus omnipotens fieri permittit; sed dum una causa cum Deo etiam per eos agitur, non tamen voluntas una in eadem causa servatur, quia cum Omnipotens amando purgationem exhibet, injustorum pravitas sæviendo malitiam exercet ; quod intelligi et aliter potest, tanto enim Deus omnipotens, justus [justius] aliena vitia percutit quanto in semetipso nihil habet vitiorum. Homines cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad suam oculos noverint revocare. Ac si aperte diceretur : Ita ex infirmitatibus meis affligitis, ac si more Dei de infirmitate nihil habeatis. Unde et subditur : *Et carnibus meis saturamini?* Quorum mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alieniis procul dubio carnibus satiantur. Unde per Salomonem dicitur : « Noli esse in conviviis potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt (*Prov.* XXIII, 20). » Sequitur :

VERS. 23, 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, aut plumbi lamina vel certe sculpantur in silice* cuncta quæ pertuli? Quia forti Patrum sententia.... gravis ille Judæorum populus agnovit, *stilo ferreo et plumbi lamina* scripta sunt ; quia vero hæc etiam dura gentilium corda noverunt, quid ea nisi scuplta in silice videmus? Et notandum, quia in plumbo quod scribitur ipsa metalli molitie citius doletur. In silice vero tardius quidem valent litteræ exprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immerito per plumbi laminam

A Judæa, exprimitur, quæ præcepta Dei et sine labore percepit, et cum celeritate perdidit. Recte gentilitas per scilicem figuratur, quæ verba sacri eloquii vix custodienda suscipere potuit, sed tamen fortiter suscepta servat. Per stilum vero ferreum, quid aliud quam fortis Dei sententia designatur? Unde et per prophetam dicitur : « Peccatum Judæ scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino (*Jer.* XVII, 1). » Recte quoque per plumbi laminam eos accipimus quos avaritiæ pondus gravat, quibus per increpantem Prophetam dicitur : « Filii hominum, usquequo graves corde? « (*Psal*, IV, 3). Per plumbum namque, cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ specialiter designatur, quod mentem quam infecerit ita gravem B reddit, ut ad appetenda sublimia attolli nequaquam possit. Hinc enim apud Zachariam scriptum est : « Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc quod egreditur : et dixi. Quidnam est ! et ait : Hæc est amphora egrediens. Et dixit : Hæc est oculus eorum in terra universa, et ecce talentum plumbi portabatur (*Zach.* V, 5, 7). » Quæ tamen beato Job verba sanctæ Ecclesiæ quoque congruunt, quæ duo sacri eloquii Testamenta custodiens, quasi secundum sermones suos scribere petit. Quæ quia forti sententia modo per pondus avaritiæ gravibus modo autem duris cordibus loquitur, stilo ferreo in plumbi lamina, vel certe in silice scribit. Sequitur :

VERS. 25. *Scio enim quod Redemptor meus vivit.* — Qui enim non ait Conditor, sed Redem- C ptor, aperte eum denuntiat, qui ut nos de captivitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos a perpetua morte liberavit. Et notandum quanta fide se in virtute ejus divinitatis astringit de quo et per Paulum dicitur : « Quia et crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (*II Cor.* XIII, 4. » Ait namque : *Scio enim quod Redemptor meus vivit.* Ac si apertis vocibus dicat : Infidelis quisque illum flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum noverit, ego illum post mortem vivere certa fide credo. Sed quid beatus Job per resurrectionem illius etiam de tuæ carnis resurrectione confidis, aperta quæsumus voce profitere. Sequitur : *Et* D *novissimo die terra surrecturus sum.* — Quia videlicet resurrectionem quam in se ostendit, in nobis etiam quandoque facturus est. Resurrectionem quippe quam in se ostendit, nobis promisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sim, sed volo audire qualis. Sequitur :

VERS. 26. *Et rursum circumdabor pelle mea.* — Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur, quia non, sicut Euticius Constantinopolitanæ urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per ef-

fectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per verita- A tem naturæ. Unde etiam Redemptor noster, dubitantibus de sua resurrectione discipulis, ostendit manus et latus, palpandaque ossa præbuit dicens: « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV, 39). » Sequitur: *Et in carne mea videbo Deum.* — Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem apertis vocibus fatetur. Quid ergo remanet, unde possit mens nostra dubitare? Si itaque iste vir sanctus effectum resurrectionis Dominicæ reducendam carnem in integro statu credidit, quis erit reatus nostræ dubitationis, si vera carnis resurrectio, nec post exemplum creditur Redemptoris? Sequitur:

Vers. 27. *Quem visurus sum ego ipse, et oculi* B *mei conspecturi sunt, et non alius.* — Si enim, sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, quia post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed invisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamvis substantia carnis non sit, profecto alius est qui moritur, alius qui resurgit. Sed beatus Job hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait: *Quem visurus sum ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Nos autem beati Job fidem sequentes, et Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram diversam, et eamdem. Eamdem per naturam, diversam per gloriam; eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Sequitur: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* — Nihil nos certius habere credimus, quam hoc quod in sinu tenemus. In sinu ergo suam spem repositam tenuit qui vera certitudine de spe resurrectionis præsumpsit. Sequitur:

Vers. 28. *Quare ergo non dicitis: Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum?* — Priori quippe sententia iniquorum facta reprehendit, sequenti autem ex divino judicio pœnas innotuit. Ait enim: *Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum et radicem verbi inveniamus contra eum?* Perversi quilibet malo studio bene prolata audiunt, et in lingua justi accusationis auditum invenire appetunt, quid aliud quam contra eum verbi radicem quærunt, ex qua videlicet loquendi originem sumant, et ramos pravæ loquacitatis in accusationem dilatent. Sequitur:

Vers. 29. *Fugit ergo a facie gladii, quia ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium.* — Omnis qui perverse agit, eo ipso quo hoc despicit, esse Dei judicium nescit. Si enim hoc timendo sciret, quæ in illo sunt punienda non ageret. Nam sunt plerique qui extremum esse judicium verbotenus sciunt, sed perversa agendo testantur quia nesciunt. Qui enim hoc non formidat, ut debet, necdum cognovit cum quanto turbine terroris adveniat. Si enim pensare pondus trementi examinis nosset, iræ diem utique tremendo præcaveret. Faciem quoque gladii fugere est: animadversionis districtæ sententiam, priusquam appareat, placare.

# LIBER QUINTUS DECIMUS.

Quia amici beati Job nequaquam perversi esse C potuerint Sophar Naamatitis verba testantur, qui de ore ejus terrorem venturi judicii audiens protinus adjungit:

CAPUT XX.

Vers. 1, 2. *Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.* — Ac si apertis vocibus dicat: quia extremum judicii terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timorem confundor. Tanto quippe se animus amplius in cogitatione dilaniat, quando illud esse terribile quod imminet pensat. Sequitur:

Vers. 3. *Doctrinam, qua me arguis, audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.* — Ac si aperte dicat: Tua quidem verba audio, sed an recte prolata sint spiritu meæ intelligentiæ discerno. D Sequitur:

Vers. 4, 5. *Hoc scio a principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.* — Liquet nunc quia suæ intelligentiæ spiritu inflatus, eas quas contra impios sententias profert, in beatum Job redargutionibus inflectit. Quem enim prius justa agere et postmodum pœnas tolerare conspexit, omnem in illo hypocrisim æstimat fuisse quod vidit, quia videlicet a justo Deo justum famulum affligi posse non credidit. Sed nos intueamur, quam vera dicit, si hæc contra impios loqueretur. Impii itaque quia præsentem vitam diligunt, in eo procul dubio elati, percipere laudem quærunt, linguæ favoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt. Quam videlicet laudem longam esse æstimant dum assequuntur, sed brevem intelligunt fuisse dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur quam nil fuit quod amaverunt, et sæpe hyocrita, dum sanctum se simulat et iniquum exhibere minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora prospicere nequeunt. Sed hoc, eorum gaudium æternitati comparatum, quid erit, quando, irruente mortis articulo, ita consumitur ac si omnino non fuerit? Cujus nimirum gaudii lætitia pertransit, et pœna permanet, et, cum res amittitur, causa durat.. Sequitur:

Vers. 6, 7. *Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterqui-*

*linium in fine perdetur.* — Superbia hypocritæ A usque ad cœlum ascendere dicitur, quando ejus elatio cœlestem vitam agere videtur. Cujus etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus illius, sanctorum præcedentium coæquari meritis creditur ; sed *quasi sterquilinium in fine perdetur*, quia in morte sua dum ad tormenta ducitur, stercorum vitiorum plenus, a malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis quæ injusti æstimant magna bona, justi stercora deputant. Unde scriptum est : « De stercore boum lapidatus est piger (*Eccli.* XXII, 2). » Sequitur : *Et qui eum viderunt, dicent : Ubi est ?* — Plerumque hypocritarum vita etiam ab hominibus reproba in fine cognoscetur, ut signis jam apertioribus qui fuerint ostendantur. Qui igitur B hunc elatum viderunt, de exstincto dicent : *Ubi est ?*—Quia neque hic ubi elatus fuerat apparet, neque in æternitatis requie de qua esse putabatur. Unde subditur :

VERS. 8. *Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* — Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine quod non habet in veritate ? Unde recte quoque somnio comparatur, quia omnis laus et gloria, quasi dum tenetur, amittitur. Sæpe namque in nocturna visione nonnulli pauperes factos se divites admirantur, sed repente evigilantes inveniunt quam falsum fuerit quo gaudebant ; eosque evigilasse pœnitet, quia evigilantes inopiam veram tenent. Sic hypocritarum mentes C dum aliud est quod agunt, atque aliud quod hominibus ostendunt, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt, sed inter hæc occultæ vocationis hora surrepit, et cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, moxque ut supplicia æterna receperint, ibi vident quam virtutum æstimatione divites in somnis fuerunt. Sequitur :

VERS. 9. *Oculus qui eum viderat non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.*—Quid est locus hypocritæ, nisi cor adulantium ? Ibi quippe requiescit, ubi favores invenerit. Oculus ergo qui eum viderat non videbit, quia substratus in mortem, stultis amatoribus suis absconditur, qui eum consueverant admirando conspicere. Nec ultra eum locus suus intuebitur, quia lingua adulantium D hunc ad judicium favoribus non sequuntur. Sequitur :

VERS. 10. *Filii ejus atterentur egestate* — Scriptum est : « In malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I, 4). » Et per Psalmistam dicitur : « Divites eguerunt et esurierunt (*Psal.* XXXIII, 11). » Filii itaque hujus hypocritæ atterentur egestate, quia hi qui in hypocrisim ex ejus imitatione nascuntur, dum veritatis soliditatem non tenent, in cordis egestate deficiunt. Sequitur : *Et manus illius reddent illi dolorem suum.* — Quid per manus nisi opera designantur ? Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem justam ex iniqua recipiet operatione. Sequitur :

VERS. 11. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.*—Quid itaque adolescentia hujus hypocritæ nisi inchoatio pravitatis est ? In adolescentia quippe jam libido fervescere inchoat, et tunc adolescentiam hypocrita habet, cum appetere et amplecti libidinem gloriæ cœperit. Quam in eo dum adulantium blanda fomenta multiplicant, robustiorem reddunt, et quasi in ossa convertunt. Hoc enim quod male cœpit, pejus quotidie per consuetudinem roborat : quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eo usque in illo iniquæ consuetudines perdurant quo hunc ad mortis pulverem pertrahant. Aliter, cum hypocrita levis ac mobilis multa pueriliter [illegible]cit, etiam in his quæ fortia egerit, in vitio mollescit. Quæ videlicet ejus ossa, cum eo in pulvere dormient, quia videlicet sicut pulvis est omnis simulatio illa quam agit, ita in illo et si quid habet validum, omni soliditate vacuatur, ut per virtutes arrogantium hoc quoque perdat quod in eo potuit esse virtutis. Sequitur :

VERS. 12. *Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.*—In ore hypocritæ malum dulce est, quia ei iniquitas suavis in mente, os quippe cordis cogitatio est, de qua scriptum est : « Labia dolosa in corde et corde locuta sunt mala (*Psal.* XI, 3). » Sed hoc malum quod in ore hypocritæ dulce est, sub lingua ejus absconditur, quia asperitas malitiæ, quæ latet in mente, sub tegmine blandæ locutionis operitur. Malum namque in lingua et non sub lingua esset, si loquens hypocrita malitiam suæ pravitatis aperiret. Sequitur :

VERS. 13. *Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo.* — Malum enim quod diligit parcit, quia non hoc in semetipso pœnitendo persequitur. Unde et additur : *Non derelinquet illud.* Si enim vellet relinquere, nequaquam parceret, quia persequeretur. Sed hoc celat in gutture, quia servat in cogitatione, ut numquam proferat in voce. Sequitur :

VERS. 14. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* — Quod panis in utero, hoc est satietas temporalis delectationis in mente. Satietur ergo nunc hypocrita illata laude, delectetur honoribus, panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, quia satietas transitoriæ delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertitur. Et *fel aspidum*, id est, malignorum spirituum persuasio fuisse cognoscitur, quod hic laus gloriæ esse credebatur. Vel certe quia panis Scripturæ sacræ intelligentia non inconvenienter accipitur, quæ mentem reficit, eique boni operis vires præbet. Et plerumque hypocrita etiam sacri eloquii erudiri mysteriis studet, nec tamen ut ex eisdem vivat, sed ut cæteris hominibus quam sit doctus appareat ; sed dum de sacræ legis scientia gloriatur, vitæ potum convertit sibi in veneni poculum, et inde reprobus moritur unde ad vitam erudiri videbatur. Neque hoc inconvenienter accipitur, quod nonnunquam hypocrita dum doctrinæ verbo ad ostensionem studet, divino judicio cæcatus, hoc ipsum

verbum prave intelligit, quod male quærit, et cum A in errorem hæreseos labitur, contingit ei, ut sicut de felle aspidum, sic infelix de pane moriatur, et in doctrina sua mortem invenit; quia in verbis vitæ vitam minime quæsivit. Sequitur :

Vers. 15. *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* — Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere, vult docte loqui, nec vivere. Pro eo quod non ait quæ novit, etiam hoc quod novit amittit. Divitias igitur sacræ legis quas legendo devoravit, obliviscendo evomit, easque de ventre illius extrahit, quia hoc quod servare noluit, justo judicio de ejus memoria evellit, ne præcepta Dei saltem in lingua teneat, quæ non servat in vita. Unde per Prophetam dicitur : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras B justitias meas et assumis testamentum per os tuum ? » (*Psal.* XLVIII, 16.) Sequitur :

Vers. 16. *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ.*—Aspis parvus est serpens, vipera prolixioris est corporis. Vipera enim dicitur, eo quod vi pariat. Quid ergo per aspides parvos nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius suasione surrepunt ? Quid vero per linguam viperæ, nisi violenta diaboli tentatio designatur ? Prius enim leniter surrepit, postmodum vero etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum sugit, quia initium suggestionis occultæ, prius parvum in corde nascitur ; sed occidit eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens veneno violentæ tentationis C necatur. Sed fortasse hæc ipsa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia aspis veneno suo concite, vipera autem tardius occidit ; per aspidem violenta et subita, per viperam lenis et diuturna tentatio designatur. Unde illi mors insurrectione capitis, viperæ autem in lingua esse perhibetur, quia repentina tentatio sæpe inopinatam mentem, mox ut surgit, interficit ; longa vero tentatio, quia prava diutius persuadendo suggerit, velut ex lingua vipera occidit. Sequitur :

Vers. 17. *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri.* — In Evangelio dicit Dominus : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ (*Joan.* VII, 38). » Rivuli D ergo sunt fluminis, dona Spiritus sancti. Rivulus est fluminis charitas, rivulus fluminis fides, rivulus fluminis spes. Sed quoniam omnis hypocrita nec Deum nec proximum diligit, cum transitoriam mundi gloriam quærit rivulus fluminis non videt, quia irrigatione non perinfunditur charitatis. Et notandum quod non rivos, sed rivulos dicit. Accipi enim rivuli fluminis possunt esse dona spiritalia, quæ in amantis mente ita de cœlestibus subtiliter currunt, ut per os carnis impleri non possint. Fluvius autem torrens est, ipsa inundatio Spiritus sancti, quæ in contemplantis animum exuberanti infusione colligitur, cum mens plusquam intelligere sufficit, repletur. Mel enim desuper cadit, butyrum vero ex animalium lacte colligitur. Mel itaque ex aere, butyrum ex carne est. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia ; qui cum nos divinitatis suæ dulcedine et mysterio incarnationis replevit, melle nos pariter et butyro satiavit. Quia ergo Spiritus Christi mentem quam repleverit, et divinitatis ejus dulcedine, et incarnationis fide lætificat, isti rivuli torrentis fluminis mellis simul et butyri esse memorantur. Sequitur:

Vers. 18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* Persolvit enim in tormento ea quæ hic illicite servavit desideria, et flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur. Non enim in morte consumitur : quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur, sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur, ut, cujus vita hic mortua fuit in culpa, illicque mors vivat in pœna. Sequitur : *Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.* — Qui enim multa invenit ad culpam, novis cruciatur inventionibus in pœna. Nam quod hic suspicari non potuit, hoc illic ultionibus traditus sentit. Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere quam eis dignatus est Dominus jubere : sic plerumque perversi quique in pravis actionibus exercentur, ut plus inveniant in perversa operatione quod faciant, quam ex usu reproborum iniquitatis potuerunt. Unde et amplioris retributionis tormento feriuntur. Sequitur :

Vers. 19. 20. *Quoniam confringens nudavit pauperes, domum rapuit et non ædificavit eam, nec est satiatus venter ejus.* — Domum pauperis confringit et nudat, quia eum quem per potentiam conterit, exspoliare quoque per avaritiam non erubescit. Rapit eam et non ædificat. Ac si aperte diceretur : Qui hanc ædificare debuit insuper rapit. *Rapuit* ergo, *et non ædificavit eam*, quia non solum de suo nil tribuit, sed etiam, quod erat alienum, tulit. Venter quippe iniqui avaritia est, quia in ipsa colligitur, quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur. Nam more ignis, cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit. Sequitur : *Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.* — Majoris autem iracundiæ est, cum et hoc tribuitur quod mala desideratur, atque inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupivit. Unde et per Psalmistam dicitur, cum escam carnis male populus desiderasse perhibetur : « Adhuc esca erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, et occidit plurimos eorum (*Psal.* LXXVII, 38). » Sequitur :

Vers. 21. *Non remansit de cibo ejus.*—Cibus ejus est omne quod perverso desiderio concupivit. Sed perverso hypocritæ de cibo suo nil remanet, quia cum ipse ad æterna supplicia ducitur, a cunctis bonis quæ hic possederat, alienatur. Unde et adhuc subditur : *Propterea nihil remanebit de bonis ejus.*— Si enim de bonis suis aliqui remaneret, secum quæ

habuerat tolleret : sed quia omnia ambiens timere judicem noluit, ex hac vita subtractus, nudus ad judicem vadit. Sequitur :

VERS. 22. — *Cum satiatus fuerit, arctabitur.* — Prius quippe anhelat per avaritiam, concupita congregare, et, cum quasi in quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiatur, arctatur ; quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa sua eum satietas angustat. Sequitur : *Æstuabit et omnis dolor irruet super eum.* — Prius namque dolorem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret. At postquam acquisitis rebus pervenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum sollicito timore custodiat, quod cum gravi labore meminit acquisitum. Post hæc quoque ad gehennam ducitur, æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor super eum irruet, quem et hic prius pœna concupiscentiæ, postmodum vero cura custodiæ, et illic quandoque pœna ultionis cremabit. Sequitur :

VERS. 23. *Utinam impleatur venter ejus, et immittat in eum iram favoris sui, et pluat super illum bellum suum.* — Super hunc hypocritam Dominus bellum suum pluit, cum judiciorum suorum gladiis ejus opera percutit. Bellum namque Deo pluere est, iniqui vitam districtis sententiis desuper ad interitum urgere. Sequitur :

VERS. 24. *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.* — Sciendum quod avaritia aliquando per elationem subrepit, aliquando vero per timorem. Sunt namque nonnulli, dum potiores videri appetunt, in alienarum rerum ambitum succenduntur. Et sunt nonnulli qui, dum sibi subsidiorum necessaria deesse timent, mentem ad avaritiam relaxant et aliena ambiunt, cum sibi sua sufficere non posse suspicantur. Omnis ergo necessitas non incongrue ferrum vocatur, quia vitam inopis mœroris vulnere cruciat, sicut quoque de ejus necessitatibus scriptum est, qui a fratribus venditus, afflictam vitam ducebat. « Ferrum pertransivit animam ejus » (*Psal.* CIV, 18). Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ præsentis, quæ dure premunt, et vitam inopis insequuntur ? Ferrum quippe ærugo consumit, æs autem consumere difficilius solet. Ferro ergo necessitas præsens, quæ transitoria est, ære autem sententia æterna figuratur. Et quia judicium supernum ab iniqui mente non attenditur, juste arcui comparatur, quomodo velut ex insidiis percutit, dum illud is qui percutitur non attendit. *Fugiet* ergo *arma ferrea et irruet in arcum æreum*, quia dum præsentes necessitates metuens multa per avaritiam rapit, extremi judicii districtis se percussionibus anteponit. Sequitur :

VERS. 25. *Eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua.* — Iniquus iste insidiatur deprædationibus proximorum, sed dum prava in cogitatione machinatur, quasi adhuc gladius in vagina est. Dum vero malum quod cogitavit, inique perficit, de vagina sua egreditur. Quia Sed cum celata perversitas cogitationis suæ per iniquitatem malæ operationis aperitur, ostenditur in opere qualis latuit in cogitatione. Et notandum quod ait ; *Eductus et egrediens de vagina sua.* Eductus, scilicet per seductorem, egrediens vero per propriam voluntatem. Fulgur quippe, cum repente desuper venit, cum terrore ante oculos clarescit ; claritatem ostendit, et anteposita percutit. Sic videlicet iniquus, cum gloriam vitæ præsentis assumpserit, unde in hoc mundo per potentiam clarus ostenditur, inde agitur ut multi feriantur. Quare fulgurare iniqui est, in hujus vitæ honore clarescere. Sed quia splendor gloriæ illius æternis gehennæ suppliciis mancipatur, recte nunc dicitur *fulgurans in amaritudine sua.* Quia enim modo quasi ex terrore et claritate feriens gaudent, inde post supplicia in perpetuum sustinet. Sequitur : *Vadent et venient super eum horribiles.* — Quid hoc loco horribiles nisi maligni spiritus appellantur ! bonis videlicet mentibus pavendi atque fugiendi ? Et quia iidem maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credendi, cum perversus iste alia quidem vitia ad momentum deserere videtur, sed alia agere incipit, profecto super hunc horribiles vadunt et veniunt, quia perversi mentem etsi alia mala deserunt, alia occupant. Sequitur :

VERS. 26, 27. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus.* — Quamvis hypocrita actiones bonas in superficie ostendit, quædam tamen in eo malorum operum tenebræ apparent, sed tamen minus prodit in opere, quam in ejus latet cogitatione. Nam qui cuncta simul in effectu non explet, cuncta quæ noceant in mente tacitus tenet. Sequitur : *Devorabit eum ignis, qui non succenditur.* — Miro valde modo paucis verbis expressus est gehennæ ignis. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit corporeus et in semetipso reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel inextinguibilis durat, et succensione non indiget, et ardore non caret, quia Omnipotentis justitia, futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sequitur : *Affligitur relictus in tabernaculo suo.* — Iniqui enim tabernaculum caro est, quia lætus ipsam inhabitat, et, si sit possibile, optat ut eam nunquam relinquat. Quam videlicet carnem, cum in resurrectione susceperit, cum ea gehennæ ignibus, traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit, tunc ejus tormenta, si valeat evadere, quærit. Tunc incipit velle vitare quod amavit, sed qui eam carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur, ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur : illic eam relinquere appetit, et tamen in eo propter supplicia servatur. Ad aug-

mentum itaque tormentit, et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. Sequitur :

VERS. 28. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.* — Quid enim per cœlos, nisi justos ; et quid per terram nisi peccatores accipimus? Unde et in Dominica oratione petimus : « Fiat voluntas tua in cœlo et in terra (*Matth.* VI, 10). » Hujus itaque impii ad illud terribile judicium deducti revelant cœli iniquitatem : et terra resurgit adversus eum, ut qui hic nec bonis unquam nec malis pepercit, in illo eum tremendo examine et justorum vita, et peccatorum pariter accuset ; et gravis quidem est, si quid justis potius, quam peccatoribus noceat. Unde et per prophetam dicitur : « Sanguis ejus in medio ejus est. Super limpidissimam petram effudit eum ; non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere (*Ezech.* XXIV, 7). » Possunt vero per terram non peccatores et reprobi, sed hi qui terrenis actibus occupati, eleemosynarum et lacrymarum ope ad æternam vitam perveniunt, designari. De quibus per Psalmistam dicitur, cum venire Dominus ad judiciium nuntiaretur : « Advocavit cœlum desursum et terram, ut discerneret populum (*Psal.* XLIX, 4). » Hypocritæ itaque hujus cœli iniquitatem revelant, atque terra adversus eum consurget, cum et hi qui cum Deo judices veniunt, et hi qui per judicium liberantur, pravitatis illius testes existunt. Sequitur :

VERS. 29. *Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.* — Tunc germen domus illius aperitur, cum omne malum quod in conscientia illius nascebatur, ostenditur. Modo quippe germen domus hypocritæ manet occultum, quia etsi in bona imagine apparet ejus operatio, sed latet intentio. In hoc itaque hypocrita germen domus aperitur, quia in ejus mente cogitatio perversa detegitur, et in die furoris Dei detrahetur, quia ostensa ira judicis flammis ultricibus traditus, ab ejus conspectu separatur. Sequitur : *Hæc est pars hominis impii a Deo, et hæreditas verborum ejus a Domino.* — Si enim bene agere in hac vita positus voluisset, partem apud Dominum cœlestis regni consortium haberet, sed quia pravis subdi desideriis elegit, partem suam a Domino in tormentis invenit, quia ejusdem Domini participari gratia non quæsivit. Qui enim pro magnis malis in supplicium mergitur, fortasse credebatur quod per id verbis quæ male dixerat minime judicaretur. Sed cum districta omnipotentis justitia Dei supplicium a reprobis pro perversis actibus exigit, eis mala usque ad verborum retributionem reddit. Sancti autem viri non partem a Domino accipere, sed partem suam ipsum Dominum habere desiderant. Unde Propheta deprecatur dicens : « Portio mea Dominus (*Psal.* CXVIII, 57). » Iniquus vero, qui portionem suam habere ipsum Dominum non quæsivit, partem suam extra Dominum ignem invenit. Hæc Sophar ita intulit, ut per ea quæ contra hypocritam dixerat, beati Job vitam feriret, existi-

A mans, quod is, qui a Domino percussus esset, cuncta bona quæ egerat, mente simplici non egisset. Quem enim percussum vidit, Deo displicuisse credidit. Sed beatus Job more sanctæ et universalis Ecclesiæ, quæ a perversis verborum jacula æquanimiter tolerat, et cum superborum dicta audit, humilitatis suæ tramitem non derelinquit, cum magna cordis humilitate subjunxit, dicens :

## CAPUT XXI.

VERS. 1, 2, 3, *Audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam.* — Qui enim cum diceret, *audite*, addidit *quæso*, cum quanta humilitate loquatur insinuat, dum contra superbientes rogat, ut eorum sensum ad salutis doctrinam deducat. Sequitur : — *Sustinete me ut et ego loquar, et post,*
B *mea, si videbitur, verba ridete.* — Boni etenim cum loquuntur, duo sunt quæ in suis locutionibus attendunt, ut videlicet aut sibi et auditoribus suis, aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse non possunt. Cum enim bene audiuntur bona quæ dicunt, simul sibi et auditoribus prosunt. Cum enim ab auditoribus deridentur, sibi procul dubio præstiterunt quos a culpa liberos fecerunt. Et notandum quia dum subjungeret, *agite pœnitentiam*, præmisit *audite*. Cum vero subderet, *post, mea, si videbitur, verba ridete,* præmisit, *sustinete me.* Audire quippe volentis est, sustinere nolentis. Amici ergo ejus si doceri appetunt, audiant ; si autem irridere parati sunt, sustineant quæ dicuntur. Sequitur :

C VERS. 4. *Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?* — Omnis qui Deo placet et hominibus displicet causas tristitiæ nullas habet. Qui autem hominibus placens, Deo displicet, aut simul Deo et hominibus displicere se credit. Si hunc tristitia non afficit, a virtute sapientiæ alienus existit. Beatus autem Job displicuisse Deo inter flagella se credidit, et idcirco animum ad tristitiam vocavit, quia despiciendus non erat cui se displicuisse formidabat. Sequitur :

VERS. 5. *Attendite me et obstupescite,* id est, considerate quæ egi, et admiramini. Sequitur : *Et superponite digitum ori vestro.* — Ac si aperte : Scientes bona quæ egi, et considerantes mala quæ patior, vosmetipsos etiam a verborum culpa compescite, atque in meis persecutionibus vestra dam-
D na formidate. Vel certe quia digitis quæque discernimus, non incongrue per digitum discretio designatur. Unde per Psalmistam dicitur : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum (*Psal.* CXLIII, 1). » Digitus ergo ori superponitur, cum per discretionem lingua refrenatur, ne per hoc quod loquitur in stultitiæ culpa dilabatur. Sequitur :

VERS. 6. *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* — Quia beatus Job actuum suorum non oblitus fuerit, extrema ejus locutio ostendit. Qua ex re hoc nunc quidem ab eo amicis dicitur : *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco;* constat nimirum quod per

irrisionem dicatur. Ac si aperte diceretur: Si me A aliquid hypocritæ habere meminero, in pœnitentiæ mox fletu contremisco. Carnem vero suam si recordatus fuerit tremore perhibet concuti, id est infirmitatem operis, ultionis pavore fatigati. Sequitur:

VERS. 7 *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* — Nisi eos enim patientia divina toleraret, nequaquam diu vitam in peccatis ducerent. Sublevantur namque divitiis cum esse potentes incipiunt. Confortantur vero, cum in hac vita diu subsistere permittuntur. Quos enim substantia sublevat, in fastu suæ potentiæ dierum longitudo confortat. Vel certe sublevati et confortati referuntur, quia sublevantur honoribus confortantur rebus. Sequitur:

VERS. 8. *Semen eorum permanet coram eis.* — In augmento magnæ felicitatis, cum magno patrimonio dantur et hæredes. Ac ne qua necessitas temporis saltem ab oculis subtrahat eos, in quibus animus exsultat, sequitur: *Propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.* — Ecce adest vita, adsunt honores et divitiæ, adsunt filii, adsunt nepotes. Sequitur:

VERS. 9 *Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et virga Dei non est super illos.* — Securæ et pacatæ sunt, quia peccantes vivunt, lugenda agunt, et gaudia non relinquunt, et virga eos supernæ disciplinæ non percutit. Sequitur:

VERS 10. *Bos eorum concepit, et non* [*abortivit*] *obortit, vacca peperit, et non est privata fetu suo.* — Vulgaris locutionis est, ut bovem masculum, et vaccam feminam, sed litteraturæ locutio communis generis appellat. Unde nunc dicitur. *Bos eorum concepit, et non abortivit*, et reliqua. Dominus gregum prima felicitas est, si grex sterilitatem non habens, concipit; secunda si conceptus ad partum venit; tertia vero si hoc, quod parturitum est, per nutrimenta ad profectum ducatur. Ut ergo tota simul adesse impiis demonstret eorum greges beatus Job asserit concepisse, et non orbortiisse, peperisse et fetu proprio non esse privatos.

VERS. 11. *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus.* — Ipsum quoque infantum lusum in domo iniquorum ne vilem valde esse crederemus, subjungens ait:

VERS. 12. *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi.* Ac si patenter dicat: Cum Domini honoribus et rebus tument, subjecti ludicris actibus gaudent. Sequitur:

VERS. 13. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* — Ecce, beate vir, eorum gaudia diu narraveras, quomodo nunc asseris quod in puncto ad inferna descendant, nisi quod omnis longitudo temporis vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur? In puncto enim stilum ponimus et levamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit, quia hunc accepit et amisit. Potest in puncto hoc quoque intelligi, quod sæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat quæ peccaverunt. Sequitur:

VERS. 14. *Qui dixerunt Deo*: *Recede a nobis.* — Hæc verbis dicere vel stulti minime præsumunt, sed tamen perversi omnes Deo recedere non verbis sed moribus dicunt. Dicunt ergo: *Recede a nobis*, qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque pravis actibus inpugnant etiamsi verbis eum laudare videantur. Dicunt etiam: *Scientiam viarum tuarum nolumus*, — eo ipso quo ejus scientiam apprehendere contemnunt. Via autem Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia est. Sed quia hæc omnia iniqui despiciunt, Deo dicunt: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Dum enim in præsenti vita superbiunt, dum honoribus inflantur, dum B etiam si non habent, appetunt, vias Dei in cogitatione contemnunt. Sequitur:

VERS. 15. *Quis est Omnipotens ut serviamus ei?* — Mens enim hominis male exterius fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, ut neque ad semetipsam intus redeant, neque eum, qui est invisibilis, cogitare sufficiat. Unde viri carnales jussa spiritalia contemnentes Deum, quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perveniunt, ut etiam non esse suspicentur. Unde scriptum est: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus (*Psal.* XIII, 1). » Sequitur: *Et quid nobis prodest, si oraverimus eum?* — Cum Deus in oratione lassatur, quia cum illa quisque postulat quæ fortasse juxta occultum judicium Deus retribuere recusat, ipse quoque C venit in fastidio, qui non vult dare quod amatur. Sese magis Dominus quam ea quæ condidit vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est: « Quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI, 33). » Sequitur:

VERS. 16. *Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.* — Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit, nam quisquis ea minime diligit, se magis illis quam sibi illa supponit. Quidnamque est iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere salutem, temporalem cum damno interiori appetere, et dolores transitorios ad æternos gemitus commutare? Vir igitur sanctus, has iniquorum cogitationes intuens, aspernetur et dicat: *Consilium im-* D *piorum longe sit a me.* Sequitur:

VERS. 17. *Quoties lucerna eorum exstinguitur.* — Sæpe impius in lucem suam æstimat filiorum vitam sed cum filius, qui nimis amatur, subtrahitur, lucerna impii, quæ videbatur, exstincta est. Sæpe impius præsentis honoris gloriam lucernam putat, sed dum sublata dignitate dejicitur, lucerna extincta est, quæ ei juxta desiderium lucebat. Sequitur: *Et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui.* — Inundatio impiis supervenit, cum dolorum fluctus ex aliqua adversitate patiuntur. Bene autem dicitur: *Et dolores dividet furoris sui* qui enim æternos dolores impio per retributionem servat, et aliquando mentem ejus etiam temporali dolore transverberat, quia hic quoque et illic

percutit. Furoris sui super impium dolores dividit. Neque enim pœna præsens, quæ iniusti animum a pravis desideriis non immutat, ab æternis suppliciis liberat. Unde et per Psalmistam dicitur : « Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal.* x, 6). » Dicendo etenim laqueos, ignis, sulphur, et spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab his doloribus peccator, qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit, quia videlicet eorum passio hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur. De quorum fine adhuc subjungitur :

VERS. 18. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit.* — Iniquus cum in potestate conspicitur, cum valde in oppressionibus ac violentiis effrænatur, ab infirmiori in cogitationibus gravis nimium, et quasi in hunc mundun radicatus æstimatur. Cum enim districti judicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt ; qui ut ita dicam, iræ flatu subito levantur, atque asportantur ad ignem, quos hic quondam in suis præjudiciis, quasi duri ponderis super jacentem molem indigentium lacrymæ movere non poterant ; et ad rapientis judicii manum leves sunt, qui per injustitiam proximis graves fuerunt. Sequitur : *Et sicut favilla, quam turbo dispergit.* — Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita favilla est, quia et si ad momentum apparet viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur, qui consumptioni æternæ est deputata. Hanc favillam turbo dispergit, quia « Deus noster manifeste veniet, et non silebit (*Psal.* XLIX, 5), » et reliqua. Sequitur :

VERS. 19. *Deus servavit filiis illius dolorem patris, et cum reddiderit tunc sciet.* — Et rursum scriptum est : « Anima, quæ peccaverit, ipsa punietur (*Ezech.* XVIII, 4). » Peccatum quippe originale a parentibus trahimus, et nisi per gratiam baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus, quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata patrum in filiis, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima punitur prolis, et rursum peccata parentum non reddit in fillis, quia ab originali culpa per baptismum liberamur, non jam parentum culpas, sed, quas ipsi committimus, habemus. Sed tamen intelligi etiam aliter potest, quia quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. Sequitur : *Et cum reddiderit tunc sciet.* — Nescit enim impius mala quæ fecit, nisi pro eisdem malis puniri jam cœperit. Unde et per prophetam dicitur : « Et tantummodo sola vexatio intellectum auditui dabit (*Isa.* XXVIII, 19). » Tunc namque intelligit quod audivit, cum se jam pro contemptu vexari doluerit. Sequitur :

VERS. 20. *Videbunt oculi ejus interfectionem suam et de furore Omnipotentis bibet.* — Qui si in hac vita positus, culpam suam videre voluisset, de Omnipotentis furore postmodum non biberet, sed, qui hic avertit oculos a respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Sequitur :

VERS. 21. *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se ? Et si numerus mensium ejus dimidietur ?* — Neque enim sic debemus accipere, ut iniquus iste postea quam damnatus æternis suppliciis fuerit, de domo sua, id est cognatis, quos reliquerit, minime cogitabit, cum per semetipsam Veritas dicit : « Quia dives, qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus, quos reliquerat, etiam in supplicium positus curam gerebat (*Luc.* XXI, 28). » Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa. Pro summo hic namque bono concupiscit germen generis habere domum vel familiam, opibus repleri, et diu in hac carnis corruptione vivere. Sed si fortasse aliquid ad ejus desiderium veniat, quod tamen obtinere non possit nisi cum offensione Conditoris, ejus animus ad paululum perturbatur ; cogitat quia si hoc egerit unde offensam sui Conditoris incurrit, in domo, in filiis, in vita percutitur. Sed superbia protinus instigatus obdurescit, et quamlibet in vita percussionem sentiat, nequaquam curat, dummodo quæ cogitaverit expleat, et, quousque vivit, voluptates suas perficere non desistat. Et in hoc ergo se peccator contra Deum erigit, ubi Deus omnipotens ejus erectionem frangit, et nec illata percussio mentem humiliat, quam in deliberatione contra Deum obstinatio obdurat. Sequitur :

VERS. 22. *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos judicat ?* — Cum his quæ de nobis aguntur ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere, et eam quæ de nostra nobis incertitudine surexerat, cogitationis querelam placare. Ecce enim quod electos ad vitam flagella revocant, et malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei judicia super nos valde occulta sunt, et injusta non sunt. Sed tendamus oculum mentis ad superiora. In illis aspicimus, quia de nobis quis quid juste conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit, alios sponsos ab statu suæ celsitudinis in æternæ damnationis ultione prostravit. Nobiscum igitur injuste nihil agit, qui et subtiliorem nobis naturam juste judicavit. Sequitur :

VERS. 23, 24, 25. *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix. Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa ejus irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis apibus.* — Ista cum ita sint, quis in Omnipotentes secreto discutiat, cur ita hæc esse permittat ? Sed electis et reprobis vita quidem dispar est, carnis autem in morte corruptio dispar non est. Unde subjungitur :

VERS. 26. *Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.* — Quid ergo mirum, si prospe-

ritate vel adversitate præsentis sæculi dissimiliter ad momentum currunt, qui per corruptionem carnis ad terram similiter redeunt? Illa est ergo solummodo vita cogitanda, in qua cum resurrectione carnis ad finem dissimilem pertingitur retributionis. Sequitur :

Vers. 27, 28. *Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas. Dicitis enim : Ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum?* Impium enim crediderant, quem a lætis rebus temporaliter destructum videbant. Sed sanctus vir tanto eos alta consideratione dijudicat, quanto inter damna, quæ pertulerat, infracta rectitudine stabat. Quid enim ei foris rerum damna nocuerant, qui illum non amiserat, quem interius amabat? Allegorice. *Viscera ejus plena sunt adipe.* Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impingat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis, quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde, quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur. «Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* LXXII, 7).» Amatores hujus sæculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si exteriori dignitati desint terrenæ et domesticæ divitiæ, quantum ad suum judicium ossa quidem habent, sed et medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus sæculi exteriori potestate fulcitur, ut etiam interiori terrenæ domus abundantia saginetur, dicitur, *et medullis ossa ejus irrigantur.* Vel certe ossa sunt hujus divitis pravæ consuetudines et duræ. Medullæ vero in ossibus sunt ipsa mala desideria vivendi, quæ neque ex pravitatis satisfactione satiantur. Quæ medullæ quasi ossa irrigant, cum ipsa prava desideria perversas consuetudines suas in voluptatum delectatione conservant. Et sunt nonnulli qui in hoc mundo divitias non habent, sed habere concupiscunt, elati esse appetunt, quamvis in hoc mundo quod cupiunt, obtinere non possint. Et cum nullis rebus vel honoribus fulti sint, per mala tamen desideria in conspectu interni judicis, reos conscientia addicit. Talis etenim quisque plerumque ideo affligitur, quia ditescere ac superbire non valet. In pulvere etenim dormire est, in terrenis desideriis oculos mentis claudere. Unde unicuique peccanti, et in culpa sua dormienti dicitur. « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* v, 14).» Vermes vero qui de carne nascuntur, eos simul operiunt, quia sive divitis sive pauperis animum curæ carnales premunt. In rebus enim terrenis pauper et dives reprobus quamvis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille jam cum metu habet, iste cum anxietate appetit, et quia habere non valet, dolet. Sed cum scriptum sit : « Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in illo est? (*I Cor.* I, 11.) » qua ratione nunc dicitur certe novi cogitationes tuas? Sed tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel opibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit. « Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 16), » per hoc quod foris agitur, quidquid latet aperitur. Proinde beatus Job cum amicorum colloquentium cogitationes nosse se diceret adjunxit : *Et sententias contra me iniquas*, ut ex patenti re ostendat, quia hoc, quod in eis latebat, invenisset. Sequitur :

Vers. 29, 30. *Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.* Sæpe etenim diu divina patientia tolerat, quos jam ad supplicia præscita condemnat, permittit florere, quos adhuc cernit pejora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foveam tendant, hoc eis pro nihil esse existimat, quod hic perversi relinquenda multiplicant. Viator quippe dicitur, qui præsentem vitam sibi esse viam, non patriam, attendit. Qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna pervenire concupiscit. Hinc Moyses ait : « Transiens videbo visionem hanc (*Exod.* III, 2).» Hinc Jeremias ait : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, et cætera (*Thren.* III, 2).» Igitur, quia malus : ad diem perditionis servatur : et ad diem furoris ducitur, hoc non nisi qui est viator intelligit, quoniam qui cor in præsentibus figit, quæ iniquum sequantur supplicia non deprehenditur. Sequitur :

Vers. 31. *Quis arguet coram eo viam ejus, et quæ fecit quis reddet illi?*—Sæpe malus indignationem conditoris sui quam in æternum passurus est, et in hac quoque vita positus experitur, dum prosperitatem quam amat amittit, et adversitatem quam formidat invenit. Et quamvis increpari de suis pravitatibus auctorum lingua etiam in prosperis valeat, scimus tamen quod cum facta sua perversum quemque dejiciunt, justorum increpatio convalescat. Sed qua ratione ista dicuntur, dum etiam justis tacentibus hoc quoque notum sit, quia toties hic iniqui via arguitur quoties ejus prosperitas intervenisse adversitate turbatur. Sed beatus Job, dum de omni malorum corpore loqueretur, subito ad iniquorum omnium caput verba convertit. Vidit enim quod in finem mundi Satan hominem ingrediens, quem sacra Scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis et prodigiis in sanctitatis ostensione se elevat, ut argui ab homine ejus facta non valeant, quia cum potestate terroris adjunguntur etiam signa ostensæ sanctitatis et ait : *Quis arguet coram eo viam ejus?* Quis videlicet hominum illum increpare audeat, cujus visum ferre pertimescit? Sed tamen ejus viam, non solum Elias et Enoch, qui in ejus exprobatione ad medium reducuntur, etiam omnes electi arguunt, dum contemnunt, dum virtute mentis ejus malitiæ resistunt. Sed quia hoc ex divina gratia, et non suis viribus faciunt, recte nunc dicitur : *Quis arguet coram eo viam ejus?* Quis etenim nisi Deus,

cujus adjutorio electi ut resistere valeant fulciuntur? A Multi enim nunc vias Antichristi judicantes corripiunt, sed hoc quasi in ejus absentia faciunt, dum illum arguunt quem adhuc specialiter non intuentur. Cum vero in illo damnato homine venerit, quisquis ejus præsentiæ resistit coram eo viam ejus arguet, cujus vires conspicit et contemnit. Vel certe viam ejus arguere est, prosperitatem cursus ejus æterno supplicio interveniente turbare. Quod quia Dominus solum propria virtute facturus est, de quo scriptum est : « Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8),» recte dicitur : *Quis arguet coram eo viam ejus?* Unde et sequitur: *Ut quæ fecit quis reddet ei?* Quis nimirum nisi Dominus qui solus illi perdito homini quæ fecit reddet, B dum potestatem ejus tam validam per adventum suum æterna damnatione contriverit. Sequitur :

Vers. 32. *Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.* — Quia sepulcra mortuos contegunt, quid aliud per sepulcra, quam reproborum corda signantur, in quibus exstinctæ a vita beatitudinis animæ velut in sepulcris latent? Iniquus ergo iste ad sepulcra deducitur, quia in pravorum cordibus recipietur, quomodo soli illi eum suscipiunt, in quibus mortuæ animæ a Deo reperiuntur. De quo recte etiam, dum ejus supplicia describerentur, per prophetam dicitur. « In circuitu illius sepulcra ejus, omnes interfecti et qui ceciderunt gladio (*Ezech.* XXII, 22).» Illi quippe C in inferno juxta illum sunt. Satanæ itaque in congerie mortuorum vigilare est, in reproborum cordibus malitiæ suæ astutias exercere. Sequitur :

Vers. 33. *Dulcis fuit glareis Cocyti.* — Græca lingua Cocytus, luctus dicitur, qui tamen luctus feminarum vel quorumlibet infirmantium solet intelligi. Sapientes hujus sæculi a luce veritatis exclusi, quasi umbras quasdam de veritatis inquisitione tenere conati sunt. Unde Cocytum fluvium currere apud inferos putaverunt, videlicet designantes quod hi qui digna doloribus opera faciunt, in infernum ad luctum decurrunt. Scriptum quippe est : « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (*Psal.* XXX, 25). » Qui enim in Domino confortari renuunt, ad D luctum per animi infirmitatem tendunt. Glaream lapillos fluminum appellare consuevimus, quos aqua defluens trahit. Quid ergo per glaream, nisi reprobi designantur, qui suis voluptatibus dediti, quasi semper ad ima trahuntur? Qui enim contra voluptates ejus sæculi stare fortiter nolunt, glareæ Cocyti fiunt, qui suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt: ut in æternum postea lugeant, qui modo se in suis voluptatibus delectabiliter relaxant. Et quia antiquus hostis suum vas illum reprobum hominem ingressus dum dona perversis tribuit, dum eos in hoc mundo honoribus extollit, dum eorum oculis prodigia ostendit, dum fluxæ mentes hunc in suis prodigiis mirantur et sequuntur, bene de eo dicitur : *Dulcis fuit glareis Cocyti.* Cum enim hunc electi despiciunt, cum mentis calce contemnunt, illi eum sequentes diligunt, qui velut ab aqua voluptatis ad perpetuum luctum trahuntur, qui per terrenam concupiscentiam more glaræ quotidianis lapsibus ad ima dilabuntur. Sequitur : *Et post se omnem hominem tradet, et ante se innumerabiles.* Hoc loco homo humana sapiens dicitur. Sed cum plus sint omnes quam innumerabiles, quærendum nobis est cur ante se innumerabiles, et post se omnes trahere dicitur, nisi quod antiquus hostis in reprobum tunc hominem ingressus, cunctos quos carnales invenerit, sub suæ jugum ditionis rapit. Qui et nunc priusquam appareat innumerabiles quidem, non tamen omnes carnales trahit, quia quotidie a carnali opere ad vitam multi revocantur, atque ad statum justitiæ alii per brevem, alii vero per longam pœnitentiam redeunt; et nunc innumerabiles rapit, cum falsitatis suæ stupenda hominibus signa non exhibet. Cum vero coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit, post se tunc non innumerabiles, sed omnes trahit; quia bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractatione subjiciunt. Hæc beatus Job, qui contra iniquorum principem mire disseruit, qui in hac vita extolli permittitur, sed in adventu Domini destruetur, de se patenter ostendit quia flagella Dominica non ex offensione susceperit, quomodo si iniquus quisque in hac vita permittitur prosperari, necesse est ut electus Dei debeat sub flagelli fervore teneri, ex qua re amicos arguit dicens :

Vers. 34. *Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?* Amici beati Job eum consolari non poterant, in quo suis sermonibus veritati contraibant. Cumque hinc hypocritam vel impium dicerent, per hoc quod ipsi mentientes perpetrabant culpam, augebant procul dubio pœnam justi vulneribus afflicti.

# LIBER SEXTUS DECIMUS.

## CAPUT XXII.

Qui contra veritatis verba... allegatione deficiunt, sæpe etiam nota replicant, ne tacendo victi videantur. Unde Eliphaz, beati Job sermonibus pressus, ea dicit quæ nullus ignorat, ait enim :

Vers. 1, 2. *Nunquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?* — In comparatione etenim Dei, scientia nostra ignorantia est. Ex Dei namque participatione sapimus, non comparatione. Sequitur :

VERS. 3. *Quid prodest Deo si justus fueris, aut* A *quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua ?* — In omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Dominum juvamus. Unde per Psalmistam dicitur : « Dixit Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges (*Psal.* XV, 2.) » Sequitur :

VERS. 4, 5. *Nunquid timens te arguet te, et veniet tecum ad judicium ?* — Quis hoc vel desipiens sentiat, quod Dominus ex timore arguat, et ex metu judicium suum contra nos proponat? Sed quia verba sua metiri nesciunt, procul dubio ad otiosa dicta dilabuntur, in quibus si se minime reprehendunt, statim ad noxia et contumeliosa prosiliunt. Unde Eliphaz, qui odiosa intulit, ad contumeliosa protinus verba prorupit dicens : *Et* B *non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas ?* — Sequitur :

VERS. 6. *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa.* — In Scriptura sacra appellatione pignoris aliquando donum Spiritus sancti signatur, ut illud Pauli : « Qui dedit nobis pignus Spiritus (*II Cor.* v, 5.) » Aliquando confessio peccatorum, sicut in lege scriptum est : « Si debitum debet tibi quispiam frater tuus, et abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue (*Deut.* XXIV, 12, 13). » Quia ergo sancta Ecclesia quilibet ab hæreticis ad veritatem fidei revertentes præcipit prius ut confiteri erroris sui culpam habeant, persuadet, et quasi per hæreticorum speciem, per Eliphaz dicitur. *Abstulisti pignus fra-* C *trum tuorum sine causa*, id est, ab his qui a nobis ad te veniunt inutiliter confessionem erroris exegisti. Si vero, ut prædiximus, pignus, dona sancti Spiritus sentimus, hæretici sanctam Ecclesiam fratrum suorum dicunt pignus abstulisse, quia illos qui ad illam veniunt, dona spiritualia suspicantur amittere. Unde sequitur : *Et nudos exspoliasti vestibus.* — Eos quos hæretici perversis prædicationibus trahunt, præcepta doctrinæ suæ quasi quædam vestimenta habere existimant, et tandiu illos vestitos putant, quandiu hæc quæ ipsi prædicaverunt, ab illis servari considerant. Ex quibus cum quidam ad sanctam Ecclesiam redeunt, eos protinus doctrinæ vestimenta perdidisse suspicantur. Sed cum nudus exspoliari nequeat, quærendum nobis D est, quomodo prius nudi, et postmodum exspoliati memorantur. Sed sciendum quia omnis qui cordis puritate perfruitur, eo ipso quo duplicitatis tegumentum non habet, nudus est. Et sunt nonnulli apud hæreticos, qui cordis quidem puritatem habent, sed tamen doctrinæ eorum dogmata perversa suscipiunt. Hi nimirum et ex sua puritate nudi sunt, et quasi ex eorum prædicatione vestiuntur. Sequitur :

VERS. 7. *Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.* — Hæretici quo veritatis soliditatem non tenent, eo nonnunquam student ut loquaciores appareant, et contra catholicorum fidem quasi doctrinæ scientia gloriantur. Cunctos quos aspiciunt pravis ad se trahere sermonibus quærunt, et unde sibi alios ad interitum sociant, inde aliquid se agere vivaciter putant Eos vero lassos dicimus, qui sub hujus sæculi onere laborioso fatigantur. Unde et ipsa Veritas dicit : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et oneratis estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI, 28).» Hæretici igitur qui sua dogmata prædicare non cessant, sanctam Ecclesiam quasi de imperitia irrident, dicentes : *Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.* Se enim dare aquam lasso existimant, cum quibusdam sub terreno fasce laborantibus, sui poculum erroris præbent : et panem esurienti se non subtraxisse suspicantur, quia etiam de invisibilibus atque incomprehensibilibus inquisiti, cum superba audacia respondent et tunc se doctos præ omnibus credunt, cum loqui de incognitis infelicius præsumunt. Sancta vero Ecclesia dum quempiam videt esurire quod ei non prosit accipere, aut si jam sunt sibi cognita modeste supprimit, aut, si adhuc videntur incognita, humiliter fatetur, eosque ad ordinatæ humilitatis sensum revocat, cum per suum illis prædicatorem dicit : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XI, 20). » Et rursum. « Noli altum sapere, sed time (*Rom.* XII, 3). » Sequitur :

VERS. 8. *In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.* — Ac si patenter dicat : Qui in prædicatione tua terram universaliter occupasti, potentia fortitudinis, non ratio veritatis fuit. Quia enim Christianos principes prædicationem ejus tenere conspiciunt, hoc quod ei a populis creditur, non virtutem rectitudinis, sed causam sæcularis potentiæ esse supicantur. Sequitur :

VERS. 9. *Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti.* — Plebes quæ hæreticis prædicantibus sunt subjectæ, ex carnali intelligentia errorum eorum semina perversa suscipiunt, eisque in sua damnatione sociantur. Sed cum sancta Ecclesia ipsos errorum prædicatores, vel ratione victos ad se suscipit, vel studio perversitatis obduratos sub disciplinæ suæ vinculo restringit, destituti hæretici cum remanere apud se plebes sine prædicatoribus vident, quid aliud a sancta Ecclesia quam viduas vacuas relictas dolent ? Et quia subtractis hæreticorum magistris eorum discipulos in suo opere infirmari suspicantur, quasi lacertos pupillorum comminutos ab Ecclesia esse conqueruntur. Vel certe quia sancta Ecclesia, dum quosdam ab hæreticis venientes suscipit, liquet nimirum quod pristino errori eorum contradicit. Quia ergo eos a carnali intentione suæ superstitionis revocat, hæretici cum hos aliter vivere aspiciunt quam docuerunt, lacertos eorum ab operatione, quam prius tenuerant, comminutos esse ab Ecclesia detestantur. Sequitur :

VERS. 10. *Propterea circumdatus es laqueis et conturbat te formido subita.* — Illum formido subita conturbat, qui considerare negligit quid ex districtione judicis venientis immineat. Quia ergo fidelem populum hæretici culpis perfidiæ oppressum credunt, circumdatum laqueis accusant, et quia existimant quod futura non prævideat in per-

cussione sua hunc subita conturbatum formidine A
putant. Sequitur :

Vers. 11. *Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri ?* — Ac si aperte dicat : Securitatem pacis tibi in spe proposueras, et idcirco de præsumptione tua quasi de luce gaudebas, nec te unquam opprimi tribulationibus existimasti. Sequitur :

Vers. 12, 13, 14. *An non cogitas quod Deus altior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur, et dicis : Quid enim novit Deus. Et quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* — Sunt plerique ita hebetes ut formidare nesciant nisi quod corporaliter vident. Unde fit ut Deum non metuant, quem videre non possunt. Hæretici B
autem, quia se sapientes arbitrantur, verba contra catholicos irrisionis proferunt, atque ab eis illum non timeri suspicantur, quem videre corporaliter nequeunt, ut quasi per torporem sensus Auctorem suum existiment, quia *excelsior cœlo est, et super stellarum vertices sublimatur*, ex longinquo videre non posse. Et quia inter nos et cœlestem sedem partes aeriæ intersunt, quasi in nube latens per caliginem judicet, et superioribus intentus, minus ima perpendat, et dum cœli cardines ambiendo constringit, interiora non videat. Sed quis de Deo vel desipiens ista suspicetur ? Qui nimirum cum sit semper omnipotens, sic intendit omnibus, ut adsit singulis ; sic adest singulis, ut simul omnibus nunquam desit. Nam etsi quosdam C
peccatores deserit, eisdem tamen ipsis adest per judicium, quibus deesse videtur per adjumentum. Sequitur :

Vers. 15. *Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui ?* — Sicut semita Redemptoris nostri humilitas, ita semita sæculorum superbia. Sæculorum itaque semitam viri iniqui calcant, quia per hujus vitæ desideria in elatione perambulant. Sequitur :

Vers. 16. *Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum.* — Cum tempus vitæ a divina nobis præscientia sit procul dubio fixum, quærendum valde est, qua ratione nunc dicat, quod iniqui ex præsenti sæculo ante D
tempus proprium subtrahantur. Omnipotens enim Deus, etsi aliquando mutat sententiam, nunquam ergo eo tempore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex divina potentia ante tempora præscitur. Sed sciendum quia creans et ordinans nos omnipotens Deus juxta singulorum merita disponit, et terminum ut et malus ille breviter vivat, ne multis bene agentibus noceat, vel bonus diutius in hac vita subsistat, ut multis boni operis adjutor existat. Quamvis omnipotens Deus illud tempus uniuscujusque ad mortem præsciat, quo ejus vita terminatur. Nec alio in tempore quispiam mori poterit, nisi ipso quo moritur. Cum ergo ita sit, quid est quod dicitur quod iniqui *ante tempus suum sublati sunt*, nisi quod omnes qui præsentem vitam diligunt, longiori sibi ejusdem vitæ spatia promittunt ? Sed cum eos mors superveniens a præsenti vita subtrahit, eorum vita spatia, quæ sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueverant, intercidit. Iniqui enim dum corde transire ad æterna negligunt, et cuncta præsentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amore vitæ præsentis figunt, et quasi longæ habitationis in ea sibi fundamenta construunt, quia in terrenis rebus per desideria solidantur, et quia quotidiano temporis lapsu, ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque dedicationem reproborum eosdem reprobos subtrahendo destruit, recte de iniquis dicitur : *Et fluvius subvertit fundamenta eorum*, id est, ipse cursus mutabilitatis statum in eis subruit perversæ constructionis. Sequitur :

Vers. 17. *Qui dicebant Deo : Recede a nobis.* Hæc etiam beatus Job dixisse quis ambigat ? Et quæ in ejus dictis exposuimus, propter legentis fastidium replicare devitamus. Sequitur : *Et quasi nihil posse facere. Omnipotens æstimabant eum.* — In his ergo sermo, et non sententia immutatur. Nam quod per beatum Job dictum est « Quid est Omnipotens ut serviamus ei ? » (*Job* XXI, 15.) hoc per Eliphaz dicitur, et quasi nihil possit facere æstimabant eum. Sequitur :

Vers. 18. *Cum ille implesset domos eorum bonis.* — Malorum domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis bona sua non denegat, ut aut benignitatem Conditoris erubescant, et ad bonitatem redeant ; aut redire omnimodo contemnentes, inde illic gravius puniantur. Sequitur : *Quorum sententia procul sit a me.* — Hoc etiam per beatum Job dictum est : ait namque : Quorum consilium longe sit a me. Quamvis aliud sententia, at aliud consilium possit intelligi. Sententia quippe in ore est, consilium in cogitatione. Constat nimirum quia iste malorum verbis, iste vero etiam a cogitatione desiderat esse dissimilis. Sequitur :

Vers. 19. *Videbunt justi et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.* — Justi, cum hic injustos errare conspiciunt, de errore pereuntium non possunt lætari. Si enim gaudent erroribus, justi non sunt. Rursum si per insultationem lætantur, eo quod tales non sunt quales alios esse conspiciunt, omnino superbi sunt. Unde et Pharisæus justificationem perdidit, qui publicani meritis gaudendo se prætulit, dicens : « Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus (*Luc.* XVIII, 11). » Quando ergo videbunt justi iniquorum interitum et lætabuntur, nisi cum districto judici perfecta jam securitate exsultationis inhæserint, cum in illo extremo examine illorum damnationem conspiciunt, et de se jam quod metuant non habebunt ? Nunc itaque reprobos aspiciunt et gemunt, tunc conspicient et subsannabunt, quia eos exsultando despicient, quos modo nec sine gemitu iniqua perpetrantes, nec sine metu vident pro iniquitate morientes. Sequitur :

A VERS. 20. *Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devorabit ignis.* — Hic namque iniqui erecti sunt, quia in pravis actionibus extolluntur, quia perversa agunt, et tamen pro perversis actibus minime feriuntur. Sed eorum erectio tunc succiditur, cum vel a præsenti vita ad interitum, vel a conspectu æterni judicis ad æternum gehennæ incendium pertrahuntur. Qui et si hic mortuam suam carnem relinquunt, ipsam quoque in resurrectione recipient, ut cum carne ardeant, in qua peccaverunt, sicut enim eorum culpa in mente fuit et corpore, ita eorum pœna in anima erit pariter et carne. Sequitur :

VERS. 21, 22. *Acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per hæc habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde* B *tuo.* — Culpa superbiæ est docere meliorem. Quam sæpe hæretici perpetrant, qui de his quæ prave sentiunt, quasi docere catholicos præsumunt. Tunc enim putant Deo acquiescere, si illos contigerit eorum perversitatibus consentire, et acquiescentibus pacem promittunt, quia contra eos qui sibi consentiunt jam jurgari desistunt. Fructus autem optimos sibi consentientibus pollicentur, quia eos solos bona opera agere existimant, quos ad sua dogmata se trahere exsultant. Quibus hoc congruit quod adjungit. *Suscipe ex ore illius legem*, quia ea quæ ipsi sentiunt, ex ore Dei procedere suspicantur. *Et pone sermones ejus in corde tuo.* Ac si astruat dicens : Quos nunc usque in ore, et non in corde tenuisti : quia enim eorum per- C versa dogmata respuit, non eum verba Dei in sensu, sed in ostensione habuisse criminantur. Sequitur :

VERS. 23. *Si reversus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.* — Fidelem populum a Deo discessisse hæretici existimant, cum suis prædicationibus resistentem vident, ac si aperte dicant : Quia nostris dogmatibus resistendo a Deo recessisti, idcirco a justitiæ ædificatione destructus es. Tabernaculum vero aliquando accipimus tabernaculum corporis, aliquando vero habitaculum cordis. Nam sicut anima habitamus in corpore, ita per cogitationem habitamus in mente. Iniquitas ergo in tabernaculo mentis est, perversa intentio in studio D cogitationis, iniquitas autem in tabernaculo corporis est per expletionem operis actio carnalis. Ac si Eliphaz patenter dicat : Quisquis ad Deum post errata revertitur, in cogitatione simul et in opere mundatur. Sequitur :

VERS. 24. *Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos.* — Quid per terram, nisi infirmitas actionis, quid per duritiam silicis, nisi fortitudo signatur ? Quid per torrentes aureos, nisi doctrinam intimæ claritatis accipimus ? Omnipotens autem Dominus ad se conversis pro terra dat silicem, quia pro infirma actione, fortitudinem tribuit robusti operis. Dat etiam pro silice torrentes aureos, quia pro robusto opere doctrinam multiplicat claræ prædicationis. Sequitur :

VERS. 25. *Eritque Omnipotens contra hoste tuos, et argentum coacervabitur tibi.* — Quos magis alios hostes patimur, quam malignos spiritus, qui cogitationibus nostris obsident? Argenti nomine sacra eloquia designari testatur Psalmista, qui ait : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ (*Psal.* XI, 7). » Et sæpe cum sacris eloquiis intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurent. Quid nimirum Psalmista protulerat, cum dicebat : « Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei (*Psal.* CXVIII, 115). » Sed quia nemo hostes sua virtute superat, per Eliphaz dicitur : *Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi.* Ac si aperte diceretur : Dum malignos spiritus Dominus a te sua virtute repulerit, divini eloquii talentum lucidum excrescit. Sequitur :

VERS. 26. *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues.* — Super Omnipotentem deliciis affluere est, in amore illius Scripturæ sacræ epulis satiari, in cujus nimirum verbis tot delicias invenimus, quot ad provectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus. Hinc etiam in admirationem sponsæ scriptum est : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens ? » (*Cant* VIII, 5.) Sequitur : *Et elevabis ad Deum faciem tuam.* — Ad Deum faciem elevare est cor ad sublimia investiganda attollere, nam sicut per corporis faciem homini, ita per interiorem hominem Deo noti atque conspicabiles sumus. Cum vero culpæ reatu deprimimur, ad Deum levare cordis nostri faciem veremur ; cum vero pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, et sic perpetrata planguntur, ut plangenda minime perpetrentur, magna menti fiducia nascitur, et ad conspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies levatur. Ac si aperte hæretici fideli populo dicant : Quandiu prædicationem nostram non sequeris, cor in infimis premis. Sequitur :

VERS. 27. *Rogabis eum, et exaudiet te.* — Rogant quippe Dominum, sed exaudiri minime merentur, qui jubentis Domini præcepta contemnunt. Unde scriptum est : « Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). » Subditur : *Et vota tua reddes.* — Qui vota vovit, sed hæc per infirmitatem solvere non valet, ei ex peccati pœna agitur, ut volenti bonum, posse subtrahatur. Cum vero in conspectu intimi judicis ea quæ obsistit culpa detergitur, fit protinus ut votum possibilitas sequatur. Sequitur :

VERS. 28. *Decernes rem, et eveniet tibi.* — Hoc esse proprium infirmantium solet, ut tantum quempiam existiment justum, quanto hunc adipisci conspiciunt omne quod appetit, cum videlicet noverimus nonnunquam bona terrena justis subtrahi, quæ largo munere tribuuntur injustis. Sed si dicta hæc Eliphaz de donis spiritalibus intulit, scien-

dum quod res decernitur et venit, cum virtus quæ ex desiderio expetitur, largiente Deo etiam affectum prosperatur. Unde et adhuc subditur : *Et in viis tuis splendebit lumen.* — In viis quippe justorum lumen resplendere est, per mira operum virtutum signa suæ claritatis aspergere, ut quocunque per intentionem pergunt, ad intuentium cordibus peccati noctem excutiant, et sui operis exemplo in eis justitiæ lumen infundant. Sequitur :

Vers. 29. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* — Quæ nimirum sententia a veritatis ore non discrepat, dicentis : « Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Matth.*, XXIII, 12). » Unde per Salomonem dicitur : « Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorietur, humiliatur (*Prov.* XVIII, 12). » Recte autem dicitur : *Qui inclinaverit oculos ipse salvabitur,* quia quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio in oculis esse solet. Hinc enim scriptum est : « Et oculos superborum humiliabis (*Psal.* XVII, 28). » Oculos ergo inclinare est, nullum respiciendo despicere, sed si minorem atque imparem cunctis quos aspicit æstimare. Salvabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit. Sequitur :

Vers. 30. *Salvabitur autem innocens in munditia manuum suarum.* — Quæ scilicet sententia, si de cœlestis regni retributione promittitur, veritate fulcitur, quia cum de Deo scriptum sit : « Qui credidit unicuique juxta opera sua (*Rom.*, II, 6), » illum in extremo examine justitia æterni judicis sal, quem hic ejus pietas ab immundis operibus liberat. Sin vero ad hoc salvari hic quisque munditia manuum suarum creditur, ut suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur, quia si superna gratia nocentem prævenit, nunquam profecto inveniet quem remuneret innocentem. Unde veridici Moisi voce dicitur : Nullusque apud te per se innocens est (*Exod.* XXXIV, 7). » Quæ tamen omnia pro typo hæreticorum promissionibus congruunt. Qui cum fideles quoque in præsenti vita afflictos inveniunt, eos ex culpa perfidiæ percussos arbitrantur, eisque si sua dogmata sequantur, salutem innocentiæ per bonorum operum munditiam promittunt. Sequitur :

## CAPUT XXIII.

Vers. 1, 2. *Respondens autem Job ait : Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.* — More suo beatum Job planioribus verbis inchoat, sed dicta sua, alta mysterii prosecutione consummat. Mederi quippe dolor afflicti ex amicorum consolatione debuerat, sed consolatio eorum ad blandimenta fallaciæ erupit, quia videlicet inordinatæ consolationis intentio persecutionem, quam minuere debuit, multiplicavit. In quibus nimirum verbis per typum sanctæ Ecclesiæ etiam fidelium dolor exprimitur, qui eo amplius gemunt, quo malos blandiri conspiciunt, quia juxta Pauli vocem, « per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI, 18). » Manus quippe plagæ est fortitudo percussionis. Primam namque percussionem suam electi considerant, qui a Conditoris sui visione divisi sunt, quia nequaquam illuminationis intimæ claritate fruuntur, sed in præsentis vitæ exsilio quasi in cæcitatis loco religati gemunt. Semper ergo habent in hac vita manum plagæ gemitum suum, sed cum adhuc etiam in hac vita adversa accedunt, manus plagæ eorum etiam super gemitum gravatur. Sequitur :

Vers. 3. *Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium ejus?* — Electus quisque nisi Dominum cognovisset, utique non amaret. Sed aliud est cognoscere per fidem, atque aliud per speciem, aliud invenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur, ut electi omnes eum, quem fide cognoverunt, videre quoque per speciem anhelant, cujus amore flagrantes æstuant, quia ejus dulcedinis suavitatem jam ipsa suæ fidei certitudine degustant. Quid enim solium Dei est, nisi illi angelici spiritus, qui, Scriptura teste, Throni vocati sunt? Qui utique usque ad solium Dei venire vult, quid aliud quam interesse angelicis spiritibus concupiscit ut nulla jam defectiva temporum momenta sustineat, sed permanenti gloria in contemplationem æternitatis exsurgat ? Sequitur :

Vers. 4. *Ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus.* — Coram Deo ponere judicium est, intra secretum mentis per contemplationem fidei, ad tremendum examen majestatis illius oculos nostræ considerationis aperire, quod peccator homo mereatur attendere, et, occultus nunc et tacitus judex quam terribilis post appareat considerare. Qui enim sibi in conspectu Dei judicium ponit, os suum increpationibus replet, quia dum subtile examen trementi contra se judicis contemplatur, amare se pœnitentiæ invectione persequitur. Sequitur :

Vers. 5. *Ut sciam verba quæ mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi.* — Tunc enim culpas plangimus, cum pensare cœperimus ; sed tunc subtilius pensamus, cum sollicitius plangimus, atque ex lamentis in corde nostro plenius nascitur quid est quod peccantibus divina districtio minatur, quæ erunt illa reproborum improperia qui terrores, quæ implacabilis majestatis aversio. Tanta enim tunc Dominus reprobis iratus dicet, quanta eos pati ex æquitate permiserit. Sequitur :

Vers. 6. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat.* — Mens etenim quælibet justi, si ab omnipotente Domino districte judicatur, mole magnitudinis premitur. Sequitur :

Vers. 7. *Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum.* — Quis enim alius, nisi mediator Dei et hominum, homo Christus

Jesus, æquitatis nomine designatur? De quo scriptum est: « Qui factus est sapientia nobis a Deo et justitia (*I Cor.* I, 30). » Quæ scilicet justitia dum in hunc mundum contra vias peccatorum venit, antiquum hostem vicimus, a quo capti tenebamur. Ac si ergo diceret: Ad redarguendas vias meas incarnatum Filium mittat, et tunc insidiantem adversarium per absolutionis meæ judicium victor excludam. Sequitur:

VERS. 8, 9. *Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum; si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum; si me vertam ad dextram, non videbo illum.* — Creator quippe omnium in patre non est, quia ubique est, et tunc minus invenitur, quando is qui totus ubique est in parte quæritur. Sequitur:

VERS. 10. *Ipse vero scit viam meam.* — Ac si aperte dicat: Videre non valeo videntem me, et eum qui me subtiliter intuetur, intueri non possum, ut videlicet ostendat quia tanto cautius formidandus est, quanto conspicabilis non est. Qui enim ita nos aspicit, ut a nobis aspici nequeat, eo magis timendus est, quo cuncta videns minime videtur. Aliter: Ad orientem quippe imus, cum mentem in consideratione majestatis ejus attollimus, sed non apparet, quia qualis in natura sua est, a cogitatione mortali videri non prævalet. Ad occidentem imus, cum subletum [sublatum] in Deo cordis oculum, sed ipsa immensitate luminis reverberatum, ad nosmetipsos reducimus, et lassati discimus super nos valde esse quod quærebamus, nostram mortalitatem considerantes, indignos nos adhuc esse deprehendimus, qui immortalitatem videre valeamus. Ad sinistram ire, est peccatorum delectationibus consentire. Et nimirum constat, quia Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatione peccati per sinistram jacet. In dexteram proculdubio vertitur, qui de virtutibus elevatur, sed Deum videre non valet, qui privata lætitia de bonis actibus gaudet, quia in eo cordis oculum tumor elationis premit. *Ipse scit viam meam,* ac si patenter dicat: Ego me et districte discutio, et tamen ille quem videre non valeo, videt subtiliter cuncta quæ ago. Sequitur: *Et probabit me quasi aurum quod per ignem transit.* — Aurum in fornace ad naturæ suæ claritatem proficit, dum sordes amittit. Quasi aurum ergo, quod per ignem transit, probatur anima justorum, quibus exustione tribulationis et subtrahuntur vitia, et merita augentur. Sequitur:

VERS. 11. *Vestigia ejus secutus est pes meus.* — Quasi quidam namque Dei gressus sunt, ipsæ quas cernimus ejus operationes, quibus bonus quisque malusque regitur, quibus justi injustique suis ordinibus disponuntur, quibus et subjectus quisque ad meliora quotidie ducitur, et adversus ad deteriora corruens toleratur. De quibus nimirum gressibus Propheta dicebat: « Visi sunt gressus tui, Deus (*Psal.* LXVII, 25). » Nos itaque cum virtutem longanimitatis atque pietatis ejus intuemur, et intuentes



A imitari contendimus, quid aliud quam gressuum ejus vestigia sequimur, quia extrema quædam ejus operationis imitamur? Hæc enim Patris sui vestigia Veritas admonebat imitari, cum diceret: « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* V, 44), » et reliqua. Potest tamen beatus Job, sic in futura operatione incarnandæ Sapientiæ intendere, sicut nos ejusdem Sapientiæ jam præterita opera per fidem videmus. Cujus nimirum vitam dum beatus Job superno Spiritu repletus sollicita intentione conspiceret, futuram mansuetudinis illius humilitatem prævidens, quasi ad exemplum sibi propositum recurrit, ut quidquid in hac vita ageret, ad imitationis illius vestigia ligaret. De quibus ejus vestigiis per Pe-
B trum dicitur: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II, 21). » Sequitur: *Viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.* — Custodit enim et non declinat, qui hoc ubi intendit, operatur; et custodire quippe per intentionem est, non declinare per operationem. Hæc namque est sollicitudo justorum, ut actus suos quotidie juxta vias veritatis examinent, et eas sibi in regulam proponentes, a rectitudinis earum tramite non declinent. Sequitur:

VERS. 12. *A mandatis labiorum ejus non recessi.* — Sicut bene obsequentes famuli dominorum suorum vultibus semper intenti sunt, ut ea quæ præceperint festini audiant, et implere contendant,
C sic justorum mentes per intentionem suam omnipotenti Domino assistunt, atque in Scriptura ejus quasi os ejus intuentur, ut quia per eam Deus loquitur omne quod vult, tanto a voluntate ejus non discrepant, quanto eamdem voluntatem illius, ejus eloquio agnoscunt. Sequitur: *Et in sinu meo abscondi verba oris ejus.* — In sinu etenim cordis verba oris ejus abscondimus, quando mandata ejus non transitorie, sed implenda opere audimus. Hinc est enim quod de ipsa matre Virgine scriptum est: « Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo (*Luc.* II, 19). » Sequitur:

VERS. 13. *Ipse enim solus est, et nemo advertere potest cogitationem ejus.* — Nunquidnam [illegible] angeli homines,
D cœlum et terra, aer et maria, cuncta volatilia et quadrupedia atque serpentia? Et certe scriptum est: « Creavit ut essent omnia (*Sap.* I, 14). » Cum ergo in rerum creatura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, *ipse enim solus est?* Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi manu gubernantis teneantur, esse nequaquam possunt. Hinc enim ad Moysem dicitur: « Ego sum qui sum. » Et: « Qui est misit me ad vos (*Exod.* III, 14), » cogitationem quippe ejus nullus avertit, quia nemo resistere ejus occultis judiciis prævalet. Nam et si quidam fuerunt, qui de precationibus suis ejus cogitationem advertisse viderentur, ita fuit ejus interna cogitatio, ut sententiam ejus

avertere deprecando potuissent, et ab ipso acceperant quod agerent apud ipsum. Ille ergo: *Et nemo avertere potest cogitationem ejus*, quia semel fixa judicia mutari nequaquam possunt. Unde scriptum est: « Præceptum posuit et non præteribit (*Psal.* CXLVIII, 6). » Sequitur: *Et anima ejus quod voluit, hoc fecit.* — Cum sit cunctis exterior corporeis, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa via ejus qua penetrat omnia, cuncta disponit, anima illius appellatur, cujus videlicet voluntati nec illa obsistunt quæ contra voluntatem illius fieri videntur, qui ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcepit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubetur. Apostatæ quippe angeli perversa voluntas est, sed tamen a Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgando tentant. Sequitur:

VERS. 14. *Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei.* — Ac si aperte dicat: Jam perpendo quæ patior, sed ad hæc formido quæ pati possum. Explet enim in me voluntatem suam, quia multis me persecutionibus affligit, sed *multa similia præsto sunt ei*, quia ferire si cogitat, adhuc invenit ubi plaga crescat. Sequitur:

VERS. 15. *Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum timore sollicitor.* — Bene a facie Domini turbatur, qui terrorem majestatis illius, cordis sui obtutibus proponit, et ejus rectitudinis pavore concutitur, dum se reddendi rationibus conspicit idoneum non esse, si districte judicetur. Recte autem dicitur, *Et considerans eum timore sollicitor*, qui divinæ animadversionis vim cum minime quisque considerat, minime formidat, et tanto magis in hac vita quasi securus est, quanto a consideratione internæ districtionis alienus. Sequitur:

VERS. 16. *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.* — Ex divino munere cor justi molle dicitur, quia superni judicii timore penetratur. Molle est etenim quod penetrari potest, durum quod penetrari non potest. Unde per Salomonem dicitur « Beatus homo qui semper est pavidus. Qui vero mentis est duræ, corruet in malum (*Prov.* XXVIII, 14). » Non autem secura, sed conturbata sunt corda bonorum, quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hic habere non appetunt, securitatem suam districtionis intimæ consideratione perturbant. Sequitur:

VERS. 17. *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* — Ille enim in flagello positus a salute corporis propter imminentes tenebras perit, qui idcirco pro transactis percutitur, ut a futuris suppliciis abscondatur. Flagella quippe bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari futura devitant. Beatus autem Job, quia in flagello positus, nec a peccatis præcedentibus purgabatur, nec ab imminentibus tergebatur, sed ejus tantummodo in flagello virtus augebatur. Unde taliter dicit: *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Qui enim semper divinæ formidinis pondus aspexit, ejus cordis faciem caligo peccati non operuit, et is quem supplicia nulla sequebantur, salutem corporis propter imminentes tenebras non amisit. Sequitur:

## CAPUT XXIV

VERS. 1. *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora. Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.* — Quid dies Dei, nisi ipsa ejus æternitas appellatur? quæ nonnunquam unius diei pronuntiatione exprimitur, sicut scriptum est: « Melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII, 11). » Nonnunquam vero per suam longitudinem dierum multorum appellatione signatur, de quibus scriptum est: « In sæculum sæculi anni tui (*Psal.* CI, 25). » Nos itaque intra tempora volvimur, per hoc quod creatura sumus. Deus autem qui creator est omnium, æternitate sua tempora nostra comprehendit, quia ipse quidem nostra comprehensibiliter conspicit, nos autem ea quæ ejus sunt comprehendere nullatenus valemus. Sed cum natura Deus simplex sit, mirandum valde est cur dicit: *Qui noverunt eum ignorant dies illius.* Neque enim aliud ipse, atque aliud dies ejus sunt. Deus namque hoc est quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Quid est itaque dicere, *qui noverunt eum ignorant dies illius*, nisi quia et cognoscunt eum, et adhuc nesciunt? Nam et qui eum jam fide tenent, adhuc per speciem ignorant, et cum ipse sit æternitas quam veraciter credimus, qualiter tamen sit ipsa ejus ignoramus. Sequitur:

VERS. 2. *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos.* — Quos aliorum nomine, nisi hæreticos designat? qui a sanctæ Ecclesiæ gremio extranei existunt. Ipsi enim terminos transferunt, quia constitutiones Patrum prævaricando transcendunt, de quibus constitutionibus scriptum est: « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (*Prov.* XXII, 28). » Qui greges diripuerunt et pascunt, quia imperitos quosque perversis ad se persuasionibus trahunt, et doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt. Sequitur:

VERS. 3. *Asinum pupillorum abigerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ.* — Quos hoc loco pupillos accipimus, nisi electos Dei in mentis teneritudine positos, qui magna fidei gratia nutriuntur, et patris sui jam pro se mortui faciem necdum vident? Sunt namque nonnulli, qui quamvis ipsi agere spiritalia nequeant, ad summa tamen tendentibus libenter subsidia ministrant. Portare enim asinus onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est, qui terrenis rebus deserviens deportat onera usibus hominum. Et sæpe cum hæretici quemlibet talem a sanctæ Ecclesiæ gremio avertunt, quasi pupillorum asinum abigunt. Quæ autem vidua, nisi sancta Ecclesia debet intelligi, quæ occisi viri sui interim visione privata est? Bos autem hujus est viduæ unusquisque prædicator, et sæpe

contingit, ut hæretici perversis suis dogmatibus, ipsos etiam qui prædicatores videbantur, trahant Bovem ergo viduæ auferunt, cum de sancta Ecclesia, etiam prædicantem tollunt, ubi recte est adjunctum, *pignore*. Pignus namque cum tollitur, aliud quidem est quod tenetur, sed tamen adhuc aliud quæritur, et plerumque ideo eos conantur auferre qui prædicant, et eorum etiam sequaces trahant. Pro pignore ergo bos viduæ tollitur, quando idcirco ipse qui prædicat, recipitur, ut alii sequantur. Sequitur :

Vers. 4. *Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ.* — Paupertatis namque nomine sæpe humilitas designari solet, et nonnunquam hi qui mansueti atque humiles videntur, si servare discretionem nesciunt, exemplis aliorum cadunt. Sequitur :

Vers. 5. *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum.* — Onager enim agrestis est asinus. Et recte in hoc loco onagris comparantur hæretici, quia in suis voluptatibus dimissi, a vinculis fidei et rationis sunt alieni. Unde scriptum est : « Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui (*Jer.* II, 24). » Non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non recte [recta] dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est : « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat (*Psal.* C, 6). » Sequitur : *Vigilantesque ad prædam præparant panem liberis.* — Ad prædam vigilant, qui verba justorum ad proprium sensum rapere semper conantur, ut per hæc perversis filiis panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris pravitatis hæreticæ typum gerentis dicitur : « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditur suavior (*Prov.* IX, 17). » Sequitur :

Vers. 6. *Agrum non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt vindemiant.* — Potest agri nomine Scripturæ sacræ latitudo signari, quam hæretici non suam demetunt, quia ex ea sententias longe a suis sensibus diversas tollunt. Quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia, per veritatis sententias, botros virtutum profert. Cujus vineæ tamen, id est Scripturæ sacræ, Conditorem quasi vi opprimunt, quia ejus sensum in verba sacri eloquii inflectere violenter conantur. Qui dicit : « Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis (*Isa.* XLIII, 24). » et eamdem vineam vindemiant, qui ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ professione coacervant. Potest agri vel vineæ nomine universa Ecclesia signari, quam perversi doctores demetunt, et auctorem ejus in membris suis opprimendo vindemiant, quia Creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa, qui recti videbantur, rapiunt ; quid aliud quam spicas vel botros animarum tollunt. Sequitur :

Vers. 7. *Nudos dimittunt homines indumenta*

A *tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* — Sicut vestimenta corpus, ita bona opera protegunt animam. Unde cuidam dicitur : « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet (*Apoc.* XVI, 15). » Hæretici itaque cum in quorumdam mentibus bona opera destruunt, nimirum velamina indumentorum tollunt. Operimentum quippe ad justitiam pertinet frigus ad culpam. Et sunt nonnulli qui in quibusdam rebus peccata faciunt, in quibusdam vero recta opera sequuntur. Qui ergo ex aliis actibus delinquit, atque ex aliis bona peragit, quid iste nisi in frigore vestitus alget et tegitur ? Quia ex alio opere fervescit ad justitiam, qui ex alio frigescit ad culpam. Sed cum hæretici talibus bona opera subtrahunt,
B agunt ne in frigore habeant quo vestiantur. Potest vero per frigus desiderium, per vestimenta operatio designari. Et sunt plerique qui adhuc perversis desideriis æstuant, sed contra se spiritaliter decertantes, rectis sibi operibus repugnant, et bonis actibus tegunt hoc quod sinistrum sibi resultare per tentationem sentiunt. Hi itaque unde mala desiderant, inde algent : unde autem bona operantur, inde vestiti sunt. Cum vero hæretici perversis allegationibus rectæ fidei eis opera subtrahunt, quid agunt nisi ut hi qui adhuc desideriorum carnalium frigora sentiunt, sine bonorum actuum vestimento moriantur ? Sequitur :

Vers. 8. *Quos imbres montium rigant, et non habentes velamen amplexantur lapides.* — Imbres
C sunt montium, verba doctorum. De quibus montibus voce sanctæ Ecclesiæ dicitur : « Levavi oculos meos ad montes (*Psal.* CXX, 1). » Hos itaque imbres montium rigant, quia sanctorum Patrum fluenta satiant. Velamen autem ut jam prædiximus, boni operis tegmen accipimus, quo quisque tegitur, ut ante omnipotentis Dei oculos pravitatis ejus fœditas operiatur. Unde scriptum est : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). » Quos autem nomine lapidum, nisi fortes intra sanctam Ecclesiam viros accipimus. Quibus per primum pastorem dicitur : « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini (*I Petr.* II, 5). » Hi itaque, qui de nullo opere suo confidunt, ad sanctorum martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora
D fletibus insistunt, promereri se veniam eis intercedentibus deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonæ actionis velamen non habent, lapides amplexantur. Sequitur :

Vers. 9. *Vim fecerunt deprædantes pupillum, et vulgum pauperem spoliaverunt.* — Hæretici vero deprædantes pupillos viam faciunt, quia contra infirmas fidelium mentes verborum et operum violentia grassantur. Vulgus autem pauper est indoctus populus, qui si veras sapientiæ divitias haberet, vestimentum suæ fidei non amitteret. Quasi quidam intra sanctam Ecclesiam senatores sunt veri doctores, qui cum scientiam in corde multiplicant, veris apud se divitiis abundant. Sed hæretici

vulgus pauperum exspoliant, quia doctos non prævalent, indoctos quosque a velamine fidei prædicatione pestifera denudant. Sequitur :

VERS. 10. *Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas.* — Quod ait *nudis*, hoc replicat, *absque vestitu*. Sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur nudus est, et otiosus : qui autem mala agit nudus incedit, quia sine velamine boni operis per iter pravitatis pergit. Sunt vero nonnulli, qui sacri eloquii dicta desiderant, qui quoties Patrum sententias pro ædificandis mentibus in cogitatione versant, quasi de bona segete spicas portant. Hæretici igitur nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus spicas tollunt, quia sive quidem otiosi sint, et in nullis se bonis exerceant, seu per iter impudentiæ absque velamine boni operis pergant, etiam si quando jam ad pœnitentiam redire cupiunt, et pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus Patrum sententias destruunt. Sequitur :

VERS. 11. *Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.* — Omnes qui sanctam Ecclesiam persequuntur, quid aliud quam torcular calcant? Quod divina dispensatione agi permittitur, ut animarum botri in spiritale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ ad regna cœlestia velut in apotheca currant. Sed omnes qui vitam fidelium persequuntur, calcant et sitiunt, quia ad agenda crudelia ferociores fiunt, et impietatis suæ meritis cæcati, eo ambiunt graviora facere, quo jam gravia fecerunt. Hæretici autem cum per se persecutionis potestatem non habent, hujus sæculi potentes commovent, eorumque mentes ad persequendum pertrahunt, et quibus valent persuasionibus accendunt. Quos cum crudelia agere contra catholicorum vitam conspiciunt, quasi in ipso solis fervore requiescunt. Sequitur :

VERS. 12. *De civitatibus fecerunt viros gemere.* — Quia civitates a conviventibus populis appellantur, non immerito civitatum nomine veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ, quæ in singulis mundi partibus positæ, unam catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. Hæretici igitur quia perversis sæpe hujus mundi potentibus adhærentes, bonorum socialem vitam atque concordiam persequuntur, recte nunc dicitur. *De civitatibus fecerunt viros gemere*. Quos recte B. Job, viros memorat, quia illos magis hæretici exstinguere ambiunt, qui perfectis gressibus per viam Dei non laxe et enerviter, sed viriliter currunt. Sequitur : *Et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur.* — Vulneratur quippe anima justorum, cum fides turbatur infirmorum, quibus jam hoc ipsum clamare est, de alieno lapsu tabescere. Sed *Deus inultum abire non patitur*, quia etsi injusto ordine injuste aliquid fieri permittit, inultum tamen abire non sinit injustum, quod fieri permisit injuste quia et de reproborum injustitia quasdam, quas inesse considerat, culpas percutit electorum, et tamen æterna justitia ferire non negligit injustitiam ferientium. Sequitur :

VERS 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* — Plerumque perversi, et cognoscunt recta quæ sequi debeant, et tamen sequi despiciunt quæ cognoscunt. Lumini ergo rebelles sunt, quia sua desideria sequendo, bonum despiciunt quod noverunt. Sequitur : *Nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* — Qui enim prius sciendo rebelles sunt, postmodum sequuntur ut nesciant, sicut de quibusdam scriptum est : « Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt (*Rom.* I, 21). » De quibus paulo post additur : « Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt (*Rom.* I, 28). » Angustior est quippe semita quam via. Qui autem bona manifestiora agere contemnunt, nequaquam ad subtiliora intelligenda perveniunt. Exspectavit omnipotens Deus, ut per ejus semitas pergerent, sed utinam per eas vel reverti voluissent, ut vitæ itinera quæ noluerunt per innocentiam, saltim per pœnitentiam tenerent. Sequitur :

VERS. 14. *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem, per noctem vero erit quasi fur.* — Cum homicida in nece proximorum per nocturnum maxime silentium soleat grassari. cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum et pauperem dicitur, in nocte vero quasi fur esse perhibetur ? Sed ipsis litteræ dum sibi non congruunt ad indaganda spiritus secreta revocamur. In Scriptura sacra mane aliquando adventus Dominicæ incarnationis designatur, ut illud prophetæ : « Venit mane et nox (*Isa.* XXI, 12). » Quia et novæ lucis primordia in Redemptoris nostri præsentia fulserunt, et tamen a persecutorum cordibus suæ perfidiæ tenebræ non sunt detersæ. Aliquando adventus jam terribilis et districti judicis. Ut illud : « In matutino interficiebam omnes peccatores terræ (*Psal.* CXVIII, 8). » Et illud : « Mane astabo tibi, et videbo (*Psal.* V, 5). » Aliquando vero præsentis vitæ prosperitas poni consuevit, sicut per Salomonem dicitur : « Væ terræ cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt (*Eccle.* X, 16). » Scriptum est enim : « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15). » Mane itaque primo consurgit homicida, quia in præsentis vitæ gloria perversus quisque erigitur, et illorum vita deprimitur, qui dum sequentem gloriam sitiunt, quasi satiari in vespere exquirunt. Pravus etenim quisque in hoc mundo dignitatem transitoriæ potestatis arripiens, tanto se ad peragenda mala acrius dilatat, quanto per charitatis viscera nullum amat. Totis enim cogitationibus contra bonos sævit, et innocentiæ vitam interimit. *Per noctem vero erit quasi fur.* In nocte quippe tribulationis et delectationis suæ etsi exercere crudelitatis manum non valet, eis tamen quos prævalere con-

spicit, consilia perversitatis præbet, huc illucque discurrit, et quæque poterit, in bonorum læsione suggerit. Sequitur :

VERS. 15. *Oculus adulteri observat caliginem dicens : Non me videbit oculus.* — Hoc etiam juxta litteram nil obstat intelligi, ut qui adulterium perpetrare desiderat tenebras exquirat. Sed quia contra hæreticos sententia promitur, dignum est, ut hoc quod dicitur mystice sentiatur. Nam Paulus ait : « Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei (*II Cor.* II, 17). » Adulter quippe in carnali coitu non prolem sed voluptatem quærit, et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia non per sacrum eloquium in Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Ubi apte subditur : *Non me videbit oculus*, quia adulterium quod in mente agitur, valde difficile est, ut ab humano visu penetretur. Quod perversa mens tanto securius perpetrat, quanto se ab hominibus videri non metuit, quos erubescat. Sequitur : *Et operiet vultum suum.* — Idcirco operit adulter faciem suam ne cognoscatur. Omnis autem qui sentiendo vel agendo nequiter vivit, operit vultum suum, quia ad hoc perversitate dogmatis vel operis tendit, ut ab omnipotente Deo in judicio recognosci non possit. Unde in fine quibusdam dicturus est : « Nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem (*Matth.* VII, 23). » Quid autem vultus cordis humani est nisi similitudo Dei ? quem videlicet vultum perversus operit, ut cognosci nesciat cum vitam suam, vel malis actibus, vel perfidiæ errore confidit. Sequitur :

VERS. 16. *Perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi et ignoraverunt lucem.* — Quidnam hoc loco domorum nomine, nisi conscientiæ designantur, in quibus habitamus contractando quid agimus ? Unde quidam sanato dicitur : « Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit (*Marc.* V, 19). » Justis itaque cum in præsenti sæculo diei prosperitates clarescunt, eis errorum magistri perversa suadere metuunt, sed consilia exquirunt, dejectionem prosperitatis eorum summopere præstolantur, ut in adversitatis tenebris, eorum mentes suadento perfodiant, quibus prospere viventibus perversa loqui minime audebant, quos mox ut in adversitate viderint, exsurgant et non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt ; quia præsentis vitæ solum gloriam diligentes, flagellum damnationem putant. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliuntur. Sequitur :

VERS. 17. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* — Aurora quippe mens justi est, quæ peccati sui tenebras deserens, ad lucem jam erumpit æternitatis, sicut de santa quoque Ecclesia dicitur : « Quæ est ista quæ progreditur

A quasi aurora consurgens ? (*Cant.* VI, 9.) » Quo igitur justus quisque justitiæ luce irrudians in præsenti vita honoribus sublimantur, eo ante perversorum oculos tenebræ mortis fiunt, quia qui perverse se egisse meminerunt, corrigi pertimescunt. Semper enim desiderant in suis pravitatibus se laxare, incorrecti vivere. Sequitur : *Et sic in tenebris quasi in lumine ambulant.* — Perversæ etenim mentes gaudent in facinoribus, per culpam suam quotidie ad supplicium trahuntur, et securi sunt. Unde et per Salomonem dicitur : « Sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant (*Eccle.* VIII, 14). » De quibus rursum scriptum est : Qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis (*Prov.* II, 14). » Sic itaque *in tene-*

B *bris quasi in luce ambulant*, quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux justitiæ circumfundant. Vel certe, quia tenebræ vitam præsentem non inconvenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur, lux vero nostra patria æterna est, in qua dum vultus prospicimus, corda nostra in nobis vissicim videmus. Iniqui autem, quia vitam præsentem ita diligunt, atque hæc exsilii tempora complectuntur, ac si jam in patria regnent, recte dicitur : *Sic in tenebris, quasi in luce ambulant.* Sequitur :

VERS. 18. *Levis est super faciem aquæ.* — A plurali numero ad singularem redit, qui plerumque unus mala inchoat, et imitando multi subsequuntur : sed ejus principaliter culpa est, qui perversis

C sequentibus exempla præbuit iniquitatis. Unde ad illum redit crebro sententia, qui auctor exstitit in culpa. Aquæ autem superficies huc illucque aura impellitur, et nulla stabilitate solidata movetur. Iniqui igitur mens plus quam aquæ superficies levis est quia quamlibet hanc aura tentationis attigerit, sine tarditate aliquæ retractationis trahit. Si enim cor fluxum cujuslibet perversi cogitamus, quid aliud quam in vento positam aquæ superficiem cernimus. Sequitur : *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.* — Quisquis in vita præsenti recta agit, et adversa sustinet, laborare quidem adversitate cernitur, sed ad benedictionem hæreditatis perpetuæ consummatur. Quisquis vero perversa agit, et tamen

D prospera recipit, seque a malis actibus nec donorum largitate compescit, prosperari quidem compescitur, sed reatu perpetuæ maledictionis ligatur. Via namque vinearum, rectitudo est Ecclesiarum. Qua in re sive hæretici cum seu carnalem quempiam nil obstat intelligi, quia via vinearum, id est rectitudo ecclesiarum amittitur, dum vel fides recta vel rectitudo justitiæ non tenetur. Ille namque *per viam vinearum* ambulat, qui sanctæ universalis Ecclesiæ prædicationem pensans, neque a fidei, neque a bonorum actuum rectitudine declinat. Sequitur :

VERS. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* — Idcirco iniquitas frigori comparatur, quia peccatoris mentem torpore constringit. Unde scriptum est : « Sicut frigidam facit cisterna aquam

stiaque, sicut frigidam fecit animam malitia sua (*Jer.* vi, 7). Quo enim a charitas calor est, qui videlicet mentem accendit, quam replet. De qua scriptum est: « Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum (*Matth.* xxiv, 12). » Et sunt nonnulli qui dum iniquitatum suarum frigora declinant, ad veram fidem vel ad sanctitatis habitum veniunt. Sed quia plus quam necesse est de suis sensibus præsumunt, sæpe in fide quam accipiunt, ea quæ non capiunt, perscrutari volunt ut ratione magis in Deo, quam fide teneantur. Quia vero humana mens perscrutari non valet divina secreta, omne quod ratione perscrutari non possunt credere contemnunt, et per inquisitionem nimiam in errorem labuntur. Hi itaque cum necdum crederent, vel adhuc iniquitatis operi vacarent, aquæ nivium fuerunt, sed cum carnalia facta deserentes, in fide ad quam perducti sunt, plus appetunt perscrutari quam capiunt, amplius profecto calent, quam calere debuerunt. Bene ergo de hoc perverso quolibet prophetantis duntaxat sententia, non optantis dicitur. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Sequitur: *Et usque ad inferos peccatum illius.* — Peccatum quippe usque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correptionem atque pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Joannem dicitur: « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico quis ut roget (*I Joan.* v, 16). » Peccatum namque ad mortem est, peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ei venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur:

VERS. 20. *Obliviscatur ejus misericordia.* — Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiam fuerit oblitus, quia quisquis eum nunc justum non timet, post hæc invenire non valet misericordem. Quæ nimirum sententia non solum ei intenditur, qui veræ fidei prædicamenta deserit, sed etiam qui in fide recta positus carnaliter vivit, quia ultio æternæ animadversionis non evaditur, utrum in fide an in opere peccetur. Sequitur. *Dulcedo illius vermes.* — Quisquis in hoc mundo appetit prosperari, cæteros excedere, rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, quies in labore. Valde enim fatigatur, si desit cura sæculi qua fatigatur. Quia autem natura est vermium momentis singulis incessanter moveri, non immerito signatur vermium nomine inquietudo cogitationum. Perversæ itaque mentis dulcedo vermis est, quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur. Potest quoque apertius vermis nomine caro signari. Unde et superius (55) dicitur: *Homo putredo et filius hominis vermis.* Luxuriosus igitur quilibet (56), et carnis voluptatibus deditur, quanta sit cæcitas, demonstratur cum dicitur: *Dulcedo illius vermis.* Quid namque caro nisi putredo ac vermis est? et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? quid enim sit carnis substantia testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium quamlibet dilecti sui tangere scaturientem vermibus carnem potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quid sit examinis [exanimis], et intelligitur quid amatur.

(55) Imo inferius scilicet sequenti capitulo 6 vers. 6.
(56) Hoc congruentius fortassis in genitivo vel dativo.

# LIBER SEPTIMUS DECIMUS.

Verbis itaque præcedentibus sanctus vir per discretas prudentiæ arctæ sententias iniqui cujuslibet culpas pertulit, et quam sit damnanda ejus actio expressit de cujus pœna subjicit, dicens:

VERS. 20. *Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* — In recordatione enim conditoris non reciditur, quisquis usque ad finem vitæ vitiis subjugatur. Nam si hunc superni respectus memoria tengeret, procul dubio ab iniquitate revocaret. Ejus quippe merita exigunt, ut funditus ab auctoris recordatione deleatur. Sciendum vero est quod recordari Deus nequaquam proprie dicitur. Qui enim oblivisci non potest, quo pacto recordari potest? Sed quia eos nos, quorum recordamur, amplectimur, ab his autem quorum obliviscimur, elongamur. Humano usu et recordari Deus dicitur, cum dona tribuit, et oblivisci cum in culpa derelinquit. De hoc infructuoso ligno per Joannem dicitur: « Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Luc.* iii, 9; *Matth.* iii, 10). » Hoc autem loco, ut æterna supplicia reprobis designentur, nequaquam dicitur abscidi, sed conteri, quia videlicet reprobos mors quidem carnis abscidit, sed pœna subsequens conteret. Quasi enim hic indicitur, cum a præsenti vita separatur. Sed in gehenna conteritur, cum perpetua damnatione cruciatur. Sequitur:

VERS. 21. *Pavit enim sterilem quæ non parit et viduæ bene non fecit.* — Quæ hoc loco steriliis, nisi caro nominatur? quæ dum sola præsentia appetit, bonas gignere cogitationes nescit. Quæ autem vidua, nisi anima nuncupatur, quam quia Conditor sibi jungere voluit, ab thalamum uteri carnalis venit, Psalmista attestante, qui ait: « Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* xviii, 6). » Quæ recte vidua dicitur, quia ejus vir pro ea mortem pertulit, et nunc in cœli penetralibus, ab ejus

oculis occultus, quasi in parte altioris regionis vivit. Iniquus ergo sterilem pascit, et viduæ benefacere negligit, quia carnis desideriis serviens, curam animæ vitamque contemnit. Caro quippe non solum sterilis, sed etiam quæ non parit dicitur, quia suo sensu bonas cogitationes gignere nec in ultimis valet. Quod tamen intelligi de hæreticis etiam prædicantibus potest. Unusquisque namque prædicator erroris dum plebem extra unitatem Ecclesiæ positam docet, profecto sterilem, et eam quæ parere non valet, pascit; quia ei usum sui laboris impendit, quæ spiritales fructus nequaquam reddit. *Bene autem viduæ non facit*, quia videlicet sanctæ universali Ecclesiæ, cujus vir adversa mortis pertulit, vivere ac deservire contemnit. Viduæ enim benefacere est, in ejus quæ morte viri sui atteritur, consolatione laborare. Sæpe autem prædicator erroris hujus mundi divitibus jungitur. Unde subditur :

Vers. 22. *Detraxit fortes in fortitudine sua.* — —In fortitudine quippe suæ pravitatis fortes quosque detrahit, cum per sui erroris astutiam mundi hujus, potentes rapit, quos contra per Paulum dicitur : « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 27). Fortitudo autem perversi prædicatoris est, elata scientia locutionis, qua inflatus cæteros despicit, atque in contemptu omnium quasi singulariter apud se peritus intumescit. Sequitur : *Et cum steterit non credit vitæ suæ.* — Stat in hoc mundo perversus quisque prædicator, quousque terreno vivit in corpore, sed vitæ suæ credere renuit, quia de Deo vera cognoscere contemnit. Vitæ enim suæ crederet, si Conditoris sui substantiam recte sentiret. Nam perversus quisque etiam si rectam fidem in sinu Ecclesiæ tenere videatur, stat, et vitæ suæ non credit, quia recta quidem sunt quæ per fidem de Conditore intelligit, sed tamen fidei opera contemnit, et incredulitatis redarguitur, quia ab eo quod se ostendit credere vivendo reprobatur. Hinc enim per Joannem dicitur : « Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II, 4).» Sequitur :

Vers. 23. — *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* — Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quippe supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis, ex ipso se munere arctius astringit. Hinc per Paulum dicitur : « An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 4, 5).» Sequitur : *Oculi ejus in viis sunt ejus.* — Vias enim suas intuetur peccator, quia sola cogitare, sola cernere nititur, quæ sibi ad commodum temporale suffragentur : Hinc enim Paulus dicit : « Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi (*Phil.* II, 21). » Via namque elati superbia, via raptoris avaritia, via est lubrici concupiscentia carnalis. In viis ergo suis iniquus quisque oculos deprimit, quia solis vitiis ut per hæc animo satisfaciat, intendit. Unde et per Salomonem dicitur : « Oculi stultorum in finibus terræ (*Prov.* XVII, 24).» Sequitur :

Vers. 24. *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent.* — Iniquorum gloria cum plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa, et quasi stabilis æstimatur. Sed cum repentinus hanc finis intercipit, brevem fuisse sine dubio redarguit, quomodo determinans innotescit, quia quod præterire potuit, modicum fuit. Elevantur ergo ad modicum et non subsistunt, quia eo ipso quod videri alti appetunt, a vera Dei essentia longe per elationem fiunt. Subsistere etenim nequeunt, quia ab æternæ essentiæ soliditate dividuntur, atque hanc primam ruinam tolerant, quia per privatam gloriam in semetipsis cadunt. Hinc enim per Psalmistam dicitur : « Dejecisti eos dum allevarentur (*Psal.* LXXII, 18). » Vir itaque sanctus cum pravorum gloriam defectumque discuteret, ad cuncta protinus mentis oculum tetendit dicens : *Humiliabuntur sicut omnia et auferentur.* — *Omnia*, profecto terrena, ac si aperte dicat : Stare ullo modo nequeunt, quia ipsa quoque fugiunt quibus innituntur, dumque temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt. Sed quæri potest, cum per Salomonem dicitur : « Generatio præterit, et generatio advenit, terra vero in æternum stat (*Eccle.* I, 4), » cur beatus Job omnia humiliari asserat, et auferri. Quod tamen facile discutimus, si terram et cœlum vel qualiter transeant, vel qualiter maneant distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur : « Præterit enim figura mundi ejus (*I Cor.* VII, 31). » Sequitur : *Et sicut summitates spicarum conterentur.* — Spicarum quippe summitates aristæ sunt. Aristæ autem conjunctæ in spica prodeunt, sed crescendo paulisper a se hirsutæ et rigidæ distinguuntur. Quid ergo pravos hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam humani generis? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimitate affligunt, adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Sed trituræ tempus adveniet, quod et aristarum rigiditatem frangat, et solida grana non conterat. Cumque aristæ franguntur, candor granorum ostenditur, quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorum justitia quanta veritate clareat demonstratur. Sequitur.

Vers. 25. *Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum?*—Cur ergo dicitur : *Si non est ita, mentitum me arguere quis potest*, dum scilicet noverimus quod fallacem reprehendere cuilibet licet? Sed si loquentis, sensum subtili interrogatione discutimus, quam sint recta quæ protulit citius invenimus. Justus namque, et si quid unquam delin

quendo loquitur, dignum non est ut ab injustis et A prave viventibus judicetur, ac si ergo dicat : Ita cuncta ut protuli, quæ tamen si ita non essent, a vobis relargui non possem, quia dum adhuc propriæ succumbitis, alienam reprehendere fallaciam non valetis. Sequitur : *Et ponere ante Deum verba mea.* Ante Deum quippe verba ponere est, considerato intimo judice, exteriora dicta pensare. Vir igitur sanctus ab amicis superbientibus, verba sua ante Deum poni posse non æstimat. Ac si aperte dicat : Idcirco quæ loquor ponere ante judicem non valetis, quia ejus vobis faciem peccantes absconditis. Quod tamen et ex typo sanctæ Ecclesiæ nil obstat intelligi. Quæ cum de infirmis suis ab hæreticorum irrisione reprehenditur, ipsam irrisionis eorum astutiam dedignatur. Sequitur : B

CAPUT XXV.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Baldath Suhites dixit : Potestas et terror apud eum est.* — ac si aperte dicat : Salus corda mortalium veraciter terret, qui hæc ex divinitatis suæ potentia veraciter possidet, humana enim potentia quem terrorem incutit, quæ jure ejusdem potentiæ quando careat, nescit ? Sequitur : *Qui facit concordiam in sublimibus suis.*—Bonos quippe omnipotens Deus ad meritum provehit, cum contra eorum vitam malos sævire permittit, atque in concordia componuntur summa, dum confunduntur infima, quia inde in cœlestibus, electos suos angelorum choris sociat, unde in terrenis et infimis reproborum mores suis nutibus adversantes portat. Sed inter hæc libet inquirere, si pax in sublimibus summa retinetur, C quid et quod per angelum Danieli dicitur : « Ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus ? (*Dan.* x, 12-13.)» Sed quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sint prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis propositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Sequitur :

VERS. 3. *Nunquid est numerus militum ejus.* — In cognitione humanæ rationis supernorum spi- D rituum numerus non est, quia quanta sit illa frequentia invisibilis exercitus, nescit de quo per Danielem dicitur : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (*Dan.* vii, 10.) » Supernorum civium numerus infinitus et definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse nobis innumerabilis demonstretur. Angelicos spiritus recte Dei milites dicimus, quia eos decertare contra potestates aereas non ignoramus, quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt. Cui tamen militiæ electorum hominum numerus jungitur, qui per sublime mentis desiderium a terrenæ conversationis servitute liberantur, de quibus per Paulum dicitur : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* ii, 4). » Qui licet nunc pauci appareant, in invisibili tamen patria innumerabiles regnant. Sequitur : *Et super quem non surget lumen illius* ? Lumen quippe Dei est gratia præveniens, quæ nisi in nostro corde gratuito surgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret. Sequitur :

VERS. 4. *Nunquid justificari potest homo comparatus Deo* ? Versus iste superius a beato Job dicitur, et nunc in ejus exprobratione replicatur. Omnis namque vir justus, Dei illustratione justus est, non comparatione. Humana quippe justitia auctori comparato injustitia est, quia etsi in ipsa sua conditione homo persisteret, Creatori non posset coæquari creatura. Sequitur : *Aut apparere mundus natus de muliere ?* — Ac si aperte diceretur : Ne contra auctorem suum homo superbiat, consideret unde huc venit, et intelligat quid sit. Sequitur :

VERS. 5. *Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* — Quid per lunam nisi cuncta simul Ecclesia ? quid per stellas, nisi singulorum bene viventium animæ designantur ? Qui dum inter pravorum hominum conversationes magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Unde per Paulum quoque discipulis dicitur : « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo (*Phil.* ii, 15).» Quia enim sancta Ecclesia lunæ appellatione exprimitur, Propheta testatur dicens : « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. » Luna ergo non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc prævenientis gratiæ dona perfundant, nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur, quia apud districti judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis tergat. Sequitur :

VERS. 6. *Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* — Ac si aperte diceretur : Si ipsi quoque esse sine contagio non valeant, qui inter præsentis vitæ tenebras virtutibus lucent, quanto reatu iniquitatis obstricti sunt qui adhuc carnaliter vivunt ? Si a peccato liberi esse nequeunt qui jam in cœlestibus desideriis conversantur, quæ peccatorum pondera tolerant qui carnis suæ voluptatibus dediti, adhuc putredinis jugum portant ? Hinc Petrus ait : « Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? (*I Petr.* iv, 18.)» Recte quippe homo *putredo*, filius vero hominis *vermis* vocatur. Primus quippe homo putredo, non vermis, quia et si per mortem putruit, non tamen ex putredine per nativitatem venit. Qui autem filius est vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur. Sequitur :

CAPUT XXVI.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Job dixit* : *Cujus adjutor es? Nunquid imbecillis? et sustentas brachium ejus qui non est fortis* ?— Adjuvare imbecillem charitatis est, adjuvare vero potentem velle, elationis.

Ac si ergo aperte dicat : Dum eum juvare niteris sub cujus magnitudine succumbis, omne quod impendis solatium, de ostentatione est, non de pietate. Sed inter hæc sciendum est, quia plerumque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est humiliter agentes adjuvamus. Unde et per Paulum dicitur : « Adjutores enim Dei sumus (*I Cor.* III, 9). » Nam cum ei (quem ipse per internam gratiam infundit) nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adjuvamus. Sequitur :

VERS. 3. *Cui dedisti consilium ? forsitan illi qui non habet sapientiam.* — Dare stulto consilium, charitatis est ; dare sapienti, ostentationis ; dare vero ipsi sapientiæ, perversitatis. Sequitur ; *Et prudentiam tuam ostendisti plurimam.* — Omnis cui prudentia recta est, plurima non est, quia juxta Pauli vocem, « non plus appetit sapere, quam oportet sapere (*Rom.* XII, 3). » Cui vero plurima, non est recta, quia dum ultra modum tenditur, in quolibet latere culpæ declinatur. Prudentiam vero suam plurimam ostendunt qui prudentiores videri præ aliis appetunt. Sequitur :

VERS. 4. *Quem docere voluisti ? nonne eum qui fecit spiramentum ?* — Per spiramentum vivimus, per prudentiam sapientes sumus. Prius autem nostrum est vivere, postmodum sapere, quia ut sapientes esse possimus, prius agitur ut simus. Qui ergo vitam dedit, ipse procul dubio et prudentiam contulit. Baldath autem, qui beatum Job pro culpa flagellatum credidit, occultum Dei judicium, quod venerari humiliter debuit, superba nisus est temeritate penetrare. Ipsi ergo se per prudentiam prætulit, cujus judicium non intelligendo judicavit. Sequitur :

VERS. 5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* — Dignum quippe erat, ut per increpationem prius tumorem sapientiæ terrenæ retunderet, et per doctrinam postmodum et plena mysteriis verba transiret. Gigantes autem vel apostatas angelos, vel superbos quosque homines nihil obstat intelligi. Hinc enim per prophetam dicitur : « Mortui non vivent, gigantes non resurgent (*Isa.* XXVI, 14). » Hinc rursum scriptum est : « Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur (*Prov.* XXI, 16). » Ac si ergo diceret : Cur de scientia homo superbiat, cum ignorantiæ abyssus et ipsos superbissimos angelorum spiritus premat ? Si autem gigantum nomine potentes hujus sæculi designantur, in aquis possunt populi signari, Joanne attestante, qui ait : « Aquæ sunt populi (*Apoc.* XVII, 15). » Bene autem contra superbientem dicitur : *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Quia elati omnes dum in hac vita assequi honorum celsitudinem cupiunt, sub ponderibus populorum gemunt. Nam quantum quis hic altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur, eisque ipsis populis mente in cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate. Sequitur : *Et qui habitant cum eis.* — Ac si dicat : Pariter gemunt, qui gloriæ eorum ex delectatione sociantur. Sequitur :

A VERS. 6. *Nudus est infernus coram illo, et nullum operimentum est perditioni.* — Quod Paulus quoque ait : « Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV, 13). » Inferni vero et perditionis nomine diabolum et omnes damnationis ejus socios designat. Sequitur :

VERS. 7. *Qui extendit aquilonem super vacuum.* — Aquilonis nomine in sacro eloquio appellari diabolus solet, qui, ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit : « Sedebo in mente testamenti, in lateribus aquilonis (*Isa.* XIV, 13). » Qui super vacuum extenditur, qui illa corda possidet, quæ divini amoris gratia non replentur. Sequitur : *Et appendit terram super nihilum.* — Quid enim terræ nomine, nisi sancta Ecclesia designatur ?
B Quæ dum prædicationis verba suscipit, fructum boni operis reddit. De qua per Moysen dicitur : « Audiat terra ex ore meo (*Deut.* XXXII, 1). » Et quid per *nihilum*, nisi gentiles designantur ? De quibus per prophetam dicitur : « Omnes gentes velut nihilum et inane reputatæ sunt ei (*Isa.* XL, 17). » Ergo in nihilum terra suspenditur, quod prius vacuum ab aquilone tenebatur, quia illa corda gentilium repleta sunt charitate Dei, quæ pressa prius fuerant tepore diaboli. Aliter : Quia Judæorum corda a fide vacua diabolo sunt subdita, extendit aquilononem super vacuum. Quia vero nullis existentibus meritis, sicut dictum est, « pro nihilo salvos facies illos (*Psal.* LIII, 6), » super gentes Dominus fundavit Ecclesiam, quæ per prophetam
C *nihilum* sunt vocatæ apte secutus adjunxit : *Appendit terram super nihilum.* Sequitur :

VERS. 8. *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum.* — Quid hoc loco aquam, nisi scientiam ? quid nubes, nisi prædicatores appellat ? Hinc scriptum est : « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVIII, 4). » Hinc Isaias ait : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant ? » (*Isa.* LX, 8.) Ut vero auditores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foveantur, *ligat* Deus *aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum*, quia doctorum prædicationem temperat, ut auditorum infirmitas dictorum rore nutrita convalescat. Hinc Paulus ait : « Non
D potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, et cætera (*I Cor.* III, 1). » Pariter namque aquæ erumperent, si coram infirmis auditoribus, quanta est scientia ex ore loquentis emanaret, si simul se omnis plenitudo prædicationis effunderet, et nihil sibi in ea proficientibus reservaret. Sequitur :

VERS. 9. *Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam.* — In vultu solet cognitio demonstrari. Solii ergo ejus vultus tenetur, quia a nobis in hac vita gloria regni ejus non quanta intrinsecus habetur, agnoscitur ; super quod recte expandi nebula dicitur, quia sicut est, illa cœlestis regni gloria non videtur. Nam, « corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX,

13). » Ad videndum ergo eum nebula aspergitur, A quia nostra ipsa ignorantiæ obscuritate caligamus. Unde recte per Psalmistam dicitur : « Caligo sub pedibus ejus (*Psal.* XVII, 10). » *Tenet* ergo *vultum solii sui*, quia majestatis suæ potentiam mortalibus abscondit. Sed si ejus solium angelicas virtutes accipimus, ipsis quoque velut sedi regiæ præsidet, sui nobis vultum solii tenet : quia quandiu in hac mortali carne subsistimus, quæ et quanta sint illa angelorum ministeria non videmus. *Et expandit super illud nebulam suam*, quia procul dubio et cor nostrum ad quærendum sublevat, et tam occulta moderatione agitur, ut ipsa inquisitionis suæ immensitate reprimatur. Unde scriptum est : « Dedit abyssus vocem suam, ab altitudine fantasiæ suæ (*Habacuc* III, 10). » Vel certe quia solium Dei, ipsi B nos sumus, *vultum solii sui* non immerito tenere dicitur, dum nostra scientia progredi ad altiora prohibetur. Super quod solium suum nebulam suam Deus aspergere dicitur, quia invisibilis manens, occulta super nos judicia exerit, ut et fiat in promptis quod videre possimus, et tamen origo facti lateat in abditis, ut cur fiat nescire debeamus. Sequitur :

VERS. 10. *Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ.* — Aquas Dominus termino circumdat, quia humani generis scientiam moderatur ut quousque vicissitudines alternantium temporum transeant, perfectæ ad cognitionem claritatis intimæ non pertingant, si vero lucis nomine, justos accipimus, tenebrarum vero appellatione, peccatores. Unde et Paulus dicit : « Eratis C aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 10), » hoc ipsum quod diximus sentiri nil obstat, quia perfecta æternitatis scientia nulli tribuitur, quousque cursus justorum injustorumque finiatur. Sequitur :

VERS. 11. *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* — Quid aliud columnas cœli, quam vel sanctos angelos, vel summos prædicatores Ecclesiæ appellat ? super quos in cœlestibus crescens universa spiritalis fabricæ structura surrexit, sicut alias Scriptura testatur dicens : « Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei (*Apoc.* III, 12).» Possumus etiam columnas cœli et ipsas Ecclesias non inconvenienter accipere. Hinc Salomon ait : « Sapientia ædificavit sibi domum, D et scidit columnas septem (*Prov.* IX, 1).» Ac si ergo diceret : Quia nec in plerisque ipsi pertingere ad voluntatis præmia denuntiantes vident. Sed ipse quoque cœlestium virtutes, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt ; sed eisdem tremor timoris non est, sed admirationis. Sequitur :

VERS. 12. *In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum.* — Quid aliud maris nomine, quam præsens sæculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt ? Sed jam *in fortitudinem maria congregata sunt*, quia incarnato Domino discordantia sæcularium corda concorditer credunt. Quis hic superbus nominatur, nisi ille qui dixit : « Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo (*Isa* XIV, 14).» Et de quo voce Dei dicitur : « Qui factus est ut nullum timeret, et ipse est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI, 24, 25).» Notandum vero quod non ait fortitudo sed *prudentia ejus percussit superbum.* — Nam quamvis sicut dictum est, propter naturam simplicem Dei, fortitudo sapientia sit, Dominus tamen diabolum quantum ad faciem exspectant [spectat] non virtute, sed ratione superavit. Ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua quasi juste tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus ei injusta suadenti concessit. Sed dum audacter eum, in quo nihil sibi competebat, appetiit, jure illum, quasi juste tenebat, amisit. Prudentia itaque, non virtute percussus est, quia dum ad tentandum Deum solvitur, ab homine possidendo religatur, ut inde eum qui sub ipso erat, perderet ; unde cum illo qui super ipsum est, congredi præsumpsisset. Sequitur :

VERS. 13. *Spiritus ejus ornavit cœlos.* — Quos cœlos, nisi eos de quibus scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei ? (*Psal.* XVIII, 2.) » Quos tunc ornavit Spiritus, cum replevit quod Luca referente, didicimus qui ait : « Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto et cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II, 2, 3, 4). » Sequitur : *Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* — Quis enim colubri nomine appellatur, nisi antiquus hostis et lubricus et tortuosus, qui decipiendo homini colubri ore locutus est ? De quo per prophetam dicitur : « Leviathan serpentem vectem tortuosum (*Isa.* XXVII, 1).» Cavernæ hujus lubrici corda fuerunt iniquorum, quæ quia ad pravitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requievit : sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de propriis cavernis expulsus est, quia dum nobis divina gratia medetur, is qui nos tenuerat antiquus hostis, a nobis ejicitur, sicut incarnata Veritas dicit : « Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras (*Joan.* XII, 31). » Unde jam nunc sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia in eis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat. Sequitur :

VERS. 14. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, et cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?* — Quid hoc loco viarum nomine, nisi actiones Domini appellari ? Unde et per prophetam Dominus dicit : « Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ (*Isa.* LV, 8).» Adventum ergo Dominicum narrans *ex parte vias* Dei retulerat, quia alia ejus actio fuit

qua nos condidit, alia qua redemit. Ea itaque, quæ de Domini actione narrat, extremi judicii comparatione levigans ait. *Ecce ex parte dicta sunt viarum ejus*, quod et *parvam stillam sermonum ejus* appellat, quia quidquid altum, quidquid terribile in hac vita positi de ejus consideratione cognoscimus, ex immensitate secretorum cælestium, velut tenuis ad nos gutta superni liquoris emanat. *Et quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* Ac si aperte dicat : Si humilitatis ejus admiranda vix ferimus, sonorum atque terribilem majestatis ejus adventum, qua virtute tolerabimus ? Hunc tonitruum adventus illius etiam David psalmista insonat [intonat], dicens : « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit (*Psal.* XLIX, 3). »

# LIBER OCTAVUS DECIMUS.

## CAPUT XXVII

VERS. 1. *Addidit quoque Job assumens parabolam suam, et ait.* — Quo profecto versu ostenditur hujus sanctissimi viri dicta quam mystice sint prolata, dum parabola id est similitudo assumpta narratur ab eo qui nihil inferius per comparationem vel similitudinem loquitur. Ad eam itaque similitudinem cuncta trahenda sunt, qua figurate Ecclesia designatur, et in ipso quidem locutionis exordio dicta aperte prolata sunt, sed subjectis obscuritatibus implicantur. Sequitur :

VERS. 2. *Vivit Deus, qui abstulit judicium meum : et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* — Quibus nimirum verbis beatus Job et sua narrat, et Ecclesiæ tempora afflicta significat, in quibus aperta infidelium pervicacia premitur, et persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus namque modis Ecclesia ab adversariis tentari solet, ut videlicet persecutionem aut verbis patiatur aut gladiis. Nunc vero de ea persecutione loquitur, in qua non gladiis, sed falsis assertionibus lacessitur. Vir itaque sanctus sanctæ Ecclesiæ typum gestans, ut Deum esse fateatur, ait : *Vivit Deus.* Ut vero res humanas eum curare perhiberet, subdidit : *Qui abstulit judicium meum, et ad amaritudinem adduxit animam meam.* Ista enim quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente, testatur ; ne tentatori suo amaritudinis suæ potestatem tribuit, sed auctori. Sequitur :

VERS. 3, 4. *Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur mendacium.* — Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens mendacium dixit. Nam et omne mendacium iniquitas est, et omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab æquitate discrepat quidquid a veritate discordat. Sed inter hoc quod ait loqui, postmodum subdidit meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim pejus est mendacium meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ pravitatis, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam præcipitando mentiatur. Sed quia scriptum est : « Os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I, 11) ; » et : « Perdes eos qui loquuntur mendacium (*Psal.* V, 7) ; » hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, nec suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ. » Sequitur :

VERS. 5. *Absit a me ut justos vos esse judicem, donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* — Ab innocentia quippe recederet, si bona de malis æstimaret, Salomone attestante qui ait : « Qui justificat impium et qui condemnat justum, uterque abominabilis est ante Deum (*Prov.* XVII, 15). » Sunt namque nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc per prophetam dicitur : « Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis (*Ezech.* XXXIII, 16). Sequitur :

VERS. 6. *Justificationem meam quia cœpi tenere, non deseram.* — Cœptam namque justificationem desereret, si in peccantium laude declinaret. Sequitur : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* — Ac si aperte dicat : Pro vobis non debeo ad culpam pertrahi, qui peccare in propriis formidavi. Sciendum vero est quod quisquis a præceptis Dominicis discordat opere, quoties ea audit, corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id quod non fecerit memoratur. Nam in quo errasse considerat, ipsa se conscientia latenter accusat. Unde David propheta precatur dicens : « Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua (*Psal.* CXVIII, 6). » Graviter namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quæ vivendo contempsit. Hinc Joannis voce dicitur : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (*I Joan.* III, 21). » Et : « Quidquid petierimus, accipiemus (*Joan.* XIII, 14). » Ac si diceret : Si id quod præcipit facimus, id quod petimus obtinemus. Valde namque hæc apud Deum utraque sibi necessario congruunt, ut et oratione operatio et operatione fulciatur oratio. Sic quæri potest quo pacto a corde suo reprehendi se negat, qui se peccasse superius accusat, dicens : *Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum ? Vel certe si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* — Sed sciendum est quod sunt pec-

cata quæ a justis vitari possunt, et sunt nonnulla, A quæ etiam a justis vitari non possunt. Mens itaque justorum etsi libera est a perverso opere, aliquando tamen corruit in perversa cogitatione. Et in peccato ergo labitur, quia saltem in cogitatione declinatur et tamen unde semetipsam postmodum flendo reprehendat non habet, quia ante se reparat quam per consensum cadat. Sequitur :

VERS. 7. *Sicut impius inimicus meus ; et adversarius meus quasi iniquus.* — In sacro eloquio *sicut* et *quasi*, non aliquando pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Unde est illud : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* I, 14), » unde et hic *sicut* et *quasi* pro affirmatione potius quam pro similitudine dictum videtur. Inter impium vero et iniquum hoc distare B nonnunquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius enim pro infideli ponitur, id est a pietate religionis alienus ; iniquus vero dicitur, qui pravitate operis ab æquitate discordat, vel si fortasse Christianæ fidei nomen portat. Beatus igitur Job voce typica sanctæ Ecclesiæ, quia alios rectæ fidei contradicentes tolerat, impium se habere fatetur inimicum. Quia vero alios sub prætextu fidei intus positos in pravis operibus patitur, iniquum adversarium suum detestatur [testatur]. Si autem *sicut* et *quasi* oportet ut magis pro similitudine posita sentiamus, sancta Ecclesia quos viventes carnaliter intra se tolerat, de similitudine impiorum notat. Intus quippe inimicus est, qui fidelem se dum affirmat C vocibus, moribus negat. Sequitur :

VERS. 8. *Quæ enim spes hypocritæ, si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus ?* — Hypocrita qui Latina lingua dicitur simulator, justus non esse appetit, sed videri, et idcirco avarus raptor est, qui dum iniqua agit, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ : qui dum præsentia diligit, futura minime sperat. Sequitur :

VERS. 9. *Nunquid clamorem ejus audiet Deus, cum venerit super eum angustia ?* — Clamorem ejus angustiæ tempore Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse Dominum clamantem non audit. Scriptum quippe est : « Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). » D Hinc Dominus ait : « Novissime veniunt fatuæ virgines dicentes : Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* XXV, 11). » Et respondetur eis. « Amen, amen dico vobis, nescio vos. » Sequitur :

VERS. 10. *Aut poterit in Omnipotente delectari ?* — Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis ; et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infirma, tanto tepore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et æqualiter amari non possunt. Delectari ergo in Deo hypocrita non valet, quia in ejus mente desideria superna non prodeunt, quam profecto spinæ terreni amoris premunt. De quo aperte subditur : *Et invocare Dominum in omni tempore.* — Tunc quippe Deum hypocrita invocat, cum hunc terrenarum rerum tribulatio angustat. Nam cum in hoc sæculo effectum quæsitæ felicitatis invenerit, auctorem qui hanc ipsam felicitatem tribuit non quærit. Sequitur :

VERS. 11. *Docebo vos per manum Dei, quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.* — Sic beatus Job loquitur verbis suis, ut aliquid signet ex nostris. Nam sancta Ecclesia docens in quantum cognoscere expedit, nil veritatis abscondit. Quia enim manus Dei vocatur filius, « omnia quippe per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3) : » *per manum Dei* docere se perhibet eos quos in propria sapientia remanere fatuos videbat. Ac si aperte dicat : Ego ex me aliquid nescio, sed quidquid ex veritate sentio, hoc de ejusdem veritatis largitate comprehendo. Sequitur :

VERS. 12. *Ecce vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini?* — Scriptum est : « Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit et non fecit digna, plagis vapulabit paucis (*Luc.* XII, 47). » Rursusque scriptum est : « Scienti igitur bonum et non facienti, peccatum est illi (*Jac.* IV, 17). » Ad majoris ergo culpæ cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet, et scire quid sequi debeant, et sequi nolle quod sciunt. Sequitur :

VERS. 13. *Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum quam ab omnipotente suscipient.* — Quam profecto partem hæreditatemque protinus insinuat, cum subjungit :

VERS. 14. *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane.* — Non absurde impii vocantur hæretici qui per errorem pravi dogmatis a cognitione veritatis sunt alieni. Quos sequenti verbo etiam violentos appellat : quippe qui Scripturæ sententias recta dogmata continentes ad intellectum pravum conantur violenter inflectere. Violenti ergo sunt, etsi non rebus hominum, certe sensibus præceptorum, filii autem *violentorum* sunt sequaces hæreticorum, qui dum errori eorum consentiunt, quasi ex eorum prædicatione generentur. Sed multiplicati in gladio erunt, quia quamvis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi tamen judicis sententia feriuntur. Unde per Moysem Dominus dicit : « Gladius meus manducabit carnes (*Deut.* XXXII, 42). » Nepotes quippe hæreticorum sunt, qui de errantium filiorum prædicatione nascuntur, quos nequaquam panis satiat, quia dum in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quam capiunt, semper veritatis cognitione jejunant. Sequitur :

VERS. 15. *Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.* — Ex eo videlicet hæreticorum populo derelicti sepelientur in interitu, quia dum ad lucem veritatis non redeunt, profecto in pœna perpetua

intelligentia terrena deprimuntur. Sequitur : *Et viduæ ejus non plorabunt.* — Quas viduas ejus accipimus, nisi subjectas ejus plebes morte illius feliciter destitutas ? Quia sæpe ut diximus, dum prædicator erroris ad æterna supplicia rapitur, sujectæ plebes illius ad cognitionis veræ gratiam revertuntur. His enim plebibus perversus predicator quasi maritus præfuit, quia male eis conjunctus inhæserat corruptor mentis. Nequaquam ergo viduæ vel destitutæ plorant, quia morte pravi doctoris viam veritatis inveniunt, ex ejus interitu affligi posse videbantur. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo errore remanentes dum sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant, consolantur. Sequitur :

VERS. 16, 17. *Si comparaverit sicut terra argentum, et sicut lutum præparavit vestimenta. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet.* — Argentum intelligi sacri eloquii claritas solet, sicut alias dicitur : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne probatum (*Psal.* XI, 7). » Horum scilicet argentum, id est hæreticorum eloquium, terræ est comparatum quia de Scriptura sacra ut aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum vestimenta præparant, quia fluxe et inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, Sripturæ sacræ contexunt testimonia. *Præparabit quidem, sed justus vestietur illis.* Justus ergo vestietur eis vestimentis quæ præparavit injustus ; quia vir sanctus eisdem sententiis ad veritatem utitur, quibus se perversus quisque doctum ostendere contra varitatem conatur. *Et argentum innocens dividet.* Argentum est innocentem dividere, eloquia Domini minute discreteque exponere, et unicuique quod digne congruat coaptare. Nam eloquium Domini, quod hic argentum vel vestimenta hoc alibi spolia nominatur. Quod etiam Psalmista testatur per comparationem dicens : « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* CXVIII, 162). » Sequitur :

VERS. 18. *Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.* — Tinea sibi domum corrumpendo ædificat, nec meliori comparatione hæreticus demonstrari potuit, qui locum suæ perfidiæ non nisi in mentibus quas corruperit, fecit, qui etiam sequaces suos ab æterno igne esse liberos pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba ejus soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Unde et subditur : *Et sicut custos fecit umbraculum.* Umbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur, et promissa ab hæreticis requies cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus invenitur. Sequitur :

VERS. 19. *Dives cum dormierit, nisi secum aufert, aperit oculos suos et nihil inveniet.* — Cui nimirum sententiæ Psalmista concinens dicit : « Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitia-

A rum in manibus suis (*Ps.* LXXV, 5). » Res suas cum moreretur secum tolleret, si ad potentis vocem cum viveret sibi tulisset. Nam terrena omnia quæ servando amittimus, largiendo servamus. Sed quia homo ex anima constat et corpore, cum unius rei somnus dicitur, alterius vigilia demonstratur, quia cum corpus obdormiscit in morte, tunc anima vigilat in vera cognitione. Et dormit ergo dives et oculos aperit, quia cum carne moritur, ejus anima videre cogitur quod prævidere contempsit. *Aperit oculos suos et nihil inveniet,* quia illic aperit ad supplicia quos hic ad misericordiam clausus habebat. Aperit oculos, et pietatis fructum non inveniet, quos clausos his tenuit cum viveret. Sequitur :

B VERS. 20. *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.* — Videamus nunc inopiam divitis ardentis, cujus tantum fuit abundantia epulantis. Ait enim : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (*Luc.* XIX, 24). » Non autem immerito aquæ tunc illa inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens solet lacus designari nomine. Unde per prophetam humani generis voce dicitur : « Lapsa est in lacum vita mea (*Thren.* III, 53). » Tempestatis vero nomine, judicii turbinem designat, quod etiam Psalmista testatur dicens : « Deus noster manifeste veniet, Deus noster et non silebit (*Psal.* XLIX,
C 3). » Et quia ipsa venturi exitus ignorantia nox vocatur, nocte eum opprimet tempestas, id est, turbo divini judicii eum dum ignorat, apprehendit. Sequitur :

VERS. 21. *Tollit eum ventus urens.* — Quis hoc loco *ventus urens*, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, ut ad æternitatem suppliciorum trahat ? Perversum ergo quemlibet *ventus urens* dicitur tollere, quia insidiator malignus spiritus, qui viventem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Hinc Jeremias : « Ollam succensam video, et faciem ejus a facie Aquilonis (*Jer.* I, 13). » Sequitur : *Et velut turbo rapit eum de loco suo.* Locus perversorum est temporalis vitæ dilectio, et carnis voluptas. Quasi turbine igitur unusquisque de loco
D suo rapitur, cum a cunctis suis delectationibus, extremo territus die separatur. De quo extremo die apte subjungitur :

VERS. 22. *Et mittet super eum, et non parcet.* — Peccatorem quotiens Deus feriendo corrigit, ad hoc flagellum mittit, ut parcat. Cum vero ejus vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit. Qui enim flagellum emisit ut parceret, ad hoc emissit quandoque ne parcat. In hac namque vita, Dominus tanto magis studet ut parcat quanto magis exspectando flagellat. Sequitur : *De manu ejus fugiens fugiet.* — Ille etenim fugit de manu ferientis, qui pravitatem suæ corrigit actionis. Vel certe quia in sacro eloquio manus operatio solet intelligi, de manu percussi

fugit, qui dum pravi interitum conspicit, vias pra- A
vitatis relinquit. Unde adhuc subditur:

Vers. 23. *Stringit* (57), *stringet super eum manus suas.* — Manus quippe stringere est vitæ suæ opera rectitudine confirmare. Unde etiam Paulus ait: « Remissas manus, et dissoluta genua erigite (*Hebr.* xii, 12). » Dum itaque alienum interitum conspiciunt revocatur ad cor, ut recogitent suum, et unde alius ad tormenta ducitur, a tormento alius inde liberatur. *Stringit* ergo *super eum manus suas*, quia conspicit in aliena pœna quod timeat, et dum delinquentem sic percussum respicit, dissoluta opera sua justitiæ vigore constringit. Hinc scriptum est: « Lætabitur justus cum viderit vindictam (*Psal.* lvii, 11), » et reliqua. Sequitur: *Et sibilabit super illum, intuens locum ejus.* — Quid in sibilo, B
nisi intentio admirationis exprimitur? Si vero in sibilo fortasse alia significatio quæritur, moriente peccatore hi qui interitum ejus aspiciunt, os in sibilo stringunt, dum ad ea quæ contempserant verba spiritalia convertuntur, ut jam credere et prædicare incipiant, quæ prius dum iniquum florere cernerent non credebant. Hinc Salomon ait: « Mulctato Pestilente, sapientior erit parvulus (*Prov.* xxi, 11). » Vir igitur sanctus postquam potentum pœnas qui extolluntur in sæculo sufficienter explevit, rursum ad hæreticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio verba convertit. Nam sequitur:

## CAPUT XXVIII.

Vers. 1. *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur.* — In ar- C
gento eloquium, in auro vitæ vel sapientiæ claritas designari solet. Et quia hæretici sic de eloquii sui nitore superbiunt, ut nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur: qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt, quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas revocat, ut si vere loqui desiderant, inde sumere debeant quid loquantur, et ait: *Habet argentum venarum suarum principia.* Ac si aperte dicat: Quid ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse esse ut causarum origines a sacris paginis sumat. Vera siquidem fidelium sapientia, cui universalis Ecclesia locus est, tribulationem vobis persequentibus patitur, sed a cunctis peccatorum sordibus persecutionis D
vestræ igne purgatur. Unde scriptum est: « In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis (*Eccli* ii, 5). » Quo in loco hoc quoque potest convenienter intelligi, ut de sua stulta hæretici passione videantur increpari. Nam sæpe pro Jesu Christi Domini ac Redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seseque eisdem passionibus ejus fieri martyres sperant: quibus sancti viri voce nunc dicitur: *Auro locus est, in quo conflatur.* Nam juxta hoc quod jam et ante nos dictum est: « Quisquis extra Ecclesiæ unitatem patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest, » quia, *auro locus est in quo conflatur.* Quid itaque ad hæc hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum quo debeatis conflari nescitis. Sequitur:

Vers. 2. *Ferrum de terra tollitur.* — Solent hæretici de justitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione jactari, nosque iniquos ut diximus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humillimam ergo confessionem et veracem defensionem contra eos vir sanctus loquitur dicens: *Ferrum de terra tollitur.* Ac si aperte dicat: Fortes igitur qui acutissimis linguarum gladiis in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum est: « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* iii, 20). » sed terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Ecclesiæ a terra, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despici quidquid fuit, qui jam accepit esse quod non fuit. Sequitur: *Et lapis solutus calore in æs vertitur.* — Tunc lapis calore solutus, cum cor durum atque a divini amoris igne frigidum, eodem divini amoris [igne] tangitur, et in fervore spiritus liquatur, ut ad sequentem vitam desiderium æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis menebat, ex quo ardore scilicet et emollitur ad amorem, et operatur ad operationem, ut sicut prius durus fuerat in amore sæculi, ita se fortem postmodum exerceat in amore Dei: et quod ante audire renuebat, et credere et prædicare incipiat, Sequitur:

Vers. 3. *Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat.* — Tempus posuit tenebris, iniquis videlicet modum quod iniqui esse desistant unde eisdem per Apostolum dicitur: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Eph.* v, 10). » Sicut aliis quoque discipulis isdem doctor egregius dixit: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* xiii, 12). » Universorum nomine electos et reprobos voluit comprehendi. Nam bona faciens et ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eveniant, ipse disponens, considerat universorum finem, et patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod e malo opere dignum trahantur ad supplicium. Sequitur:

Vers. 4. *Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante.* — Quid durius illa perfidia Judæorum? quid populus, qui auctorem vitæ videre per finem noluit, quem per prophetam prædixit, nisi lapis caliginis fuit? quia et crudelitate durus fuit, et infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo, umbra mortis dicitur. Umbra quippe alis exprimitur, qualia ejus rei de qua trahitur fuerint lineamenta. Quis autem mortis nomine, nisi diabolus vocatur? De quo per quamdam ministri sui significationem dicitur: « Nomen illi mors (*Apoc.* vi, 8). » Cujus ille populus umbra exstitit, quia iniquitatem illius sequens, ejus in se imaginem expressit. Quid

(57) Deest hoc verbum in Bibliis.

vero torrentis nomine, nisi ille a conspectu tremendi judicis per ultimum examen egrediens, atque electos et reprobos dividens, ignis vocatur? Unde per prophetam dicitur: « Fluvius igneus rapidus, qui egrediebatur a facie ejus (*Dan.* vii, 10). » Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in cœlestibus? Et tanto magis illic sperat invenire se propria, quanto hic cuncta quæ prætereunt esse a se deputat aliena. Hinc Paulus ait: « Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v, 6). » Potest fortasse in torrentis nomine ipsa irrigatio sanctæ prædicationis intelligi, juxta id quod per Salomonem dicitur: « Oculum qui subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, effodiant illum corvi de torrentibus (*Prov.* xxx, 17). » Sanctorum quippe prædicatio obduratas mentes reproborum deserit, et ad pia humilium se corda convertit. Sequitur: *Et eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios.* — Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur: « Qui propter nos egenus factus est dum esset dives? (*II Cor.* viii, 6.) » Cujus videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerunt, per quorum profectus præsentiam gentilitatem circumens, mundum perambulavit universorum. Sed eorum qui umbra mortis et lapis caliginis exstiterunt, *pes hominis egentis oblitus est*, quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti apostoli cœlorum regnum Judææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsis in suis Actibus dicunt: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quomodo repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* xiii, 46). » Quos recte quoque et invios vocat, quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt. Sequitur:

Vers. 5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne subversa est.* — Panem Judæa dare consueverat, quæ legis verba proferebat, sed hæc terra in loco suo igne subversa est, quia fidelium signa conspiciens, se fasse concremavit. Quia enim semper invidia de superbia nasci solet, in loco suo igne periit, quæ idcirco arsit invidia, quia superbiam non relinquit. Sequitur:

Vers. 6. *Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum.* — Quid enim hoc loco per lapides nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? In Scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono accipi solent. Hinc Joannes [Lucas] ait: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Luc.* iii, 8). » Hinc Petrus ait: « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spiritales (*I Petr.* ii, 5). » Sapphirus quidem lapis colorem aeris habet, et quia de Judæa nunquam sanctæ animæ, quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt, dicitur: *Locus sapphiri lapides ejus.* Et quam magna vitæ ac sapientiæ claritate per fidem fulsit, adjungitur: *Et glebæ il-*
A *lius aurum.* Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ autem ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito pulverem se esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi auræ in illa glebæ jacuerunt. Glebas hæc terra habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in Patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis et operis unanimitate tenuerunt. Sequitur:

Vers. 7. *Semitam ignorabit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.*—Quis hoc loco avis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera libravit? Qui
B apte quoque etiam vulturis appellatione exprimitur, qui manens in altitudine divinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi, cadaver mortalitatis nostræ conspexit in infimis, et sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, et, dum mortuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, invenit. Sed hujus vulturis oculus fuit intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna morte nos liberavit. Ille ergo perfidus Judææ populus mortalem vidit, sed, quod morte sua nostram mortem destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit, qui dum humilitatis ejus vias quibus nos ad alta sublevavit, considerare noluit, semitam
C avis ignoravit. Neque enim pensare studuit quod ejus humilitas non levaret ad cœlestia, et mortis ejus intentio reformaret ad vitam. Sequitur:

Vers. 8. *Non calcaverunt eam filii institorum nec pertransivit per eam leæna.*—In cunctis Latinis codicibus institores positos reperimus, in Græcis vero negotiatores invenimus. Qui hoc loco institores, nisi prophetæ sancti vocati sunt, qui Synagogæ mores ad fidem instruere prophetando curaverunt? Quarum nimirum filii sancti apostoli nuncupantur, qui ut Deum hominem crederent, ad eamdem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. Calcarent quippe institorum filii, si prædicatores sancti ejusdem Synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem sanctæ Ecclesiæ prædicatores accipimus, instito-
D rum filios pastores et doctores, qui apostolorum viam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui Synagogam minime calcaverunt, quia dum eorum Patres, id est, apostoli ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab ejus vocatione cessaverunt. Per quam videlicet Synagogam leæna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita nequaquam se ad illum Judææ populum diutius occupavit. Recte autem Ecclesia leæna nuncupatur, quia male viventes in vitiis ore sanctæ prædicationis interficit. Ecclesia itaque per Synagogam transiit, sed non pertransiit, quia ex illa ad fidem paucos rapuit. Sequitur:

Vers. 9. *Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes.*—Manum quippe ad sili-

cem extendit, quia ad duritiam gentium suæ brachium prædicationis misit. Unde et eisdem beatus Job passionis suæ historiam præsciens gentibus in notescendam dicit : « Scribantur hæc stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice (*Job.* XIX, 24). » Quid vero hoc loco montes, nisi hujus sæculi potentes accipimus, qui pro terrena substantia altum tument ? De quibus Psalmista ait : « Tange montes, et fumigabunt (*Psal.* CXLIII, 5). » Sed montes a radicibus sunt eversi, quia prædicante sancta Ecclesia summi hujus sæculi potentes in adoratu omnipotentis Dei ab intima cogitatione ceciderunt. Sequitur :

VERS. 10. *In petris rivos excidit*, id est, in duris gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit, sicut per prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium. *Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.* Sequitur : *Et omne pretiosum vidit oculus ejus.*—Sciendum magnopere, quia tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. In Scriptura sancta videre Dei aliquando pro eligere ponitur. Vidit pretiosum, cum humanam animam de se abjecta sapientem gratiæ suæ illustratione respexit, de qua videlicet anima per prophetam dicitur : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.* XV, 19). Sequitur :

VERS. 11. *Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit.*—Quid namque hic aliud flumina, nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur ? Sed horum fluminum Judæa speciem tenuit, dum litteræ superficiem tenens, eorum profunda nescivit ; nos vero veniente Domino in eis interna spiritalia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere ipso donante prævalemus. Per nos ergo qui non litteram quæ occidit, sed spiritum qui vivificat (*II Cor.* III, 6) sequimur, profunda fluviorum Dominus scrutatur, et abscondita in lucem producit, quia dicta legis, quæ caligosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Unde et loquens in parabolis per Evangelium Veritas discipulis præcipit dicens : « Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis prædicate super tecta (*Matth.* X, 27). » Sequitur :

VERS. 12, 13. *Sapientia vero ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ? Nescit homo pretium ejus.*—Vir itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam de qua Paulus apostolus dicit : « Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam ? (*I Cor.* I, 24.) » De qua per Salomonem dicitur : « Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX, 1) ; » et de qua Psalmista ait : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII, 24). » Hujus nimirum sapientiæ homo pretium nescit, quia nihil dignum æstimatione illius invenit ; non autem hoc sapientiæ pretium et esse dicitur et nesciri, sed idcirco nesciri quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustiis quisque depressus cum remedium subventionis non invenit, fateri solet, quia quid faciat nescit. Hujus ergo sapientiæ pretium nescire est, dignum operis meritum quo illam percipiat non invenire. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice rem quam appetimus possidere debeamus. Quid autem non dedimus, ut hanc sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur ? Gratia quippe redempti sumus. Hinc Paulus ait : « Cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* V, 8, 9). » Sequitur : *Nec invenietur in terra suaviter viventium.*—Quid hoc loco signatur terræ nomine, nisi anima humana ? de qua Psalmista ait : « Anima mea sicut terra, sine aqua tibi (*Psal.* CXLII, 6). » Hæc autem sapientia inveniri *in terra suaviter viventium* non valet, quia quisquis adhuc hujus vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Nam si vere saperet, expulsus ab internis gaudiis de ea in qua cecidit exsilii sui cæcitate lugeret. Hinc namque per Salomonem dicitur : « Qui apponit scientiam apponit dolorem (*Eccle.* I, 18). » Sequitur :

VERS. 14. *Abyssus dicit : Non est mecum.*—Quid hoc loco abyssum nisi corda hominum vocat ? quæ et per lapsum fluida, et per duplicitatem sunt caligine tenebrosa. Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur, quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam tam se ad spiritalia ostendit. Namque teste Paulo, « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum *I Cor.* III, 19). » Tanto quisquis intus amplius stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Sequitur :*Et mare loquitur : Non est mecum.*—Quid enim maris nomine nisi sæcularium mentium amara inquietudo signatur ; que dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi adversantes se undæ collidunt ? Recte enim mare vita sæcularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete atque stabilitate disjungitur. Quo contra bene per prophetam dicitur : Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos ? *Isa.* LXVI, 2.) » Sequitur :

VERS. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* — Quod namque per aurum obrizum, nisi sancti angeli designantur, qui recte et *aurum* vocantur, et *obrizum ?* Aurum, quia fulgent claritate justitiæ ; obrizum, quia nullum habuerunt unquam contagium culpæ. Homines vero justi, quandiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quippe esse possunt, obrizum omnino esse non possunt, quia « Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). » Nam quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam ad purum, peccatorum sordibus carent, Joanne apostolo attestante, qui ait : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Sed, quia pro hac sa-

pientia nullus angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in has, quos in adjutorium hominum sæpius apparuissse didicimus, angelis poneret dictum est : *Non dabitur obrizum pro ea.* Sequitur : *Nec appendetur argentum in commutatione ejus.* — Quia enim argento sæpe eloquia divina signantur, possunt argenti vocabulo etiam ejusdem eloquii scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata judicare potuit, non auferre, non quisquam veterum Patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor exstitit. *Argentum ergo in commutatione* hujus sapientiæ *non appenditur*, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione unigeniti Filii nullius meriti fuisse pensantur. Sequitur :

Vers. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* — Quid enim per Indiam, quæ nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur? Tincti autem colores sunt Indiæ, hujus mundi sapientes, qui quamvis per infidelitatem et plerumque per actionem fœdi sunt, ante humanos tamen oculos superductæ honestatis colore fuscantur. Sed coæterna Dei sapientia tinctis Indiæ coloribus non confertur, quia quis hanc veraciter intelligit, ab his omnibus quos mundus sapientes coluit, quam longe distet agnoscit. Sequitur : *Nec lapidi Sardonico pretiosissimo vel sapphiro.* — Sardonicus quippe terræ rubræ similitudinem tenet, sapphirus vero aeream habet speciem. Possunt ergo in Sardonico per terram rubram homines, in sapphiro autem per aeram visionem angeli designari. Nam cum terræ rubræ speciem lapis Sardonicus habeat, non immerito hominem significat, quia et Adam, qui primus est conditus, Latino sermone *terra rubra* nominatur. Quid est ergo quod dicitur, quia hæc sapientia lapidi Sardonico vel sapphiro non confertur, nisi quod is qui est « Dei virtus et Dei sapientia (*I Cor.* I, 24), » mediator scilicet « Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II, 5), » tanta magnitudine excellat omnia, ut ei nec in terra primi homines, nec in cœlo angeli comparentur? Unde et per Psalmistam dicitur : « Quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei? (*Psal.* LXXXVIII, 7). Possunt autem per Sardonicum lapidem Patres Testamenti Veteris, per sapphirum vero prædicatores exprimi Testamenti Novi. Ac si patenter insinuat dicens : Et qui homo inter homines cernitur, nec in antiquis quisquam, nec in novis Patribus æquatur, quia ex deitate habet quod in humanitate quemquam similem non habet. Sequitur :

Vers. 17. *Non æquabitur ei aurum vel vitrum.* — Auri namque metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere : vitri vero natura est, ut extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invi-

A cem et claritate fulgent, et puritate translucent? quam Joannes in Apocalypsi conspexerat cum dicebat : « Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas ex auro mundo, simili vitro mundo (*Apoc.* XXI, 18). » Sequitur :

Vers. 18. *Nec commutabuntur pro eo vasa auri, excelsa et eminentia.* Excelsum quippe vas auri Helias exstitit, excelsum vas auri Hieremias, excelsa atque eminentia auri vasa priores Patres fuerunt. Sed hæc Dei sapientia, ut a carnali nos conversatione redimeret, apparuit in carne, et qui illam veraciter non agnovit, mediatorem Dei et hominum Christum Jesum esse unum ex prophetis putavit. Ecclesia vero pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia non commutavit, quia

B Christum Dei Filium non unum esse prophetarum, sed unum prophetarum Dominum credidit. Sequitur : *Nec commemorabuntur comparatione ejus.* — Omnes enim supernæ patriæ electi sancti quidem et justi sunt, sed participatione sapientiæ, non comparatione. Quid enim sunt homines Deo comparati? Lumen autem sapientia, lumen et servi sapientiæ vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen illuminatum, sicut scriptum est : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Istis autem tantummodo dicitur : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14). » Sequitur : *Trahitur sapientia de occultis.* — De occultis sapientia trahitur, quia cum sit invisibilis, non nisi invisibiliter

C invenitur, quæ recte quoque trahi dicitur, quia sicut flatum trahimus ut corpus vivat, sic ab intimis sapientiæ spiritus ducitur, ut ad vitam anima subsistat. Unde Psalmista ait : « Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII, 131). » Sequitur :

Vers. 19. *Non adæquabitur ei topazium Æthiopiæ.* — Quid Æthiopia nisi præsentem mundum accipimus? coloris nigredine designat peccatorem pollutum fœditate meritorum. Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet, infidelitatis prius nigra peccatis, quam veniente Domino Habacuc propheta vidit timore perterritam, et ait : « Tabernacula Æthiopum expavescent; tabernacula terræ Madian (*Habac.* III, 7). » Topazion vero pretiosus lapis est, et quia

D Græca lingua pan *omne* dicitur, pro eo quod omni calore resplendet, topazion quasi thonpazion vocatur. Dum vero in Deum conversa gentilitas credidit, ex ea multi sunt ita dono Spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis in altis virtutibus luceant. Ac si ergo eis diceretur : Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari non potest ei de quo dictum est : « Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). » Sequitur : *Nec tincturæ mundissimæ componentur.* — Tincturæ enim mundissimæ vocantur hi qui veraciter sunt humiles, et veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ex semetipsa virtutum speciem non habent, sed hanc ex dono gratiæ superve-

nicatis tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent : sed mundissimæ tincturæ sunt, quia humiliter custodiunt supernitentem in se virtutum gratiam quam acceperunt. Pensandum magnopere est, quod a sancto viro requiritur unde sapientia veniat. Ab eo etenim venit a quo orta est. Sed quia ab invisibili et coæterno Patre nascitur, ejus via occulta est. Unde et per prophetam dicitur : « Generationem illius quis enarrabit ? » (*Isa.* LIII, 8). Locus vero intelligentiæ ejus est humana mens, quam hæc Dei sapientia, dum replevit, sanctam facit. Quia ergo et invisibilis est de quo prodiit, et incertum nobis est in cujus mente intellecta requiescat, recte nunc dicitur :

VERS. 20. *Unde ergo sapientia venit, vel quis est locus intelligentiæ ?* — Sed hoc valde mirum est quod protinus subinfertur :

VERS. 21. *Abscondita est ab oculis omnium viventium.* — Sapientia quippe, quæ Deus est, si omnium viventium oculis esset occulta, hanc procul dubio sanctorum nemo vidisset. Sed et huic sententiæ Joannem audio concordantem, qui ait : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Sed juxta beati Job sententiam sapientia, quæ Deus est, *abscondita est ab oculis omnium viventium ;* quia in hac mortali carne consistentibus et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero a quibusdam potest in hac corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus quodam contemptionis acumine æterna Dei claritas videri. Hoc quoque a beato Job sententia non abhorret, qui ait: *Abscondita est ab oculis omnium viventium.* Quam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter vivit. Hinc Moysi dicitur : « Non enim videbit me homo, et vivet (*Exod.* XXXIII, 20). »

---

# LIBER NONUS DECIMUS.

VERS. 21. *Volucres quoque cœli latet.* — In Scriptura sacra volucres aliquando in malo, aliquando vero in bono datur intelligi. Per volucres quippe nonnunquam potestates aeriæ designantur bonorum studiis adversæ. At contra in bono volucres poni solent : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo mittit in hortum suum, et crevit, et factum est in arbore magna, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus (*Luc.* XIII, 19). » Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est : *Abscondita est ab oculis omnium viventium,* recte subjungitur: *Volucres cœli quoque latet,* quia in hac corruptibili carne constituti naturæ ejus potentiam ipsi quoque vivendo non penetrant, qui jam per meritum sanctæ contemplationis volant, ubi apte subjungitur :

VERS 22. *Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus.* — Quid perditionis et mortis nomine, nisi maligni spiritus designantur, qui inventores mortis et perditionis exstiterunt ? Videre quippe perfecte coæternam Dei sapientiam, hoc est quod habere. Ideo iniqui spiritus hanc sapientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequaquam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe ejus clauserunt oculos cordis, superfusis ejus radiis repugnantes. Famam ergo sapientiæ malignis spiritibus audisse est, sed eamdem sapientiam non vidisse, et ejus potentiam ex virtute illius cognovisse, et tamen sub ea humiliter stare noluisse. Hinc Veritas ait : « Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44). » Sequitur :

VERS. 23. *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.* — Locus sapientiæ Pater est. Locus sapientiæ sicut ipsa Sapientia attestante, dicitur ; « Ego in Patre, et Pater in me (*Joan.* XIV, 10, 11). » Aliter ergo sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanitatis transitum, locum vero per statum divinitatis. Ac si aperte diceretur : Humanæ cogitationi occulta sunt, vel quando per carnem ad homines Sapientia veniat, vel quomodo apud Patrem invisibilis etiam cum foris apparuerit persistat. Quamvis hoc intelligi et aliter potest. Nam via ejus non inconvenienter accipitur hoc ipsum quod venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus vero ejus fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quoque via illius dicitur : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini (*Joan.* I, 23). » Et quia hominibus incertum est vel in cujus corde veniat, vel in quo postquam venerit, permanendo requiescat, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.* Quia solius divinæ visionis est cernere, vel quibus modis intellectus sapientiæ quem perceperit mortiferis cogitationibus non admittat. Sequitur :

VERS. 24. *Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit.* — Respicere quippe Dei est ea quæ amissa ac perdita fuerant ad suam gratiam reformare. Unde scriptum est : « Rex qui sedet in solio judicii sui dissipat omne malum in intuitu suo (*Prov.* XX, 8). » Sequitur :

VERS. 25. *Qui fecit ventis pondus.* — Velocitate enim ac subtilitate ventorum in Scriptura sacra solent animæ designari, sicut per Psalmistam de Deo dicitur : « Qui ambulat super pennas ventorum (*Psal.* XVII, 11), id est, qui transgreditur virtutes animarum. *Fecit* ergo *ventis pondus,* quia dum su-

perna sapientia replet animas, eas maturitate induta graves reddet, non illa gravitate qua dicitur: « Filii hominum, usquequo gravi corde ? (*Psal.* IV, 3.) » Aliud namque est gravem esse per consilium, aliud per peccatum ; aliud gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Vel certe ventis pondus facere est, concessam hic electis de virtutibus gloriam permista infirmitate temperare. Sequitur: *Et aquas appendit mensura.* — Aquæ in Scriptura sacra aliquando sanctum Spiritum significant, ut illud : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Aliquando scientiam pravam, aliquando scientiam sacram, velut : « Aqua sapientiæ salutaris potavit eos (*Eccli.* XV, 3). » Pravam, ut illud Salomonis : « Aquæ furtivæ dulciores sunt (*Prov.* IX, 17). » Aliquando tribulationem, ut illud : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ ad animam meam (*Psal.* LXVIII, 2). » Aliquando defluentes populos, ut illud Apocalypsis : « Aquæ vero sunt populi (*Apoc.* XVII, 15. » Aliquando mentes fidem sequentium designari solent, sicut propheta ait : « Beati qui seminatis super omnes aquas (*Isa.* XXXII, 20). » Hoc igitur in loco quid aquarum nomine, nisi electorum corda signantur, quæ per intellectum sapientiæ auditum jam supernæ vocis acceperunt ? De quibus recte dicitur : *Et aquas appendit mensura*, quia sancti ipsi, qui sublevante Spiritu ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, sit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Sequitur :

VERS. 26, 27. *Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. Tunc vidit illam et enarravit, et præparavit, et investigavit.* — Solent per pluvias prædicantium dicta signari. Unde per Moysen dicitur : « Exspectetur sicut pluvia eloquium meum (*Deut.* XXXII, 2). » Quorum videlicet verba cum blande persuadent, pluviæ sunt ; cum vero terribilia de venturo judicio intonant, procellæ. Et notandum quod pluviis lex ponitur, ut via procellis sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatoribus posita, ut vivendo impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. *Viam* autem *procellis sonantibus* posuit, cum prædicatoribus sanctis suis ad corda hominum terrore venturi judicii perculsa aditum fecit. Usitata quippe sacri eloquii locutione, videre Dei dicitur videre nos facere, sicut justo viro Dominus dicit : « Nunc cognovi quod timeas Deum (*Gen.* XXII, 12). » Et Israelitæ præmonentur : « Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum (*Deut.* XIII, 3), » id est, ut scire vos faciat. Tunc ergo cum legem pluviis poneret, hoc est mandatum custodiæ prædicatoribus dare, hanc incarnatam sapientiam videri et enarrari a prædicatoribus, præparari et investigari ab auditoribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam bene vivendo in viam judicii propitiam parat. Et notandum quæ de ea quatuor dicta sint. Ait enim, *vidit, enarravit, præparavit*, et *investigavit*. Vidit namque, quia species est ; enarravit, quia verbum ; præparavit, quia remedium ; investigavit, quia occultum. Sequitur :

VERS. 28. *Et dixit homini : Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.* — Ac si aperte diceretur : Ad temet ipsum, homo, revertere, cordis tui secreta perscruta. Si Deum timere deprehendis, profecto constat quia hac sapientia plenus es ; quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se, jam cognoscis interim quid sit in te. Hinc scriptum est : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 11). » Sed quia ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis pravis operibus custodit, recte subditur : *Et recedere a malo intelligentia.* Sequitur :

## CAPUT XXIX.

VERS. 1. *Addidit quoque Job assumens parabolam suam.* — Quia enim parabola similitudo nominatur, aperte constat quod per exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad loquendum parabolam assumpsisse memoratur. Cum etenim sua narrat, quæque sunt sanctæ Ecclesiæ ventura denuntiat, et per hoc quod ille patitur, indicat ipse quid illa patiatur. Sed electi omnes qui in fine mundi temporibus Antichristi fuerint in illa tribulatione comprehensi, reminiscuntur horum temporum in quibus nunc Ecclesia fidei pacem tenet, et superba hæreticorum colla comprimit, non potentatu culminis, sed jugo rationis, et per vocem beati Job dicit :

VERS. 2. *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos ?* — Quia enim statutus numerus dierum vocantur menses, quid nomine signat mensium nisi collectiones animarum ? Dies quippe dum colliguntur, in mensibus subtrahuntur. Quia et in hoc tempore sancta Ecclesia dum veritatis luce resplendentis animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut propheta ait : « Erit mensis ex mense (*Isa.* LXVI, 23), » perfectio videlicet eis in requiem, quibus nunc perfectio fuerit in operatione. Reminiscatur ergo perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta prædicationis suæ collectis animabus reportabat lucra, et angustata tribulationibus dicat : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos ?* Sequitur :

VERS. 3. *Secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* — Tunc quippe videt ex se persecutione cogente infirmorum tumultus cadere, quos nunc ut mater intra pacis sinum parvulos fovet, et in tranquillas fidei cunas continet, qui admisti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc se in illis æstimat cadere quæ se nunc mistis respicit custodiri, lucernæ enim signatur nomine sacræ lumen Scripturæ. Hinc

Psalmista ait: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine (*Psal.* CXVIII, 105). » Quia autem principale nostrum, appellatione capitis mens vocatur, per Psalmistam dicitur: « Impinguasti in oleo caput meum (*Psal.* XXII, 5). » Ac si aperte dicat: Charitatis pinguedine replesti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras mentis nostræ irradiant, ut in hoc caliginoso vitæ præsentis loco dum verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videamus. Nunc ad lucernam in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienas occultas cogitationes non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locutionis. Sequitur:

VERS. 4. *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* — Sicut uniuscujusque hominis, sic sanctæ Ecclesiæ ætas describitur. Parvula tunc quippe erat, cum nativitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Hic enim de illa dicitur: « Soror nostra parvula est, et ubera non habet (*Cant.* VIII, 8). » Adulta vero Ecclesia dicitur quando Dei verbo copulata, sancto repleta Spiritu per prædicationis mysterium, in filiorum conceptione fetatur quos exhortando parturit, convertendo parit. De ejus hac ætate Domino dicitur: « Adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I, 3). » Tunc ergo cum in diebus illis Ecclesia, quasi quodam senio debilitata, per prædicationem filios parere non valet, reminiscitur fecunditatis antiquæ. Quid hoc loco tabernaculum, non habitationem mentis accipimus? quia per omne quod cogitando agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto Deus illi in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante Dei esse oculos viderat qui dicebat: « Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper (*Psal.* XVIII, 15). » Sancta itaque Ecclesia in magnis tunc tribulationibus deprehensa, cum multos a Deo conspicit prava cogitatione discedere, videt profecto mentis eorum habitaculum discedente Deo vacuum remanere, et jure deplorans, dicit: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* Quibus verbis non immerito etiam simulatio religionis plangitur, quia nonnulli etiam nunc Christiani esse non appetunt, sed videri. His videlicet Deus in publico est, non in secreto. Sed sancta Ecclesia Deum in secreto habere desiderat, quia illos vere fideles respicit, quos ad vitam fidei corde pleno permanere cognoscit. Sequitur:

VERS. 5. *Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei.* — Pueri scilicet vocantur, qui cœlestibus mandatis inserviunt. Unde per prophetam Dominus dicit: « Ecce ego et pueri quos mihi dedit Deus (*Isa.* VIII, 18). Et rursus in Evangelio: « Pueri, nunquid pulmentarium habetis? » (*Joan.* XXI, 5.) Nunc ergo in circuitu ejus sunt pueri, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur, qui cœlestia mandata custodiunt, et spiritalis disciplinæ

A regalis obsequii [illegible] profecto tunc ad obsequium pueri deerant, quando pravi qui reperti fuerint spiritalia ejus mandata contemnunt. Sequitur:

VERS. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro.* — Quia Christum et ejus Ecclesiam unam esse personam crebro jam diximus; illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitis corpus. Aliter hæc verba juxta vocem capitis accipi, atque aliter juxta vooem corporis debent. Quos ergo pedes Domini, nisi sanctos prædicatores accipimus? De quibus dicit: « Et inambulabo in eis (*II Cor.* VI, 16). » Butyro igitur pedes lavantur, quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. Et enim, ut supra jam diximus, vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso. Hinc Ja-

B cobus dicit: « In multis offendimus omnes (*Jac.* III, 2). » Pedes ergo lavantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur, atque mundatur collectus pulvis de gloria prædicationis. Vel certe butyro pedes lavantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, et quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet. Non quod ideo prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant. Si autem sentire ista ex voce solius corporis debemus, nimirum pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri, qui dum ad usus necessarios ea quæ sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terræ inhæ-

C rent. Sed debent hi qui præsunt, qui doctrinæ studio invigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam ipsi vacando percipiunt, crebro admonitionis voce infusionem pinguedinis ministrare. Et pedes butyro lavant, quia eorum vulneribus pœnitentiæ unguenta subministrant. Reminiscatur igitur Ecclesia tunc vehementer afflicta, quomodo pacis suæ tempore per exorationis verbum membra in se etiam extrema mundabat, et dicat: *Quando lavabam pedes meos butyro.* Quod de beato Job admirabiliter libet intueri, qui inter tot affectus pignorum, inter tot studia sacrificiorum, subjectis suis quamlibet extremis bona sequentis vitæ prædicabat, ut eos de cœlestibus imbueret qui sibi ad terrena opera deser-

D virent. Sequitur: *Et petra mihi fundebat rivos olei.* — Quia petræ nomine Christus accipitur, prædicator egregius fatetur dicens: « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Quæ videlicet petra nunc adversum sanctæ Ecclesiæ olei rivos fundit, quia in ea loquens Dominus prædicamenta unctionis intimæ emanat. De hac petra olei rivus exiit liber Matthæi, liber Marci, liber Lucæ, liber Joannis. In diversis mundi hujus partibus quot prædicamenta edidit, tot Petra hæc per ora apostolorum omnium rivos fudit. Rivi vocantur olei, quia decurrunt, et unguent [ungunt], in quibus quisque tingitur, ungitur; quisquis tingitur interius impinguatur. Sequitur:

VERS. 7. *Quando procedebam ad portam civitatis et in platea parabant cathedram mihi.* — Mos veterum

fuit, ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent. Quod beatum Job egisse pro cultu justitiæ certum tenemus. Sed quid per civitatis portam, nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conventum regni cœlestis ingreditur ? Unde Propheta ait : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion (*Psal.* IX, 15). » Quid vero per cathedram, nisi magisterii auctoritas designatur ? Græca autem voce platea pro latitudine dicitur. Nunc ergo Ecclesia ad civitatis portam procedit, quia ut auditum cœlestis regni percipiat, in sanctis actionibus exercet. Cui in platea paratur cathedra, quia in magnæ auctoritatis latitudine sui magisterii exhibet libertatem. Qui enim recta quæ sentit publica voce prædicat, quasi in platea in cathedra sedet. Sequitur :

Vers. 8. *Videbant me juvenes et abscondebantur, et senes assurgentes stabant.* — Si historiæ intendimus, quæ dixit credimus ; si allegoriæ, quæ prædixit videmus. Juvenes namque dici solent, quia nulli consilii gravitate deprimuntur ; senes vero non eos Scriptura vocare consuevit, qui sola quantitate temporum, sed morum grandævitate maturi sunt. Unde per quemdam sapientem dicitur : « Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV, 8-9). » Sanctam ergo Ecclesiam vident nunc juvenes et absconduntur, senes vero ei assurgentes assistunt, quia vigorem ejus atque rectitudinem immaturi formidant, grandævi glorificant : leves quique qui sunt, fugiunt, graves vero atque perfecti hanc vitæ suæ meritis assurgendo venerantur. Sequitur :

Vers. 9, 10. *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, et lingua sua gutturi suo adhærebat.* — Quid hoc loco alii duces vel principes intelligi possunt, nisi hæreticæ pravitatis auctores ? De quibus per Psalmistam dicitur : « Effusa est contentio super principes, et seduxerunt eos in invio et non in via (*Psal.* CVI, 40). » Nunc ergo hæreticarum plebium principes auctoritate sanctæ Ecclesiæ perpendentes cessant loqui, et quasi ori suo digitum superponunt, dum falsis querelis, non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant. Vocem suam duces cohibent, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere conantur, ne loqui perversa nunc audeant, et auctoritatis frenantur pondere, et virtute rationis. Quorum lingua gutturi suo adhæret, quia etsi perversa loqui libera voce non audent, intus tamen apud se contegunt cuncta quæ contra veram fidem proponere falsa moliuntur. Horum ergo temporum sequenti tribulatione deprehensa reminiscens Ecclesia deplorat. Sequitur :

Vers. 11. *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi.* — Dum beatificari se ab audientibus sibique testimonium reddi a videntibus fatetur beatus Job, qualis in sermone, qualis in opere fuit, ostenditur. Quod si ad vocem sanctæ Ecclesiæ referimus, illa ejus verba beatificat, qui ea quæ audierit, opere consummat. Ille ei testimonium reddit, qui exemplis vitæ illius bene vivendo respondet. Sequitur :

Vers. 12, 13. *Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum.* — Magnæ misericordiæ ista sunt opera, liberare vociferantem pauperem, pupillo adjutorium ministrare, periturum eripere, cor viduæ consolari. Hæc beatus Job et exhibuit subditis, et tamen per sanctam Ecclesiam exhibenda signavit. Quæ utcunque nunc incessabiliter exercet, ut videlicet filios suos et loquendo pascat, et defendendo protegat. Hæc autem quæ supra diximus pietatis opera sancta Ecclesia et corporaliter exhibet, et spiritaliter exhibere non cessat. Nam et *pauperem vociferantem* liberat, cum peccatori veniam deprecanti, eas quas commiserat culpas relaxat. De talibus quippe pauperibus dicitur : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Pupillum vero cui non est adjutor liberat, dum unusquisque mortuo antiquo patre diabolo, ad sanctæ Ecclesiæ sinum currens, in ea sanæ exhortationis adjutorium invenit, qui jam desideria mundi persequentis fugit. Potest pupilli nomine fidelis quisque etiam propter mortem boni Patris intelligi, cujus ad templum visione destitutus est, quam solatio destitutus non est. *Benedictio* etiam *perituri* super eum venit, cum peccatoris interitum prævenit, et cum sanctis exhortationibus a culpæ fovea reducit. Unde scriptum est : « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum (*Jac.* V, 20). » Cor autem viduæ consolatur, dum fideli cuique animæ, quia æternas Domini retributiones narrat, quasi viri sui bona ad memoriam revocat. Cui quia spiritaliter anima juncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctæ Ecclesiæ vocibus ex ejus resurrectione refovetur. Sequitur :

Vers. 14. *Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento.* — Vestimento utique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, et nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nullam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit. Sequitur : *Et diademate judicio meo.* — Justorum judicia recte diademati comparantur, quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. Quæ nimirum judicia secum quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo debeant solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehementer accendunt, et de perpetratis malis districte redarguunt. Unde bene quoque per Salomonem dicitur : *Cogitationes justorum judicia.* Sequitur :

Vers. 15, 16. *Oculus fui cæco, et pes claudo, pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.* — Inter hæc lectoris ani-

mus forsitan quærat cur beatus Job suos tam subtiliter virtutes enumerat. Sanctorum quippe virorum est bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Sed sancti viri cum coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi serviunt, sed utilitati. Unde beatus Job amicis suis se injuste increpantibus, atque idcirco nescientibus bona sua loquendo aperit, ut nimirum discerent non contra ejus vitam increpantes erigi, sed hanc tacentes imitari. Intuendum nobis prius est, quam rectus narrandi ordo servetur, ut ante justitiæ, et post misericordiæ opera describantur. Ille quippe bene agit quæ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa, ut collatus in proximis rivus misericordiæ de justitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis debuerant prius juste vivendo misereri. Unde scriptum est : « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* XXX, 24). » Quæ videlicet verba si ad vocem sanctæ Ecclesiæ typica interpretatione referamus, ipsa est *oculus cæco*, quia per verbum lucet ; ipsa est *pes claudo*, quia per adjutorium continet. Cæcos enim prædicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Cæcus quippe est qui adhuc quo pergat non videt. Claudus autem est qui non potest ire quo videt. Sed quia sancta Ecclesia duos in se populos colligit, Judaicum scilicet atque gentilem, recte etiam potest cæco gentilis, claudo autem Judaicus populus designari. Gentilis quippe quasi oculos non habuit, quia non accepta lege, non vidit quo ire debuisset. At contra Judaicus habens oculos claudus fuit, quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit. Quem cum ad se venientem sancta Ecclesia suscipit, quia ei jam vetus tenenti etiam Novum Testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius quasi alterum pedem jungit. Qui fidelis sanctæ Ecclesiæ populus adhuc recte subjungit : *Pater eram pauperum.* Quia videlicet humiles, qui « pauperes spiritu (*Matth.* v, 3) » dicti sunt, ex ejus prædicatione generantur. Sed plerumque multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes diligunt, sed quia si minime tribuant, iram judicis superni formidant. Quia igitur aliud est bonum, opus ex præcepto, aliud vero etiam ex affectu facere, sanctus vir non se patronum vel proximum, vel adjutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur. Quia nimirum magnum charitatis officium misericordiæ vertit in affectum naturæ, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem, sequitur : *Et causam quam usque investigabam.* — Strenuus quippe erat in negotiis pauperum. Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse est ut ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat. Hinc enim per Salomonem dicitur : « Qui Deum timet, nihil negligit. (*Eccle.* VII, 19). » Qua in re notandum video ne ad proferendam senten-

A tiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensemus, ipse quippe ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum « omnia nuda et aperta sint oculis ejus (*Hebr.* IV, 13), » mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam (*Gen.* XVIII, 20,21). » Quæ scilicet verba etiam per vocem Ecclesiæ ad interpretationem typicam possumus non inconve-

B nienter referre. Ipsa quippe electos suos, cum mala carnalium judicat, hoc quod nescit investigat, quia mala quæ nescit operando, investigat per judicium corrigendo. Sequitur :

VERS. 17. *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* — Toties quippe ex iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando diripuit. Quis namque iniquus verius dici potest quam diabolus ? molas conterimus, deserendo contra ejus insidias occulta illius machinamenta monstramus, ac de ejus dentibus prædam tollimus, quia mentem quam jam ad peccandum frangendo momorderat, ad salutem vitæ convertendo revocamus. Per molas quippe occultæ ejus insidiæ, per dentes vero aperte jam

C perpetratio demonstratur. De quibus inimicorum molis ac dentibus per Psalmistam scriptum est : « Deus vero contrivit dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus (*Psal.* LVII, 7). Sed prius necesse est occulta consiliorum illius machinamenta prodere, ut auditoris nostri animum valeamus postmodum aperto lapsu revocare. Contra hunc leonem sancta Ecclesia, qui ejus insidias conspicit, fidei caulas munit, cujus toties molas frangit, quoties hæreticorum argumenta destruit ; totiesque ab ejus dentibus prædam diripit, quoties ab errore quempiam prædicando convertit. Sequitur :

VERS. 18. *Dicebamque : In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* — Quid hoc loco per nomen exprimitur? Multitudo quippe illa bo-

D norum quæ persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in nido, sic in loco quietis explere credidit. Hinc scriptum est : « Etenim pater invenit sibi domum, et turtur nidum (*Psal.* LXXXIII, 4). » Palma enim tarde proficit, sed diu in veritate subsistit. Cum multis autem difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, et pro collectione plurimorum in ejusdem fidei gloria diutius stare concupiscit. Sicut palma ergo multiplicare se dies credidit, quæ, emergente subitæ tentationis articulo, pacis suæ gratiam et tarde fidelibus adeptam, et citius ab infidelibus interceptam dolet. Nec immerito justorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferius tacta aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta, superius vero et

visu fructibus pulchra. Inferius corticum suarum involutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita despecta inferius, superius pulchra. In ima ista quasi multis corticibus obvolvitur, dum multis tribulationibus angustatur; in summa vero illa quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur, in hoc autem quod palma minoris amplitudinis ab imis inchoat, et juxta ramos ac ramos ampliori robore exsurgit, designatur proficiens vita justorum, qui nequaquam sunt in terrenis studiis fortes et in cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se exhibent Deo, quam sæculo fuisse meminerunt, et si tepidus prima inchoat, ferventius extrema consumit : videlicet semper inchoare se æstimat, et idcirco infatigabilis in novitate perdurat. Hanc scilicet justorum constantiam propheta intuens ait : « Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current, et non laborabunt ; ambulabunt, et non deficient (*Isa.* XL, 31). » Sequitur :

VERS. 19. *Radix mea aperta est secus aquas.* — Juxta aquas etenim radix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta lætanter cogitatio mentis expanditur. Quæ scilicet verba si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducimus, radix illius ipsa debet incarnatio Redemptoris intelligi, quæ juxta aquas aperta est, dum Deus invisibilis per assumptionem humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ. Hinc scriptum est : « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* I, 3). » Sequitur : *Et res morabitur in messione mea.* — Subaudis : dicebam, messio enim sanctæ Ecclesiæ non inconvenienter accipitur, cum perfectæ animæ a corporibus abstractæ, velut maturæ segetes a terra decisæ ad cœlestia horrea demigrant. Ros namque desuper cadit, messis deorsum colligitur. Ergo ros moratur in messione, quia gratia desuper veniens agit ut digni simus qui de inferioribus colligamur. Hinc Paulus ait : « Gratia Dei sum id quod sum (*I Cor.* XV, 10). » Sequitur :

VERS. 20. *Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.* — Sancta quippe Ecclesia quasi amissam gloriam deplorat, cum fideles suos ad vitam veterem redire considerat, ait enim : *Dicebamque : Gloria mea semper innovabitur.* Quia eos quos in se novæ vitæ militare credidit, vetustis desideriis servire cognoscit. Arcus autem nomine in sacro eloquio aliquando malorum insidiæ designantur, ut illud : « Intenderunt arcum rem amaram (*Psal.* LXIII, 4). » Aliquando vero dies judicii, ut illud : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX, 6). » Aliquando autem ipsa eadem sacra eloquia designantur, ut illud : « Arcum suum tetendit, et paravit illum (*Psal.* VII, 13). » Quid igitur in hoc loco arcus nomine, nisi sacrum eloquium debet intelligi ? In chorda etenim Testamentum Novum, in cornu vero Testamentum Vetus accipitur. In arcu autem dum corda trahitur cornu curvatur, sicut in hoc eodem sacro eloquio dum Testamentum Novum legitur, duritia Testamenti Veteris emollitur. Nec indecenter dicimus chordam Testamento Novo congruere, quod de incarnatione Dominica certum est exstitisse. Quasi ergo chorda trahitur, et cornu curvatur, quia dum in Testamento Novo incarnatio mediatoris agnoscitur, ad spiritalem intelligentiam rigor Testamenti Veteris inclinatur. In manu etenim arcum tenet, qui divina eloquia quæ intellectu cognoscit, operatione perficit. Instauratur ergo arcus in manu, dum quidquid de sacro eloquio studendo cognoscitur, vivendo completur. Hinc etiam Salomon dum fortes spiritalis pugnæ describeret bellatores, ait : « Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (*Cant.* III, 8). » Sed dum « omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi Jesu (*Phil.* II, 21), » scripta Dei ubique reperta opponuntur oculis, sed hæc cognoscere homines dedignantur, pene nullus quærit scire quod credit. Multitudo ergo bonorum præcedentium arcum suum destrui doleat, quæ sacrum eloquium restaurari semper per studium subsequentium credebat.

# LIBER VICESIMUS.

Sancta quippe Ecclesia, hæreticorum vel carnalium tribulationibus pressa, præteritorum reminiscitur temporum, in quibus omne quod ab ea dicitur, cum metu a fidelibus auditur ; et adversariorum suorum proterviam deplorans dicit :

VERS. 21. *Qui me audiebant expectabant sententiam, et intenti tacebant ad concilium meum.* — Ac si aperte dicat : Non ut hi protervi ac tumidi, qui dum veritatis verba suscipere renuunt, prædicationis meæ sententiam quasi docendo præcurrunt. Citius nunc discipuli intenti ad ejus consilium tacent, quia ejus verba non audent impugnare, sed credere. Sequitur :

VERS. 22. *Verbis meis addere nihil audebant.* — Quia tunc nimirum hæretici cum contra hanc libertate pessima fuerint effrenati, dictis ejus addere aliquid præsumunt, cum prædicamentorum ejus rectitudinem quasi emendare moliuntur. Sequitur : *Et super illos stillabat eloquium meum.* — In hac stillatione eloquii, quid aliud quam mensura prædicationis accipitur? Quia oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem

ingenii conferatur. Hinc est quod jubente Domino non solum phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Sequitur :

Vers. 23. *Exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* — Verba quippe sanctæ prædicationis sicut pluviam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus, ut potu sanctæ prædicationis irrigemur. Unde recte per Psalmistam dicitur : « Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII). » Qui dum in extrema parte jam sæculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi *ad imbrem serotinum* os cordis aperimus. Nam si os in corde non esset, Psalmista non diceret : « Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt (*Psal.* XI, 3), » mala. Hinc scriptum est : « Dabo [illegible] vobis pluviam temporaneam et serotinam (*Deut.* XI, 14). » Sequitur :

Vers. 24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* — Hoc si juxta historiæ verba percipimus, credi necesse est quod vir sanctus talem se exhibuerit subditus, ut etiam ridens timeri potuisset. Qua in re quid aliud docemur, nisi quod talis esse debet dispensatio regiminis, ut is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus et arridens timeri debeat, et iratus amari, ut cum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum? Hoc quoque juxta historiam non inconvenienter accipitur quod protinus subinfertur : « Et lux vultus mei non cadebat in terram. » Scriptum quippe est : « Oculi stultorum in finibus terræ (*Prov.* XVII, 24). » Rursumque per eumdem Salomonem dicitur : « Oculi sapientis in capite ejus (*Eccle.* II, 14). » Paulus quoque ait : « Caput viri Christus (*I Cor.* XI, 3). » Oculi sapientis ergo in capite ejus sunt, dum Redemptoris sui semper opera, quæ imitari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus hujus in terram non cecidit, quia quæ terrena sunt per concupiscentiam non aspexit. Sed quia sæpe vox capitis ad vocem corporis, sæpe vox corporis ad vocem capitis transit. Qui enim sunt in carne una nihil obstat ut conveniant etiam in voce una. Dicat ergo ex voce capitis de electis suis, dicat Ecclesia : *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Ridere enim Dei est sanctorum vias prosequenti favore prosperari, sicut de his quoque per usum dicitur, quos in sæculo felicitatis blandimenta comitantur. Arrisit illis tempus, sed Redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multis jam donis testantibus, et gratiam favoris ejus accipimus, et tamen adhuc sub ejus judicio de nostra infirmitate titubamus. Hinc per Salomonem dicitur : « Beatus vir qui semper est pavidus, qui autem mentis est duræ corruet in malum (*Prov.* XXVIII, 14). » Quid namque terra, nisi peccator vocatur? cui prima sententia dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Genes.* III, 19). » Lux ergo vultus Domini in terra nequaquam cadit, quia visionis ejus claritas peccatoribus non apparet. Scriptum namque est : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. » Quasi

A enim lux in terram cadere, [illegible] in extremo judicio ve[illegible] claritatem [illegible] peccatoribus aperire. Quod si [illegible] sanctæ Ecclesiæ voce suscipimus, non incongrue intelligere poterimus lucem vultus ejus in terram non cadere, quia, occupatis in terrenis actibus, vitat summa contemplationis suæ mysteria prædicare. Dici enim infirmis fortia prohibet, ne dum incapabilia audiunt prædicationis verbis, quibus sublevari debuerant, opprimantur. Sequitur :

Vers. 25. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.* — Quia in corde reproborum priori loco actiones carnis sunt, et posteriori actiones animæ, in eorum procul dubio cogitationibus Christus non primus, sed ultimus sedet. Sed electi quique,
B [illegible] præ omnibus quæ æterna sunt cogitant, posteriori cura minima si quæ sunt temporalia disponunt, quibus et magistra voce Veritas dicit : « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI, 33). » In eorum corde Dominus primus sedet. Sequitur : *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* — Quasi rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit, ex ipsa hac diversitate cogitationum quasi quidam illum exercitus circumstat. Sive certe quasi rex sedet
C circumstante exercitu, quia præsidente illo mentibus electorum circumstat turba virtutum. Quia etiam mœrentium consolator est ea promissione qua dicit : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Marc.* V, 5). » Et rursus : « Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI, 22). » Ea vero quæ de sanctæ Ecclesiæ capite diximus, nihil obstat si ad vocem quoque ipsius Ecclesiæ referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi rex præsidet, quem fidelium suorum turba circumstat, quæ scilicet multitudo fidelium, recte quoque exercitus dicitur, quia in procinctu bonorum operum indesinenter quotidie contra tentationum bella præparatur. Corde quoque mœrentium sancta Ecclesia
D consolatur, dum præsentis peregrinationis ærumna afflictas mentes electorum pensat, et has æternæ patriæ promissione lætificat. Sciendum nobis est quod valde ædificare lectorem etiam juxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mista sit, et regendi auctoritas, et benignitas consolandi. Ait enim : *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu.* Ecce auctoritas regiminis. *Eram tamen mœrentium consolator.* Ecce ministerium pietatis. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, et juste consolans misericordia et pie sæviens disciplina. Sequitur :

## CAPUT XXX.

Vers. 1. *Nunc autem derident me juniores tem-*

*pore.* — Omnes hæretici universali Ecclesiæ comparati, juniores tempore congrue vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab illis. Unde recte quoque per Joannem dicitur : « A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum (*I Joan.* II, 19). » Juniores ergo sanctam Ecclesiam irrident cum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinam ejus despiciunt. De quibus adhuc subditur : *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* — Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium ? vel qui alii hujus gregis canes vocantur, nisi doctores sancti, qui eorumdem fidelium custodes exstiterunt ? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, [illegible] pro [illegible] donis dederunt. De quibus eidem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* LXVII, 24). » Patres vero hæreticorum dicimus eos videlicet quos hæresiarchas vocamus, de quorum perversa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum canibus gregis sui hæreticorum Patres ponere dedignatur, quia inventores errorum dijudicando respuit, eosque inter veros Patres numerare contemnit. Sequitur :

VERS. 2. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni.* — Virtus quippe in manu est, magnitudo in operatione : sed virtus manuum hæreticorum a sancta Ecclesia pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quidquid operantur. Charitatem quippe Dei et proximi deserunt, qui et de Deo falsa sentiunt, et proximis jurgando dividuntur. Nonnunquam vero hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed quia ad eadem signa, quæ exhibent, nulla humilitate concordant, recte subditur : *Et vita ipsa putabantur indigni.* Vel certe omnes hæreticos sancta Ecclesia vita ipsa fatetur indignos, quia nimirum sub nomine Christi militant contra nomen Christi de quibus adhuc subditur :

VERS. 3. *Egestate et fame steriles.* — Omnes hæretici dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari quam capiunt, fame sua steriles fiunt, neque ea quærunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servent, longanimitatem exhibeant, sed ea solummodo quæ eos doctos ac loquaces demonstrent ; illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi videantur. Quam bene eorum audaciam prædicator egregius refrenat dicens : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). » Sequitur :

VERS. 4. *Qui rodebant in solitudine squallentes calamitate et miseria, et mandebant herbas et arborum cortices.* — Rodi solet, quod comedi non potest. Hæretici autem, quia Scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt, quam dum non intelligunt quasi non edunt ; et quia per supernam gratiam non adjuti hanc edere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt, et qui ab universalis Ecclesiæ societate disjuncti sunt, non quolibet loco rodere, sed *in solitudine* memorantur. Qui recte perhibentur *calamitate et miseria* squalidi, quia et morum sunt pernicie et sensus pravitate despecti. Qui herbas quoque et cortices arborum mandunt, quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna et intima percipere nequeunt, sed vix in illa quædam tenera et exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora, per arborum cortices, Patrum eloquia exteriora signantur. Vel certe herbas mandere est, de Scriptura sacra minima præcepta servare, majora contemnere. Quos bene Veritas increpat dicens : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis (*Matth.* XXVIII, 23). » Qui arborum cortices mandunt, quia sunt nonnulli qui in sacris voluminibus solam litteræ superficiem venerantur, ne quidquam de spiritali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint, esse suspicantur. Hinc Paulus ait : « Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri (*Rom.* XVI, 18). » Aliter : Quid aliud hoc in loco solitudo, quam boni destitutio demonstratur ? Unde et sub Judææ typo Jeremias peccatoris animam deplorat, dicens : « Quomodo sedet sola civitas plena populo ? » (*Thren.* I, 1.) Sed cum per beatum Job de pravis dicitur, *rodebant in solitudine,* libet intueri, hoc etiam quod per Psalmistam dictum est : « Inimici ejus terram lingent (*Psal.* LXXI, 9). » Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ servientium, unum videlicet quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguæ, aliud vero quod aperta vita intendit rapinæ. Omnes igitur qui aliena appetunt, sed ea quæ appetunt rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus, et quasi mollitie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingent ? Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, et concupiscentes aliena, blandire quidem ex fraude despiciunt, quia etiam injusto robore possunt implere quod volunt, hoc quod appetunt non lambunt, sed rodunt. De his quippe ac si dicat Ecclesia, aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi prius ipsi in interioribus suis, soli ac vacui a virtutum cultura remanerent. Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus nil in hac vita nisi unde affligeretur invenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit deservimus, mentisque curam negligimus, et miseriæ negligentiam, infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitatis igitur causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare ? Quid enim per herbas, nisi tenera ac terræ proxima bene inchoantium vita ? Et quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorum, qui jam sublimia appe-

tunt, designantur ? Pravi namque cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cum vero jam quosdam pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, a quibusdam illos suis operibus divertunt. Herbas itaque eis, et arborum cortices mandere est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorumdam jam more arborum ad superiora tendentium persuasionibus pestiferis, quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus, dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Vel certe herbas mandere est lævia quædam ac tenera de antiquis Patribus imitari. Arborum vero cortices edere est eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sequitur : *Et radix juniperorum erat cibus eorum.* — Arbor namque juniperi pro foliis punctiones habet, sic quippe sunt hirsuta quæ profert, ut spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Unde justi voce et pœnitentis dicitur : « Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina (*Psal.* XXXI, 4). » Quid vero per radicem juniperi, nisi avaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur ? De qua et per Paulum dicitur : « Radix omnium malorum est cupiditas (*II Tim.* VI, 20). » Quia igitur plerumque hæretici sola instruunt, sed erroris prædicamenta non deserunt, dum sumptus percipere quasi doctores volunt, bene de eis sancti viri nunc voce dicitur : *Et radix juniperorum erat cibus eorum.* Quia dum totis mentis suæ sensibus avaritiam cogitant, quasi eo alimento vescuntur, de quo nasci procul dubio peccatorum sequentium punctiones solent. Aliter : Qui enim non frugem divini eloquii concupiscunt, sed ad rerum temporalium ambitum serviunt, nequaquam pane tritici, sed radice juniperi satiantur. Contemnentes namque Deum hic minime sentiunt, quantum sit mali quod agunt. Adhuc enim juniperi radicem comedunt, sed hujus radicis quam sint rami asperi non attendunt. Quia nimirum prava actio modo quasi ex radice delecta in culpa, sed postmodum quasi ex se ramis pungit in pœna. Sequitur :

VERS. 5. *Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, cum clamore currebant.* — De convallibus illa rapiunt, quia hæc de humilibus dictis Patrum superbo spiritu colligunt, quæ dum pro suis se partibus invenisse gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt. Quia videlicet omne quod sentiunt, appetitæ laudis ad aures hominum diffamare conantur. Aliter : In comparatione videlicet supernorum omnis præsens vita convallis est ; hi autem, quia sublimia montium, id est fortia acta sanctorum contemplari nesciunt, sed per oblectationem in infimis quasi in convallibus conversantur, et dum quodlibet lucrum vel parvi stipendii inveniunt, cum clamore currunt, quia hoc abstrahere etiam jurgando moliuntur.

A In convalle enim repertis singulis cum clamore currere est, subortis causarum occasionibus etiam pro parva stipe litigare. Possunt quoque per herbas atque arborum cortices non solum, ut prædictum est, bonorum opera, sed in hac vita consolationes ac prosperitates intelligi. Sæpe enim omnipotens Deus electos cum donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus sublevat, cumque eos præferendo cæteros honorabiles reddit, latius imitabiles ostendit. Et nonnunquam pravi quidam eorum vitam despiciunt, sed felicitatem in hoc mundo assequi concupiscunt. Quia igitur hi blandimenta transitoriæ quærunt consolationis, herbas comedunt, quia in cogitationibus suis exteriorem eorum gloriam meditantur,
B arborum cortices mandunt ; et quoniam in his omnibus soli avaritiæ tota intentione deserviunt, radice juniperi replentur. Quæ cuncta de convallibus rapiunt, quia ex amore hujus infimæ et corruptibilis vitæ immensis cupiditatibus inardescunt, et cum singula reperiunt ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet sanctorum Patrum quorum merita adipisci non quærunt, loca atque regimina apprehendere satagunt, et cum tranquilla nequeunt, hæc plerumque assequi, etiam disrupta concordiæ pace moliuntur. Sequitur :

VERS. 6. *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream.* — Jure igitur inventores perversorum dogmatum torrentes vo-
C cantur, quia a calore charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt, qui non perpetua plenitudine profluunt, sed catholicorum allegationibus quasi æstibus solis exsiccantur. Et quidem inventores perversorum dogmatum contra sanctam Ecclesiam exorti fervore jam veritatis exstincti sunt, sed tamen eorum discipuli ea quæ illi docuerunt tenere ac defendere non desistunt. Hi ergo qui illorum sequuntur errores *in desertis torrentium* habitant, id est, in eorum prædicatione confidunt, quorum eloquia catholicorum jam responsione et ratiocinatione siccata sunt. Quid vero aliud cavernas terræ, quam occultas hæreticorum prædicationes accipimus ? Sic enim inter se hæretici clandestinis conventiculis coeunt, ut errori suo reverentiam quam ex ratione non valent, præbeant
D ex occultatione. Glaream quippe illos minutissimos dicimus lapides, quos aqua fluvialis trahit. Doctores igitur perversorum dogmatum super glaream habitant, quia illas hominum mentes trahunt, quæ nulla gravitatis stabilitate solidantur, quas velut de loco semper ad locum flumina errorum ducunt. Unde et prædicator egregius cum auditores suos non temporaliter duci, sed forti cuperet gravitate solidari, admonuit dicens : « Ut jam non simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV, 14). » Aliter : In bona etenim parte recte torrentes sanctos prædicatores accipimus, qui dum in præsenti vita divinis nobis eloquiis influunt, aquarum multitudine quasi in hieme colliguntur. Qui et æstivo sole adveniente

se subtrahunt, quia cum æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Horum torrenta deserta sunt vitæ temporalis commoda. Ea namque deserunt et ad lucra se cœlestis adipiscenda convertunt. Cuncta autem hæc torrens ille reliquerat, qui dicebat : « Propter quæ omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora (*Phil.* III, 8). » Sed quia pravorum mentes ea in hac vita adipisci appetunt quæ despicientes justi derelinquunt, *in desertis torrentium* habitare referuntur; illa enim quæ sanctis indigna sunt, ipsi percipere pro magno concupiscunt. Cavernæ autem terræ sunt cogitationes pravæ, in quibus se ab humanis oculis abscondunt. Pravi quippe ut sunt, ab hominibus videri refugiunt. Glarea namque est vita præsens, quæ indesinenter ad terminum suum ipso defectu mutabilitatis quasi impulsu fluminis ducitur. Super glaream itaque habitare, est fluxui vitæ præsentis inhærere, et ibi intentionem ponere, ubi gressum nequeat fixe stando solidare. Est aliud in glarea quod nequaquam debeat tacendo præteriri. Quia cum pes in ejus superficie ponitur, ipsa ejus volubilitate labitur, atque ad ima devolvitur. Cui videlicet rei in nullo discrepat vita pravorum, quia cum pro amore mundi aliqua student licita atque honesta agere, quasi planum in superficie pedem ponunt; sed repente pes ad ima labitur, quia eorum actio, dum plura semper appetit, usque ad iniqua et illicita descendunt. Sequitur :

VERS. 7. *Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.* — Quid nomine sentiunt, nisi eas quas supradiximus, punctiones intelligimus peccatorum ? Quia autem perversæ mentes gaudent iniquitatibus quas flere debuerunt, omnes hæretici tanto se inani lætitia extollunt, qanto magis ad pejora convalescunt, et quasi esse sub sentibus delicias deputant, quia inde perversam ad gaudium sublevant, unde spinas peccatorum portant. Aliter : Inter hujuscemodi impii lætantur, quia nimirum attendunt transitoria quæ percipiunt, et intueri negligunt permanentia quæ perdunt, cumque amore temporalium flagrant, veram lætitiam volentes ignorant. Lætantur itaque, sed *sub sentibus*, quia rebus quidem temporalibus gaudent, sed tamen dum dispensare sine tribulatione eadem temporalia non valent, ea cura punguntur miseri, qua premuntur. Manent *sub sentibus*, et hoc ipsum *delicias* æstimant, qui et dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant, et tamen effectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem ejusdem tolerantiæ voluptatem putant. Sequitur :

VERS 8. *Filii stultorum et ignobilium.* — Eorum videlicet filii qui fuerunt errorum magistri. Filii igitur dicuntur, non de eorum semine, sed de imitatione generati, qui docendo perversa stulti fuerunt per ignorantiam, vivendo nequiter ignobiles per actionem, qui Redemptori nostro, nulla sapientia, nulla vitæ cognitione conjuncti sunt. De quo Salomonis voce in laude sanctæ Ecclesiæ di-

A citur : « Nobilis in portis vir ejus (*Prov.* XXXI, 23). » Hi itaque qui perversa errantium exempla secuti sunt, filii stultorum et ignobilium esse memorantur. Recte subjungitur : *Et in terra penitus non parentes.* — Quia dum hic videri aliquid appetunt, nimirum a terra viventium exsortes fiunt. Aliter : Sciendum nobis est quod alii intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti, sed tamen nobiles, alii vero sunt stulti et ignobiles. Stulti namque dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt, qui carnis prudentiam contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt, et ad nobilitatem internæ prolis virtute novitate sublevantur. Qui stultam sapientiam mundi despiciunt, et sapientiam Dei stultitiam concupiscunt. Scriptum quippe est : « Quod B stultum est Dei, sapientius est hominibus (*I Cor.* I, 25). » Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet dicens : « Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens (*I Cor.* III, 18). » Hanc stultitiam qui perfecte secuti sunt, voce sapientiæ audire meruerunt : « Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. At contra sunt stulti et ignobiles, qui dum supernam sapientiam semetipsos sequentes fugiunt, in sua ignorantia quasi in abjectæ prolis vilitate sopiuntur. Stulti sunt ergo et ignobiles quos ab æterno C hæreditatis consortio repellit servitus mentis. Scriptum quippe est : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Quorum dum plerique actus imitantur, filii stultorum et ignobilium fiunt, dumque et sensibus ac moribus sequuntur et stulti sunt, veram sapientiam non intelligunt, et ignobiles, quia nulla spiritus libertate renovantur. Sicut enim plerique in terra sunt, et a cognitione hominum abjectione vilitatis suæ quasi quadam superductione velaminis absconduntur, ita nonnulli sunt in Ecclesia, qui dum abjectioni se pravorum operum subdunt, divino noti conspectui non sunt, quibus et quandoque dicendum est : « Discedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos (*Luc.* XIII, 27). » Esse ergo in terra D et parere est in fide recta per virtutem operis nobilitatem mentis ostendere. Esse vero in terra et penitus non apparere, est in Ecclesia quidem fide consistere, sed nihil dignum fide in opere demonstrare. Sequitur :

VERS. 9. *Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis proverbium.* — Quibus videlicet versibus, illud sanctæ Ecclesiæ tempus exprimitur, quod publice a reprobis irridetur, quando iniquis crescentibus in opprobrium fides et veritas erit in crimine. Sancta itaque electorum Ecclesia afflictionis tempore proverbium pravis afficitur [efficitur], quia cum bonos mori per tormenta conspiciunt, ab eis similitudinem maledictionis sumunt. Sequitur :

VERS. 10. *Abominantur me, et longe fugiunt a me*

*et faciem meam conspuere non verentur.* — Longe a sancta Ecclesia fugiunt omnes iniqui, non passibus gressuum, sed qualitatibus morum ; longe refugiunt, non loco, sed merito, dum crescente superbia aperta etiam exprobratione contemnunt ; faciem namque ejus conspuere est, non tantum in absente bonis detrahere, sed unumquemque justum etiam in præsentia confutare. Quos tunc pravi dum aperte irridendo despiciunt, in eorum contumeliis fluxa verba quasi defluentes salivas mittunt. Sequitur :

VERS. 11. *Pharetram suam aperuit et afflixit me.* — Quid per pharetram, nisi occultum consilium designatur ? Sagittam vero de pharetra Dominus ejicit, quando de occulto consilio apertam sententiam emittit. Quia enim flagellatur quisque cognoscimus, sed qua ex causa flagellum veniat, ignoramus. Cum vero post flagella vitæ correctio sequitur, etiam ipsa consilii virtus aperitur. Pharetra igitur clausa est consilium occultum, sed aperta pharetra affligimur, quando per id quod post flagellum sequitur, quo consilio flagellamur, videmus. Sancta igitur electorum Ecclesia adversariorum voces insolentes sustinens, dum cernit quod ejus prædicatio non admittit, quorumdam duritiem deserens, prædicationis suæ verba moderatur. Perpendens etenim persecutores suos ac exhortationi vocem deteriores existere, magis eligit tacere ; cumque indignos qui audiunt conspicit prædicationem suam obducto silentio astringit. Unde apte subjungitur : *Et frenum posuit in os meum.* — Ac si aperte fateatur dicens : Quia in quibusdam profectum non vidi, prædicationis ab eis impetum temperavi, ut vitam meam saltem per patientiam discerent, cum verba mea admittere per oblatam prædicationem nolent. Sequitur :

VERS. 12. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico resurrexerunt.* — Ad sinistram quippe calamitates surgerent, si a quibuslibet extra religionem positis et aperte Christum negantibus persecutionis adversa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriuntur, quia hi qui sub Christi nomine militant, Christi in ea nomen impugnant. Ipso enim locutionis usu pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus, pro sinistro vero id quod despicimus. Quod Zacharias aperte insinuat, dicens : « Et ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei (*Zach.* III, 1). » Bene autem hæc ipsa dextra orientis vocatur. De ipso quippe ejus capite scriptum est : « Oriens est nomen ejus (*Zach.* VI, 12). » Nam quia ab oriente lux surgit, recte Oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ injustitiæ nox illustratur. Ad orientis ergo dextram calamitates surgunt, quia hi quoque ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur. Quas videlicet calamitates recte illico asserit surgere, quia non erant extranei qui persequuntur ab eis repente malum, et illico fiunt. Si vero dextra hi qui veraciter fideles sunt, appellantur, calamitates ad dexteram orientis surgunt, quia erumpente persecutionis articulo crudeles pravorum impetus justi patiuntur. Sequitur : *Pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.* — Quid per pedes Ecclesiæ nisi extrema illius membra signantur ? quæ dum ad opera terrena deserviunt, tanto celerius ab adversariis falli possunt, quanto sublimia minus intelligunt. Hos itaque pedes adversarii subvertunt, videlicet cum extrema membra illius ad sui dogmatis errorem trahunt ; quia scilicet vita pravorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendum, ut ita dixerim, navem cordis quasi tempestas illabitur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur : « Quasi tempestas transiens, non erit impius (*Prov.* X, 25). » Sequitur :

VERS. 13. *Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium.* — Dicat hæc beatus Job de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis. Dicat universa Ecclesia de pravis persequentibus, scilicet adversariis apertis. Ipsi quippe ejus itinera dissipant, cum in quorumdam infirmorum mentibus veritatis vias callida persuasione perturbant. Ipsi insidiantes prævalent, cum eos quos aperte ad malum trahere nequeunt, bona simulando pervertunt. Sed mirum valde quod subjicit : *Non fuit qui ferret auxilium*, cum de divino adjutorio Psalmista clamet : « Adjutor in opportunitatibus in tribulatione (*Psal.* IX, 10). » Qua itaque ratione nunc dicitur, *non fuit qui ferret auxilium*, nisi quia omnipotens Deus, eos quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit ? Unde scriptum est : « Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te (*Isa* XIV, 7). » Sequitur :

VERS. 14. *Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.* — Quid hoc loco muri nomine, nisi Redemptor humani generis appellatur ? De quo pro sanctæ Ecclesiæ ædificatione per prophetam dicitur : « Ponitur in ea murus et antemurale (*Isa.* XXVI, 1). » Sed quasi murus rumpitur, cum pravorum persuasionibus fides, quæ in Redemptore nostro est, in quorumdam corde dissipatur. Cumque perversis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur ? Quasi rupto ergo muro et aperta janua super bonos mali irruunt, cum accepta temporaliter potestate perversi ipsa quoque in quorumdam corde destruere munimina fidei conantur. De quibus aperte dicitur : *Et ad meas miserias devoluti sunt.* — Quia videlicet prius ad suas. Nisi enim perverse vivendo ad suas miserias caderent, nequaquam ad eas postmodum et alios suaderent. Potest quoque intelligi muri nomine, munitio disciplinæ, Salomone attestante, qui ait : « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat (*Prov.* XXIV, 30). » Quasi ergo hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum,

vel pravorum hominum persuasione callida disciplinæ munimina in corde dissipantur. Sequitur :

VERS. 15. *Redactus sum in nihilum.* — Apud æstimationem quippe malorum in nihilum redigimur, quando ea quæ ipsi quasi summa diligunt, bona temporalia non tenemus. Sequitur : *Abstulisti quasi ventus desiderium meum.* — Fidelis quippe populus se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Ventus ergo desiderium tollit, cum res quælibet transitoria æternitatis appetitum destruit, ubi adhuc congrue subinfertur : *Ea velut nubes pertransiit salus mea.* — Nubes quippe in altum eminet; sed hanc ad cursum flatus impellit: sic nimirum, sic sunt temporalia iniquorum bona. Altum quippe per honoris celsitudinem degere videntur, et ad cursum vitæ suæ quotidie quasi quibusdam mortalitatis suæ flatibus impelluntur. Sequitur :

VERS. 16 *Nunc autem in memetipso marcessit anima mea, et possident me dies afflictionis.* — Electorum quippe anima nunc marcessit, quia in illa postmodum æterna exsultatione viridescit. Modo eos dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur. Scriptum quippe est : » Timenti Dominum bene erit in extremis (*Eccli.* I, 13). » Et rursum de Ecclesia dicitur : « Ridebit in die novissimo (*Prov.* XXXI, 25). » Sed hæc quæ allegorica indagatione transcurrimus, oportet ut per omnia etiam juxta historiam teneamus Quæ tamen nunc idcirco prætereo, quia hæc et aperta esse legentibus non ignoro. Sequitur :

VERS. 17. *Et nocte os meum perforatur doloribus.*— Quid per ossa, nisi fortes quippe in sanctæ Ecclesiæ corpore designantur ? qui quasi os ab osse membra continent, dum mores infirmantium stabiliter portant. Sed cum tribulationis ultimæ contra eam fervor excreverit, in *nocte os* illius *perforatur doloribus*, quia nonnunquam tormentis victi etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur. Sequitur : *Et qui me comedunt non dormiunt.* Quia maligni spiritus, qui carnales quoque de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravatur. Sequitur :

VERS. 18. *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.* — Si historiæ intendimus, quid aliud vestimentum beatus Job, quam ejus corpus accipimus ? cujus videlicet vestimentum consumitur, dum caro cruciatur. Juxta allegoriæ vero mysterium, vestimentum est sanctæ Ecclesiæ fidelium vita. Nam sicut tota simul Ecclesia vestimentum Christi, ita fideles quique ejusdem Ecclesiæ vestimenta deputantur. Hinc Paulus ait : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V, 27). » Hinc per prophetam Dominus ait : « Vivo ego quia omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX, 18). » Sed cum procella suæ persecutionis oboritur plerique fidelium ab ejus amore separantur, qui ei sedule inhærere videbantur. Tunicæ capitium collum circumdat induentis, collum vero cum stringitur, vocis usus et vitalis flatus necatur. Sanctam ergo Ecclesiam reprobi quasi capitio tunicæ constringunt, qui in ea persecutionibus suis vitam fidei et prædicationis vocem extinguere conantur. Sequitur :

VERS. 19. *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.*— In reproborum quippe judicio sancta electorum Ecclesia luto comparatur, quia temporaliter conculcata despicitur: *favillæ* assimilatur et *cineri*, quia dum bona ejus interiora non vident, ad sola hanc mala pervenisse æstimant, quæ exhibere corporaliter vident. Sequitur :

VERS. 20. *Clamo ad te, et non exaudis ; sto, et non respicis me.* — Sancta quippe Ecclesia persecutionis suæ tempore, fide stat, desideriis clamat, sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Sequitur :

VERS. 21. *Mutatus es mihi in crudelem.* — Ac si aperte dicat : Qui in te ipso crudelitatis nil habes, mihi, quem respirare a persecutione non sinis, crudelis videris. Ita enim Deus esse crudelis non potest, sicut nec mutari ullatenus potest. Sed quia omnino in Deo nunquam nec crudelitas nec mutabilitas venit, dum mihi dicit, quod in semetipso Deum nec crudelem nec mutabilem sentiat ostendit. Nam dum circa nos quædam prospera et adversa variantur, in eo quod nos mutamur, quasi ejus circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse vero in se commutabilis permanens, aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum pro qualitate meritorum. Sequitur : *Et in duritia manus tuæ adversario mihi.* — Manus enim Dei dura creditur, cum voluntati nostræ contraria hoc quod ei in nobis displicet, feriendo persequitur, et flagella ingeminat, cum dolentis anima clementiam exspectat. Quæ tamen juxta allegoriæ mysterium bene sanctæ Ecclesiæ verbis congruunt, ex vocibus infirmorum qui plerumque se plus feriri æstimant, quam mereri putant, et quasi credulitatem arbitrantur judicis, districtionem æquissimam rationis. Quia et cum vulnus ægri medicinali ferramento absciditur, medicus crudelis vocatur : qui tamen per secantis manus duritiam adversatur vulneri, sed concordat saluti. Sequitur :

VERS. 22. *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.* — Quia præsentis vitæ gloria, quasi in alte cernitur, sed nulla stabilitate solidatur, velut elevatur et super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur. Quoniam ad hoc solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia cunctis in honore est, infirmi quippe in ea, qui transitoriis successibus lætantur, quo nisi super ventum videntur elevati ? Qui subsequente persecutionis tempore, dum prosperitatis aura pertransit, eorum protinus elevatio corruit, et repente cadentes discunt, quia elevati prius in ventum sederunt. Quæ videlicet verba etiam sancti viri personæ specialiter congruunt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse

videbatur. Qui quasi super ventum positus elisus est valde; quia rebus exterioribus fultus unde æstimabatur surgere, videbatur inde cecidisse. Sequitur :

VERS. 23. *Scio quia morti trades me ubi constituta est domus omni viventi.* — Recte beatus Job etiam juxta historiam congruit, dum nimium constat quia ante Redemptoris gratiam, ad inferni claustra etiam justi deducerentur. Ipsa quippe inferni receptio domus omnium viventium, non illuc ipsa corruptionis suæ conditione pertransiit. Nullus huc venit, qui ad carnis mortem ejusdem corruptionis suæ non tetendit. De qua videlicet morte per Psalmistam dicitur : « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? » (*Psal.* LXXXVIII, 49). ALLEGORICE. Sanctæ Ecclesiæ vocibus ex persona congruit infirmorum, quia enim multos in se voluptatibus deditos conspicit, eorumque jam interitum præscit, pensat quod in via vitæ præsentis, suis quidem desideriis serviunt, sed tamen ad mortis domum perveniunt omnes qui in ea carnaliter vivunt. Sequitur :

VERS. 24. *Verumtamen non ad consummationem eorum emittis manum tuam, et si corruerint ipse salvabis.* — In quibus profecto verbis hoc solerter debet intelligi, quod beatus Job, dum sua narrat, in se alios transfigurat. Manum itaque suam Dominus ad consummationem peccantium non emittit, cum feriendo a peccatis corripit, et corruentes salvat, dum cadentes ad culpam in salutem corporis vulnerat, ut prostrati exterius, interius surgant, quatenus jacentes corpore, ad interiorem statum redeant, qui stantes exterius ab statu mentis jacebant. Sequitur :

VERS. 25. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* — Scire enim necesse est quia ille perfecte tribuit, qui cum afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam sæpe, ut prædiximus, largitorum muneris rerum facit abundantia, et non virtus compassionis. Percussionis igitur ultimæ sancta Ecclesia tribulatione deprehensa, reducat ad memoriam pacis tempore bona quæ gessit, dicens : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Sequitur (58) :

VERS. 28. *Mærens incedebam sine furore, consurgens in turba clamabam.* — Notandum, sollicite juxta historiam video, quod sanctus vir qui paulo superius dixit, *elevasti me*, inferius adjunxit, *mærens incedebam.* Miro etenim ordine uno eodemque tempore convenire in actibus bonorum solet, et foris honor culminis, et intus afflictæ mœror humilitatis. Sæpe namque seditiosorum tumultus hominum præpositorum suorum mentem lacescunt, sibique ordinis limitem inordinatis motibus excedunt, et plerumque qui præsunt, nisi in ore cordis sancti Spiritus freno teneantur, in ira retributionis atrocitate prosiliunt, quantumque prævalent agere, tantum sibi in subditis æstimant licere. Sed boni contra actum multorum insolentium clamorem habent, et furorem non habent, quoniam quos clementer tolerant, docere non cessant. Sed hæc quæ juxta historiam de uno diximus, juxta allegoriam necesse est, ut de diversis Ecclesiæ electis sentiamus. Ipsa quippe in electis suis etiam per prospera incedit mœrens, quia ni sibi vere prosperum deputat, quousque bonum, quod securiter quærit, apprehendat. Ipsa etiam in turba sine furore consurgit et clamat, quia pravorum vitam studio rectæ æmulationis, non autem vesania furoris insequitur. Irascitur, et amat : sævit, et tranquilla est. Sequitur :

VERS. 29. *Frater fui draconum, et socius struthionum.* — Quid draconum nomine nisi malitiosorum hominum vita signatur? De quibus et per prophetam dicitur : « Traxerunt ventum quasi dracones (*Jer.* XIV, 6). » Perversi etenim quippe ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur. Qui autem struthionum appellatione, nisi simulatores intelligi solent? Struthio etenim pennas habet, sed volatum non habet, quia simulatores quique speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent. Visio quippe eos bonæ actionis decorat, sed a terra minime penna virtutis levat. Electus itaque sanctæ Ecclesiæ populus, quia pacis suæ tempore intra se quosdam malitiosos ac simulatores patitur, dicat : *Frater fui draconum, et socius struthionum*, quod beatus Job vocibus specialiter congruit, quia ad culmen magnæ fortitudinis bonus inter malos fuit. Sequitur :

VERS. 30. *Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate.* — Hæc juxta historiam pensare negligimus, quia videlicet sermonis virtus patet ex pœna passionis. Sed quia, ut sæpe jam diximus, plerumque beatus Job sic narrat gesta ut gerenda præmoneat, bene hoc sanctæ Ecclesiæ vocibus congruit, quæ dolorem persecutionis ultimæ infirmis graviter sentit, cumque ab illa alii pereunt valentiores quique mœrore cruciantur. Exterior quippe causa ejus est terrena dispensatio, interior vero cura cœlestis. Cutis ergo nomine infirmi signantur, qui nunc in ea exteriori utilitati deserviunt. Per ossa vero fortes ejus figurati sunt, in quibus corporis illius tota compago solidatur. Sequitur :

VERS. 31. *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.* — Quia organum per fistulas, et cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organum vero sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantium, per chordas vero citharæ intentionem recte viventium non inconvenienter accipimus, quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata corda in cithara per intuentium admirationem sonat. Siccatur etenim chorda, ut congruum in cithara cantum reddat, quia et sancti viri castigant corpus suum, et servi-

(58) *Hic præterit auctor duos versus, nimirum* 26 *et* 27.

tuti subjiciunt atque ab infimis ad superiora tenduntur. Pensandum quoque est quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat, si amplius, raucum sonat. Quia nimirum virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat quantum valet ; aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quam valet. Ac si ergo sancta Ecclesia extremis persecutionibus pressa fateatur, dicens : Pacis quidem meæ tempore, per alios parva more citharæ, per alios vero more organi magna et sonora prædicabam. Sed nunc, in luctu cithara et organum versum est quia, dum me contemni conspicio, eos qui prædicationis cantum non audiunt deploro. Hæc per quosdam sancta Ecclesia in fine factura est : hæc per quosdam in suis jam exordiis fecit.

# LIBER VICESIMUS PRIMUS.

## CAPUT XXXI.

Qua itaque sanctus vir fortitudine ab omni lapsu exteriora sua custodiæ interioris disciplina constrinxerit, insinuat dicens :

VERS. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* — Cum sit invisibilis anima, nequaquam cor earum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus et tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, et ea quæ extra ejus sunt substantiam concupiscat. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc enim Jeremias ait : « Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras (*Jer.* IX, 21).» Quisquis vero per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Ut enim sanctus vir cogitationes cordis caste servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret quod postmodum incautus amaret : et quia non in se actionem tantummodo, sed etiam cogitationem luxuriæ exstinxit, secutus adjunxit : *Ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sequitur :

VERS. 2. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis.*— Ac si aperte dicat : Si mentem in cogitatione polluerit, ejus qui munditiæ auctor est esse hæreditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt cætera, si occulti judicis oculis castitatis testis testimonio non approbantur, ac si aperte fateatur, dicens : Habere me possessionem suam excelsorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infirmis desideriis tabescit. Sequitur :

VERS. 3. *Nunquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus iniquitatem ?*— Festina consolatione bonorum consideratur finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt quod evadunt, leve existimant quid adversum in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, et delectationum suarum desideria compleant, in finis sui damnatione sensuri sunt, quia mortem male viventes amaverant. Quod videlicet alienationis verbum durius sonaret, si hoc interpres in suæ linguæ voce tenuisset. Quod enim apud nos alienatio, hoc apud Hebræos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit reprobis, cum apud hæreditatem districti judicis, se anathema esse conspiciunt, quia hic eum perversis moribus contempserunt. Sequitur :

VERS. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat ?* — Quid viarum nomine, nisi actiones denuntiat ? Hinc enim per Jeremiam dicitur : « Bonas facite vias vestras, et studia vestra (*Jer.* VII, 3). » Quid vero appellatione gressuum, nisi motus mentium, vel profectus accipimus meritorum ? Quibus profecto gressibus, ad semetipsam nos Veritas vocat dicens : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis (*Matth.* XI, 28).» Sic autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes in ejus judicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim dicit : « Qui irascitur fratri suo reus erit judicio (*Matth.* V, 22).» Sequitur :

VERS. 5, 6. *Si ambulavi in vanitate, aut festinavit in dolo pes meus, appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.* — Scire Dei dicitur scire nos facere. Quis vero stateræ nomine, nisi mediator Dei, et hominum designatur ? in quo æqua lance omnia merita nostra pensantur, et in cujus præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem *statera* appendimur, quoties ad vitæ ejus exempla provocamus. « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 21, 22).» Ac si aperte dicat : Si qua unquam leviter, si qua perniciose perpetravi, Dei et hominum mediator appareat, ut in ejus vita cognoscam an ego veraciter simplex fui. Vanitas quippe ad levitatem, dolus vero ad malitiam pertinet. Et plerumque nonnulli ad quædam post malitiosa perveniunt, quia prius levia non declinant. Sequitur :

VERS. 7. *Si declinavit gressus meus de via.*— Toties de via gressus declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis per sensum relinquit erro-

ris. Quis [illegible] quot perversis desideriis cœlestis vitæ delectatione separamur. [illegible] corruptibilis pondere gravati nequaquam valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpa delectatione pulsare. Sed aliud est nolentem tangi. aliud est consentientem animam perimi. Sequitur : *Sicut se-[illegible]* [illegible] per interioris vigoris custodiam, ad exteriorum membra disciplina redit, ut si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus per disciplinæ magisterium oculus videre recusaret. Sicut enim sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim, ut exempli causa dicamus, David Uriæ conjugem ideo studiose respexit, quia si unquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit. Unde et mox subditur : *Et si in manibus meis [illegible] macula.* [illegible] sanctus in superiora omnia sub conditione intulit, si hæc unquam perpetraverit, sententia se maledictionis astringit dicens :

VERS. 8. *Seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur.*— More sacri eloquii serere dicimus, verba vitæ prædicare. Hinc etenim propheta ait : « Beati qui seminatis super omnes aquas (*Isa.* XXXII, 20).» Comedere autem est, bonis operibus satiari. Unde per semetipsam Veritas dicit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV, 34).» Si ergo ea quæ prætulit facere prætermisit, ait : *Seram, et alius comedat.* Ac si aperte dicat : Quod os meum loquitur, non ego, sed alter operetur. Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur, quia quem lingua vigilans acuit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salomonem, mulier filium, quem vigilans lactare conata fuerat, dormiens interemit (*III Reg.* III, 19). Sequitur :

VERS. 9. *Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum.* — Fornicationis culpa, quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cætera asserit, dicens : « Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI, 9, 10). » Quamvis nonnunquam a reatu adulterii nequaquam discrepet culpa fornicationis, cum Veritas dicat : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 82). » Quia enim in Græco verbo μοιχὸς *adulter* dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit, quia etiam solo visu cum turpiter vel inepte concupiscetur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur, quia sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. Sed hæc beatus

A Job [illegible] quod a reatu culpæ adulterii liber fuit, qui hoc si unquam fecerit, eadem culpa verti sibi expetit in pœnam, dicens :

VERS. 10. *Scortum sit alteri uxor mea, et super illam incurventur multi.* — Et quia hoc plerumque quod faciendo non perpendimus, quam gravis sit patiendo pensavimus, ejusdem tanti facinoris quod pati reus debet denuntiat exprimendo manifestat, dicens :

V[illegible]. 11, 12. *[illegible] est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* — Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen.

B Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde et prædicator sanctus cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit, si quis sine peccato, sed « si quis sine crimine est (*Tit.* I, 6).» Quis vero esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat : « Si diximus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est ? » (*I Joan.* I, 8). In qua videlicet peccatorum, et criminum districtione [distinctione] pensandum est, quia nonnulla peccata animum polluunt, nam crimina exstinguunt. Unde beatus Job crimen luxuriæ definiens [illegible] *perditionem devorans.* Quia nimirum reatus facinorum non usque ad inquinationem maculat, sed *usque ad perditionem* vorat, et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur, secutus adjunxit, *et omnia eradicans genimina.* Genimina quippe sunt animæ operationes bonæ, cui tamen si perverso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Sequitur :

[illegible] 13. *[illegible] meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* — Qui enim judicari cum servis ancillisque non renuit, liquidò indicat quod contra nullum unquam proximum apud se tumidus fuit, inter hæc autem libet inquiri vitam suam in omnibus quanta vir sanctus discretione custodit. Non enim longe superius dixit : « Videbant me juvenes, et

D abscondebantur, et senes assurgentes stabant (*Job* XXIX, 8).» Quis digne considerare valeat hujus viri etiam sublimia virtutum moderamina, in quo tanta est auctoritas regiminis, ut ad silentium restringantur duces ; tanta humilitas cordis, ut ex æquo ad judicium venire permittantur ancillæ ? Sequitur :

VERS. 14. *Quid enim facerem, cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum quæsierit, quid respondebo illi?*— Qui venturum judicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarum in melius causas parat, qui æternum Dominum tremore cordis intuetur, jura temporalis dominii super subjectos moderari compellitur. Et quia eo quisque extollitur, quo se esse super alios videt, illum oportet qui super est semper aspiciat, ut ex ejus metu qui supra omnia est

crescentem intrinsecus animi tumorem premat. Sequitur :

VERS. 15. *Nunquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus?* — Potentibus viris magna est virtus humilitatis considerata æqualitas conditionis. Omnes namque homines natura æquales sumus ; sed accessit dispensatorio ordine ut quibusdam prælati videamur. Si igitur hoc a mente deprimimus quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Ac si aperte dicat : Cur non æque debeamus in cujusque negotii judicio discuti, qui per Conditoris potentiam sumus æqualiter facti ? Sequitur :

VERS. 16. *Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci.* — Per hæc dicta sanctus ostenditur non solum ad opiam [inopiam] pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deseruisse. Sed quid, si ipsa vellent pauperes quæ fortasse accipere non expediret, an, quia in Scripptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola æstimanda sunt, quæ accipere pauperes volunt, quæ humiles petunt ? Et procul dubio oportet ut incunctanter detur quidquid cum vera humilitate requiritur, id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde jam superbire est, extra metas inopiæ aliquid desiderare. Unde et per superbiam petentibus dicitur : « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis (*Jac.* IV, 3). » Quia ergo illi sunt veraciter pauperes, qui inflati superbiæ spiritu non sunt, quos aperte Veritas exprimit, cum dicit : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3), recte nunc per sanctum virum dicitur : *Si negavi, quod volebant, pauperibus*, quoniam qui ea volunt quæ profecto liquet quod eis non expediunt, eo ipso quod superbiæ spiritu tument, jam pauperes non sunt. Petentem sibi viduam exspectare noluit, ut non solum ex munere, sed etiam ex celeritate muneris bonorum operum merita augeret. Unde scriptum est : « Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare (*Prov.* III, 28). Sequitur :

VERS. 17. *Si comedi buccellam meam, et non comedit pupillus ex ea.* — Rex scilicet pietati se præjudicium facere æstimans, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. Quæ profecto communio conversationis esse cum talibus intra domesticos pariter debet, ex quibus æternæ proficiant merita retributionis. Sequitur :

VERS. 18. *Qui ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* — Miseratio etenim etsi ejus fuit arbitrii ut cum ipso proficeret, liquet tamen, quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo quia suæ virtuti nihil tribuit, qui profecto testatur quia ex conditionis munere accepit Sed pensandum nobis est quod asserit, *crevit mecum*. Nonnulli enim quod ætate mores cœperunt ab innocentia decrescunt. Electis vero cum foris ætas corporis, intus se deliteat, crescit ætas virtutis. Sequitur :

VERS. 19, 20. *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento*

A *pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus sum.* — Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit, quod autem operuit, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet esse connexæ debent, ut vicaria semper ope fulciantur, quatenus nec humilitas, cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat, nec pietas, cum largitur, intumescat. Ac si aperte beatus Job dicat : In amore proximi uno eodemque ordine et superbiæ vitium et pietatis premens, prætereuntem quempiam et humiliter aspiciens non despexi, et misericorditer æqualem feci. Quisquis enim super eum cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam intrinsecus lar-

B giendo marcessit. Sequitur :

VERS. 21. *Si levavi super pupillum manum meam, cum viderem me in porta superiorem.* — Mos apud veteres fuit, ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione distinguerent, quatenus urbem, in qua concorditer oportebat vivere, discordes minime intrarent. Unde et per prophetam Dominus dicit : « Constituite in porta judicium (*Amos*, V, 15). » Hoc itaque loco quid portæ nomine exprimitur, nisi quod agebatur in porta ? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo quod pugnatur ex castris, ita judicium quod in porta agi consueverat, porta nominatur. In porta ergo se superiorem videt, qui se melioris partis esse in judicio æquitatis merito concupiscit.

C Ac si ergo beatus Job patenter dicat : Neque nunc utilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exsequi volui, quando me in judicio etiam ex justitia potiorem vidi. Sed quia plurumque humana mens renuit bona credere quæ nescit operari, maledicti sibi sententiam protinus subjicit, si qua horum quæ dixerat opere non implevit dicens :

VERS. 22. *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur.* — Quia operatio corporea per humerum ac brachium agitur, bona quæ ore protulit, si opere non implevit, cadere sibi humerum et conteri brachium exoptat. Ac si aperte dicat : Si ea quæ dixi, operari renui, ipsum, quod mihi ad operandum datum est, corporis membrum perdam, ut videlicet cadat a corpore quod exercere nolui ad utili-

D tatem. Si vero hæc maledicti sententia ad spiritalem est intelligentiam referenda, liquet profecto quod brachium corpori per humerum jungitur, et sicut per brachium bona operatio, ita per humerum socialis vitæ conjunctio designatur. Unde propheta quoque intuens sanctos universalis Ecclesiæ populos Deo concorditer servituros ait : « Et servient in humero uno (*Soph.* III, 9). » In eo ergo quod dicit : « Si levavi super pupillum manum meam, cum viderem me in porta superiorem, » miram virtutem patientiæ servasse se asserit, qui gravari se personis minimis, nec contra hoc quod sibi juste competere poterat, declinavit. Quod tamen si minime fecerit, adjungit : *Humerus meus a junctura sua cadat.* Quia nimirum qui pa-

tientiam servare contempsit, socialem vitam citius per impatientiam deserit. A junctura etenim humerus cadit, cum adversitatis aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit: et quasi membrum separatur a corpore, cum is qui operari bona poterat, a bonorum omnium abscinditur universitate. Neque enim unquam servari concordia, nisi per solam patientiam, valet. Recte autem humero cadente subjungitur: *Et brachium meum cum suis ossibus conteratur.* Quia nimirum cuncta nostra operatio cum quibuslibet videatur esse virtutibus, solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur. Sua enim bona perdit opera qui aliena mala renuit perpeti. Sed sancti viri humerus a junctura sua non cadit, quia videlicet ejus dilectio a socialis vitæ concordia per impatientiam non recedit, ejusque brachium minime frangitur, quia ejus omnis operatio in conjunctione humeri, id est, in charitatis connexione custoditur. Sequitur:

Vers. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* — A pavore tantæ similitudinis pensemus, si possimus, quantus in sancto viro timor fuerit. Fluctus enim cum tument, desuper imminent; cumque eam quam deferunt mortem minantur, nulla tunc navigantibus cura rerum temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ea ipsa quoque ex navi projiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt, cunctæ res in despectum mentis veniunt, amore vivendi. *Quasi* ergo *tumentes super se fluctus Deum timuit*, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit quæ hic possidens portat. Est vero aliud, quod de maris concussione debeat solerter intueri. Tempestas quippe cum moritur, prius leves undæ, et postmodum volumina majora concitantur. Ad extremum, fluctus sese in alta erigunt, et navigantes quosque ipsa sua altitudine subvertunt. Sic nimi-

A rum extrema illa properat quæ universum mundum subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis et cladibus, quasi quibusdam undis sua nobis exordia ostendit, et quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum vero commotis elementis omnibus supernus judex veniens, finem omnium apportat, quia videlicet tunc tempestas fluctus in lucem levat. Unde et dicitur: « Adhuc modicum, et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum (*Agg.* II, 7). » Quam scilicet tempestatem qui sancti viri vigilantes aspiciunt, quasi tumentes super se quotidie fluctus expavescunt, atque ex his tribulationibus quæ mundum feriunt, prævident quæ sequantur. Sequitur: *Et pondus* B *ejus ferre non potui.* — Quia cum superbæ majestatis vim ad judicium venientis terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, sese expavescit invenisse. Sed inter hæc pensandum est quia beatus Job ista de se loquitur, laudatus et flagellatus. Si igitur ad meritorum profectum ita percussus est qui sic timuit quomodo feriendus est qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei judicia eos qui se elevant, si et illos ad tempus deprimunt qui hæc semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre, qui despicit, si hoc et ille in verbere pertulit, qui per timorem prævidit? Unde summopere formidandum nobis est illud tantæ districtionis examen. Constat autem quia in hac C vita, cum percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina patris est, non ira judicis; amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso ergo præsenti verbere judicia æterna pensanda sunt. Hinc enim perpendere summopere debemus, quomodo feratur illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet ejus ira quæ purgat.

# LIBER VICESIMUS SECUNDUS.

Vers. 24. *Si putavi aurum robur meum et obrizum dixi fiduciam meam.* — Obrizum dicimus, obrude aurum. Sanctus ergo vir nec aurum robur sibi esse, id est, rudem auri molem fiduciam credidit, quia spem atque delectationem suam in solius gratia Conditoris figens, neque de quantitate auri, neque de specie peccavit. De Creatore quippe desperasse fuerat, si spem in creatura posuisset. Allegorice. Quid hoc in loco aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingenium. Quid obrizum nisi mentem? qui dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis, quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: « Renovamini spiritu mentis vestræ (*Ephes.* IV, 23). » Sicut enim in ornamen-

D tum aurum supponitur ut gemmarum desuper ordo disponatur, ita clara sanctorum ingenia divinis muneribus humiliter substernuntur, et distincta super se gratiarum dona percipiunt, et nisi quid simile aurum cum sapientia haberet, quidam sapiens minime dixisset: « Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? » (*Eccli.* XX, 32). Ac si aperte fateatur dicens: Nec quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui, nec menti propriæ si qua egisse me bona contigit, nec principalem deputavi. Qui adhuc subtilius humilitatem nobis sui cordis insinuat, adjungit, dicens: Sequitur.

Vers. 25. *Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea.* — Sancti quippe viri in ejus peregrinationis ærumna, omnia quæ appetunt, adhuc Creatoris sui speciem contemplari

minime sumuntur, omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant; quia videlicet nihil extra Deum sufficit menti quæ veraciter Deum quærit, et plerumque eis ipsa sua abundantia fit vehementer onerosa, quia hoc ipsum graviter tolerant quod festinantes ad patriam, in itinere multa portant. Quid multas divitias appellatas per significationem credimus, nisi abundantia humana consiliorum? Quas quærendis manus invenit, cum hæc cogitatio tractantis gignit. Has etenim Salomon sapientiæ divitias contemplatus ait : « Corona sapientium divitiæ eorum (*Prov.* XIV, 24). » Qui, quia divitias non metalla terrena, sed prudentiam nominat, illico per contrarietatem subdit : « Fatuitas stultorum imprudentia (*Ibid.*). » Hinc Paulus ait : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ eloquia investigando percipimus atque in his plura nec tamen sibimet diversa sentimus. Hæc est autem secura lætitia in divinis paginis vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Ac si ergo aperte diceretur : Nequaquam in eo me locupletem ex justitia credidi, quo recte quæ agere debui etiam multa cognovi, nec intelligentia cor extulit, quia illud consideratio debitæ operationis pressit. Sequitur :

VERS. 26, 27, 28. *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum.* — Incertum non est quod utraque hæc luminaria humanis ministeriis deputata cœli militiæ vocantur, in quorum cultum multos novimus, Scriptura teste, cecidisse, sicut scriptum est : « Adoraverunt universam militiam cœli (*Deut.* XVII, 3). » Et quia sol et luna aliter videntur ad usum, aliter ad venerationem, eo more quo a cultoribus suis venerari solent, solem et lunam beatus Job nequaquam vidisse se perhibet, nec lætatum fuisse cor suum, nec osculatum ore suo. In qua videlicet osculatione quid aliud quam gratiarum venerationem exprimit? Quod si fecisset unquam, iniquitatem maximam, et Dei negationem vocaret. Sed postquam tanta de se locis superioribus virtutum culmina narravit, quid nunc mirum memorat, si solem ac lunam non se adorasse manifestat? Unde pensandum est, quod postquam in auro non habuisse fiduciam, nec in multis divitiis lætatum se fuisse testatur, adhuc ad sublimiora ducitur, ut tanto nos magis erudiat quanto de se aliqua subtilius narrat. Ait enim : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum.* Quid hoc loco videre dicitur, nisi desideranter intueri? Unde et Psalmista ait : « Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiet Dominus (*Psal.* LXV, 18). » Quæ nimirum iniquitas in ore exprimi non posset, si non conspiceretur in corde. Sed aliud est videre per judicium, aliud per appetitum. Beatus ergo Job fulgentem solem, et clare incedentem lunam nequaquam se vidisse perhibet, ut se demonstret præsentis lucis speciem non appetisse, ac si patenter despectum terrenæ suæ abundantiæ insinuet. Quid dicam, quia nequaquam in auro lætatus sum, qui in ipsa quoque luce corporea delectatus non sum? Hinc propheta ait : « Et diem hominis non concupivi, tu scis (*Jer.* XVII, 16). » ALLEGORICE. Sol quippe in fulgore est, bonum opus in manifestatione. Scriptum namque est : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). » Et rursum : « Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes (*Luc.* XII, 35). » Quod enim hoc in loco fulgenti sole, id in Evangelio lucernis ardentibus designatur. Bonum quippe opus cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte : cum vero in Ecclesia resplendet, sol fulget in die. Bonum opus si adhuc tale est quod soli mali mirantur, lucerna videlicet in nocte est; si autem ita proficit, ut mirari a bonis ac perfectioribus possit, nimirum sol est in die. Quia igitur multa beatus Job hospitalitatis ac misericordiæ de se bona narraverat, quæ profecto tanto adhuc minima quanto et corporaliter noverat, ad virtutum spiritalium culmen mentis oculum renovans, perfectionis suæ meminit et lucem exemplorum, quam de se aliis tribuit, solem vocavit. Ac si aperte diceret : Opus meum etiam cum aliis exemplorum lucem tribuerem, ad sumptionis gramen non attendi : quia dum de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti. Post præmissum solem, apte quoque incedentem clare lunam subdidit, quia videlicet post opus bonum, fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur. Si enim verum est, quod quidam putant, illustrationem lunæ per occultum circulum a radio solis accipere, ut possit lucem nocturnis cursibus exhibere, ab hujus significationis ordine hæc quoque suspicio non abhorret. Fama quippe a bono opere vires accipit, et favoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Est aliud in luna quod similitudinis bonæ aspergentis famæ conveniat. Lux namque ejus etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit, quia et dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercitium boni operis illustrat, cumque illius opinio clara cognoscitur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. *Lunam* igitur *clare incedentem* respiciunt qui inter hujus vitæ tenebras, dum in opinionis suæ claritate animum defigunt, humilitatis gratiam quasi ex nocturno lumine amittunt, et intuentes lunam se non vident, quia semetipsos nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium favorem figunt. Qui vero auditis suis præconiis extolluntur, sed tamen usque ad elationis verba non exeunt, et gaudere se in talibus non ostendunt, profecto eorum *cor in abscondito* lætatur. Per manum quippe operatio, per os autem locutio designatur, sicut per Salomonem dicitur : « Abscondit piger manum suam sub ascella sua, et laborat si ad os suum porrigit eam (*Prov.* XXVI, 15). » Manum ergo suam

osculatur ore suo qui laudat quod facit, et testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operis. Qua in re quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? Unde bene per egregium Prædicatorem dicitur: « Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (*I Cor.* IV, 7). » Unde et protinus subdit: *Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Liquet enim quia illum negat, cujus despecta gratia sibi vires boni operis arrogat. Quod recte quoque et *iniquitas maxima* vocatur, quia omne peccatum quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia a superno Judice veniam requirit. Præsumptio autem virtutis propriæ tanto gravius in desperatione est quanto longius ab humilitate. Sequitur:

VERS. 29. *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exultavi quod invenisset eum malum.* — Omnipotentis Dei nos esse discipulos sola custodia charitatis probat. Hinc est enim quod per semetipsum Veritas dicit: « In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII, 35).» Quæ nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet, scilicet si et amicos in Deo, et inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum nobis quia inimico veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Si enim de prosperitate addicitur, et de calamitate se odientis lætatur, constat quia non amat quem non vult esse meliorem, eumque etiam stantem voto persequitur quem cecidisse gratulatur. Et ut beatus Job ostenderet se a culpa etiam maledictionis alienum, secutus adjunxit:

VERS. 30. *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut exspectarem maledicens animam ejus.* — Peccaret quippe si hoc optaret a Deo fieri, quod ipse facere vel omnino non posset, vel, si posset, minime diceret. Nam qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo facere Deum volunt, nisi quod ipsi facere aut nequeunt, aut erubescunt? Sequitur:

VERS. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* — Quæ nimirum sententia potest quoque per mysterium ex voce Redemptoris intelligi. Viri quippe ejus tabernaculi, de carnibus illius saturari cupierunt, vel Judæi scilicet persequentes, vel gentiles credentes. Quia et illi moliti sunt corpus illius consumendo exstinguere, et isti esurientem mentem suam desiderant per quotidianum immolationis sacrificium de ejus carnibus satiare. Sed nunc solius historiæ virtutem sequentes, pensemus quanta fortitudine sancti animus extra intraque sollicitus ad omnia patitur, qui si injuste agentibus, aut unquam per silentium cederet, aut per rectitudinem non traheret, profecto adversarios non habuisset. Sed in eo quod via vitæ tenuit, exoptatores suæ mortis A invenit foris, patienter adversarios pertulit, intus latentes.

VERS. 32. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* — Quia, teste Paulo, charitas patiens et benigna describitur (*I Cor.* XIII, 4), per patientiam aliena mala æquanimiter tolerat, per benignitatem quoque bona misericorditer impendit. Unde beatus Job et patienter domesticos maledicentes pertulit, et viatores atque peregrinos apud se benigne suscepit: illis morum exempla tribuens, illis per exteriorem opem concurrens. Sequitur:

VERS. 33. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* — B Hæc sunt namque veræ humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. At contra usitatum humani generis vitium est, et labendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et cognitum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Quia igitur hæc occultationis culpa in humano vehementer excrevit, bene beatus Job dum diceret, *si abscondi peccatum meum*, interposuit, *quasi homo*. Hominis quippe proprium conspicit, quod ex parentis veteris imitatione descendit, ubi apte subditur: *Et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Scriptura etenim sacra plerumque sinum ponere C pro mente consuevit, sicut voce Ecclesiæ de persecutoribus nostris, qui nobis natura quidem conjuncti sunt, sed vita disjuncti, per Psalmistam dicitur: « Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum (*Psal.* LXXVIII, 12). » Quia igitur sinus secretum mentis accipitur, in sinu iniquitatem celare est, hanc in conscientiæ latibulis occultare, nec per confessionem detegere, sed per defensionem velare. Qua contra Jacobus dicit: « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (*Jac.* V, 16).» Salomon quoque ait: « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (*Prov.* XXVIII, 13).» Sed inter hæc sciendum est, quod plerumque homines et culpas confitentur et humiles non sunt. Beatus itaque Job D quantæ humilitatis fuerit ostendit, qui se et inter adversarios noverat vivere, et tamen non verebatur culpas voce confessionis aperire. Sed notandum quod superius virtutes suas loquitur, inferius peccatum fatetur. Hinc enim liquido demonstrat quam vera de bonis suis dixerat, qui noluit tacere de malis. Sequitur:

VERS. 34. *Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, et non egressus sum ostium.* — Ac si aperte dicat: Turbatis contra me extrinsecus aliis, ipse in me imperturbabilis mansi. Quid, namque hoc loco ostium, nisi os debemus accipere? per os quippe egredimur, dum verbis quibus possumus secreta nostri cordis aperimus; et quales intus

manemus in conscientia, tales foras egredi per linguam. Sunt vero nonnulli qui omnino despici metuunt, ac ne viles fortasse judicentur sapientes videri appetunt ; hi coguntur ostium egredi, quia pulsati contumeliis quam magni apud se lateant, loquentes denuntiant, dumque per impatientiam victi quædam de se quæ nesciebantur aperiunt, tanquam per oris ostium egrediuntur. Unde beatus Job dicturus quod oris ostium non fuisset egressus, præmisit, *tacui;* quia videlicet impatientia turbatus, a domo conscientiæ exisset, si tacere nescisset. Et notandum quod beatus Job ait : *Si expavi ad multitudinem nimiam*, ut cujus constantiæ fuerit, agnoscatur ; quia videlicet nequaquam exterret exterius numerus hominum, quem non devastat interius turba vitiorum. In hac etenim vita qui nulla prospera appetit, procul dubio adversa pertimescit. Quæ scilicet verba, si ad intellectum mysticum trahimus, in ejus citius operatione nostri Redemptoris facta invenimus. Ipse quippe a multitudine nimia non expavit, qui persecutores suos « cum gladiis et fustibus (*Luc.* XXII, 52) » venientes una tantum responsione percutit, dicens : « Ego sum (*Joan.* XVIII, 5). » Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans, palmas in facie æquanimiter accepit. Ipse tacuit, et ostium egressus non est, quia sub ipsa jam passionis hora, cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei et hominum, quasi egredi ostium fuisset, si cum teneretur ut homo majestatis suæ potentiam voluisset ostendere, et per divinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Ut enim apertus homo mori posset, Deus mansit occultus, « quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Non est ergo egressus ostium, qui et requisitus a Pilato tacuit (*Matth.* XXVI, 63), atque inter persecutorum manus, et corpus passioni obtulit quod pro electis assumpserat, et resistentibus demonstravit quod erat. Unde etiam per Psalmistam dicitur : « Posuerunt me in abominationem sibi, traditus sum et non egrediebar (*Psal.* LXXXVII, 9-10). » Sequitur :

VERS. 35. *Quis mihi tribuat adjutorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat ?* — Sanctus vir postquam tot virtutum suarum sublimia gesta narravit ; sciens quod suis meritis ad summa pervenire nequeat, adjutorem quærit, et quem nimirum, nisi unigenitum Dei Filium contemplatur? Qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem, dum suscepit, adjuvit. Ipse quippe adjuvit hominem factus homo, ut puro homini via redeundi fieret per hominem Deum. Sciebat quippe quod ad requiem liberationis æternæ, preces nisi per advocatum suum audiri non possent, de quo per Joannem apostolum dicitur : « Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II, 1). » Adjutor ergo quæritur, ut desiderium exaudiatur, quia nisi pro nobis interpellatio Mediatoris intercederet, ab aure Dei procul dubio nostrarum precum voces silerent. Notandum quoque est, quod nequaquam dicitur preces, *sed desiderium meum Omnipotens audiat.* Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud sacratissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Hinc in Evangelio Dominus dicit : « Intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in absconso, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI,6). Sequitur : *Et librum scribat ipse qui judicat.* — Quia enim timenti adhuc populo lex est transmissa per servum diligentibus vero filiis Evangelii gratia est collata per Dominum, qui ad redemptionem nostram veniens, Novum nobis Testamentum condidit ; sed de ejusdem nos, Testamenti mandato discutiens, quandoque etiam judex venit, necessarium non est ut per expositionem clarescat quid est : *Librum scribat ipse qui judicat.* — Ipsa enim per se Veritas dicat : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). » Erit ergo tunc auctor judicii qui nunc est conditor libri, ut tunc districtus exigat, quod modo mansuetus jubet. Quem scilicet librum Novi Testamenti, quia ipse per se humani generis Redemptor in extremo conderet, bene Ezechiel propheta denuntiat dicens : « Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, respicit ad aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus. » *Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis, et atramentarium scriptoris in manu ejus* (*Ezech.* IX, 2). Sequitur :

VERS. 36. *Ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi.* — Librum quippe in humero portare est, Scripturam sacram operando perficere. Et notandum quam ordinate describitur, et prius *in humero* portari, et postmodum sicut *corona* circumdari. Quia videlicet sacri eloquii mandata, si modo bene portantur in opere, post nobis victoriæ coronam exhibent in retributione. Sequitur :

VERS. 37. *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.* — De his quippe meritorum gradibus per Psalmistam dicitur : « Ambulabant de virtute in virtutem (*Psal.* XLVIII, 8). » De his iterum sanctam Ecclesiam contemplatus ait : « Deus in gradibus ejus dignoscetur, dum suscipiet eam (*Psal.* XLVII, 4). » Neque enim, sicut dictum est, repente ad summa pervenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur. Ille ad doctrinam Dei veraciter ascendit, qui ad obtinendam hanc gradibus sanctæ operationis eruperit : et quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat, qui percepisse se ejus scientiam non per verba tantummodo, sed etiam per opera demonstrat. Unde adhuc subditur : *Et quasi principi offeram illum.* — Omne enim quod offerimus in manibus tenemus. Venienti ergo ad judicium

principi librum offerre est, verba præceptorum A illius in actione tenuisse. Sequitur :

Vers. 38. *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent.* — Quid est clamare terram, deflere sulcos, et fructus proprios emendo comedere, cui nunquam necesse est sua emere? Quis clamantem audivit terram? Nævis sulcos deflentes vidit? et cum sulci terræ semper ex terra sint, quid est quod pronuntiatione distincta clamasse terra, et sulci ejus cum ca deflevisse denegantur? Sed quoniam historia deficit, mysticus requirendus est intellectus. Omnis enim qui vel privato jure domesticam familiam regit, vel pro utilitate communi fidelibus plebibus præest, in hoc quod jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram incolendam B tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione cæteris unusquisque præponitur, ut subjectorum animus quasi subtractæ terræ prædicationis illius semine fecundetur. Sed terra contra possessorem clamat, si contra eum qui sibi præest, aliquid justum, vel privata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Sunt nonnulli qui nullo lectionis, nullo exhortationis vomere proscissi, quædam bona quamvis minima, tamen ex semetipsis proferunt, quasi terra necdum exarata. Sunt vero nonnulli qui ad audiendum semper atque retinendum, sanctis sunt prædicationibus ac meditationibus intenti : a prioris mentis duritia, quasi quodam linguæ vomere scissi, semina exhortationis accipiunt, ac fruges boni operis per sulcos voluntariæ afflictio- C nis reddunt, cum semper de spiritalibus moneantur ac corporalibus. Conclamante ergo terra sulcos plangere est, per hoc unde altitudo fidelium juste contra rectorem quæritur, uberioris vitæ homines ad lamenta pervenire. Sulci itaque ex terra sunt, et tamen a terra vocabulo distinguuntur, quia qui in sancta Ecclesia mentem suam labore sacræ meditationis excolunt, cæteris fidelibus tanto meliores sunt, quanto per accepta semina fecundas operum fruges reddunt. Omnis ergo qui præest, si perversa in subditis exercet, contra hunc *terra clamat, et sulci deflent*; quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro pravo ejus opere se in fletibus affligunt, quodque D imperiti clamant et non dolent, hoc probatioris vitæ subjecti deflent et tacent. Sequitur :

Vers. 39. *Si fructus ejus comedi absque pecunia.* — Fructus enim terræ absque pecunia comedere est, et Ecclesiæ quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis auctoris pretium non præbere, de qua videlicet prædicatione Auctoris voce dicitur : « Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum erat cum usura (*Matth.* xxv, 27). » Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percepit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Sequitur : *Et animam agricolarum ejus afflixit.* — Agricolæ quippe hujus terræ sunt, hi qui minori loco sunt positi, qui volunt zelo quanto possint opere ad eruditionem sanctæ Ecclesiæ in prædicationis gratia cooperari. Quos videlicet hujus terræ agricolas hoc est non affligere, eorum laboribus non invidere : ne rector Ecclesiæ, dum soli sibi jus prædicationis vindicat, etiam aliis recte prædicantibus invidia remordente contradicat. Pia etenim pastorum mens, quia non propriam gloriam quærit, sed Auctoris, ab hominibus vult adjuvari quod ait : Fidelis namque prædicator optat, si fieri valet, ut veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus atque prophetantibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur : « Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum? » (*Num.* xi, 29). Sequitur :

Vers. 40. *Pro frumento oritur mihi tribulus.* — Ac si aperte dicat : Si injustum quid erga subditos gessi; si exegi debita, et ipse quod debui non impendi; si exercitationem boni operis aliis invidi, pro bonis quæ in æternis reficiunt, retribuantur mihi in judicio mala quæ pungunt. *Pro frumento mihi tribulus, et pro hordeo spina oriatur*, cum in retributione ultima de qua remuneratio laboris quæritur, punctio doloris invenitur. Et notandum quod sicut a frumento hordeum distat, quamvis utrumque reficiat : sic a tribulo spina, quamvis sit utrumque quod pungat, quia tribulus mollior, et ad pungendum semper est durior spina. Ac si patenter dicat : Egisse quidem et magna me bona et minima scio, sed si non ita est, pro bonis magnis minima, et pro bonis minimis mihi respondeant mala majora. Quamvis hoc intelligi et aliter potest. In frumento quippe spiritale opus, quod mentem reficit, in hordeo autem terrenarum rerum dispensatio figuratur, in qua sæpe dum infirmis atque carnalibus servire cogimur, quasi jumentis alimenta præparamus, atque ipse nostrorum usus operum habet aliquid de admistione palearum. Et plerumque contingit, ut rector qui præest, dum injusta contra subditos exercet, dum in nullo bonos blandimento refovet, dum, quod est gravius, bene operantes quosque ex invidia affligit, etiam si quædam bona aliquando faciat, ac si frumentum serat, sese quoque in hujus dispensationis terrenis rebus nonnunquam, non avaritiæ studio, sed pro utilitate carnalium misceat, et sic ejusdem laboris fructum, velut messem hordei exspectet. Sed subjecti quoque pro eo quod in maximis gravantur audire in ejus bonis minimis nequeunt; quia nec hoc opus placet, quod alterius operis injustitia polluit, quid terrenarum rerum dispensatio pro utilitate subditorum suscipi creditur, quando is qui præest, anhelare per avaritiam videtur. Unde fit ut ad ipsa etiam pauca bona quæ fieri inter multa mala considerant, non laudes, sed metus reddant, atque infirmantes murmurent, dum perpendunt puri operis non esse quod vident. Ac si ergo aperte dicat : Si magna quæ debui sollicite non feci, punctiones murmuris a subjectis recipiam, etiam de bono quod

feci, si neglexi exhibere quod fovet, juste in querelam prosiliens eorum lingua me pungat. Qua in re semper sollicita consideratione pensandum est, ne aut hi qui præsunt exempla mali operis subjectis præbeant, eorumque vitam suæ gladio pravi- A tatis exstinguant ; aut hi qui alieno regimini subjacent, facile judicare audeant facta rectorum, atque per hoc quod de his qui sibi prælati sunt murmurant, non humano, sed Dei, qui cuncta disponit, divino ordini contradicant.

---

# LIBER VICESIMUS TERTIUS.

## CAPUT XXXII.

Vers. 1. *Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur.* Hoc quod de eo dicitur : *eo quod justus sibi videretur*, sacræ hujus scriptor historiæ ad amicorum judicium retulit, non autem beatus Job de elatione tumoris reprobavit. Sequitur :

Vers. 2. *Et iratus indignatusque Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram.* — Bene hæc ipsa vel ejus, vel parentis vel loci, vel cognationis nomina notam exprimunt propriæ actionis. Eliu quippe interpretatum sonat : *Deus meus iste*, vel *Deus meus*, per quem designatur recta fides arrogantium intra Ecclesiam positorum. Nam quamvis juxta Dominica præcepta non vivunt, Deum tamen esse Dominum recognoscunt, quia in veritate carnis etiam formam deitatis intelligunt, sicut per Prophetam dicitur : « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus (*Psal.* XCIX, 3). » Barachiel vero interpretatum dicitur *benedictio Dei* ; Buzites autem, *contemptibilis*. Quod arroganter prædicantibus bene utrumque concordat, quia in prædicationis facundia benedictionem quidem gratiæ divinæ percipiunt, sed in elatis suis moribus esse eam contemptibilem ostendunt. Ram quippe interpretatur *excelsus*. Excelsus namque est fidelium populus, qui hujus vitæ infima et abjecta contemnit, de quibus dicitur : « Nostra conversatio in cœlis est (*Phil.* III, 20). » *Eliu* itaque de cognatione *Ram* dicitur, quia unusquisque prædicator arrogans intra universalem Ecclesiam positus, sanctis populis fidei veritate sociatur, quamvis ab eorum vita elationis pravitate disjungitur. Sequitur :

Vers. 3. *Iratus autem adversus Job eo quod justum se diceret coram Domino. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job.* — Solerter intuendum est, quod beatus Job ideo reprehendit, quod coram Deo justum esse se dixerit ; amicos vero ejus ido redarguit, quod condemnantes eum, responsionem contra illum rationabilem non dederunt. Istis namque indiciis aperte colligitur, quod per eum species amatorum vanæ gloriæ designatur. Job quippe de præsumpta justititia, amicos vero ejus de stulta responsione redarguit. Cuncti enim vanæ gloriæ sectatores dum se in omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt, id est, B alios censent nihil scire, alios non bene vivere. Et quamvis juste omnes extra Ecclesiam positos prava sentire redarguant, tamen etiam eos qui intus sunt per vitæ despectum contemnunt. Sequitur :

Vers. 4, 5. *Igitur Eliu exspectavit Job loquentem eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non possent, iratus est vehementer.* — Quamvis sancta Ecclesia sit procul dubio adversariis suis antiquior, quia de illa ipsi, non autem exiit ipsa de illis, sicut de eis per Joannem dicitur : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (*I Joan.* II, 19), » recte tamen eisdem adversariis Eliu junior fuisse describitur, quia nimirum post exorta hæreticorum bella esse C in sancta Ecclesia fastu scientiæ inflati arrogantes cœperunt. Cum vero dicitur quia *Eliu exspectavit Job loquentem*, et reliqua, aperte beatus Job non pro sua, sed pro amicorum reverentia se reservasse monstratur : quia videlicet arrogantes intra positi eamdem sanctam Ecclesiam quam defendunt despiciunt, et plerumque contingit ut plus ingenia male sapientium quam simplicem vitam innocentium venerentur. Sequitur :

Vers. 6, 7. *Respondensque Eliu filius Barachel Buzites dixit : Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco dimisso capite veritus sum indagare meam sententiam. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam.* — Eliu quippe quandiu pro ætatis D suæ respectu tacuerit, sapientior fuit ; cum vero in aliis annorum multitudinem semetipsum præferens despicit, quam pueriliter desipiat ostendit. Nam contra ejus sententiam et ætas prolixior loquitur, et per annorum multitudinem sapientia docetur, quia etsi longævitas sensum non probet, usus tamen vehementer exercet. Sequitur :

Vers. 8. *Sed, ut video, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* — Hæc recte diceret, si eamdem intelligentiam sibi præ cæteris non arrogaret. Quatuor quippe sunt species quibus omnium tumor arrogantium demonstratur. Aut cum bonum a semetipsis habere se æstimant, quibus contradicitur : « Quid habes quod non accepisti ? » et reliqua (*I Cor.* IV, 7). Aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se accepisse meritis putant. Contra quos Paulus dicit : « Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est non ex operibus,

ut ne quis glorietur *Eph.* II, 8-9). » Aut certe, cum jactant se habere quod non habent, sicut angelo Laodiciæ dicitur : « Quia dicis quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo, nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus (*Apoc.* III, 17). « Aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent, sicut Pharisæus ait : » Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum (*Luc.* XVIII, 11). » Eliu ergo quamvis dari a Domino sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, ut sapientiorem se cæteris gaudeat. Sequitur :

VERS. 9, 10, 11, 12. *Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium. Ideo dicam : Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sententiam. Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus, et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam.* — Quantum ad intent onem litteræ exspectat [spectat], loquens Eliu indicat quam superbe tacuerit. Cum enim dicit : *Exspectavi sermones vestros*, et, *putabam vos aliquid dicere*, aperte declarat se ad verba senum, judicantis potius studio quam dicentis voto tacuisse. Quamvis hæc melius vitam arrogantium signant, qui aliquando intra sanctam Ecclesiam positi, cum ejusdem sanctæ Ecclesiæ adversarios conspiciunt, non in eis temporum annos, sed intentionem solent pensare verborum. Nam quantolibet sint eisdem arrogantibus antiquiores hæretici, eos audacter comprimunt, in quorum verbis dogmata perversa reprehendunt. Sequitur : *Sed, ut video, non est qui arguere possit Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus.*

VERS. 13. *Ne forte dicatis : Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo.*— Sæpe hæretici per hoc quod esse et hominibus despicabiles solent, cum a cunctis fere gentibus sanctam Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem ejus quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes : Idcirco illi cuncta temporalia suppetunt, quia ei præmia æternorum munerum subtrahuntur. Quorum voci Eliu obviat, dicens : *Ne forte dicatis : Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, et non homo.* Ac si arrogantes intra sanctam Ecclesiam, sed tamen fideles contra hæreticos dicant : Per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, projectam eam a Domino non credatis. Scit enim Redemptor ejus et in hoc itinere solatia venienti tribuere, et pervenienti ad æternam patriam superna præmia reservare. Incassum igitur dicitis, quia Deus eum et non homo projecerit, cum venerari illam a cunctis fere hominibus videtis, quia sic ei terrenæ gloriæ ad inventum tribuitur, ut per hoc multiplicius etiam ad cœlestia subvehatur. Sequitur :

VERS. 14. *Nihil locutus est mihi.* Quid est, *nihil locutus est mihi ?* Nunquid sancta Ecclesia per prædicatores justos cum intra se arrogantes conspicit, erudire ac redarguere prætermittit ? Sed omnes arrogantes voces quidem sanctæ Ecclesiæ audiunt, sed sibi eas dici dissimulant, quando elationis vitium emendare contemnunt, ne se de superbia redargui æstiment, quia esse se humiles putant, quia etiam redargui despiciunt, dum sapientiores se et ipsi redarguentibus arbitrantur. Sequitur : *Et ego non secundum sermones vestros respondebo illi.*—Arrogantes enim intra sanctam Ecclesiam positi respondent contra ea, sed non sicut hæretici exterius constituti. Neque enim contradicunt ei prava prædicando, sed perverse vivendo, quia nec de Deo ut hæretici indigna sentiunt, sed de se, plusquam necesse est, digna suspicantur. Sequitur :

VERS. 15. *Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia.* — Bene ab Eliu verba amici Job extimuisse referuntur, quia nonnunquam arrogantes Ecclesiæ defensores, quamvis ordinem dicendi non taceant, tamen adversarios ipsa dictorum virtute perturbant. Sequitur :

VERS. 16. *Quoniam igitur exspectavi, et non sunt locuti, steterunt nec ultra responderunt.* — Finis esse locutionis sapientium solet, ut eo usque dicatur, quo adversariis silentium imponant. Non enim se ostendere, sed prava docentes compescere cupiunt. Sed quoniam amicis tacentibus Eliu adhuc verba multiplicat, patet quia vir arrogans et formam in se arrogantium intentans, non adversariorum dicta superare, sed sapientiam ostentare festinat. Sequitur :

VERS. 17. *Respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam.* — Hanc enim partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat quam ostendit. Quo contra Moyses ait : « Vas quod non habuerit operculum et ligaturam immundum erit (*Num.* XIX, 15). » Prædicatores autem sancti partem suam reputant, si intus quidem ipsi de sapientia gaudeant, foris jam alios ab errore compescant ; neque a se ita loquendo exeunt, ut gaudium mentis in ostensione ponant disertæ locutionis, sed bona scientiæ in cordis secreto meditantur, et ibi gaudent ubi hoc percipiunt, non ubi in tentationum laqueos innotescere compelluntur. Sequitur :

VERS. 18. *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus oris mei.* — Nonnunquam arrogantes viri dum prædicatores sanctos magna loqui, ac pro locutione sua venerari conspiciunt, locutionis eorum celsitudinem, non utilitatem intentionis, imitantur. Nam sæpe contingit nt sapientes viri, cum se non audiri considerant, ori suo silentium indicant, sed plerumque, dum conspiciunt quod iniquorum facinora ipsis tacentibus et non corripientibus crescunt, vim quamdam spiritus sui sustineant, ut in locutione aperta correptionis erumpant. Hinc Jeremias ait : « Non recordabor ejus, nec loquar ultra in nomine ejus (*Jer.* XX, 9). » Et adjunxit : « Et factus est corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens (*Ibid.*).» Sed quia sæpe nonnulla vitia virtutes se esse mentiuntur, sicut effusio nonnunquam misericordia, et

tenacia nonnunquam parcimonia, et crudelitas aliquando justitia vult videri : ita plerumque mentem ad loquendi impetum, vanæ gloriæ anxietas nequaquam se intra silentium capiens, quasi charitatis inflammat atque appetitæ ostensionis vis ad effrænationem locutionis impellit, et quasi substudio consulendi, libido erumpit apparendi : non enim curat loquendo quod prosit, sed quod appareat. Sequitur :

VERS. 19. *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* — Quod si spiritaliter intelligere debemus, hoc loco videlicet ventrem suum cordis sinum appellat ; in musto vero, sancti Spiritus fervor accipitur. De quo in Evangelio Dominus dicit : « Vinum novum in utres novos (*Matth.* IX, 17). » Lagunculas vero infirmas ipsa humanitate conscientias, vel certe hæc terrena corporum vascula non inconvenienter accipimus. De quibus Paulus apostolus dicit : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Eliu autem inflatione elationis extensus, ac si ad loquendum per charitatis gratiam ardore sancti Spiritus accendatur, sensus sui spiritum in eo quod tacuit, quasi musto *absque spiraculo* comparavit. Mustum ergo lagunculas novas disrumpit, quia fervoris ejus potentia etiam spiritalia corda transcendit. Sancti enim Spiritus fervor non solum veteri, sed etiam nova vita vix capitur. Sequitur :

VERS. 20. *Loquar et respirabo paululum, aperiam labia mea et respondebo.* — Bene ait, *respirabo,* quia labor justorum est videre prava, nec corrigere : ita gravis est labor arrogantium, si quod sapiunt, non ostendunt. Vim quippe intrinsecus æstuantem ferre vix possunt, si omne quod sentiunt paulo tardius innotescunt. Unde necesse est, ut cum res bona agitur, prius ejus elatio in corde vincatur, ne si a radice miseræ intentionis prodeat, amaros nequitiæ fructus producat. Hi igitur qui adhuc vitiorum bello subjacent, nequaquam per prædicationis usum præesse magisterio cæterorum debent. Hinc est enim quod juxta divinæ dispensationis vocem ab anno vicesimo et quinto levitæ tabernaculo serviunt, sed quinquagenario custodes vasorum fiunt. Sequitur :

VERS. 21, 22. *Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo, nescio quandiu subsistam et post modicum tollat me Factor meus.* — Recta consideratio quod Deum homini idcirco non æquat, quia quandiu hic subsistat, vel quando a Deo in judicio tollatur, ignorat. Et bene ait : *Post modicum tollat me Factor meus,* quia quamlibet longum fuerit tempus vitæ præsentis, eo ipso breve est, quo permanens non est. Sequitur :

CAPUT XXXIII.

VERS. 1, 2. *Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.* — Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre quod docent, et recta quæ sapiunt, recte ministrare non possunt. Recte autem his per prophetam dicitur : « Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia (*Ezech.* XXXIV, 4). » At contra vera doctrina tanto vehementius hæc elationis vitium per cogitationem fugit, quando ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Humilitatem namque magistram omniumque matrem virtutum, et loquendo dicere, et vivendo conantur ostendere ; ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquantur. Hinc Paulus ait : « Facti sumus parvuli in medio vestrum (*I Thess.* II, 7). » In faucibus vero loqui est silenter dicere, et non clamoribus vociferari. Quibus verbis arrogantes intra sanctam Ecclesiam positos signat. Hi enim velut in faucibus dicuntur loqui, quando non contra adversarios extra viventes clamant, sed quosdam intra sinum sanctæ Ecclesiæ quasi vicinos ac juxta positos increpant. Sæpe vero arrogantes eamdem quam tenent arrogantiam se fugere ostendunt, et dum sic cuncta agunt ut nullum lateant, hæc pravitatis singulis quasi latenter narrant, quatenus non solum de sensu intelligentiæ, sed de ipso apud homines etiam arrogantiæ contemptu glorientur. Sequitur :

VERS. 3. *Simplici corde meo sermones mei, et sententiam labia mea pura loquentur.* — Magnæ virtutis laus est simplicitas locutionis, quam quia arrogantes non habent, habere se hanc sollicitius asserunt, ut securius audiantur, et pure se locuturos denuntiant, quia duplicitatis suæ malitiam deprehendi formidant. Sæpe autem et falsis vera permiscent, ut inde eorum mendacio citius credatur, unde inesse eis assertio veritatis agnoscitur. Sequitur :

VERS. 4. *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.*— Subditurus vera præmisit elata. Sic nimirum, sic arrogantium mentes insaniunt, ut et in eis quæ recte sentiunt, elationis suæ fortitudine depraventur. Unde fit ut etiam eorum recta auditores nequaquam instruant, quia profecto illos per eam quæ tumide sentiunt, non ad sui reverentiam, sed ad contemnendum vocant. Hinc enim per Moysem dicitur : « Ut qui fluxum seminis sustinet immundus erit (*Lev.* XV, 2). » Bono autem ordine et factum se astruit et animatum. Per spiritum factum, et per spiraculum se narrat animatum. Facto quippe Adam scriptum est : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem (*Gen.* II, 7). » Sequitur :

VERS. 5. *Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste.* — Ecce dum narrat ordinem veræ conditionis, in fastum subito superbiæ elationis erumpit. Sequitur :

VERS. 6, 7. *Ecce, et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis.* — Quid est hoc quod Eliu ordinem veræ conditionis agnoscit, et modum rectæ locutionis ignorat, nisi hoc quod arrogantes omnes cunctis quidem hominibus æqualiter se

conditos meminerunt, sed fastu scientiæ auditores A suos æquales sibi vel esse vel credere dedignantur? Habent etiam arrogantes proprium, quod priusquam dicant, mira se dicere semper existimant, et locutionem suam admirando præveniunt, quia vel in acutis sensibus ipsa elatio quanta sit fatuitas ignorant. Notandum quoque est quod Paulus, dum mire Hebræos admonet, adjunxit : » Rogo autem, fratres mei, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis (*Heb.* XIII, 22). » Eliu autem inania protulit, et quasi consolando subjungit : *Miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis.* Hinc Salomon ait : « Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur (*Prov.* XVI, 18). » Sequitur :

VERS. 8, 9, 10, 11. *Dixisti ergo in auribus meis,* B *et vocem verborum tuorum audivi.* — Atque eamdem vocem subjungens ait : *Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus, et non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.* — Moxque contra hæc, quæ beatum Job dixisse narravit, sententiam suam proferens ait :

VERS. 12. *Hoc est ergo in quo non es justificatus.* — Profecto beatus Job veraciter dixerat, quod absque culpa fuerat flagellatus. Hoc enim ipse de se, quod de illo ad diabolum Dominus dixit : *Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra* (*Job.* II, 3). Sed Eliu non credidit cessante culpa potuisse eum etiam pro gratia flagellari. Nesciebat C enim flagellis ejus non dolere vitium, sed meritum augere, et pro eo quod sine delicto se dixerat flagellatum, hac eum sententia increpat : *Hoc est ergo in quo non es justificatus.* Habent enim hoc arrogantes proprium, ut plus arguere appetant quam consolari, et quæque hominibus evenire cognoscunt, evenisse ex solis iniquitatibus arbitrantur. Nesciunt quippe occulta judicia subtiliter quærere, atque id quod non intelligunt humiliter perscrutari, quia eos sæpe a secretis investigationibus judiciorum Dei ipsa scientiæ suæ elatio ejicit, dum extollit. Notandum quoque est quod beatus Job *in nervo* pedem suum positum dixit, sed nequaquam mundum hoc mundo quod ei objicitur absque peccato vel immaculatum, et sine iniquitate fuisse D memoravit. Sed Eliu dum cum austeritate studuit increpare quæ dicta sunt, mentiens addidit quæ dicta non sunt. Qui enim semper increpare appetunt, et nunquam fovere, multa plerumque increpando mentiuntur ; nam ut arguere docte videantur, fingunt nonnunquam quæ redarguant. Sequitur : *Respondebo tibi quod major sit Deus homine.* — Dicatur fortasse ab aliquo, quis ita vel cum non audit ignorat ? Sed nimirum hæc scientia vilis creditur, si non ex ipsa intentionis suæ radice pensetur. Flagellato videlicet loquebatur, qui et percussionis verbera acceperat, et causas verberum nesciebat. Idcirco ergo intulit : *Respondebo tibi quod major sit Deus homine;* ut flagellatus homo considerans quia illo major est Deus in omni quod patitur ejus in judicio se postponat, cui se minorem esse non dubitat. Sequitur :

VERS. 13, 14. *Adversus eum contendis quod non ad omnia responderit tibi. Semel loquetur Deus, et secundo idipsum non repetit.* — Ac si diceret : Deus singulorum cordibus privatis vocibus non respondet, sed tale eloquium constituit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit. In Scripturæ quippe ejus eloquio causas nostras singuli si requirimus invenimus, nec opus est ut in eo quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi divina voce specialiter quærat. Ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur. Ibi vita præcedentium sit forma sequentium, id est cogitationibus vel tentationibus singulorum non jam passim per prophetarum voces non per angelica officia satisfacit. Quia in Scriptura sacra quidquid potest singulis evenire, comprehendit, atque per exempla præcedentium, etiam vitam sequentium informare curavit. Intelligi hoc etiam subtilius potest, quod Pater unigenitum consubstantialem sibi Filium genuit. Loqui enim Dei est Verbum genuisse. Semel autem loqui est, Verbum aliud præter unigenitum non habere. Secundo autem non repetit, quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est Filium, non nisi unicum genuit. Quod autem non præteritum, sed futurum tempus posuit, liquet omnibus, quia Deo tempus nec præteritum congruit, nec futurum. Tanto ergo in eo quodlibet tempus ponitur libere, quantum nullum vere. Verbum namque Pater sine tempore genuit. Et quis digne fari queat illam ineffabilem nativitatem, quod de æterno natus est coæternus Quod existens ante sæcula genuit æqualem. Quod gignente natus posterior non est. Quæ videlicet nos mirari possumus, sed intueri minime valemus. Sequitur :

VERS. 15. *Per somnium.* — Quid est quod per somnium nobis locutio divinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si non interius desideriis vigilemus ? in somno enim exteriores sensus dormiunt, et interiora cernuntur. Si ergo interna contemplari volumus, ab externa implicatione dormiamus. Vox videlicet Dei quasi per somnium auditur, quando tranquilla mente ab hujus sæculi actione quiescitur, et in ipso mentis silentio divina præcepta pensantur. Cum enim ab externis actionibus mens sopitur, tum plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur, tunc verba Dei vivacius mens penetrat, cum ad se admittere curarum sæcularium tumultus recusat. Male autem homo vigilat, quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter inquietat. Aurem quippe cordis, terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit. Sequitur : *In visione nocturna.* — In diurna autem luce certius cernimus, in nocturna vero visione sub quibusdam imaginationibus videmus. Nox quippe est vita præsens. Sancti autem omnes, quandiu in hac vita sunt, divinæ naturæ secreta quasi sub quadam imaginatione conspiciunt, videlicet quia necdum sicut sunt ea

manifestius contemplantur. Hinc propheta ait : A «Anima mea desideravit te in nocte (*Isa.* XXVI, 9).» Sequitur : *Quando irruit sopor super homines;* — ab exteriori quippe actione cessare, dormire est. Sequitur : *Et dormiunt in lectulo.* — Sanctis enim viris dormire in lectulo, est intra mentis suæ cubile quiescere. Unde scriptum est : « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis (*Psal.* CXLIX, 5). » Sequitur :

VERS. 16. *Tunc aperit aures virorum.* — Cum enim ab exterioribus actionibus sopiuntur, aperta aure interni examinis causas audiunt qui dum subtiliter vel flagella publica, vel judicia occulta considerant, semetipsos affligere flendo non cessant. Sequitur : *Et erudiens eos instruit disciplina.* — Quia consideranti menti et sese per pœnitentiam B laceranti, quasi quædam plagæ percussionis sunt lamenta compunctionis. Unde etiam Salomon recte vim percussionis utriusque conjungens dicit : « Livor vulneris abstergit mala, et plagæ in secretioribus ventris (*Prov.* XX, 30). » Quia enim ipsa compunctio mentem lacerat, eamdem compunctionem non incongrue disciplinam vocat. Quatuor quippe sunt qualitates, quibus viri justi anima in compunctione vehementer afficitur : cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut judiciorum sententiam metuens, et secum quærens cogitat ubi erit : aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat ubi est ; aut, cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ, quia necdum adispicitur, lucens C conspicit ubi non est. Sequitur :

VERS. 17. *Ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum de superbia.* — Quid enim homo de proprio nisi peccatum fecit? Et scriptum est : «Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). » Bene ergo dicitur, quia homo cum ab his quæ fecit avertit [avertitur], de superbia liberatur. Contra Conditorem quippe superbire est, præcepta ejus peccando transcendere. At contra, quid id quod fecit vitare appetit, id quod a Deo factus est recognoscit, et ad conditionis suæ ordinem humiliter redit, dum sua opera fugiens, talem se qualis a Deo factus est diligit. Sequitur :

VERS. 18. *Eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium.* — Omnis quippe peccator ab hac corruptione vitiorum D illuc ad gladium compellitur transire pœnarum, et unde hic inique delectatus est, inde illuc juste cruciatur. Notandum est ergo quod Deus nobis *per somnium* loquens, prius nos a corruptione, et postmodum a gladio liberat. Quia nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii, cujus hic mentem subtrahit a delectatione peccati. Sequitur :

VERS. 19. *Increpat quoque per dolorem in lectulo.* — In scriptura sacra lectus, sive grabatum, sive stratum, aliquando voluptas carnis accipitur, ut illud : « Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam (*Joan.* V, 8). » Aliquando repausatio in bonis operibus, ut illud in Actibus apostolorum : « Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus ; surge, et sterne tibi (*Act.* IX, 34).» Surgere enim est mala perpetrata relinquere ; sternere autem mercedis causas, in quibus requiescere debeat, operari. Aliquando vero requies temporalis accipitur, sicut scriptum est : « Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus (*Psal.* XL, 4). » Ac si diceret : Omne quod hic sibi paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem, quia nos in præsentis vitæ requie, vel tentationis stimulis, vel flagelli afflictione conturbat. *Et omnia ossa ejus marcessere facit.* — Ossa in Scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scriptum est : « Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur (*Psal.* XXXIII, 21). » Et quia in ea requie sancta nobis ab hoc sæculo præparamus, flagello tentationis afficimur : qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognitæ infirmitatis tædio extenuamur. Cum enim sicut cupimus ad Dominum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur, ut, infirmitatis quia proficientes obliviscimur, tentati recolamus ; et in profectu nostro quid de divino munere, et in tentatione cognoscimus quid de propriis viribus sumus. Sicque illa omnia nostrarum virium velut pinguis viridisque gratulatio, anxietatis mœrore siccatur. Sequitur :

VERS. 20. *Abominabilis ei sit in vita sua panis.* — Quid per panem aliud quam præsentis vitæ delectatio intelligitur? Ac si ergo dicat : Afflicta mens sibi in amaritudinem verti considerat, quidquid se ante blande libenterque sapiebat. In Scriptura enim sacra panis nomine aliquando ipse Dominus designatur, sicut ipse ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 51). » Aliquando vero spiritalis doni gratia, ut illud prophetæ : « Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem ; » id est, peccatis suadentibus non præbet consensum, « et claudit oculos suos ne videat malum (*Isa.* XXXIII, 15), » id est omne quod rectitudini adversum est, non approbare. «Iste in excelsis habitat,» id est, mentem in sublimibus fixit. « Munimenta saxorum sublimitas ejus, » id est, ad supernam patriam per præcedentium Patrum exempla sublevatur. « Panis ei datus est (*Ibid.*, 16), » id est, refectio spiritalis gratiæ. Aliquando panis dicitur divinæ doctrinæ eruditio, sicut per prophetam dicitur : « Qui habitatis in terra Austri, » id est, in Ecclesia Spiritu sancto repleta : « cum panibus occurrite fugienti (*Isa.* XXI, 14); » id est, cum quis mala sua evadere nititur, eruditionis eloquio consulite. Aliquando quoque hæreticorum prædicatio, sicut Salomon ex voce Ecclesiæ hæreticorum dicit : « Panes occultos libenter edite. » Et illud ; « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior (*Prov.* IX, 17). Aliquando namque subsidium vitæ præsentis. Unde Jacob ait : « Domine Deus, si dederis mihi panem ad edendum, » et reliqua (*Gen* XXVIII, 20). Et Dominus : « Quæritis me non

propter me, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis (*Joan.* VI, 26). » Porro aliquando jucunditas humanæ delectationis accipitur. Hinc Jeremias ait : « Omnis populus ejus gemens et quærens panem, dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam (*Thren.* I, 11). » Gemit enim populus et quærit panem, cum prava multitudo affligitur, quia non ad votum præsentis vitæ jucunditate satiatur. Sed « pretiosa quæque pro cibo » dat, quia virtutes mentis in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, et refocillare animam nititur, quia perversis suis desideriis satisfacere conatur. Sequitur : *Et animæ illius cibus ante desiderabilis.* — Unusquisque enim, cum sibi bene vivendi prosperitas arridet, hilarescit, atque ipsa hilaritas animum velut desiderabilis cibus reficit. Sed cum tentatione paulo amplius imminente pulsatur, a mente ejus per mœroris fastidium, gaudium omne respuitur ; quæ prius eodem gaudio quasi satiata lætabatur, nihilque ei aliud quam semetipsum et agnoscere et flere delectat. Sequitur :

VERS. 21. *Tabescit caro illius, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* — Cum enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Carnis autem nomine, ipsa delectatio carnalis accipitur. Vel, quid per ossa, nisi virtutes animi designantur ? Tabescit ergo caro, et ossa nudantur, quia, dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe, quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscitur. Sequitur :

VERS. 22. *Appropinquabit corruptioni anima illius, et vita ejus mortiferis.* — Tentati enim uniuscujusque justi anima corruptioni appropinquare dicitur, quando ne eam virtus possit extollere per flagella compellitur quod se ex propria infirmitate debet sentire. Corruptione videlicet appropinquat, quia ex suis se viribus perditioni proximum non ignorat, ut hoc quod a perditione longe est, non sibi, sed Domino tribuat. Appropinquat vero mortiferis, quia ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit, a quibus divino munere tanto magis longe fit, quanto se eis proximum ex suis meritis deprehendit. Per contemplationem conditionis suæ David corruptioni appropinquaverat, cum dicebat : « Memento, Domine, quod pulvis sumus ; homo, sicut fenum dies ejus (*Psal.* CII, 15). » Per contemplationem quoque infirmitatis propriæ Paulus mortiferis appropinquaverat, cum dicebat : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis! Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* » (*Rom.* VII, 23, 24).

# LIBER VICESIMUS QUARTUS.

Eliu itaque dum tentatum superius hominem demonstrat, unum in qua tentatione sit positum humanum genus ostendit. Unde mox generale subintulit remedium, dicens :

VERS. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens.* — Quis enim iste agelus est nisi ille qui per prophetam dicitur : « magni consilii Angelus ? » Quia enim Græca lingua evangelizare *denuntiare* dicitur, semetipsum annuntians nobis Dominus, Angelus vocatur, et bene ait : *Si fuerit pro eo Angelus loquens*, quia, sicut ait Apostolus, « etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). » Sequitur : *Unum de similibus.* — Mos medicinæ est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, totosque nos inveniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, et quiddam contrarium apposuit. Quia enim ad homines homo venit, concordavit a nobis veritate naturæ, sed quia ad peccatores justus, discrepavit a nobis vigore justitiæ. Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnibus tamen distat a nobis magnitudine potentiæ, sed sola nobis concordat veritate naturæ. Per hoc pro nobis Patri loquitur, per quod semetipsum pro omnibus hominem demonstrare dignatus est. Sequitur : *Ut annuntiet hominibus æquitatem.* — Quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe annuntiat æquitatem nostram, unde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Sequitur :

VERS. 24. *Miserebitur ejus, et dicet : Libera eum.* — Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus in eo miseretur hominis, quo formam hominis sumpsit ; qua misericordia homine redempto dicit Patri : *Libera eum*, ut non descendat in corruptionem. Sicut jam supra diximus, dicere ejus est : libera hominem, naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit, sicut ipse ait : « Si vos Filius liberavit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36). » Superius enim dictum fuerat : *Appropinquavit corruptioni anima ejus*, postmodum dicitur, *non descendat in corruptionem.* — Ac si diceret : Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim descenderet, si suis viribus longe se a corruptione esse judicaret. Sed quia corruptioni appropinquavit humiliter, debet ab ea misericorditer liberari, ut eo contra impugnandum vitia fortis sit, quo se suis meritis cognoscit infirmum. Sequitur : *Inveni in quo ei propitier.* — Ac si aperte Mediator Dei et hominum dicat : Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo inter-

cessor justus pro omnibus apparet, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci, et dum me hominem exhibui, in quo justo homine hominibus propitiarer inveni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus, dum pœnam nostram moriendo toleravit, corruptionem nostram resurgendo mutavit; bene iste Angelus mortalitatis nostræ flagella subjungit, eorumque miseretur, dicens :

Vers. 22. *Consumpta est caro a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.* — Ac si diceret: Mortalitatis suæ pœna in quamdam vetustatis suæ senectutem dejectus est, *revertatur ad dies adolescentiæ suæ*, id est, priori integritate renovetur, ut non eo maneat quod lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sæpe adolescentiam pro novitate vitæ ponere consuevit. Unde venienti sponso dicitur : « Adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I, 3). » Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem deflebat ille qui ait : « Inveteravit inter omnes inimicos meos (*Psal.* VI, 8). » Econtra alius gaudere in virtutibus admonens dicit : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua (*Eccle*, XI, 9). » Sequitur :

Vers. 26. *Deprecabitur Dominum, et placabilis ei erit.* — Prius enim postulare Angelum, et postmodum hominem dicit, quia nisi ante ipse Dominus per incarnationem suam interpellans Patrem vitam nostram peteret, nunquam se nostra insensibilitas ad postulanda ea quæ æterna sunt excitaret. Sed incarnationis ejus præcessit oratio, ut torporis nostri evigilatio subsequatur. Sequitur: *Et videbit faciem ejus in jubilo.* — Aliter enim quisque compungitur cum interna intuens malorum suorum pavore terretur: aliter vero compungitur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam et securitate roboratur. Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum ærugo concremetur. Et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur, ut prius purgemus lugendo quod fecimus, et postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quærimus. Jubilus namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri ; et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Hinc scriptum est : « Beatus populus qui scit jubilationem (*Psal.* LXXXVIII, 16). » Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem vocamus. Unde Jacob postquam cum angelo luctatus est, ait : « Vidi Dominum facie ad faciem (*Gen.* XXXII, 30) ; » ac si diceret : Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur, dicens : « Tunc cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Sequitur : *Et reddet homini justitiam suam.* — Justitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ divina largitate fit nostra, sicut in Dominica oratione dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Luc.* XI, 3). » Suam quippe justitiam homini Dominus reddit, non quam ex semetipso habuit. Illam ergo justitiam reddet Deus homini, ad quam conditus fuit, ut inhærere Deo libeat, ut minacem ejus sententiam pertimescat, ut serpentis callidi blandis jam promissionibus non credat. Sequitur :

Vers. 27. *Respiciet homines, et dicet : Peccavi.* — Sed peccatorem se unde cognosceret, si justitiam non haberet? Nemo quippe fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre quod est; qui vero peccatorem se esse intelligit, jam ex parte aliqua esse justus inchoavit, atque id quod non justus fecerat, ex eo quod est justus accusat. Scriptura etenim sacra aliquando homines ponere solet humana sapientes, sicut ait Paulus : « Cum enim si inter vos zelus et invidia, nonne carnales estis? nonne homines estis? » (*I Cor.* III, 3.) Qui etiam quia carnali affectioni succumbunt, non jam homines, sed jumenta nominantur. Unde per David dicitur : « Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis, » et reliqua (*Psal.* XLVIII, 13). Aliquando homines cum dicit, eos a bestiis ratione distinguit, quibus per prophetam Dominus dicit : « Vos autem pascuæ meæ greges, homines estis (*Ezech.* XXXIV, 31). » Recte ergo de hoc pœnitente dicitur : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi.* Ac si dicatur : Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Unde et per Ezechielem dicitur : « Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt (*Ezech.* XLIII, 11). » Tunc quippe templum ostenditur, cum justi anima quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur. Metiri vero fabricam est pensare subtiliter justorum vitam. Sequitur : *Et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi.* — Peccatores se plerumque confitentur, etiam qui se esse non credunt. Nam sæpe contingit ut passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt se summopere atque innocentes videri conantur. Unusquisque enim in flagello positus, minus adhuc peccata sua considerat, si vel tanto vel amplius se percussum quam merebatur, existimat : iste autem qui quanto majorum exempla considerat, tanto districtiori examinatione se pensat, minus se percussum quam merebatur agnoscit, quia in illorum justitia conspicit quam gravis sibi culpa fuerit, quod erravit. Et idcirco hoc quod patitur districtum esse non sentit qui districte novit pensare quod fecit. Sequitur :

Vers. 28. *Liberavit enim animam suam ne pergeret in interitum.* — Quia præveniente divina gratia, in

operatione bona nostrum liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus. Unde Paulus, cum diceret : « Abundantius illis omnibus laboravi, » ne labores suos sibi tribuisse videretur illico adjunxit : « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* xv, 10). » Sequitur : *Sed vivens lucem videret.* — Lucem videlicet veritatis, quam corde videre mortuus non posset, vel certe quia Dominus dixit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* viii, 12). » Videbunt lucem etiam mortui, quando omnes injusti eum venire ad judicium in humanitatis forma conspexerint. Sed vivens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma ejus divinitatis attendit. Sequitur :

Vers. 29. *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos.* — Ac si diceret : Quod semel de uno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendum est quæ istæ tres vices sint quibus unusquisque homo anxietate mœroris afficitur, et, post mœrorem, protinus ad securitatem lætitia vocatur. Igitur si vigilanter attendimus, has tres vices mœroris et lætitiæ in uniuscujusque electi animo istis alternari modis invenimus, id est conversatione, tentatione, morte. In prima quippe, quam diximus, conversationis vice, gravis mœror est, cum sua unusquisque peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, et viam Dei per spatium securæ conversationis ambulare. Recte ergo de hoc amarescente homine dici potest : « Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro ejus, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquavit coruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. » Sicut supra dictum est (*Job* xxxiii, 20, 22). Sed quia divina gratia diutius istis difficultatibus affici non permittitur, ruptis peccatorum nostrorum vinculis, citius nos ad libertatem novæ conversationis consolando perducit, fitque cordi immensa lætitia, quia ei quem desiderat jam per spem securitatis appropinquat, ut recte de hoc dici debeat : « Deprecabitur Deum et placabilis ei erit, et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam. Respiciet homines et dicet. Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret (*Ibid.*, 26, 28). » Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam unusquisque per studium conversionis agnoscit, hæc secunda suboritur, quia ne securitatis negligentia dissolvatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conversationis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum probationis experitur. Tres quippe modi sunt conversorum. Inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem veniunt blandimenta dulcedinis ; in medio quoque tempore certamina tentationis ; ad extremum vero perfectio plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt quæ consolentur ; postmodum amara quæ exerceant, et tunc demum suavia atque sublimia quæ confirment. Plerumque autem conversus quisque talibus tentationum stimulis agitatur, quibus ante conversionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur. Non quia tunc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus sæpe sibimet ipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat nesciat. Inter hæc ergo deprehensa mens huc illucque distenditur, et multiplicibus tentationum æstibus dissipatur ; ita vero circumfrementibus tentationum motibus angustatur, ut recte de eo dici debeat : « Abominabilis ei sit in vita sua panis, » ut supra. Sed quia misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari, sicut scriptum est : « Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere (*I Cor.* x, 13), » citius consolationis opus occurrit, et surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit dum devictum malum respicit quod toleravit, ut jure de hoc tentato liberatoque homine dici debeat. « Videbit faciem ejus in jubilo, et liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. » Post conversationis namque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio. Quia venire non potest ad perfectæ gaudia libertatis, nisi prius debitum solverit humanæ conditionis. Conversus autem quisque sibi caute sollicitus, tacite secum considerare non cessat, æternus Judex quam districtus adveniet ; suumque terminum quotidie prospicit, et ante severitatem tantæ justitiæ, quas rationes vitæ suæ sit positurus, attendit. Considerat quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus ; considerat, quia nec hoc quidem sine aliquo reatu est quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi ? Et tamen David dicit : « Ne intres in judicium cum servo tuo (*Ps.* cxlii, 2). » Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam justi anima turbatur, cui, et si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interveniente concutitur, ut jure dici debeat : « Abominabilis ei fit in vita sua panis, » et reliqua. Sed quia justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pavore purgantur, æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationem percipiunt quamdam retributionis æternæ, etiam priusquam carne exspolientur. Hilarescunt, et dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur, recte dicitur : « Videbit faciem ejus in jubilo. » Sequitur :

Vers. 30. *Ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium.* — Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo vivunt, luce morientium tenebrescunt. Illuminantur autem *luce viventium* qui,

despecto temporali lumine, ad splendorem internæ claritatis recurrant ut ibi vivant, ubi verum lumen sentiendo videant ; ubi non aliud lumen atque aliud vita, sed ubi lux ipsa vita sit. Ubi sic nos lux exterius circumscribat, ut interius impleat ; sic interius impleat, ut incircumscripta exterius circumscribat. Illuminantur ergo hac *luce viventium*, quam tanto tunc subtilius conspiciunt, quanto nunc ad illam prius vivunt. Sequitur :

VERS 31. *Attende, Job, et audi me, et tace dum ego loquor.* — Qualem se apud se habeat, hac locutione manifestat. Immensa enim superbia est, a seniore sibi reverentiam exigere, et silentium imperare meliori. Sequitur :

VERS. 32. *Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere ; volo enim te apparere justum.* — Quia autem prædicatores justi dum quoslibet corripiunt, sæpe per humilitatis gratiam ad cogitationum suarum intima revertuntur, atque in eo ipso quod corripiunt, ne quid fortasse fallantur exquirunt, correptisque licentiam tribuunt, ut si quid pro se ipsi justius sentiunt fateantur. Hoc nonnunquam etiam arrogantes imitari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposita, quasi eorum quos corripiunt, si forte reperiri potuerint, justitiam quærunt, non quia ita sentiunt sed quia ornari per speciem humilitatis concupiscunt. Metuunt enim ne superbi ac tumidi quia sunt, esse videantur. Sequitur :

VERS. 33. *Quod si non habes, audi me, et tace, et docebo te sapientiam.*— Quia enim veraciter quærunt audire quod justum est, æquanimiter exspectant audire quod quærunt. Eliu autem qui veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod quæsierat non permisit ; sed mox quæ intrinsecus gestavit, erupit, qualemque se in oculis suis habebat ostendit, dicens : *Tace, et docebo te sapientiam.* Arrogantes enim viri, quando aliquid humiliter sonant, diu in ejusdem specie humilitatis non perdurant, cum fortasse quærunt ut audiant, mox loquendo obviant ne doceantur. Sequitur :

## CAPUT XXXIV.

VERS. 1. *Pronuntians itaque Eliu etiam hæc locutus est :* — Quid enim per hujus pronuntiationis vocabulum nisi inflatio elationis ostenditur ? Ut verba quæ de alta superbiæ radice veniebant, cum quadam quasi altitudine et distinctione procederent, Sequitur :

VERS. 2, 3. *Audite, sapientes, verba mea, et eruditi, auscultate me. Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat.* — Ac si diceret : Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes ergo atque eruditi, audite quod dico, qui potestis ea quæ fuerint dicta cognoscere. Videamus, igitur quantum timeat, qui verba sua non nisi a sapientibus audire decenter existimat. Verus autem prædicator sapientiæ dicit : « Sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I, 14).» Sequitur :

VERS. 4. *Judicium eligamus nobis, ut inter nos videamus quid sit melius.* — Sed utrum hoc judicium et humili corde quæsierit, facile cognoscimus si subsequentia ejus verba pensemus. Sequitur :

VERS. 5, 6. *Quia dixisti, Job : justus sum, et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me mendacium est, et violenta sagitta mea absque ullo peccato.* — Hæc beatum Job dixisse queritur, quæ tamen quia minime dixerit requisita sacræ historiæ verba testantur. Sed qui judicium æque quæsierat, eo culpa quam finxit protinus sententiam promulgat : nam sequitur :

VERS. 7, 8. *Quid est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operationibus iniquitatum ?* — Ecce judicium quærens, judicium protulit, et post allegationem suam nulla beati Job exspectata sententia, eum damnatione dignum ex reproborum societate judicavit. Ait enim : *Quis est vir ut est Job ?* Ut utique subaudiamus, nullus ; atque subjungit : *Qui bibit subsannationem quasi aquam.* Aqua autem cum bibitur, ita liquide sumitur, ut ad sorbendum nulla sui pinguedine retardetur. Subsannationem vero ut aquam bibere est, Deum sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, ut eo quod superbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio contradicat. Hæc autem ejus sententia super beatum Job, quantum ab tramite veritatis exorbitet, illa etiam attestatione cognoscimus qua ad diabolum dicit : « Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram ? » (*Job.* I, 8.) Ecce quem Veritas dicit absque comparatione justum, eum Eliu asserit absque comparatione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantium prædicatorum solent, ut etiam afflictos auditores suos magis districte corripere appetant, quam blande refovere. Plus enim student ut mala objurgando increpent, quam bona laudando confirment. Unde scriptum est : « In ore stulti virga superbiæ (*Prov.* XIV, 4) » Nunnunquam vero etiam prædicatores justi rigide feriunt ; sed aliud est cum justitia stimulat ; aliud cum superbia inflat. Justi cum severe corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine refrenanda pravorum, duritiam districti vigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore ardent in quos aspera correctione sæviunt. Unde scriptum est : « Verba sapientium quasi stimuli, et sicut clavi in alium defixi (*Eccle.* XII, 11).» Sequitur :

VERS. 9. *Dixi enim : Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo.* — Quod profecto quia minime dixerit, quisquis beati Job verba legit, agnoscit. Sed qui idcirco loquitur, ut semetipsum ostendendo superbiat, quid mirum si in altero fingit quod reprehendat ? Sequitur :

VERS. 10. *Ideo, viri cordati, audite me.* — Ecce iterum fastu superbiæ inflatus, eos tantummodo, qui quasi digne intelligendo se assequi valeant, quærit.

VERS. 11. *Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente*

*iniquitas ; opus enim hominis redde ei, et juxta vias singulorum restituet ei.* — Benedixit, quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non est, in hac vita nequaquam hoc semper agitur quod subjungit, quia juxta opus suum singulis et *juxta vias* reddet. Nam et multos illicita ac perversa perpetrantes gratuito prævenit, atque ad opera sancta convertit. Et nonnullos rectis actibus deditos flagello interveniente corripit, ac si placentes quasi displiceant affligit. Salomone attestante, qui ait : « Sunt justi quibus mala veniunt, quasi opera egerint impiorum, et sunt impii qui ita securi sunt, ac si justorum facta habeant (*Eccle.* VIII, 14). » Verius ergo Eliu diceret si dixisset, quia in Omnipotente impietas atque iniquitas non est, etiam cum juxta vias proprias hominibus reddere non videtur, nam et quod a nobis non intelligitur, ex occulti judicii non injusta lance profertur. Sequitur :

VERS. 12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertit judicium.* — Ad diabolum Dominus dicit : « Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra (*Job* II, 3). » Contraria quippe videntur, nisi subtili consideratione pensentur. Aliud namque est damnare, aliud affligere. Affligit ergo juxta aliquid frustra, sed frustra non damnat. An non juxta *frustra* Job afflixerat, cum non delebat vitium, sed meritum augebat. Frustra enim condemnare non potest, quia damnatio fieri non ex parte ad aliquid potest. Quæ videlicet in extremo punit omne quod hic quisque commiserit. *Nec Omnipotens subvertit judicium*, quia si minus recta videntur esse quæ patimur, recte tamen in occulto examine decernuntur. Sequitur :

VERS. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* — Ut videlicet subaudias, nullum. Per se quippe mundum regit, quem per se condidit, nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Sed hæc idcirco colliguntur, ut liquido indicet quia omnipotens Deus, si per semetipsum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit utique bene regit, quia quod pie condidit impie non disponit. Sequitur :

VERS. 14. *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahit.* — Cursum cor est, cum ima appetit, dirigitur cum ad superna sublevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit : spiritum videlicet pro internis cogitationibus ; flatum vero quo corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere est, ad conversionem sui desiderii, et interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam menti exterius libeat, nihil caro inferius vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est, ad eum videlicet a quo est et interius desiderando ferveat, et exterius se edomando constringat. Sequitur :

VERS. 15. *Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur.* — Simul enim omnis caro deficit, quando jam nullis suis motibus servit, quia præsidens spiritus cuncta ejus fluxa restringit, et quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa male vivebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semetipsum Jeremias interfecerat cum dicebat : « Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum (*Jer.* XXXI, 19) » Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur ? Et quid est quod ait : « Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, » nisi postquam superna spiritaliter vidit ; omne quod inferius in se carnaliter vivebat exstinxit ? In peccato enim quisque positus mortalitatis suæ obliviscitur et terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid se esse aliud quam cinerem recordatur ? In cinerem Abraham reversus fuerat, dicens : « Loquar ad Dominum meum, cum sint pulvis et cinis (*Gen.* 18, 27). » Hinc David ait : « *Auferes spiritum eorum et deficient*, » et reliqua (*Psal.* LXIII, 29). Sequitur :

VERS. 16. *Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei.* — Habent hoc proprium omnes arrogantes, ut cum fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, sensusque omnium in sui comparatione despiciunt, seque in suo judicio aliorum meritis anteponant. Ecce Eliu quomodo paulisper in elationem per verborum incrementa proficit. Sæpius namque dixerat : « Si habes quod loquaris, responde mihi, » et reliqua (*Job* XXXIII, 32). Ac si diceret : Dic aliquid, si tamen dignus potueris esse qui dicas. Hinc autem ait : *Si habes intellectum, audi quod dicitur.* Ac si aperte dicat : Audi me, si tamen dignus poteris esse qui audiat. Isti quotidiani defectus qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indesinenter ad deteriora descendunt. Sequitur :

VERS. 17. *Nunquid qui non amat judicium sanari potest ? quomodo tu eum qui justus est, in tantum condemnas ?* — Bonam quidem sententiam protulit, sed beato Job proferenda non fuit. In omni enim quod dicitur summopere intuendum est quid dicatur, cui dicatur, quomodo dicatur. Eliu autem attendit quod diceret, sed cui diceret, non attendit. Beatus quippe Job amabat judicium, quia causas subtiliter eum Deo pensare noverat, nec condemnaverat eum qui justus est ; sed cur sine peccato percussus fuerat in dolore positus cum humilitate requirebat. Amat judicium quisquis vias suas subtiliter discutit, et secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipse tribuat, quid ipse debeat Deo pensat. Arguens beatum Job quod judicium non amaret, et quia eum, qui justus est, condemnasset, illico ejusdem justi, id est, Domini justitiam subdit. Sequitur :

VERS. 18. *Qui dicit regi : Apostata ; qui vocat duces impios.* — Sæpe novimus quod plerique qui præsunt inordinatum sibi metum a subditis exigunt, et non tam propter Dominum, quam pro Domino venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cun-

tosque subditos in sui comparatione despiciunt. Unde scriptum est : « Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis (*Eccli.* XXXII, 1) ; » bene contra eos dicitur. *Qui dicit regi : Apostata.* Unusquisque enim superbus rector toties ad culpam apostasiæ delabitur, quoties præesse hominibus delectatur, honoris sui singularitate lætatur. Sub quo enim sit non considerat, et quod æqualibus quasi non sit æqualis exsultat. Ad viam namque pietatis ducerent, si subditorum A oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux quippe est impius, qui a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostendit erroris. Paulus dux impius esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem reprimebat dicens : « Non quærentes ab hominibus gloriam neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum (*I Thess.* LXXI). »

# LIBER VICESIMUS QUINTUS.

Ipsa humanæ conditionis qualitas indicat quam longe rebus cæteris præstat. Nam collata homini ratio asserit quantum omnia, quæ vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen quia ab internis atque invisibilibus oculos claudimus, atque visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur. Cumque non intuemur quod ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum non ex personis, sed ex rebus adjacentibus ducimur, sicque fit ut is quoque apud nos intus in disceptatione veniat, qui foris honoratur, quia dum pro his quæ erga illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. At contra de Deo dicitur :

VERS. 19. *Qui non accipit personam principum, nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem.* — Potest autem per principem vel tyrannum quisque superbus inteligi, per pauperes vero humiles designari. Tyrannum ergo disceptantem contra pauperem non cognoscit omnipotens Deus, quia superbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in judicio se nescire perhibet, dicens : « Nescio vos, unde sitis (*Luc.* XIII, 25). » Et quia sic potenter cum vult destruit, sicut cum voluit potenter creavit, apte ratiocinando subjungitur : *Opus enim manuum ejus sunt universi.* — Atque mox subditur :

VERS. 20. *Subito morientur, et in media nocte curvabuntur populi et pertransibunt.* Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito et repente tolluntur, quia finem suum cogitando prævidere nesciunt. Subito est quod ante cogitare non potuit. Subito dives ille stultus est, qui horrea quæ præparavit deseruit, et inferni locum quem non prævidebat invenit. Unde ei dicitur : « Hac nocte repetent animam tuam a te (*Luc.* XII, 20), » at contra de justis dicitur : « Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa, tanquam fur, comprehendat (*I Thess.* V, 4). » In media enim nocte curvati pertransibunt, qui in obscuritatis suæ negligentia humilitati [humiliati] rapiuntur. Tunc curvabuntur per sententiam judicis qui nunc curvari negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inviti curventur in morte, B sponte curvantur in humilitate. Unde sanctæ Ecclesiæ de conversa prole persecutorum dicitur : « Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te (*Isa.* LX, 14). » Et bene de morientibus populis non ait transibunt, sed *pertransibunt*, qui etiam vivendo temporaliter quotidie ad finem tendimus, et præsentem vitam quasi quamdam vitam subigendo transimus ; hoc ipsum morituris vivere quasi ad mortem ire est, et quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Sequitur : *Et auferent violentum absque manu.* — Subaudis, divina judicia. Absque manu vero auferent eum qui manu violentus fuit ; absque manu auferent, quia videlicet subito exitu urgente invisibiliter rapitur, qui C visibiliter rapiebat. Sequitur :

VERS. 21. *Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat.* — Tunc enim nequaquam considerare credebatur, quando violentus iste omne malum quod poterat inulte perpetrabat. Æstimabatur Deus injusti acta non cernere quia differebat juste damnare, et magna ejus patientia quasi quædam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri a Deo credidit, quoties inulte peccavit, cui per quemdam sapientem dicitur : « Ne dicas : Peccavi, et quid accidit mihi triste ? (*Eccli.* V, 4.) » Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non protulit pœnam. Gressus vero hominum vocat, vel singulas operationes quibus innitimur, vel alternan- D tes motus intimæ cogitationis, quibus quasi passibus vel longe a Domino recedimus, vel pie ad Deum propinquamus ; ad Deum enim quasi tot gressibus mens accidit, quot bonis motibus proficit, et rursum tot gressibus longe fit, quot malis cogitationibus decrescit. Sequitur :

VERS. 22. *Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* — Quid per tenebras nisi ignorantiam, et quid per umbram mortis, nisi oblivionem studuit designare ? De quorumdam quippe ignorantia dicitur : « Tenebris obscuratum habentes intellectum (*Ephes.* IV, 18). » Et rursum de oblivione quæ in morte contingit scriptum est : « In illa die peribunt omnes co-

gitationes eorum (*Psal.* CXLV, 4). » Quia ergo per A mortem funditus oblivioni tradetur quidquid vivendo cogitatur, quasi quædam oblivio est, et umbra mortis. Ac si ergo diceret : Idcirco ejus judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest aut non videre quod fecimus, aut oblivisci quod videt; quamvis intelligi tenebræ vel umbra mortis etiam aliter possunt. Omnis namque immutatio velut quædam mortis immutatio est. Id enim quod mutat, quasi ab eo quod erat interficit, ut desinat esse quod fuit, et incipiat esse quod non fuit. Lumen igitur verum, Creator videlicet noster, quia a nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est ; tenebræ ei vel umbra mortis dicitur non inesse. Unde alias scriptum est : « Apud quem B non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17) ; » et unde rursus Paulus apostolus dicit : « Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem (*I Tim.* VI, 16). » Lux enim æterna, quæ Deus est, quanto incommutabiliter fulget, tanto penetrabiliter viget ; et neque occulta nescit, quia cuncta penetrat ; neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. Sequitur :

VERS. 23. *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.* — Hic nimirum non illud judicium designatur, quod per æternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conversionem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat C Dum ergo dicitur : *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium*, profecto ostenditur esse quoddam judicium, quod quandoque etiam a damnatis ac reprobis desideretur. Et quod est illud, nisi hoc de quo Paulus apostolus dicit : « Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 31) ; » et de quo per prophetam dicitur : « Non est judicium in gressibus eorum (*Isa.* LIX, 8) ; » et quod David ait : « Honor Regis judicium diligit (*Psal.* XCVIII, 4). » Ut videlicet qui jam Deum honorat ex fide, sollicite judicet quid ei debeat in operatione. Hinc propheta ait : « reduc me in memoriam ut judicemur simul, narra si quid habes ut justificeris (*Isa.* XLIII, 26). » Debet enim uniuscujusque mens et causas suas D apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere, debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis perverse vivendo respondit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Unde bene Salomon ait : « Cogitationes justorum judicia (*Prov.* XII, 5). » Accedunt enim ad secretarium judicis intra sinum cordis ; considerant quam districte quandoque feriat, qui diu patienter exspectat ; metuunt in his quæ se egisse meminerunt ; puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt. Nec deest in hoc judicio mente concepto omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judicium eo certius punit, quo interius sævit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Quia ergo nunc in potestate est internum mentis nostræ contra nos subire judicium recognoscendo accusemus nosmetipsos quales fuimus, pœnitendo torqueamus, non cessemus, dum licet, judicare quod fecimus. Audiamus caute quod dicitur : *Neque enim ultra in hominis potestate est ut veniat ad Deum in judicium.* Sequitur :

VERS. 24. *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro aliis.* — Postquam multa narrata sunt de pœna malorum, subito infertur occultum judicium, quod pie super nos justeque disponitur, quomodo alii perdunt quod tenere videbantur, et alii accipiunt quod alii ex meritis perdunt. Cunctis autem liquet quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. Sed hoc nunc secreto judicio quotidie agitur quod tunc publice demonstratur. Nam juste ac misericorditer singulorum corda, vel examinans vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecus trahit. Hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit, illorum superbiam in infimis desideriis mergit, et qui videntur humano judicio, jam in conspectu æterni judicis stant. Quis enim hominum æstimare potuisset Judam vivendi sortem etiam post ministerium apostolatus amittere ? Et quis econtra latronem crederet causam vitæ etiam in ipso mortis articulo invenire ? Conteruntur etiam qui relictis cœlestibus terram quærunt. Quæ autem major poterit esse contritio, quam deserto Creatore creaturam quærere ? desertis supernis gaudiis, in infimis rebus inhiare ? Unde bene per Prophetam dicitur : « Humiliat autem peccatores usque ad terram (*Psal.* CXLVI, 6). » Quod autem dicens *Conterit multos*, illico adjunxit, *innumerabiles*, multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ humanæ rationis numerum transit. Vel certe indicare voluit quod omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, ut eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Unde Propheta intuens tantos hoc Ecclesiæ tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summamque transire, ait : « Multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6). » Sequitur :

VERS. 25. *Novit enim opera eorum, et idcirco inducit noctem et conterentur.* — Sciendum summopere est, quod iniquus quisque duobus modis in nocte conteritur, vel cum exterioris judicii tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius cæcatur. In nocte corruit, cum per extremum judicium, vivendi lumen in perpetuum amittit. Unde scriptum est : « Ligate ei pedes et manus, et mittite eum in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 13). » Rursum in nocte iniquus conteritur, cum peccatorum præcedentium confusione damnatus, veritatis lumen non invenit, et quid deinceps agere debeat non agnoscit.

Omne quippe peccatum quod tamen citius pœnitendo non tegitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur ad pejus et alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Hinc David ait : « Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam (*Psal.* LXVIII, 28). » igitur quia præcedentibus peccatis cæcatus oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animum ex ante actæ culpæ damnatione confundit, merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Inducere autem noctem dicitur Dominus, non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, ut hoc ipsum in nocte cæcasse sit, a cæteris tenebris liberare voluisse. Sequitur.

VERS. 26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.*—In Scriptura sacra *quasi* aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate poni consuevit. Pro similitudine enim *quasi* ponitur, sicut Apostolus dicit : « Quasi tristes, semper autem gaudentes (*II Cor.* VI, 10). » Pro veritate autem ponitur, sicut Joannes ait : « Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I, 14). » Hoc autem loco nihil differt utrum pro similitudine, an pro veritate sit positum, quia quolibet dicatur ordine, aperte prava malorum vita signatur. Impios vero Scriptura sacra proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impiis discernuntur, quia cum omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius ; peccator, non tamen omnis peccator est impius ; peccator enim dici etiam qui in fide pius est potest. Unde Joannes ait : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Impius vero proprie dicitur, qui a religionis pietate separatur. De talibus enim Propheta ait : « Non resurgent impii in judicio (*Psal.* I, 5). » Locus autem videntium sancta Ecclesia vocatur : in ipsa enim recte consistitur, ut lumen verum, quod Deus est, videatur. Unde ad Moysen dicitur : « Est locus penes me, et stabis supra petram cum transibit mea majestas (*Exod.* XXXIII, 21,22). » Et post paululum : « Auferam manum meam, et videbis posteriora mea (*Ibid.*, 23). » Multi quippe intra sanctam Ecclesiam positi pia specie, extra Ecclesiam inventi sunt impia conversatione. De quibus bene alias scriptum est : « Vidi impios sepultos, qui, cum adviverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum opera (*Eccle.* VIII, 10). » Sequitur :

VERS. 27. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo.* — Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, et gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat : « Qui prius fui blasphemus et persecutor, » et reliqua (*Tim.* I, 13). Petrus vero infirmitate peccavit. Industria vero peccaverant hi, de quibus dicebat ipse Magister : « Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, » et reliqua (*Joan.* XV, 22-24). Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quæ ipsi negligunt facere etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia,sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Sequitur : *Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.*—Non enim infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt*, quia sæpe quæ facere dispiciunt etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est : « Servus nesciens voluntatem Domini sui et non faciens digna, plagis vapulabit paucis, et servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens juxta eam, vapulabit multis (*Luc.* XII, 47, 48). » Impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse superbia. Via quippe est incarnatæ omnis actio quam temporaliter gessit, viæ ejus sunt vivendi ordines, quos ad se venientibus stravit. Tot itaque ad se venientibus vias præbuit, quot bene vivendi exempla monstravit. Humilitatis ejus Propheta vias aspexerat, cum suspirabat dicens : « In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas (*Psal.* CXVIII, 15). » Quia ergo superbi quique humilitatis Dominicæ facta contemnunt, recte dicitur, *vias ejus intelligere noluerunt.* Vias itaque ejus intelligere est, et humiliter tolerare transitoria, et perseveranter exspectare mansura, ut exemplo Dominico æterna quæratur gloria opprobriis temporalibus comparata. Sequitur :

VERS. 28. *Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.* — Cum enim isti superbiunt, clamant ad Dominum hi qui ipsis superbientibus opprimuntur. Vel certe, idcirco dicitur quod ad Deum fecerunt clamorem pauperum pervenire, quia istis cadentibus in eorum loco pauperes, id est humiles, spiritu subrogantur. Et quia hoc eorum casu factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis genere quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis. Vel certe, quia cuncta quæ superius dicta sunt, referri etiam ad rectores ecclesiasticos possunt, qui relicto prædicationis studio, sub occasione regiminis terrenis negotiis involvuntur, apte subjungitur : *Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.* Quia nimirum, dum ipsi curis sæcularibus occupati prædicationis officium deserunt, gregem subditum in

querelarum prorumpere clamore compellunt, ut quasi jure unusquisque subjectus de vita ficti pastoris immurmuret, cur tenet magistri locum, qui non exercet officium, quamvis fortasse melius per tumorem potentium superbia Judæorum, et per clamorem pauperum desideria gentium figurantur, sicut attestante Veritate, per epulantem splendide divitem Judaicus populus designatur. Et per vulneratum Lazarum, qui interpretatur *adjutus*, forma gentilis populi exprimitur. Illis ergo peccantibus pauperum clamor auditur, quia dum Judæi contra Deum superbiunt, ad Deum vota gentilium pervenerunt. Sequitur :

VERS. 29. *Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet ? Ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum ?*—Nemo ergo discutiat cur stante Judaico populo dudum in infidelitate gentilitas jacuit, cur ad fidem gentilitate surgente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Si enim gentilitatem miraris assumptam *ipso concedente pacem, quis est qui condemnet ?* Si Judæam obstupescis perditam, ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum ? Itaque consilium summæ et occultæ virtutis satisfactio sit aperte rationis, Unde in Evangelio Dominus cum de hujus rei causa loqueretur, ait : « Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XII, 35). » Sequitur : *Et super gentes et super omnes homines.*—Ac si aperte admoneantur attendere, quia hoc judicium quod super unam gentem describitur, etiam super omnes homines invisibili examinatione celebratur, ut alius repellatur, alius eligatur occulte, sed nullus injuste. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute timeamus. Sic enim intenduntur divina judicia super unam gentem, sicut super universam generis humani multitudinem. Quia et sic intendit Dominus singulis, ac si vacet a cunctis, et sic simul intendit omnibus, ac si vacet a singulis. Qui enim omnia administrando implet, reget implendo ; nec universo deest cum disponit unum, nec uni deest cum disponit universum, sanctæ scilicet naturæ sua potentia vetus operatur Sequitur :

VERS. 30. *Qui regnare fecit hominem hypocritam propter peccata populi.* — Quia igitur de specie transivit ad genus, nunc de genere se convertit ad speciem. Verum namque regem super Judæa regnare noluit, et idcirco ex gentibus meritis hypocritam accepit, sicut quoque Veritas in Evangelio dicit : « Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me ; alius veniet in nomine suo, hunc accipietis (*Joan.* V, 43). » Potest etiam per hypocritam, caput Antichristus [Antichristi] designari ; seductor quippe ille tunc sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat, sed propter peccata populi regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius regimine præordinantur, quia digni ejus Domino ante sæcula præsciuntur qui peccatis subsequentibus exigunt, ut sub illo judiciis præcurrentibus disponantur. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex injustitia judicis, sed ex culpa patientis ; quamvis plerique et principatum illius non viderunt, et tamen ejus principatui peccatorum suorum conditione deserviunt, quia et quem dominantem sibi minime conspiciunt, eum procul dubio perverse vivendo venerantur. An non ejus membra sunt qui per affectatæ sanctitatis speciem appetunt videri quod non sunt ! Ille namque principaliter hypocrisim sumet. quia cum sit damnatus homo et nequam spiritus, Deum se esse mentitur, sed procul dubio ex ejus nunc corpore prodeunt qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscondunt, ut professione videri appetant, quod esse operibus recusant, quia enim scriptum est : « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Quanto nunc liberius peragunt perversa quæ volunt, tanto ejus servitio obnoxii obligantur. Sed quæri potest rationabiliter quomodo hoc in loco dicitur, quod *regnare hypocritam* Dominus facit, cum hac de re specialiter queritur per prophetam dicens : « Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi (*Ose.* VIII, 4). » Quis enim recte sentiens dicat, quia facit Dominus quod minime cognoscit ; sed quia scire Dei approbare est, nescire reprobare. Unde quibusdam quos reprobat dicit : « Nescio vos unde sitis. Discedite a me, omnes operarii iniquitatis (*Luc.* XIII, 25,27). » Et aliquando facere Dei est, cum id, quod fieri prohibet, irascendo permittit metire. Unde et regis Ægypti cor se obdurare asseruit, quia videlicet obdurari permisit. Miro modo hypocritas Dominus regnare facit et nescit ; facit sinendo, nescit reprobando.

# LIBER VICESIMUS SEXTUS.

VERS. 31, 32. *Quia ergo locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.*—Sicut sæpe contingit ut bona loquantur et mali, multa Eliu fortia paulo superius se dixisse memorat, et secuturus idcirco, ne fortasse erraverit, requirebat. Neque enim requireret, si se errasse credidisset. Est namque, ut dixi, propria arrogantium fraus, ut tunc de

errore requirere studeant, quando se noverint non errasse. Qui rursum requirere vel argui de errore despiciunt, si quando se errasse veraciter cognoscunt. Sequitur :

VERS. 33. *Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?* — Ac si diceret : Ego coram Deo rationes positurus sum. Cur modo iniquitas mea a te reprehenditur? Quæ constat quia, quod in judicio a te non requiratur. Recti viri, cum injuste ab hominibus impetuntur, ad supernum judicium recurrunt. Unde et ab eodem Job dicitur : « Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis (*Job.* XVI, 20). » Et quia ei summopere placere cupiunt, ejus solius testimonium requirunt. Perversi quoque quia justorum vitam deserunt, sed nonnunquam eloquia scrutantur, cum de suis male gestis increpantur, hoc assumunt in argumento defensionis, quod justi proferunt cum testimonio puritatis. Unde eis et consuetudo jam facta est, ut si quis eos de factis suis arguat, Dei magis judicium quam hominum quærant. A Deo enim et cum se damnandos noverint, judicari metuunt, judicari ab hominibus erubescunt. Proponunt ergo magis quod metuunt, ut hoc minus declinare valeant quod erubescunt. Scriptum quippe est : « Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo (*Rom.* XIV, 12). » Quia vero esse culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoant, quam qui responderint, subdidit dicens : *Tu enim cœpisti loqui, et non ego.* — Eo se innocentem credidit, quo pulsatus erupit, nimirum nesciens quia innocentia non tempore defenditur, sed ratione. Qui enim ejus defensionibus adminiculatur? Quod si tacenti nulla intulit, recte tamen inchoanti prava respondit. *Quod si quid nosti melius, loquere.* Quamvis, dum non ait, quia melius nosti, sed quid melius nosti, loquere, nimis hoc ipsum superbisse est, de melioris scientia dubitasse. Ecce, dum quasi humiliter beato Job loqui tribuit, quod intrinsecus gestaret, ostendit. Sequitur :

VERS. 34. *Viri intelligentes loquantur mihi.* — Dedignatus videlicet si beato Job loqui præsumeret, qui quasi ejus intelligere verba non posset. Et quia non solum ad loquendum, sed etiam ad audiendum beatum Job indignum fuisse judicavit, sequitur : *Vir sapiens audiat me* — Ac si diceret : Huic loqui injuste conceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur. Atque mox aperte quam despecta de illo sentiat, manifestat dicens :

VERS. 35. *Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam.* — Sine disciplina locutum beatum Job credidit, quia justum se in suis operibus fuisse memoravit. Verum fortasse Eliu diceret, si ea quæ beatus Job de seipso narraverat, non de illo hæc eadem ipse disciplinæ auctor æstimasset. Innocentem enim Job se asserit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra percussum. Quod ergo vox percussi superbum sonuit, quæ a sententia ferientis nullatenus discrepavit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant, imo mentiendo superbiunt, qui contra veri-

A tatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. Sequitur :

VERS. 36. *Pater mi, probetur Job usque ad finem.* — Ecce hoc quod de arrogantiæ tumore conceperat, in verbis etiam maledictionis exaltat, sed fortasse benevole vim probationis optaret, si stetisse eum in probatione judicasset. Ut vero aperte malitia ejus crudelitatis appareat, probare adhuc per flagella deprecatur quem inter flagella lapsum fuisse jam queritur, præmisit quod sensit, ut apertius cognosci debeat quod optat. Adhuc feriri postulat quod jam peccasse sub manu ferientis accusat. Propria hæc arrogantium vota sunt, ut vitam

B dolentium examinari acrius deprecentur, quia quanto sibimet ipsis justiores sunt, tanto alienis doloribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem alienæ infirmitatis trahere, et sicut suæ, ita etiam proximi imbecillitati misereri. Viri autem veraciter sancti flagellari quempiam etiam pro culpa cognoscunt, et si quædam ejus inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia compatiuntur, et sciunt sic tumentia premere, ut sciant etiam cruenta refovere, quatenus in eis cum dura emolliunt, infirma roborent. Sequitur : *Ne desinas ab homine iniquitatis.* — Hominem iniquitatis vocat, quem Deus justum præ omnibus superna attestatione denuntiat. Sequitur :

VERS. 37. *Qui addit super peccata sua blasphe-*

C *miam.* — Accusat eum et pro peccatis suis flagella meruisse, et post flagella peccasse. Longe vero aliter Dominus judicat, qui et *frustra* flagellatum insinuat, et bona duplicia post flagella retribuit ; pœna enim debetur culpæ, non præmium. Beatus ergo Job sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem præmia subsequuntur. Sequitur : *Inter nos interim constringatur, et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.* — Ac si diceret : Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam divinæ examinationi sufficiat. Sequitur :

CAPUT XXXV.

*Igitur Eliu hæc rursum locutus est.* — Omnis qui multa loquitur, in locutione sua semper incipere studet, quatenus inchoatione ipsa suspensos auditores faciat, et eo attentius taceant, quo

D quasi novum audire aliquid exspectant. Sequitur :

VERS. 1, 2. *Nunquid tibi æqua videtur tua cogitatio, ut diceres : Justior Deo sum?* — Quia beatus Job justiorem se Deo non dixerit, omnis qui textum historiæ legit agnoscit. Sed ait : « Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum (*Job.* XXIII, 7). » Vitam suam videlicet pensans, et causas percussionis ignorans, ut sæpe jam dictum est, pro diluendis peccatis se credidit, et non pro augendis meritis flagellari, et idcirco judicium suum ad victoriam pervenire confisus est, quia culpam in se, pro qua debuisset percuti, non invenit. Quod quidem de illo et Dominus ad diabolum dixit : « Commovisti me adversus eum, ut af-

fligerem eum frustra (*Job.* II, 3). » Vel certe in eo A Redemptoris nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui est virtus Patris et sapientia, etiam nomine æquitas non inconvenienter accipitur. Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugientibus in carne tam ostendendo contra posuit, eos protinus ab iniquitate revocavit. Sequitur :

Vers. 3. *Dixisti enim : Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi proderit, si ego peccavero ?* — Si tota libri series attenditur, nil horum beatus Job dixisse monstratur, sed arrogantes cum non possunt reprehendere juste quæ sunt, reprehendunt mentiendo quæ non sunt. Sequitur :

Vers. 4. *Itaque ego respondebo sermonibus tuis et amicis tuis tecum.* — Dictis superioribus quasi beati Job culpabilia verba narravit, atque ex eis B sibi materiam loquendi præposuit ; sed verbis subsequentibus forti acumine discutit hoc quod sibi ad dicendi materiam fallaciter finxit, et fortes quidem sunt sententiæ quæ sequuntur, sed beati Job personæ minime congruunt. Sequitur :

Vers. 5, 6, 7. *Suspice cœlum, et intuere, et contemplare æthera, quod altior te sit. Si peccaveris, quid ei nocebis ? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum ? Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet ?* Quamvis beato Job scienti majora nequaquam dici ista debuerunt, vera tamen sunt quæ dicuntur, quod videlicet Deo nec peccata nostra noceant, nec bene gesta concurrant. Sequitur :

C

Vers. 8. *Homini, qui similis tui est nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua.* — Sed inter hæc illud solerter intuendum quod ait : *Suspice cœlum, et intuere, et contemplare æthera quod altior te sit.* Hæc enim dicens, nimirum colligit ut considerare debeat quanto minus Deo actione sua aut prosit aut noceat, cui altitudine cœli atque ætheris prodesse vel nocere non possit. Quamvis in cœlo vel æthere possumus supernas potestates accipere, divinis semper obtutibus inhærentes, ut cum angelicos spiritus longe adhuc a nobis distare conspicimus, ipsi Creatori atque Dominatori spirituum quanto distamus interius agnoscamus, corpoream tamen cœli ætherisque materiam hoc loco sentire nil obstamus. Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem D ad interiora revocamur. Unde Paulus ait : « Invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas (*Rom.* 8, 10). » Humana impietas ei nocet, quem pervertendo inquinat, et rursum eum adjuvat nostra justitia, quem a pravis actionibus mutat. Noceri enim vel adjuvari nesciunt ea quæ vel a bono corrumpi, vel a malo permutari non possunt. Supernæ igitur potestates eos lædi vel juvari nequeunt, quo esse jam incommutabiles acceperunt. Sequitur :

Vers. 9. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.* — Calumniatores recte dicere possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona rapiunt, sed etiam in malis suis moribus et vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt. Illi namque ea quæ nobis extra sunt, invadere ambiunt, isti nos prædari interius quærunt ; et quia in hoc mundo abundat malorum vita quæ cruciat, recte dicitur : *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.* Quisquis enim male vivere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris utitur. Quisquis vero peccatum suadens, etiam terrere nos appetit, jam contra nos brachio tyrannidis sævit. Aliud est enim vilia suadere vivendo, aliud jubendo terrere. Sequitur :

Vers. 10. *Et non dixit : Ubi est Deus qui fecit me ?* — Mos sacræ Scripturæ est, ut a singulari numero ad pluralem subito transeat, atque a plurali ad singularem vertatur. Unde et Eliu a plurali numero in singularem veniens, ad personam subito infirmi uniuscujusque transivit, fortasse qui a singulis melius recognoscitur quidquid dici singulariter auditur, ut ad cor suum quisque redeat, et in semetipso hoc quod de unoquoque dicitur reprehendat. Quisquis enim adversitatum tribulatione frangitur, a quo factus est minime contemplatur. Nam qui quod non erat fecit, factum sine gubernatione non deserit, et qui benigne hominem, nequaquam cruciari injuste permittit. Sequitur : *Qui dedit carmina in nocte.* — Carmen in nocte est, lætitia in tribulatione, quia et si pressuris temporaliter affligimur, spe jam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat, dicens : « Spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* XII, 12). » Carmen in nocte David expresserat, qui dicebat : « Tu es refugium a pressura quæ circumdedit me, exsultatio mea, redime me a circumdantibus me (*Psal.* XXXI, 7). » Sequitur :

Vers. 11. *Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos.* — Jumenta terræ sunt, qui usu vitæ carnalis ima appetunt ; volucres vero cœli sunt, qui superbæ curiositatis studio sublimia perscrutantur. Illi vivendo se deponunt infra quam sunt ; isti inquirendo se elevant ultra quam possunt. Illis per sacra eloquia dicitur : « Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9). » Istorum superbus labor increpatur, dum dicitur : « Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (*Eccli.* III, 22). » *Docet* igitur *nos* Deus *super jumenta terræ et super volucres cœli.* Quia dum hoc quod sumus, agnoscimus, nec carnis nos infirmitas dejicit, nec superbiæ spiritus levat, nec defluendo imis subjicimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim labitur carne, jumentorum appetitu prosternitur, qui vero extollitur mente more volucrum quasi levitatis penna sublevatur. Et est sensus, subaudis, hoc quoque non dixit. Hoc itaque quod jumentis et volucribus antecellit, cum non dicit in tribulatione memorari. Ac si diceret : Infirmus quisque idcirco nequaquam se in perturba-

tione corroborat, quia et in tranquillitate non temperat, et idcirco nescit adversa tolerare, quia constitutus in prosperis cogitatione se non novit a volatu volucrum premere, nec carnales motus a jumentorum ingluvie sublevare. Quod quidem intelligi etiam aliter potest : *Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos.* Nam sicut jumentorum vocabulo signatur vita hominum carnis adhuc motibus subditorum, ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum superborum, ut per jumenta quidem terreni homines, per volucres vero dæmonia designentur. Unde cum semina Dominus juxta viam diceret cecidisse, subjunxit : « Venerunt volucres cœli, et comederunt ea (*Matth.* XIII, 4), » nimirum per volucres signans aereas potestates. Sancti autem viri, quia nec infirma hominum exempla appetunt, nec rursum dæmoniaca subtilitate falluntur, et *super jumenta terræ, et super cœli volucres*, virtute eruditionis excrescunt. Paulus *super jumenta* jam *terræ* edoctus fuerat, dicens : « Multi ambulant, » et paulo post : « Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt ; nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III, 18) » Et rursum, *super volucres cœli* eruditum se noverat, cum dicebat : Nescitis quoniam angelos judicabimus ? » (*I Cor.* VI 3). Ac si diceret : Infirmus pusillanimitate victus ista non dixit, et idcirco eum adversitatis tentatio perculit, quia tranquillitatis tempora hæc cuncta transeuntia nulla perfectione superavit. Sequitur :

VERS. 12. *Ibi clamabunt, et non exaudiet propter superbiam malorum.* — Ibi, videlicet in tribulatione, ut econtra de gaudio scriptum est : « Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi (*Psal.* CI, 29). » Sed videbunt, incertum, utrum dicat, propter superbiam malorum non exaudiet, an propter superbiam malorum clamabunt. Intelligi autem melius potest, si non exaudiri potius, *propter malorum superbiam*, quam clamare referantur. Nam quod propter malorum superbiam clamant, supra jam dictum est. Ergo nobis hoc verbum innuitur, quod paulo subtilius attendatur, quia sæpe oppressi quidem, dum clamaverint, ex se quidem merentur audiri, sed tamen eorum desideria propter opprimentium superbiam differuntur. Justus quippe Dominus, et suos permittit temporaliter opprimi, et violentorum malitiam nequitur augeri, ut dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia consummetur. Ac si diceret : Reatus opprimentium audire voces prohibet oppressorum, nec eripiuntur visibiliter justi, quia salvari invisibiliter non merentur injusti. Unde rursum per prophetam dicitur : « Cum viderit sapientes morientes, simul insipiens et stulti peribunt (*Psal.* XLVIII, 13). » Sequitur :

VERS. 13. *Neque enim frustra audiet Deus, et Omnipotens singulorum causas intuebitur.* — Notandum quod duo sint dicta, quia et clamantem non frustra audit, et tamen quod patitur respicit, et exaudiri voces dissimulat, et quod unusquisque tolerat non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligitur. Sæpe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt exaudiuntur, et quod implere concite petimus ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sequitur :

VERS. 14. *Etenim cum dixeris, non considerat, judicare coram illo, et exspecta eum.* — Fortasse enim, dum clamor noster quasi negligitur, spes quæ cordi inerat infirmatur, et superna adjutoria defutura credimus, quia tardius impetramus ; ac pene inconsiderata Deo esse ingemiscimus, quæ inulta toleramus. Sed cum nos ista desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas, cum Domino subtiliter pensat, si bona ejus ad memoriam revocat, si mala quæ bonis ejus reddidit apud se metipsam callide non accusat, si perpendit quod ab eo juste meruit, et quod clementer accipit. Ac si diceret : Cum idcirco Deus considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis ingredere, atque illic coram ejus oculis causæ tuæ judicium suspice, et quæ ipse vivendo contulisti, vel quæ miserabiliter percepisti, discerne. Nam qui semetipsum coram Deo non judicat, eum dum affligitur, non exspectat. Sequitur :

VERS. 15. *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valde.* — Scelus quippe Deus diu tolerat, quia in perpetuum damnat, et furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum sine fine in posterum servat. Electorum namque est hic conteri ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri ; nostrum est hic flagella percipere, quibus servatur de æternitate gaudere. Hinc enim scriptum est : « Flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). » Hinc ad Joannem dicitur : « Ego quos amo arguo et castigo (*Apoc.* III, 19). » Notandum vero est, quod subintulit *valde*, quia et si quæ longanimiter tolerat, quædam tamen in hac etiam vita flagellat, et hic nonnunquam ferire inchoat quod æterna damnatio consummat. Ergo et nonnulla percutit, et nonnulla inulta derelinquit, quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare credidisset ? Et rursum si hic cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret ? Sequitur :

VERS. 16. *Ergo Job frustra aperuit os suum, et absque scientia verba multiplicat.* — Hæc nimirum inferens, beatus Job, et nihil scisse asserit, et multa dixisse ; et cum ipse quæ sentit loquaciter inferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque esse proprium arrogantium solet, ut et pauca credant quæ ipsi multa dixerint, et multa credant, quæ ipsis pauca dicuntur. Sequitur :

## CAPUT XXXVI.

VERS. 1, 2. *Addens quoque Eliu etiam, hæc locutus est : Sustine me paululum, et indicabo tibi.* — Multa jam dixerat, et sustineri adhuc paululum sperat, quia videlicet arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi bre-

vitate constringant; tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanta se potuerunt multiplicitate loquacitatis aperire. Sequitur : *Adhuc habeo quod pro Deo loquor.* — Quia enim sæpe sibi sentiunt silentii reverentiam non deferri, Dei nonnunquam potentiam de quo quasi loquuntur insinuant, ac sub prætextu illius sibi silentium exigunt, quod minime merentur. Quia vero nonnunquam doctores sancti crebro repetunt, si qua obscurius dicunt, ut quæ occulta prædicant auditorum cordibus voce hæc iterationis infundant, plerumque hoc appetunt etiam arrogantes imitari, et insolenter ea quæ dixerint replicant. Sequitur :

VERS. 3. *Repetam scientiam meam a principio.* — Sed quia nominata scientia tumor cordis in voce claruerat, arrogans aperte agnoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur : Sequitur : *Et operatorem meum probato justum.* — Ut, dum quasi pro Dei justitia loquitur, apud humana judicia quidquid arroganter affluit excusetur. Sequitur :

VERS. 4. *Vere enim absque mendacio sermones mei.* — Cum ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumque etiam justi laudare bona quæ dicunt, non quod ipsi suis laudibus inhiant, sed quod auditores subaudiendi sollicitudine accendant, ut dum eorum voce præferuntur, ab illorum cordibus ardentiore affectu rapiantur. Unde Paulus, cum mira Corinthiis et multa dixisset, adjunxit : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est (*II Cor.* VI, 11). » Sed arrogantes, dum cor bonorum nesciunt, et solas aliquando voces imitantur, efferunt laudando quæ dicunt, non quod eis torpor audientium displicet, sed quod sibi inhianter placent. Sequitur : *Et perfecta scientia probabitur tibi.* — Nimirum sensit se magna dicturum, sed tumenti corde hoc quod de semetipso sublimiter æstimavit, tacere non potuit, et idcirco quod rectum sensit, laudando præcurrit, quia jam quidem divino judicio reus esset, si magna de se saltem silendo sensisset. Ante subtile enim veritatis examen securi omnino non sumus, etiam si humano judicio quod in nobis reprehendi debeat non habemus. Sequitur :

VERS. 5. *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens.* — In usu vitæ mortalis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex his quæ circa ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut peccata atque flagitia; quædam vero nonnunquam nobis ex his quæ circa ipsa sunt nocent, sicut temporalis potentia vel copula conjugalis. Bonum namque est, conjugium sed mala sunt quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Unde et Paulus ait : « Qui autem cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori (*I Cor.* VII, 33). » Magna est etiam potentia temporalis, quia habet Deum meritum suum, de bona administratione regiminis. Nonnunquam tamen eo ipso quo præeminet cæteris, elationis cogitatione intumescit, subjectos despicit, ex æquo respicere cæteros dedignatur, sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est : « Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ (*Job.* XLI, 25), » et de cujus corpore dicitur : « Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ (*Prov.* XXX, 13). » Deum quippe imitari desiderat quia, fastigium potentiæ alienis intentus utilitatibus, et non suis elatus laudibus, administrat; qui prælatus cæteris prodesse appetit, non præesse. Tumoris namque elatio, non ordo potestatis, in crimine est, potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, et bona sunt quæ Deo largiente possidemus. Sequitur :

VERS. 6. *Sed non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit.* — Scriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit. Unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur, dum dicitur : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* III. 5). » Quia enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientiis non sunt. Eos vero impios vocat, qui aut a fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, pravis sibi moribus contradicunt. Omnipotens Deus elatos destruit, humiles vero per *judicium* liberos reddit, vel certe *judicium pauperibus tribuit*, quia hi qui nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos judices veniunt. Sequitur :

VERS. 7. *Non auferet a justo oculos suos, et reges in solio suo collocat in perpetuum et illi eriguntur.* — Abstulisse enim a justis oculos suos fortasse Dominus creditur, quia injustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur, sed famulos suos tunc magis respicit, cum injuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim quod humiliter tolerent, nimirum jam prævidet, quid illic eis misericorditer recompenset. Reges autem bene sancti viri Scripturæ sacræ testimonio vocantur, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis, ad potestatem transeunt retributionis dicatur recte : *Reges in solio collocat in perpetuum.* Semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis internæ solio in perpetuum collocantur, et eo illic accipiunt [incipiunt] alios digne judicare, quo hic nesciunt semetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur : « Donec justitia convertatur in judicium (*Ps.* XCIII, 15). » Apte autem *in perpetuum* subdens, apte quid dicat insinuat; si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus *in perpetuum* subdidisset, quia quique illud arripiunt, profecto non in eo *in perpetuum*, sed temporaliter collocantur. Bene autem subdidit, *et illic eriguntur*, ac si intentioni audientis invenerit [innuerit] dicens : Quia hic humiliati sunt, illic eriguntur. Sanctis namque viris iste locus humilitatis est, ut ille sit celsitudinis. Unde

alias scriptum est : « Humiliasti nos in loco affli- A ctionis (*Ps.* XLIII, 20).» Sequitur :

VERS. 8, 9. *Et, si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt.* — Catenæ obligationis sunt, ipsa adhuc retentio peregrinationis. Ligatum se his catenis Paulus aspexerat, cum dicebat : « Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (*Philip.* I, 23).» Paupertatis funibus victum se esse cernebat, quando veras divitias intuens, eas etiam discipulis exorabat, dicens : « Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis (*Ephes.* I, 18).» Bene autem post ista subditur : *Indicavit eis opera eorum, quia violenti fuerunt.* Cum enim supernam gloriam magis amando cognoscimus,tunc B mala, quæ egimus, graviora fuisse sentimus. Unde et Paulus post perceptam gratiam supernorum, ea quæ in se studia virtutum crediderat fuisse, jam scelera cognoscebat dicens : « Qui prius fui blasphemus, et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (*Tim.* I, 13).» Vel certe. « Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta (*Philip.* III, 7.» Sequitur:

VERS. 10. *Revelabit quoque aurem eorum ut corripiat, et loquetur ut revertantur ab iniquitate.* — Aurem revelare est intellectum cognitionis aperire; revelata vero aure unusquisque corripitur, quando intrinsecus æternorum bonorum desiderium percipit. Potest vero in catenis et funibus pauper- C tatis, pœna etiam temporalis afflictionis intelligi. Quia sæpe jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, ut ad bona desideria pœna trahant quos præmia non invitant. Unde per Prophetam dicitur : « In freno et camo maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te (*Psal.* XXXI, 9).» Sequitur :

VERS. 11. *Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria.* — Per bonum recta arctio, per gloriam vero superna retributio designatur. Qui ergo obedire præceptis cœlestibus student, *dies in bono* contemplantur, *annos in gloria,* quia et cursum præsentis temporis in recto opere, et consummationem suam perficiunt felici retributione. Sequitur : D

VERS. 12. *Si vero non audierint, transibunt per gladium, et consumenter in stultitia.* — Quia et vindicta eos in tribulatione percutit, et finis in fatuitate concludit. Sunt etenim nonnulli quos a perditis moribus nec tormenta compescunt. De quibus per prophetam dicitur : « Percussisti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, et renuerunt suscipere disciplinam (*Jer.,* V, 3).» Bene ergo dicitur, quod *per gladium transeunt, et* (*in stultitia consumentur*), quia peccata quæ flagellis emendare debuerant, flagellis exaggerant. Et hic jam ejus percussiones sentiunt, et illic justæ retributionis supplicia non evadunt, fatuitas quippe stultitiæ est, quod illas sic iniquitas obligat, ut a culpa eos nec pœna compescat. Sequitur :

VERS. 13. *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* — Cum *simulatores* diceret, apte subjunxit, *et callidi,* quia nisi ingenio calleant, quod videri appetunt, congrue simulare non possunt. Sunt enim nonnulla vitiæ quæ etiam a sensu tardioribus facile perpetrantur. Elatione namque intumescere, avaritiæ æstibus inhiare, luxuriæ pulsanti succumbere etiam quilibet obtusus potest. Simulationis vero falsitatem exsequi, nisi quis subtilioribus ingenii fuerit, non potest. Quisquis enim talis est, ad custodienda videlicet duo, continua observatione dividitur, ut callide noverit et occultare quod est, et ostentare quod non est. Iram quippe Dei mereri est, etiam nesciendo peccare : provocare vero est, mandatis illius sciendo contraire ; scire bonum, sed despicere ; facere posse, sed non velle. De quibus voce Dominica dicitur : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, quia similes estis sepulcris dealbatis (*Matth.,* XXIII, 27). » Sequitur : *Neque clamabunt cum vincti fuerint.*— Omnis iniquus, qui, cum iniquus sit, sanctus videri appetit, in flagelli percussione deprehensus, fateri quod iniquus est erubescit. Quasi liberi vero sumus, cum nulla correctione castigamur ; quasi vincemur, cum flagello percussionis astringimur. Vincti igitur tanto clamamus altius, quanto in percussione positi, peccata nostra veracius confitemur. Simulatores etiam deprehensi flagello percussionis extremæ, quia confessionem puram vel afflicti exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt, quamvis intelligi etiam aliter potest. Omnis enim qui, cum iniquus sit, dici sanctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se tacita cogitatione reprehendit, tamen dum sæpius sanctum, audire se cœperit, hoc quod de se intrinsecus tenebat amittit. Dum vero subita percussione feriuntur, iniquos se vel veraciter fateri, vel sicut sunt deprehendere omnino non possunt, quia videlicet sanctos se humana professione crediderunt. Quibus bene per prophetam dicitur : Redite, prædicatores, [Prævaricatores] ad cor (*Isa.* LXV, 8).» Sequitur :

VERS. 14. *Morientur in tempestate animæ eorum.* — Quasi tranquillum namque videbantur vivere, cum de sanctitatis curarent laude gaudere. Sed tempestate subita eorum anima moritur, quæ humanæ laudis pessima tranquillitate lætabatur. Hinc quippe eos turbo subito rapit percussionis, quos arrogantia externi favoris extollit ; et, dum amplectuntur in laude quod non sunt, repente inveniunt in ultione quod sunt. Sequitur : *Et vita eorum inter effeminatos.*—Si enim viriliter viverent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Ut de electis Propheta persuadet dicens : « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (*Psal.* XXX, 25).» Igitur simulatorum vita *inter effeminatos* moritur, quia laudis luxuria corrupta reperitur, translatione vero alia non habetur, vita eorum *inter effeminatos,* sed vita eorum vulneretur ab angelis ; utrumque tamen, etsi sermone discrepat, ratione concordat. Quia effeminatorum vitam angeli vulnerant, dum nuntii veritatis eam jaculis sanctæ prædicationis impu-

gnant. Quia igitur de damnatione reproborum (A) quid agatur, audivimus, de ereptione humilium quid sequatur audiamus. Sequitur :

Vers. 15. *Eripiet pauperem de angustia sua.* — Pauper de angustia sua eripitur, cum unusquisque humilis de hac peregrinationis suæ afflictione liberatur. Sequitur : *Et revelavit in tribulatione aurem ejus.* — Aurem in tribulatione revelare est auditum cordis verberum plagis aperire. Cum enim præcepta despicimus, districtione nobiscum agitur, ut flagella timeamus. Sequitur :

Vers. 16. *Igitur salvabit te de ore angusto latissime.* — Omnis qui viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum vel in foveam mersit. Si vero diutina perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, (B) ne ad superiora jam possit exsurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Unde David propheta sub specie peccantium exorat, dicens : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Psal.* LXVIII, 16). » Latissime quippe de ore angusto salvatur, qui et post iniquitatum jugum, ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur. David propheta conclusionem angustioris aspexerat, cum dicebat : « Salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici (*Psal.* XXX, 8, 9). » Latissime autem salvatum se noverat, cum subderet dicens : « Statuisti in loco spatioso pedes meos (*Ibid.*). » Sequitur : *Et non habente fundamentum super se.* — Omne (C) peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est, quod tamen utcunque sit, in boni natura coalescit. Quem enim rapit iniquitas, infernus absorbet. Aliter. Infernus vero non habere fundum recte creditur, quia quisque ab illo rapitur, in immenso devoratur. Aliter. Nam sicut quis in puteo mergitur, putei fundo retinetur, ita corruens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quo labitur, non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora dejicitur, quasi in puteum cecidit, fundum non invenit quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensura peccati. Sequitur : *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.* — Requies mensæ est (D) refectio satietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur, quia in æternæ voluntatis præparatur (59). Hujus mensæ epulas esuriebat Propheta cum diceret : « Satiabor dum manifestatibur gloria tua (*Psal.* XVI, 25). » Sequitur :

Vers. 17. *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.* — Bonorum causa tristitia est, quorum causa quasi impii judicatur, quia eorum hic justitia paterno flagello fatigatur, ut ad ampliorem vigilantiam, non solum perceptione mandatorum, sed etiam verborum percussione doceantur. Sed *causam judiciumque* recipiunt, quia ex ea justitia quo modo vivunt, tunc in culmine judiciariæ potestatis enitescunt, ut tanto tunc potentius cuncta judicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta judicantur. Hæc Eliu quando spondendo intulit, quæ beatus Job semper credendo stabiliter tenuit. Sequitur :

Vers. 18. *Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas.* — Arrogantes enim iræ motui deputant, quidquid a sancta Ecclesia geritur censura disciplinæ, et quia humanæ laudis appetitu benigni student semper apparere, nullos censent districtionis severitate corrigendos. Unde a bonis rectoribus, sicut superius dictum est, opprimi æstimant, quos invitos cernunt a vitiis cœrceri. Auctore autem Domini quia in cunctis mundi partibus sancta Ecclesia culmine religionis excrevit, hanc ipsam temporalem potentiam, quia quidem bene utitur, obtrectando in vitium elationis inflectunt. Moraliter : Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum alium ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu justitiæ iræ immanitas vastat, et dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, justeque si facere æstimat, quidquid ira nequiter dictat. Quia videlilicet si is, qui corrigere nititur, ira superetur, opprimit antequam corrigat, et, dum plus quam debet accenditur, sub justæ ultionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrenatur. Sequitur : *Nec multitudo locorum inclinet te.* — Ac si idem sanctæ Ecclesiæ humilitatem magis inter prospera conservanti arrogantium voce dicatur. Quia ubique fidei reverentia coleris, cave ne ejusdem reverentiæ fastibus extollaris; quosdam quippe conspiciunt, quia sub religionis obtentu vitio eletionis intumescunt, et quod in quibusdam jure reprehendunt, hoc injuste ad crimen omnium pertrahunt. Notandum vero quod non ait : Nec multitudo locorum extollat te, sed ait : *Nec multitudo locorum inclinet te.* Omnis enim qui temporaliter extollitur, eo ipso quo extollitur, inclinatur : quia cum se exterius erigit, intus cadit. Moraliter : In tot quippe locis inclinamur, in quot supervacuis curis extendimur. Nam sicut locus est corporis, spatium corporale, ita locus est mentis unaquæque intentio cogitationis. Quæ dum huc illucque impellitur, si dilectione aliqua cogitationis suæ libenter occupatur, velut in loco quodam ponitur, ut quiescat, nam quoties victi tædio a cogitatione in cogitationem ducimur, quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortæ cogitationes unitatem bonæ intentionis dissipant. Recta etenim mens staret, si uni cui debuerat cogitationi, semper inhæreret. Sequitur :

Vers. 19. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.* — Quos alios esse Ecclesiæ robustos accipimus, nisi eos qui ad vincenda mundi hujus desideria et cœptis sublimibus, et consummatis provectibus convalescunt?

(59) Videtur hic verbum aliquod deesse.

Magnitudo itaque ejus in robustorum suorum vita consistit, quia tunc gloriosior redditur, cum pro defensione veritatis, ad mortem usque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri, subductis de hoc mundo apostolis, subductis ad superna martyribus, quia fortasse doctores valentioresque præpositos abunde esse conspiciunt, quasi soli se remanisse intra Ecclesiam suspicantur. Unde dum se preferunt ei, velut consulentes illudunt, dicentes: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.* Ac si apertis exprobrationibus dicat: Nequaquam magnitudinem habere confidas, quia subductis prioribus partibus, jam non habes de quorum vita glorieris. Dicunt hæc profecto nescientes, quia omnipotens Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit; nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat. Cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur: « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLIV, 17) » Moraliter: Robusti quippe sunt motus cordis, cum nulla, nisi quæ virtutis sunt, sentiunt Sed magnitudinem et robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quod sumus. Robustos motus deponimus, quando non jam de virtute attollimur, sed in culpa consentiendo obruendi ipsa qua quatimur, infirmitate formidamus. Ac si aperte diceretur: Omne quo intrinsecus de bona actione intueras reprime, et cordis motus quos ex recto opere robustos habueras, depone, quia jam in ipsa adversitatis tentatione consideras, quam frustra prius de te magna elatus æstimabas. Quæ videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur, quia nimirum tentatione humilitas proficit. Prospera est ipsa adversitas, quæ mentem ab elatione custodit, sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Sequitur:

VERS. 20. *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.* — Ac si aperte arrogantes dicant: Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, ut in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari consuetudini dediti, in cunctis quæ appetunt, passim vivunt. Noctem vero protrahere est, ut pro robustis populi ascendant, si per negligentiam agitur, ut doctorum et fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt, quando hi qui vivere inique didicerunt, pastorum loca percipiunt, quod recte quidem dici poterant, si humiliter diceretur. Moraliter: Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non sinitur; nox protrahitur, quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam, dum mens posita in tentatione, considerat quod a virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis moribus, quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab omni luce gaudii ejus oculus clauditur, dum sollicita trepidat ne, hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Unde et bene dicitur quod in hac nocte pro robustis populi ascendunt, quia videlicet in hoc nemore tentationis pro robustis motibus cogitationes indignæ et multiplices in corde prosiliunt. Nam dum se in perturbatione conspicit, jam pœnæ amissæ quod fuerat, fluctus in se enumeros tumultusque coacervat. Ac si quippe diceret in tentatione deprehensus: citius tenebras mœroris incide, ne, qui in tranquillitate de te alta senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum te caligine confundas. Quod recte Eliu diceret, si tamen cui diceret sciret. Nam hæc beato Job tanto minus congruunt, quanto ab illo omnia altius sciunter. Sequitur:

VERS. 21. *Cave ne declines ad iniquitatem, hanc enim cœpisti sequi post miseriam.* — Hoc profecto arrogantes Ecclesiæ miseriam vocant quod despectam Deo ejus multitudinem suspicantur, et eo illam altiore elatione contemnunt, quo et despectam Deo funditus suspicantur. His igitur figurata expositione transcursis, jam nunc inferenda sunt quæ moraliter sentiuntur, ut figura Ecclesiæ cognita, quam expressam generaliter credimus audiamus etiam quod ex his verbis in singulis specialiter colligamus. Moraliter: Iniquitatem post miseriam sequitur, qui post mala quæ post correctionem sustinet ferventi corde, impatientiæ fastibus inflammatur. Quod beatum Job perpetrasse Eliu credidit, quia eum, inter flagella positum, liberis effari vocibus audivit; videlicet nesciens quia, omne quod dixit, non hoc de iniquitate impatientiæ, sed de virtute veritatis protulit, qui ab interni judicis sententia nec cum se justificaret, erravit. Quid est hoc quod, dum ad eam declinari vetat, de ea protinus quasi ad quam declinatum jam fuerit, damnat; nisi quod arrogantes viri plus videri judices quam consolatores volunt? Unde et nonnunquam ea districtis sententiis feriunt, quæ nata in corde suspicantur, et prius quam certa sit culpa delinquentium, profertur invectio districta verborum.

# LIBER VICESIMUS SEPTIMUS.

VERS. 22. *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.* — Hoc in loco Eliu Redemptoris nostri adventum humilem non humilis conspicit, et eum prophetando prædicat, quem elatis motibus impugat. Ac si dicat: Qui humilis videtur in infirmitate, excelsus manet in for-

titudine. Paulo etiam attestante, qui ait : « Quia A etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (*II Cor.* XIII, 4). » Sequitur : *Nullus ei similis in legislatoribus.* Legislator Moyses, legislator Josue, legislatores etiam prophetæ. Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege scimus admonuisse recta populum. Sed huic Mediatori *in legislatoribus similis nullus est.* Quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, et ab his quæ in semetipsis experti sunt, prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, filius sine adoptione, nec perpetravit unquam quod redarguit, et sic mundo ex humanitate loquitur, ut tamen eidem mundo ante sæcula ex divinitate dominetur. Sequitur :

VERS. 23. *Quis poterit scrutari vias ejus, aut quis ei dicere : Operatur iniquitatem?* — Ac si dicatur : Cujus perscrutari actio non potest, quo pacto reprehendi potest? Nemo enim bene judicat quod ignorat. Tanto ergo debemus sub ejus judiciis silendo quiescere, quanto et rationem judiciorum illius nos cernimus non videre. Unde et bene subditur :

VERS. 24. *Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.*— In Scriptura sacra aliquando viri angeli, aliquando autem perfectæ vitæ homines memorantur. Nam quia aliquando vir angelus dicitur, Daniel propheta testatur, qui ait : « Ecce vir Gabriel (*Dan.* IX, 21). » Rursus qui virorum nomine perfectæ vitæ homines exprimuntur, in Proverbiis Sapientia loquitur dicens : « O viri ad vos clamito (*Pro.* VIII, 4). » De Domino igitur viri canunt, cum ejus nobis potentiam vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen *opus ejus* ignoratur, quia nimirum judicia illius ipsi etiam qui hunc predicant impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quæ prædicant, et tamen ejus opera ignorant, quia cognoscunt eos per gratiam a quo facti sunt. Hinc Psalmista ait : « Qui posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12). » Et item : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » Ac si aperte diceret : De quo fortes quique locuti sunt, ejus opera tuæ mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuæ notitiæ, eo quod huminate circumscribetis, transeunt. Sequitur :

VERS. 25. *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* — Omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse, quem nimirum jam videre est, dominationem illius ratiocinando conspicere, procul quippe eum intueri est, non jam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare. Procul illum hic etiam electi conspiciunt, quia necdum claritatis illius per acumen intimæ visionis appredunt, cui est si jam per amorem juxta sunt, adhuc tamen ab illo terrenæ habitationis pondere disjunguntur, quem nimirum reprobi etiam cum in judicium venientem viderint, procul intuentur, quia non eum in divinitatis forma, sed in sola, qua et comprehendi potuit, humanitate conspiciunt. Sequitur :

VERS. 26. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* — Superius dixerat : *Ecce Deus excelsus.* Nunc iterum dicit : *Ecce Deus magnus.* Quid est, quod de Deo loquens, *ecce* dicit, et *ecce* repetit, nisi quod ecce dicimus de hac re quam in præsenti monstramus, et quia Deus ubique præsens est, cum dicitur de illo, *ecce,* etiam non videntibus adesse memoratur? Bene autem vincere eum nostram scientiam narrat, quem videri ab hominibus dixerat, quia etsi ex ratione conspicitur, magnitudo illius nulla nostri sensus subtilitate penetratur. Sequitur : *Numerus annorum ejus inæstimabilis.* — Dicere utcunque æternitatem voluit, et ipsam æternitatis longitudinem annos vocavit. Cum enim brevitatem temporis dilatare volumus, momenta per horas, horas per dies, dies per menses, menses autem per annos extendimus. Quia ergo amplum quiddam dicere voluit, sed quid diceret latius non invenit, Deo annos sine æstimatione numeri multiplicavit, dicens : *Numerus annorum ejus inæstimabilis,* ut dum ea quæ apud se sunt prolixa multiplicat ; æternitatis longitudinem se mentiri non posse infirmitas humana cognoscat. Sequitur :

VERS. 27. *Qui aufert stellas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum.* — Sunt enim in cœli facie aliæ stellæ quas nulla pluvia subsequitur, et aliæ prodeunt quæ arentem terram imbribus infundunt. Igitur quoties in sancta Ecclesia recte quidam vivunt sed tamen prædicare eamdem rectitudinem nesciunt, stellæ quidem sunt, sed in sic- C citate aeris natæ, quia per exemplum bene vivendi lucere cæteris possunt, sed per prædicationis verbum pluere nequeunt. Cum vero in ea quidam et recte vivunt, et aliis eamdem rectitudinem verbis prædicationis influunt, quasi ad proferendas pluvias in cœlum stellæ producuntur ; quæ sic vitæ suæ meritis luceant ut etiam sermone prædicationis pluant. An non in hoc cœlo astrum pluviæ Moyses exstitit ? Sic quippe Isaias et Jeremias, et cæteri prophetæ fuerunt, quorum videlicet, animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex præsenti vita superna judicia auferunt, quasi a cœli facie stellæ pluviæ subtrahuntur, et ad occultum astra redeunt, cum peractis suis cursibus sanctorum animæ in thesauris dis- D positionis intimæ reconduntur. Sed, cum prophetas abstulit, eorum vice Dominus apostolos misit, qui in similitudinem gurgitum pluerent, id est uberiore prædicatione emanarent. Possunt quoque per stellas pluviæ sancti apostoli designari. De quibus Judææ reprobatæ per Jeremiam dicitur : « Prohibitæ sunt stellæ pluviarum et serotinus imber non fuit (*Jer.* III, 3). » Stellas pluviæ ergo Dominus abstraxit, atque ad instar gurgitum imbres fudit, quia cum Judæa prædicantes apostolos abstulit, doctrina novæ gratiæ mundum irrigavit. Sed ablatis stellis pluviæ in mare gurgitum imbres dedit, qui etiam reductis ad superna apostolis, per expositorum sequentium linguas, fluenta divinæ scientiæ diu abscondita largiori effusione patefecit. Nam quod illi sub brevitate

locuti sunt, hoc exponendo isti multipliciter auxerunt. Sequitur :

VERS. 28. *Qui de nubibus fluunt.* — Hi quippe gurgites de nubibus fluunt, quia si ex sanctis apostolis vis intelligentiæ non inciperet, nequaquam per ora doctorum largior manaret. In Scriptura enim sacra aliquando per nubes, mobiles quique homines designantur, ut illud Salomonis : « Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metit (*Eccle.* XI, 4). » Ventum immundos spiritus, nubes vero subjectos homines appellat. Aliquando prophetæ, ut illud ; « Tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII, 12). » Aliquando apostoli ut illud : « Mandabo nubibus meis, ne super eos pluant imbrem (*Isa.* V, 6). « Sequitur : *Quæ prætexunt cuncta desuper.* — Nubes cum super aerem prætexunt, si in cœlo oculos attollimus, non cœlum, sed ipsas intuemur. Quia ergo carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in cœlum oculos levamus, et velut in cœlum aciem tendimus, quia pressi usu eorum corporalium, doceri spiritualia conamur. Sed quia transire intellectus ad divina non sinitur, nisi prius per sanctorum præcedentium exempla formetur, quasi jam cœlum noster oculus suspicit, sed nubes videt, quia comprehendere quæ Dei sunt, appetit ; sed vix mirari ea quæ hominibus collata sunt potest. Unde et alias dicitur : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* LXXV, 5). » More enim nubium extensa desuper nos Patrum vita tegimur, ut ad fructum fecundi germinis infundamur, et quasi intuentes cœlum prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus, et post illa quæ sunt cœlestia experiendo penetramus. Sequitur :

VERS. 29. *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.* — Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens, eos in mundi latitudine circumquaque diffudit. Bene autem dictum est : *Quasi tentorium suum.* Tentorium quippe in itinere poni solet, et cum prædicatores sancti in mundum mittuntur, iter Domino faciunt. Unde scriptum est : « Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam (*Mal.* III, 1). » Et unde rursum per Psalmistam dicitur : « Iter facite ei qui ascendit super occasum (*Psal.* LXVII, 5). » Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum eloquio infundit, atque in hoc itinere tentorium Dei sunt. Hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens, agit quæ disposuit, et non videtur. Sequitur :

VERS. 30. *Et fulgurare lumen suum desuper.* — Quid enim sentire fulgura, nisi miracula debemus? De quibus per Psalmistam dicitur : « Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos (*Psal.* XVII, 15). » Per has ergo nubes lumine suo fulgurat desuper, quia per prædicatores suos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illustrat. Sequitur : *Cardines*

(60) Vulg. *In manibus.*

A *quoque maris operiet.* — Omnipotens enim Deus coruscantibus nubibus cardines maris operuit, quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim pene cunctorum jam gentium corda penetravit. Ecce in una fide Orientis limitem Occidentisque conjunxit. Sequitur :

VERS. 31. *Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus.* — Per hæc, nimirum verba prædicatorum, id est, guttas nivium, per hæc, fulgura miraculorum, Deus *populos judicat*, quia eorum terrore ad pænitentiam vocat. Nam, dum superna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda sua redeunt, et sese de anteactis pravitatibus affligentes, æterna tormenta perti-B mescunt, sed per easdem nubes per quas terror affligitur, etiam esca datur, quæ magna prædicatorum dispensatio est, ut sic sciant superbientium mentes affligere, ut etiam afflictas noverint consolationis eloquio nutrire, quatenus et peccantes de æternis suppliciis terreant, et pœnitentes de supernis regni gaudiis pascant. De hoc quippe judicio dicitur : « Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt (*Joan.* XX, 23). » De his quoque dicitur : « Date illis vos manducare (*Matth.* XIV, 16). » Ac si diceret : Si sanctos suos in ministerio prædicationis extendit, eorumque verba miraculis adjuvat, totius mundi limites advocat, per quæ et prius superbientes judicat, et post verbum C consolationis nutriens in spe humiles roborat. Notandum quod non ait, omnibus, sed *multis*, quia videlicet scriptum est : « Non omnium est fides (*I Thess.* III, 2) : » Et quibusdam dicitur : « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VIII, 47). Sequitur :

VERS. 32. *Immanibus* (60) *abscondit lucem.* — Immanes quippe sunt, qui se elatis cogitationibus abscondunt. Quos contra Isaias ait : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismet ipsis prudentes (*Isa.* V, 21). » Quos contra etiam Paulus ait : « Nolite prudentes esse apud vosmet ipsos (*Rom.* XII, 16). » Sed his immanibus lux absconditur, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Unde per semet ipsam Veritas D dicit : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI, 25). » Sequitur : *Et præcepit ei, ut rursus adveniat.* — Quia veritatis lumen, quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis humiliatisque revelatur. Lux quippe advenit, cum afflicta mens ipsas quas de perituris rebus tribulationum tenebras tolerat, agnoscit, quia nisi aliquid ex lumine interno perciperet, ne hoc ipsum, quia lumen perdiderat, videret. Quod specialiter intelligi etiam de Judæis potest, qui idcirco Redemptori nostro in carne venienti contradicere ausi sunt, quia apud semetipsos immanes exstiterunt. Sed his immanibus lux absconsa est, quia superbi lumen veri-

tatis dum persequuntur, amiserunt. Sed quia in finem mundi ad fidem recipiendi sunt, recte subjungitur : *Et præcepit ei ut rursus adveniat.* Unde et per Isaiam dicitur : « Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Isa.* x, 22). Tunc quippe lux ad eos revertitur, cum ipsi ad confitendam Redemptoris nostri potentiam convertentur Si autem *in manibus*, nequaquam per dativum casum unum nomen, sed duas partes orationis accipimus. Potest et aliter intelligi, quia *in manibus* lux absconditur, cum apud rectum judicem iniqui quique in suis operibus cæcantur. Cui tamen præcipitur *ut rursum adveniat*, quia dum peccatores se e suis viribus salvari non posse cognoverint, gratiæ lumen accipiunt, et protectionis intimæ radiis illustrantur, ut majori ardore postmodum cœlestem patriam diligant, quam prius in terra delectatione flagrabant. Sed hæc cum de cœlesti patria loquimur, cum inesse mira claritate prodita angelorum agmina audimus, ad nosmetipsos mentem reducimus, et quod terrena gestamus, membra cogitamus. Qua consideratione permotum cor ac male sibi conscium trepidat, et tantæ illius quam audit patriæ civem se fieri posse desperat. Sequitur :

VERS. 33. *Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit.* — Amicus veritatis est rectæ amator actionis. Unde et ipsa Veritas discipulis dicit : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis (*Joan.* xv, 14). » Amicus quippe animi custos dicitur. De hac igitur luce æternæ patriæ *amico suo Deus annuntiat quod possessio ejus sit*, ut nequaquam se infirmitatis desperet, nequaquam hoc quod creatus, sed quod recreatus est, penset ; sed tanto certius sciat, quia illius lucis claritatem possideat, quanto nunc vitiorum pulsantium tenebras verius calcat, Sequitur : *Et ad eam possit ascendere.* — Quid enim difficilius quam homini, in terra edito terrena et fragilia membra gestanti, cœlorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare? Sed eorumdem spirituum ad nos Conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit. Sicut de illo Patri per Prophetam dicitur : « Minuisti eum paulo minus ad angelis (*Psal.* viii, 6). » Et quia inter nos et eosdem spiritus discordantes scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate summa creans, ima suscipiens, una cum summis junxit. Hinc est enim quod, eodem Rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, et de victa pravæ vitæ discordia hos, quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore prædicantes : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* ii, 14). » Is ergo qui propter nos minor angelis exstitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. Unde et moriendo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidi, ascendendo de cœlestis patriæ hæreditate gloriari ; ut quo caput præiisse conspiciunt, illuc se subsequi et membra gratuletur. Unde bene et ab eodem nostro Capite dicitur : « Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ (*Luc.* xvii, 37). » Sequitur :

## CAPUT XXXVII.

VERS. 1. *Super hoc expavit cor meum.* — Ac si dicat : In admirationis excessum se transtulit; et quia novæ spei spiritu mens afflata est, semetipsam, qualis in vetusta cogitatione fuerat, reliquit quia pavor, dum mortem percutit, hanc a semetipsa alienam reddit. Nonnunquam Latini interpretes exstasim pavorem vocant. Sequitur : *Et motum est de loco suo.* — Locus quippe humani cordis delectatio est vitæ præsentis, sed cum divina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis. Consideratione igitur internæ patriæ de loco suo animus movetur, quia derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Sequitur :

VERS. 2. *Audite auditionem in terrore vocis ejus.* — Mos sacri eloquii est, ut cum audiri aliquid per auditum insinuat, audiri eumdem auditum dicat. Sicut Habacuc ait : « Domine, audivi auditum tuum, et timui (*Habac.* iii, 2). » Notandum vero est quod vox Dei non in gaudio, sed *in terrore* audiri perhibetur, quia nimirum peccator quisque, dum sola quæ terrena sunt, cogitat, dum cor oppressum in infimis cogitationibus gestat, si repente divinæ gratiæ aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit quod cuncta quæ ait districta æterni Judicis animadversione puniantur. Auditio igitur vocis Dei, prius *in terrore* fit, ut post vertatur in dulcedinem, qui ante nos districti judicii timore castigat, ut jam castigatos supernæ dulcedinis consolatione reficiat. Sequitur : *Et sonum de ore illius procedentem.* — Sonus de ore Dei est vis timoris de superna irruens aspiratione, quia, cum nos de venturis Dominus aspirando replet, procul dubio de male gestis præteritis terret. Potest autem per os Dei unigenitus Filius designari. Os ergo Domini non immerito ipsum accipimus, per quem nobis omnia loquitur. Hinc est etiam quod propheta ait : « Os enim Domini locutum est (*Isa.* i, 20). » Per sonum vero oris, potest ejusdem Domini Spiritus sanctus designari. Unde et alias in ejusdem Spiritus significatione scriptum est : « Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis (*Act.* ii, 2). » Sonus igitur de ore Domini procedit, cum consubstantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens, surditatem nostræ insensibilitatis rumpit. Unde in Evangelio dicitur : « De meo accipiet et annuntiabit vobis (*Joan.* xvi, 14). » Potest ergo, et per terrorem vocis vis fortitudinis, et per sonum oris dulcedo consolationis intelligi, quia quos Spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, et postmodum spe cælestium consolatur, ut tantum post confitendo præmiis gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Sed quia sunt nonnulli qui Deum res humanas curare non æstimant, et eas ferre fortuitis motibus putant, sequitur :

VERS. 3. *Subter omnes cælos ipse considerat, et*

*lumen ipsius super terminos terræ.*—Possunt cœli nomine sancti prædicatores designari. Hinc enim scriptum est : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii, 2).» Sunt namque nonnulli, quia cum mira apostolorum opera audiunt, quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes quod sicut dicit Apostolus : « Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* xiv, 22). » Sed elevatis cœlis Dominus inferiora considerat, quia et ablatis summis prædicatoribus incessanter etiam infima nostræ infirmitatis curat. Et quasi *subter cœlos lumen illius terræ terminos* respicit, quia post sublimen vitam præcedentium etiam peccatorum mores actusque gratiæ suæ illustratione comprehendit. Qui etsi virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit. Potest etiam intelligi *lumen illius super terminos terræ*, quod prædicatio supernæ gratiæ dum gentes ad fidem colligit, intra semetipsam mundi limites clausit. Vel certe termini terræ sunt fines hominum peccatorum, et sæpe contingit, ut plerique Deum deserant, et vitæ suæ tempora in desideriis carnalibus expendant. Sed tamen cum superna gratia respicit, in extremis suis ad Deum redeunt, quæ sint judicia æterna cognoscunt, cuncta quæ se perverse egisse meminerunt fletibus puniunt, atque hæc vere se insequi rectis operibus ostendunt, quibus subsequente justitia profecto totum dimittitur, quod ante deliquerunt. Hinc etiam per prophetiæ spiritum Anna dicit : » Dominus judicabit fines terræ (*I Reg.* ii, 10). »

Vers. 4. *Post eum rugiet sonitus.* — Quem enim Dominus illustrando repleverit, ejus vitam procul dubio in lamentum vertit, atque illuminatæ menti, quo magis æterna supplicia insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat. Sequitur : *Tonabit voce magnitudinis suæ.*— Voce enim magnitudinis Deus tonat, cum se nobis bene jam per lamenta præparatis, quam sit magnus in supernis insinuat. Quasi enim de cœlo tonitruus procedit, cum nos incuria negligentiaque torpentes respectus gratiæ pavore subito percutit, atque in terra positi sonum de superioribus audimus. Quia terrena cogitantes superni terroris sonum repente pertimescimus. Sequitur : *Et non vastabitur cum audita fuerit vox ejus.* — Vox Domini auditur, cum gratiæ ejus aspiratio mente conspicitur, cum insensibilitas occultæ sorditatis rumpitur, et cor ad studium summi amoris excitatum, virtutis intimæ clamore penetratur. Sed istam vocem supervenientis spiritus, qui se in aure cordis insinuat, nec ipsa mens quæ per hanc illustrata fuerat, investigat. Pensare enim non valet invisibilis virtus, quibus sibi meatibus influat, quibus a se modis veniat, quibus recedat. Unde bene per Joannem dicitur : « Spiritus ubi vult spirat ; et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat, et quo vadat (*Joan.* iii, 8). » Sequitur :

Vers. 5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.*
A — In voce Deus mirabiliter tonat, quia vi corda nostra incomprehensibiliter penetrat, quæ dum latentibus motibus premit in timore quanto ardore sequendus sit, aliquo modo silenter clamat. Sequitur : *Qui facit magna et inscrutabilia.* — Ut enim homo terrenis usibus deditus, iniquis desideriis pressus, subito ad nova efferveat atque ad consueta frigescat, exterioribus curis renuntians, internis contemplationibus anhelat. Quis hanc virtutem supernæ vocis considerare sufficiat, quis considerando comprehendat ? Magna sunt quæ per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent, si perscrutari potuissent. Sequitur :

Vers. 6. *Qui præcipit nivi ut descendat in terram.* — Quia Psalmista ait : « Lavabis me et super ni-
B vem dealbabor (*Psal.* l, 9).» Quid hoc loco per nivem, nisi per lucem justitiæ candida accipimus corda sanctorum ? Aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, ut nives fiant ; sed cum ipsæ nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes, quæ, dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur, cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant, et infirmis humiliter prædicantes, more nivium corda arentium liquefacta irigunt. Nives ergo ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimia corda sanctorum, quæ jam
C solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix, cum jacet, operit, cum vero liquatur, rigat, ita sanctorum virtus et per infirmitatem suam apud Deum vitam peccatoris protegit, et per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram, ut fructus ferat, infundit. Sequitur : *Et hiems pluviis.*—Hiems est quippe vita præsens, in qua nos etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit, quia scriptum est : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* ix, 15). » Habet autem hæc hiems pluvias, rectorum procul dubio prædicationes. De quibus videlicet pluviis, per Moysen dicitur : « Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et
D descendant sicut ros verba mea (*Deut.* xxxii, 2).» Eæ nimirum pluviæ hiemi congruunt, æstate cessabunt, quia nunc cum carnalium oculis vita cœlestis absconditur, necesse est ut sanctorum nobis prædicationibus irroretur. Cum vero æterni judicii æstus incandaverit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit, quia veniente judice, ad cor suum quisque reducitur, ut sancta jam cum agere non valet, sentiat. Sequitur : *Et imbri fortitudinis suæ.* — Imber quippe fortitudinis Dei est prædicatio divinitatis, nam imber infirmitatis ejus prædicatio incarnationis. De qua per Paulum dicitur : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* i, 25). » Et rursum : « Si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (*II Cor.*

XIII, 4).» Sic autem sancti viri humanitatis ejus A infirma prædicant, ut auditorum suorum cordibus, etiam divinitatis fortia infundant. Audiamus per tonitruum nubis imbrem fortitudinis. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Audiamus etiam imbrem infirmitatis. « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*, 14). » Sequitur :

VERS. 7. *Quia in manu hominum omnium signat ut noverint singuli opera sua.* — Dum ergo imber fortitudinis in terra descendit, in manu uniuscujusque signatur, ut sua opera sciat, quia dum virtus incomprehensibilis majestatis agnoscitur, ab unoquoque subtilius sua vita pensatur. Creator namque omnipotens a cunctis insensibilibus, B irrationabilibusque distractum, rationalem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit ignorare non posset. Naturæ enim lege scire compellitur, seu pravum sive rectum sit quod operatur. Nam si bona facere se nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentationem gloriantur ? Rursum si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant ? Eo enim ipso quod rationalem creaturam Deus hominem condidit, *in manu omnium signat, ut noverint singuli opera sua.* Sequitur :

VERS. 8. *Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur.* — Quis alius nomine bestiæ, nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, et integritatem vitæ illius male suadendo laniavit ? Contra C quem prophetæ vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquo statu restauranda promittitur, et mala bestia non transibit per eam. Sed hæc bestia, cum post Redemptoris adventum, post prædicatorum voces quasi post tonitruum nubium, in fine mundi illum damnatum hominem, qui Antichristus vocatur, invaserit : quid aliud quam *latibulum suum* ingreditur, ut *in antro* proprio demoretur ? Vas quippe illud diaboli antrum ac latibulum bestiæ est, ut insidians hominibus viam hujus vitæ carpentibus, in illo et per signa lateat, et per malitiam occidat. Qui tamen omnium reproborum corda etiam nunc, priusquam apertus appareat, possidet, easque per occultam malitiam quasi pro- D prium antrum tenet, atque ad omne quod nocere bonis appetit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda antrum hujus bestiæ non fuerunt, in quorum diu consiliis latuit, sed repente vocibus erupit clamantium : « Crucifige, crucifige (*Joan*, XIX, 6).» Hinc scriptum est : « Posuit tenebras, et facta est nox (*Psal.* CXXX, 20).» Notandum vero magnopere æstimo quod hæc bestia non solum antrum suum ingredi, sed in eo etiam morari perhibetur. Intrare ergo in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest, quia cor justi hujus bestiæ antrum non est. Quos enim quasi proprium antrum possidet, eorum mentes procul dubio immorans, tenet : quia prius in eis cogitationes usque ad iniqua desideria, et post iniqua desideria usque ad nequissima opera ducit. Sequitur :

VERS. 9 *Ab interioribus ingredietur tempestas, et ab arcturo frigus.* — Quia igitur interiora austri sol ferventior tenet, in arcturo vero cursum omnimodo non habet, interiorum nomine plebs judaica, arcturi vero vocabulo, hoc in loco populus gentilis exprimitur. Hi enim qui unum atque invisibilem Deum noverant, ejusque legi saltem carnaliter serviebant, quasi sub meridiano sole ferventes in fidei calore elevabantur. Gentiles autem, quia nullam scientiam supernæ cogitationis attigerant, velut sine sole frigidi sub aquilone manebant. A Judæis surgit malitia persequens, et a gentilibus potestas premens, dum quod Judæa occidere Christum ex invidia petiit, hoc gentilis judex Romana auctoritate perpetravit. Sequitur :

VERS. 10. *Flante Deo concrescit gelu,* — quia quo fidelium cordibus sanctus Spiritus aspiravit, quo majora virtutum miracula contulit, eo infidelium mentibus gravioris invidiæ torpor excrevit, atque inde contra Deum plebs infidelis obduruit, unde humiles [humilis] populi [populus] arctam duritiam, quæ se astrinxerat, emollivit. Sequitur : *Et rursum latissimæ funduntur aquæ.*—Post gelu quippe Dominus latissimas aquas fudit, quia postquam Judæorum sævitia usque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia, amoris sui aspiratione liquefecit. Hinc quidam Sapiens ait : « Sicut glacies in sereno, sic solventur peccata tua (*Eccli.* III, 17).» Sequitur :

VERS. 11. *Frumentum desiderat nubes.* — Quid enim quique electi sunt nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda ? Quæ nunc in tritura areæ paleas tolerant, quia in hac purgatione sanctæ Ecclesiæ mores contrarios reproborum portant. Sed hoc frumentum quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluvias exspectat, ut crescat. Quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Unde et Dominus in Evangelio : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* IX, 37, 38). » Sequitur : *Et nubes spargunt lumen suum.* — Nubes enim lumen spargere est, prædicatores sanctos exempla vitæ et loquendo et agendo dilatare. Sequitur :

VERS. 12. *Quæ lustrat cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernandi direxerit.* — Nubes igitur Dei cuncta per circuitum lustrant, quia prædicationis luce mundi fines illuminant. Sed quia divinis nutibus subditæ nequeunt explere quod volunt, ire non possunt, nisi qua eas voluntas gubernantis duxerit. Sequitur : *Ad omne quod præceperit eis super faciem orbis terrarum.* — Sæpe enim cum gubernantis voluntate perducuntur, aliter agere appetunt, sed aliter disponuntur. Nam plerumque quosdam auditores suos student blande corrigere, et tamen eorum sermo in asperitate ducitur ; plerumque

quosdam resecare aspere appetunt, sed tamen eorum vigor per mansuetudinis spiritum refrenatur. Sicut ergo non possunt ire quo volunt, ita etiam nequeunt agere sicut volunt. Sequitur :

VERS. 13. *Sive in una tribu, sive in terra sua, seu in quocunque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.* — Nubes quidem suas Dominus ducit, *sive in una tribu, sive in terra sua, seu in quocunque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri,* quia prædicatores Veteris Novique Testamenti, aliquando soli tribui Judæ contulit, et Israel pene totum ex prava regum gubernatione reprobavit. Aliquando et *in terra sua* has pluere nubes facit, quia eumdem Israel electum ad antiquam gratiam post corruptionem captivitatemque revocavit. Aliquando *loco suæ misericordiæ* eas clarescere voluit, quia per prædicafores sanctos etiam gentibus virtutum miracula ostendit, ut sola misericordia ab jugo erroris absolveret quos ingenti perfidiæ ira deprimebat. Una quippe tribus profecto Judæ intelligitur. Terra autem Dei simul omnis Judæa nominatur, locus vero misericordiæ Dei est gentilitas, de qua dicit Apostolus : « Gentes autem super misericordia honorare Deum (*Rom.* XV, 9). » Sequitur :

VERS. 14. *Ausculta hæc, Job, sta et considera miracula Dei.* — Quasi in comparatione sui jacentem vidit, quem ad verba tantæ prædicationis ut staret, admonuit, sed licet Eliu bona quæ dicit nesciat pensare cui dicit, nos tamen indagare verba doctrinæ ejus subtiliter debemus. Stare quippe est recta agere. Unde per Paulum dicitur : Qui se existimat stare videat ne cadat (*I Cor.* X, 12). » Jacentes ergo Dei miracula considerant, qui ejus potentiam sciendo pensant, sed vivendo non amant. Per contemplationem quidem in consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionem sese a terra non erigunt. Unde bene in Balac dicitur : « Qui cadens apertos oculos habet (*Num.* XXIV, 16). » Eliu itaque ista dicens, nequaquam credidit beatum Job vivendo tenuisse quod dixit. Sequitur :

VERS. 15. *Nunquid scis quando præcepit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?* — Si nubes sancti prædicatores sunt, pluviæ nubium sunt verba prædicationum. Sed cum nubes per aera transvolant, nisi pluvia deorsum veniat, nescitur quantam aquarum immensitatem portant. Nisi coruscus inter pluvias erumpat, intelligi non valet quod in eis etiam claritatis latet. Quia nimirum prædicatores sancti si taceant, et nequaquam loquentes ostendant, quanta sit cœlestis spei claritas quam in cordibus gestant, aut reliquis hominibus similes, aut longe his despectiores videntur. Cum autem aperire per prædicationem cœperint, quæ sit supernæ patriæ remuneratio quam intrinsecus tenent, cum persecutione pressi in qua virtutis arce profecerint innotescunt. Sed plerumque prædicatores sancti ostendere semetipsos ut prosint, cupiunt, nec tamen possunt; plerumque latere ut quieti sint appetunt, nec tamen permittuntur. Nemo igitur scit quando lucem pluviæ ostendunt, cum nemo comprehendit quando Deus virtutem prædicationis præbeat, ut prædicantium gloria clarescat. Ac si ergo aperte dicat : Nunquid si venturos in mundum prædicatores jam conspicis, quando eos ad prædicandum Dominus repletione Spiritus impellat, quibusve modis eorum vitæ claritatem mundo innotescat, apprehendit ? Sequitur :

VERS. 16. *Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias ejus ?* — Habent istæ nubes semitas, subtilissimas, scilicet sanctæ prædicationis vias. « Angusta » quippe « porta est, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14). » Quæ semitæ magnæ sunt, quia quanto in præsenti vita pro ipsa vivendi custodia angustæ sunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur. Perfecta quippe scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire, bona sollicite agere, sed de suis scire nil esse. Hic Veritas ait : « Dum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus (*Luc.* XVII, 10). » Et Paulus inquit : « Qui se existimat aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire (*I Cor.* VIII, 2). » Ac si ergo diceret : Jam summa acta prædicantium conspicis, qui postquam per scientiam ad alta se elevant, deorsum se humiliter per cognitionem suæ ignorantiæ inclinantur. Sequitur :

VERS. 17. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?* — Sæpe beatum Job figuram sanctæ Ecclesiæ tenere jam diximus. Vestimenta vero Ecclesiæ sunt omnes qui ei fidei adunatione junguntur. De quibus eisdem Ecclesiæ per Prophetam Dominus dicit : « Vivo ego, omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX, 18). » Per austrum vero, qui nimirum calidus ventus est, non immerito sanctus Spiritus designatur, quo quisque, dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur. Unde bene in canticis Canticorum dicitur : « Surge, aquilo, et veni ; auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius (*Cant.* IV, 16). » Vestimenta ergo sanctæ Ecclesiæ calida sunt, dum *terra austro* perflatur, quia hi qui ei per fidem inhærent ferventibus charitatis studiis inardescunt, dum eorum mens sancti Spiritus afflatu perfunditur. MORALITER. Unusquisque enim qui recte vivit, atque hoc et alios docere consuevit, quasi tot vestimenta habet quot auditores ei concorditer inhærent : qui quidem more vestium, quasi per poros corporis calorem accipit, quia ad amorem Dei exemplo actionis impulsu exhortationis ignoscit. Qui velut frigus proprium respuit, dum a pristina iniquitate discedit calorem quem accipit, retinet, quia, in eo quem per prædicamenta sumpserit, fervore convalescit. Dum ergo verbo doctorum accenduntur auditores, quasi ex viventi corpore vestimenta calefiunt, sed dum ex profectu auditorum etiam vita docentium proficit, quasi ex calefactis vestimentis calor ad corpus redit. Sed nequaquam sibi doctores tribuant, quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores

vident, quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad auditores corporea vox docentium incassum sonat. Postquam vero hæc fortiter dixit per arrogantiam, leviter motus irrisionis illico verba subjunxit, dicens :

VERS. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* — Possunt per cœlos hi, qui in cœlestibus sunt conditi, angelici spiritus designari. Unde in oratione nostra dicere voce Veritatis instruimur : « Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra (*Matth.* VI, 10). » Naturæ namque æris est rubigine difficile consumi, et virtutes angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus angelis hoc in munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine permaneant, et in hoc quod sunt conditæ æterna subtilitate subsistant. Possunt etiam per cœlos, ut sæpe diximus, electorum mentes exprimi a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ. Hinc dicitur : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » *Qui solidissimi quasi ære fusi sunt*, quia ab integritate cœptæ fortitudinis nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Sequitur :

VERS. 19. *Ostende nobis quid dicamus ei : Nos quippe involuti tenebris.* — Ac si dicat : Tu qui jam magna intelligentiæ luce perfrueris, docere nos qui ignorantiæ tenebris involvimur debes. Qui, mox ab irrisione resiliens, despiciendo subjungit :

VERS. 20. *Quis narrat ei quæ loquor ?* — Ac si aperte dicat : Quæ ego, ei de suis laudibus acute sentiens non audit, eloquor, qui hæc narrare, vel postquam audierit, potest ? Sequitur : *Etiamsi locutus fuerit homo, devorabitur.* — Omne quod aliquid devorat hoc introrsus trahens ab intuentium oculis occultat, et rem, quæ videri superficie potuit, in profundum rapit. Homo igitur, cum de Deo tacet per rationem in qua est conditus esse aliquid videtur. At si aliquid de Deo loqui cœperit illico quam nihil sit ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate devoratur, et quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suæ ignorantiæ angustia deglutitur. Sed ecce æternitas tunc hominibus vere innotuit, cum se eis humanitate suscepta monstravit, quæ quia necdum revelata fuerat, de eisdem hominibus recte subjungitur :

VERS. 21. *At nunc non vident lucem,* De qua nimirum etiam per prophetam dicitur : « Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam (*Isa.* IX, 2). » Sequitur : *Subito cogetur aer, cogetur in nubes.* — Aer quippe ita sua ipsa tenuitate spargitur, ut nulla firmitate solidetur, nubes autem tanto firmiores sunt quanto densiores. Quid ergo per aerem, nisi mentes sæcularium designantur ? Quæ innumeris hujus vitæ desideriis deditæ, huc illucque more acris fluidæ disperguntur. Sed *aer in nubes cogitur*, cum fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, ut

A intra sinum cordis recta sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant. Sequitur : *Et ventus transiens fugavit eas.* Ventus quippe transiens est vita præsens. Ventus ergo transiens nubes fugat, quia mortalis vita percurrens prædicatores sanctos a nostris oculis corporaliter occultat. Sequitur :

VERS. 22. *Ab aquilone aurum veniet.* — Quid per aquilonem, nisi peccati frigore constricta gentilitas designatur ? Quam ille sub jugo suæ tyrannidis tenuit, qui dixit superbiens : « Sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XVI, 14). » Quid vero auri nomine, nisi animæ fideles exprimuntur ? De quibus per Jeremiam dicitur :
B « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ? » (*Thren.* IV, 1.) Ab aquilone ergo aurum venire dicitur, quia per respectum gratiæ Redemptoris a gentilitate dudum perfidiæ torpore frigida, intra sanctam Ecclesiam pretiosa Deo vita fidelium multiplicatur. Hinc per Isaiam dicitur : « Dicam aquiloni, dicam et austro : Noli prohibere (*Isa.* XLIII, 6). » Sequitur : *Et a Deo formidolosa laudatio.* — Sic enim a Deo dicitur, ac si ab his qui in parte Dei sunt, id est, fidelibus diceretur : Auro igitur ab aquilone veniente, a Deo formidolosa laudatio prodiit, quia, dum claritatem suæ fidei gentilitas abstulit, multitudo Hebræorum fidelium divina judicia pertimescendo laudavit. Sed quomodo ab aquilone aurum veniat, quomodo ab his qui sub Deo
C sunt, formidolosa laudatio erumpat, ipsa nobis historia sacri eloquii ostendat, ubi de Cornelii conversione narrat. Sed idcirco conversis gentibus, ab Hebræis jam fidelibus formidolosa laudatio prodiit, quia nimirum juste Judæa repulsa est, dum pia est gentilitas vocata, et damna suæ repulsionis timuit, dum lucra alienæ vocationis vidit. Sequitur :

VERS. 23. *Digne eum invenire non possumus.* — Et si invenire jam Deum possumus, non tam digne, quia quod in illo sentimus, ex fide, nondum ex specie. Sequitur : *Magnus fortitudine et judicio, et justitia, et enarrari non potest.* — *Magnus* quippe est *fortitudine*, quia fortem adversarium superat, et de domo illius vasa contumeliæ auferens, in misericordiæ vasa permutat. Magnus *judicio*, quia, etsi hic electos suos per adversa deprimit, hos quandoque in gloria æternæ prosperitatis extollit. Magnus *justitia*, quia, etsi hic diu tolerat, quandoque tamen sine termino reprobos damnat. *Enarrari non potest*, sentiri digne non valet, quanto minus dici ? Sed melius hinc utcunque dicimus, si sub considerationis ejus formidine admirando taceamus. Sequitur :

VERS. 24. *Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.* — Hoc loco Eliu eos qui ad intelligentiam sunt fortes appellat, et notandum quod non ait. Et non audebunt contemplari sapientes, quibus videlicet verbis peritos quidem, sed arrogantes (61). Eliu ergo dum multa fortiter sentit, in locutionis suæ fine se tetigit.

(61) Hic deficit aliquod verbum.

Viri namque arrogantes et docti cum recte non vivunt, sed tamen recta dicere doctrinæ impulsionibus compelluntur, ipsi damnationis suæ aliquo modo præcones fiunt. Contemplari enim Dei sapientiam nequeunt, qui sibi sapientes videntur, A quia tanto ab ejus longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt, quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis candit, et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se a lumine veritatis privant.

---

# LIBER VICESIMUS OCTAVUS.

## CAPUT XXXVIII.

Vers. 1. *Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit.* — Aliter enim Dominus servis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem promovet; aliter, cum per districtionem, ne extollantur, premit. In illa enim discit quod appetat, in ista quod metuat. Quia enim humiliandus erat beatus Job, qui, prostratus ulceribus, sic virtutibus stabat, ne robustissimum pectus ejus elationis tela confoderent, quod constabat certe quia illata vulnera non vicissent, ei profecto Dominus loqui de turbine perhibetur. Sciendum præterea est quod in duobus modis locutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam aliquam ejus ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vi internæ inspirationis aperitur, verboque ejus sine verbis ac syllabis cor docetur. Dei enim locutio, ad nos intrinsecus facta, videtur potius quam auditur. Cum enim per angelum Dominus voluntatem suam indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat; verbis, ut illud: « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 28); » rebus, ut Ezechiel, qui nil verbis audivit, electri tamen speciem in medio ignis vidit. In quibus itaque Mediator Dei et hominum demonstratur, aliquando verbis simul et rebus, ut illud: « Cum audisset Adam vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, » et reliqua (*Gen.* III, 8). Aliquando imaginibus, sicut Jacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit (*Gen.* XXVIII, 12), sicut Petrus linteum reptilibus plenum (*Act.* X, 11). Aliquando cœlestibus substantiis, ut illud, de nube sonuit: « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* XVII, 5). » Aliquando terrenis substantiis, sicut Balaam corripuit in ore asinæ humana verba formans (*Num.* XXII, 28). Aliquando terrenis simul et cœlestibus simul substantiis, sicut Moysi loquens ignem rubumque sociavit (*Exod.* III, 3). Nonnunquam vero humanis cordibus etiam per angelos Deus secreta eorum præsentia virtutem suæ aspirationis infudit. Unde Zacharias ait: « Dixit ad me angelus qui loquebatur in me (*Zach.* I, 13); » et paulo post: « Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, » et reliqua (*Zach.* II, 3). Utrum autem beato Job per semetipsum, an ei per angelum sit locutus, ambigitur. Sequitur:

Vers. 2. *Quis est iste involvens sententias sermo-* B *nibus imperitis?* — Quis est iste non dicimus, nisi de eo utique quem nescimus. Scire autem Dei approbare est; nescire reprobare. Unde quibusdam quos reprobat, dicit: « Nescio vos (*Matth.* XXV, 12): » in eo vero quod sententias, et non addidit quales, bonas utique accipimus, quas quidem *imperitis* asseritis *sermonibus* involutas, quia cum verbis jactantiæ fuerunt prolatæ. Imperitiæ quippe vitium est, rectum non recte sapere, id est, cœleste donum ad appetitum terrenæ laudis inclinare. Sicut Apostolus ait: « Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire (*I Cor.* VIII, 2). » Sequitur:

Vers. 3. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* — Viri nimirum sunt, qui vias Domini fortibus et non dissolutis gressibus sequuntur, ut illud: « Viriliter C agite (*Psal.* XXX, 25). » Et in Proverbiis. « O viri, ad vos clamito (*Prov.* VIII, 4). » Lumbos vero accingere est, vel in opere luxuriam, vel in cogitatione refrenare. Hinc enim scriptum est: « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Beato igitur Job præcipitur ut, quemadmodum prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc etiam luxuriam restringat elationis. Hinc per Moysen dicitur: « Circumcidite præputia cordis vestri (*Deut.* X, 16). » Sequitur: *Interrogabo te, et responde mihi.* — Tribus modis nos Conditor interrogare consuevit: cum aut flagelli districtione nos percutit, et quanta nobis insit, vel desit, patientia ostendit, ut in beato Job ostenditur; aut, quædam quæ volu- D mus præcipit, et nostram nobis obedientiam patefacit. Sicut Abraham terram suam jubetur egredi, unicumque immolare filium (*Gen.* XXII, 2). Aut aliqua nobis occulta aperit et aliqua abscondit, et mensura nobis nostræ humilitatis innotescit. Hinc scriptum est: « Palpebræ ejus interrogant filios hominum (*Psal.* X, 5). » Ac si ergo beato Job dicatur: Verbis ad sublimia consideranda te excito, et dum, ea quæ super te sunt, nescire perspicis, tibimetipsi te notiorem reddo. Tunc enim mihi vere respondes, si quæ ignoras intelligis. Sequitur:

Vers. 4. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* — In Scriptura sacra quid aliud fundamenta quam prædicatores accipimus? Quos, dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit. Hinc Psalmista ait: « Fundamenta ejus in montibus sanctis

(*Psal.* LXXXVI, 1).» Singulari autem numero fundamentum Dominus accipitur, de quo et Paulus ait: «Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11).» Ac si enim beato Job dicitur: Virtutem fortium considera, meque eorum ante sæcula Auctorem pensa, et cum eos quos in tempore condidi mirabiles suspicis, perpende quantum subdi debeas, quem Auctorem mirabilium sine tempore esse cognoscis. MORALITER. Si peccatoris animus pulvis est, dicente Psalmista: «Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis,» et reliqua (*Psal.* I, 4), nil obstat intelligi terram animam justi, de qua scriptum est: «Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem (*Hebr.* VI, 7).» Sed hujus terræ fundamentum fides est. Cum enim non credenti æterna fides datur, ad ædificium subsequentis operis jam fundamentum ponitur. Cum autem ei qui venturi judicii terrorem despicit, peccatis se carnis et spiritus audenter involvit, repente futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur. Ac si ergo justificato peccatori Veritas dicat: Virtutes a me acceptas tibi non tribuas, noli contra me de meo munere extolli. Sequitur:

VERS. 5. *Indica mihi si habes intelligentiam: Quis posuit mensuras ejus, si nosti? Vel quis tetendit super eam mensuram lineæ?* — In carnem autem Dominus ad Ecclesiam veniens mensuras terræ lineis mensus est, quia fines Ecclesiæ occulti judicii subtilitate distinxit. Paulus namque apostolus, cum Macedoniæ prædicare negligeret, per visum illi apparuit vir Macedo qui diceret: «Transiens in Macedoniam adjuva nos (*Act.* XVI, 2).» At contra sicut scriptum est: «Tentabant apostoli ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu (*Act.* XVI, 7).» Dum ergo prædicatores sancti et vocantur ad Macedoniam, et ab Asia prohibentur, ista occultarum mensurarum linea illic ducta est, hinc reducta. Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiamsi intra fidei limitem esse videantur. MORALITER. Quis enim terræ, id est, justæ animæ mensuras ponit, nisi Conditor noster, qui interni judicii secreto moderamine, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam tribuit? (*I Cor.* XII, 8, 9, 10.) Sic itaque Creator noster ac dispensator cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic unusquisque quod non accepit, in altero possideat, ut ipse alteri possidendo quod accepit humiliter impendat. Hinc Petrus ait: «Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei (*I Petr.* IV, 10).» Super hanc enim terram linea tenditur, quando electæ unicuique animæ ad sumendam vivendi regulam Patrum præcedentium exempla monstrantur, et ex illorum vita consideret quid in suis actibus servet. Ideo enim per sacra eloquia subtilis ante nos sanctorum vita expanditur, ut nostra opera vel minora proficiant, vel majora moderentur, quatenus nec minus conetur explere mens quam sufficit, nec plus arripiat quam accepit. Sequitur:

VERS. 6. *Super quem bases illius solidatæ sunt?* — Subaudis, nisi super me, qui cuncta mirabiliter teneo, et bonis exterioribus intus principaliter originem præsto? Hujus terræ bases, sanctæ Ecclesiæ doctores sunt, qui dum recta prædicant et prædicationi suæ vivendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa morum suorum gravitate sustentant. Possunt per bases etiam prophetæ signari, qui dum primi aperte de Dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases eos conspicimus a fundamento surgere, et superpositæ fabricæ pondera sustinere. Unde ad Moysen Dominus cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, fundi earum bases argenteas jubet. MORALITER. Bases uniuscujusque animæ sunt intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est: «Fundamentum aliud nemo potest ponere,» etc. (*I Cor.* III, 11), tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Nam inaniter quislibet summa opera facit si tota intentione cordis veræ vitæ præmia non requirit. Sequitur: *Aut quis dimisit lapidem angularem ejus?* — Lapis angularis ille est de quo scriptum est: «Lapidem quem reprobaverunt ædificantes,» etc. (*Psal.* CXVII, 22.) Qui dum in se Judaicum gentilemque populum suscepit, in una Ecclesiæ fabrica quasi duos parietes junxit. Hinc enim scriptum est: «Fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14),» quia angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed et in supernis exhibuit, quia et in terra plebi Israeliticæ nationes gentium et utraque simul angelis in cœlo sociavit, eo quippe nato clamaverunt angeli: «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14).» MORALITER. Lapis angularis est ad sacra eloquia intellectus duplex, quia tunc divinitus dimittitur, quando nequaquam districto judicio ignorantiæ suæ tenebris illigatur, sed quadam libertate perfruitur, dum in præceptis Dei sufficit vel exsequendo exteriora agere, vel contemplando interna sentire. Incarnatus enim Redemptor veniens utraque exhibuit, in se utraque sociavit, videlicet activam et contemplativam vitam, ad quod nunquam noster intellectus assurgeret, nisi ille ad suscipiendam nostram veniret naturam. Ac si ergo Dominus diceret: Quis dimisit lapidem angularem nisi ego, unicum quem sine tempore genui, servandis hominibus cum tempore ostendi? In cujus vita discerent etiam diverse vivendi studia non discrepare. Sequitur:

VERS. 7. *Cum me laudarent simul astra matutina.* — Quia enim primi angeli conditi sunt, non immerito *astra matutina* vocantur, qui venturum diem

subsequentis sæculi per lucem sapientiæ existendo A
prævenerunt. Bene autem additur *simul*, quia nimirum ipsi electi, angeli etiam cum redemptis, in fine mundi hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificant, simul laudant, quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum repleri, dicentes : « Gloria in excelsis Deo, » etc. (*Luc.* II, 14). Aliter *matutina astra* dicuntur, quia sæpe ad exhortandos homines missi sunt : et, dum venturum mane nuntiant, ab humanis cordibus præsentis vitæ tenebras fugant. Sequitur : *Et jubilarent omnes filii Dei.* — Jubilatio quippe dicitur, cum cordis lætitia, oris efficacia, non expletur. Laudent itaque angeli, qui jam tantæ claritatis latitudinem in sublimibus vident ; jubilent vero homines, qui adhuc inferioribus oris sui angustias sustinent. B
Quæ, quia certo futura Dominus noverat, non tam facienda insinuat quam facta narrat. Sequitur :

VERS. 8. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* — Quid enim mare, nisi persequentium turbas accipimus? Vulvæ enim nomine, occulta, et malitiosa, et carnalium cogitatio designatur. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur : « Concepit dolorem, » etc. (*Psal.* VII, 15). Erumpebat enim mare *quasi de vulva procedens*, cum minarum sæcularium fluctus in sanctæ Ecclesiæ interitum sævirent ; sed auctore Deo ostiis conclusum est, quia contra tumores persequentium sancti viri oppositi sunt, ut eorum miraculis atque reverentia iræ persequentium frangerentur. Aliter : Per mare hoc sæculum C
accipere debemus : secundo contra hoc mare Dominus ostia opposuit, quia et prius humano generi præcepta legis, et postmodum novæ gratiæ Testamentum dedit. Prius enim Deus ab operibus iniquitatis prohibuit dicendo : « Non occides. Non mœchaberis, » etc. (*Exod.* XX, 13, 14). Postmodum etiam a cogitatione culpas constrinxit, dicendo : « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, » etc. (*Matth.* V, 28) ; et : « Diligite inimicos vestros, » etc. (*Ibid.* 44). Ubi etiam tempus ostendit, cum de vulva procedere dixit. Quia videlicet tunc humano generi præceptis legis obviavit, quando adhuc sensum suæ origini vicinum quasi ab ortu proprio ad perfectum vitæ carnalis exhibebat. De vulva quippe procedere est in D
lucem præsentis gloriæ carnaliter apparere. MORALITER. Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum ? Quod mare quantum sæviat attendit quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. Vulva enim pravæ cogitationis adolescentia est. De qua per Moysem Dominus dicit : « Sensus enim et cogitatio humanæ cordis prona est in malum ab adolescentia sua (*Gen.* VIII, 21). » Corruptionis namque malum unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit. Dominus autem *ostiis mare concludit*, quia pravis motibus claustra cordis inspirata formidine judicii et æterni tormenti immensi temporis pavore subjicit. Sequitur :

VERS. 9. *Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis in facie infantiæ obvolverem.* — Mare sæviens nube induitur, quia crudelitas persequentium stultitiæ suæ velamento vestitur. Interposita enim caligine infidelitatis suæ, perspicuam veritatis lucem videre non sufficit, et id quod agit per crudelitatis impulsum, per cæcitatis suæ meritum non agnoscit. « Nam si cognovissent, » sicut ait Apostolus, « nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Hæc autem nubes non solum solet infideles extra positos premere, sed quosdam etiam viventes carnaliter intra Ecclesiam tenebrare. Hinc enim scriptum est : « Opposui nubem, ne transeat oratio (*Thren.* III, 44). » Qui enim terrena assidue cogitat, quia vult, hæc etiam tolerat in oratione cum non vult. Pannis quippe infantiæ pedes et brachia constringuntur. Quia ergo persecutores sanctæ Ecclesiæ puerilia sapiunt, justis semper nocere volunt, sed divina, dispensatione constricti, quia volunt brachia non extendunt, et si cuncta mala perpetrare leviter appetunt, nequaquam tamen implere cuncta quæ appetunt permittuntur. Aliter. *Nubem* Deus *vestimentum* posuit, dum populum Judæorum ab errore perfidiæ eripuit, nec tamen illis claritatem sui luminis patefecit, quasi ex tenebris eos abstulit, sed adhuc nube vestivit. Quem etiam verborum suorum caligine quasi pannis infantiæ involvit, dum non aperta spiritus prædicatione, sed præceptis litteræ astrinxit. Infirmus namque populus cum præceptorum pannos nolens pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione pervenit. Hinc est enim quod eis in lege « Oculum pro oculo (*Exod.* XXI, 24) » exigere præcipitur, et quandoque tamen revelata gratia perculsi maxillam aliam jubentur præbere. MORALITER. Mare tumultuosum videlicet cogitationibus cor nostrum nube vestitur, quia ne in terrenam quietem pure conspiciat, inquietudinis suæ confusione tenebratur. Hoc mare caligine, quasi *infantia pannis* obvolvitur, quia a contemplandis sublimibus adhuc terrenis sensibus suæ infirmitatis ligatur. Hinc Paulus ait : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, » etc. (*I Cor.* III, 12). « Nunc cognosco ex parte, » etc. (*Ibid.*) ; et : « Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, » etc. (*Ibid.*). Sequitur :

VERS. 10. *Circumdedi illud terminis meis.* — Terminis suis Dominus mare circumdat, quia iras persequentium judiciorum suorum dispensatione modificat, ut insani tumidi unda fervoris, pleno frangantur littore occultæ dispensationis. Aliter : Terminis illud Dominus circumdedit suis, quia præceptorum limite populum rudem ab immoratis [immoderatis] animi evagationibus cinxit. MORALITER. Terminis suis Dominus hoc mare circumdat, quia cor nostrum adhuc corruptionis suæ molestia et cura turbulentum sub mensura suæ contemplationis humiliat, ut licet plus appetat, ultra tamen quam sibi conceditur, non ascendat. Aliter : Furenti mari terminos imponit, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum

distributionibus mitigat, modo agens ne prava suggestio ad delectationem veniat, modo pravam delectationem usque ad consensum venire prohibet. Sequitur : *Et posui vectem et ostia.* — Quid per ostia, nisi prædicatores sancti ? Quid per vectem, nisi incarnatus Dominus designatur? Qui hæc videlicet ostia, contra sævientes maris impetum tanto valentiora opposuit, quanto ea sua observatione roboravit. Non enim immerito sancti ostia vocantur, quia et ingressum fidelibus aperiunt, et rursum sese perfidis, ne ingrediantur, opponunt. De quibus ostia exstitit Petrus qui Cornelium recipit et Simonem repulit dicens : « In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus (*Act.* x, 34). » Ostia etiam erant hujus Ecclesiæ quibus dicebat Dominus : « Quibus remiseritis peccata remittuntur eis, » etc. (*Joan.* xx, 22). Aliter. Clausa namque ostia opposito vecte roborantur. Vectem ergo Dominus opposuit, quia contra lascivos motus humani generis Unigenitum misit, quia præcepta spiritalia quæ loquendo docuit agendo solidavit. Sequitur :

VERS. 11. *Hinc usque venies et non procedes amplius.* — Quia nimirum occulti judicii mensura est, et quando persecutionis procella prosiliat, et quando conquiescat ; ne aut non exagitata electos non exerceat, aut non moderata in profundum mergat. Sequitur : *Et hic confringes tumente fluctus tuos.* — Cum vero notitia fidei usque ad persequentes extenditur, turbari maris timor sedatur, ibique fluctus suos mare frangit, qui ad cognitionem veritatis veniens omne quod nequiter egit erubescit. Unde per Paulum quibusdam dicitur ; « Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* vi, 21). Aliter. Mare quippe propria ostia transcenderat, quia claustra legis oppositæ humani tumoris unda satiebat. At postquam mundus oppositum sibi Unigenitum reperit, elationis suæ impetum fregit, et transire non valuit, quia ejus fortitudine furoris sui terminum clausum invenit. Hinc enim scriptum est : « Mare vidit et fugit (*Psal.* CLXIII, 3). » Possunt per ostia etiam apertæ passiones ejus non inconvenienter intelligi, quibus et occultum vectem posuit, quia eas ex invisibili divinitate roboravit. Contra quas mundi fluctus veniunt, sed fracti dissiliunt, quia superbi eas videndo despiciunt, sed earum vires experiendo pertimescunt. MORALITER. Quid per ostia, nisi virtutes ? Quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus ? Facile autem omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Unde et Paulus cum quibusdam ostia virtutum opponeret, robur vectis adjunxit, dicens : Super omnia autem charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis (*Col.* III, 14). » Quia ergo Dominus per inspiratæ charitatis fortitudinem nascentia in corde vitia reprimit, insurgentis maris impetum per obstructa claustra compescit. Beatus igitur Job, ne sibi tribuat quod contra procellas cordis fortiter stat, voce divina audiat : *Quis conclusit ostiis mare ?* Et reliqua.

# LIBER VICESIMUS NONUS.

VERS. 12. *Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum ?* — Subaudis, ut ego Ortus quippe divinitatis Domini ante et post non habet. Ortus vero humanitatis ejus, quia cœpit et desinit, et ante et post habere a tempore accepit. Sed quid dum ipse umbram nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit, recte per hunc ortum, quem Creator sibi in tempore concedit, locum suum sine tempore aurora cognovit. Quia enim diluculum vel aurora a tenebris in lucem vertitur, non immerito diluculo vel auroræ nomine omnis Ecclesia electorum designatur, quæ ab infidelitatis nocte ad lucem fidei ducitur. Hinc enim scriptum est : « Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens ? » (*Cant.* vi, 9). Aliter. Aurora vel diluculum, noctem quidem præterisse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostendunt ; sed, cum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris permistam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus, quia et quædam jam quæ lucis sunt agimus, et tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus ? Hinc scriptum est : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* XLII, 2). » Paulus quoque ait : « Video aliam legem in membris meis repugnantem, » etc. (*Rom.* VII, 23) ; et rursum : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit, etc. (*Rom.* XIII, 12). Dies autem sanctæ Ecclesiæ tunc erit, cum ei admista peccati umbra jam non erit. Locus autem hujus auroræ est perfecta claritas visionis internæ. Locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam Conditoris sui faciem flagrat, dicens : « Sitivit anima mea ad Deum vivum, » etc. (*Psal.* XLI, 3). Hunc signat locum Dominus dicens : « Ubicunque fuerit corpus, » etc. (*Luc.* XVII, 37). Quæ beatitudo futuræ retributionis, priusquam per corpus ipse innotesceret, in paucorum intellectu continuit. Sequitur :

VERS. 13. *Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea?* — Extrema terræ Dominus tenuit, quia in fine sæculorum ad destitutam jam et alienis regibus subditam Synagogam ve-

nit, atque ex illa *impios excussit,* quia spiritalia fidei prædicamenta renuentes, etiam a carnalis sacrificii gloria repulit. Aliter. Quia ex Judæa paucos abjectos et humiles elegit, *extrema terræ* tenuit; legis enim doctores deseruit, et piscatores tenuit, dumque ejus extrema tenet, ex ea impios excutit, quia dum infirmos fideles roborat, fortiter in illa infideles damnat. Res autem concutitur huc illucque ducta fatigatur. Concussa ergo Judæa fuerat, quæ per alios dicebat: « Quia bonus est (*Joan.* VII, 12); » et per alios resistebat, dicens: « Non, sed seducit turbas (*Ibid.*). » Aliter. *Extrema terræ* concussit et tenuit, quia cum infirma corda humilium pio timore terruit, nequaquam ea judicio districto dereliquit. Inde enim multitudo credentium in Deum robustius stetit, unde in se humilia tenuit. Hinc Salomon ait: « Beatus vir qui semper est pavidus; qui autem mentis est duræ, corruet in malum (*Prov.* XXVIII, 14). » Aliter terra, sancta Ecclesia. *Extrema* igitur *terræ* Dominus tenet et concutit, quia Ecclesiæ suæ ultima per adventum Antichristi persecutione immanissima turbare permittit. Et quia plerique intra Ecclesiam sunt, sicut Apostolus dicit: « Quia confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I, 16).» Impios ergo ex ea Dominus excutit, quia hos quos nunc intima vitia possident, tunc in voraginem apertæ infidelitatis cadent, atque in acervum palearum transeunt. MORALITER. Per terram quippe homo infirma [infima] sapiens designatur, cui peccanti dictum est: « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » In extrema utique vitæ, Dominus sæpe peccatores terrendo concutit, concutiendo convertit, convertendo tenet, atque ab eorum cordibus impios cogitationum motus evellit. Sequitur:

VERS. 14. *Restituetur ut lutum signaculum.* — Quid aliud Dominus plebem Israeliticam nisi lutum reperit, quam obsequiis gentilium deditam in Ægypto servientem lateribus invenit? Sed dum arcana secretorum et prophetas contulit, quid eam aliud quam servandi mysterii *signaculum* fecit? Quæ dum in Redemptorem suum postmodum credere noluit, terram potius quam veritatem diligens, dixit per sacerdotes suos: « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, » etc (*Joan.* XI, 48.) Accepti verbi mysterio perdidit, et sola terrena sapere, quæ inquinant, elegit. Aliter: Hi qui nunc videntur in Ecclesiæ sinu *signaculum,* tunc ante oculos omnium restituuntur *ut lutum.* Solet sacra Scriptura pro fide appellare signaculum, pro iniquitate lutum. Unde et ab sponso suo Ecclesiæ dicitur: « Pone me ut signaculum super cor tuum (*Cant.* VIII, 6). » Per lutum vero terrena contagia demonstrantur, attestante Psalmista, qui ait: « Eduxisti me de lacu miseriæ et de luto fecis (*Psal.* XXXIX, 3). » Multi enim o terrenis contagiis erepti, cœlestis fidei sacramento signantur, sed apparent non tentati *signaculum,* qui erunt procul dubio tentati *lutum.* Ubi et recte dicitur *restituetur.* Quales enim ante fidem esse poterant, tales post reprobi invenientur. MORALITER. Hominem

A quippe Dominus, quem ad suam similitudinem condidit, quasi quoddam suæ potentiæ *signaculum* fecit, quod tamen *ut lutum restituetur,* quia licet æterna supplicia per conversionem fugiat, in ultione tamen perpetratæ superbiæ, carnis morte damnatur. Sequitur: *Et stabit sicut vestimentum.* — Impolita namque et grossiora vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induendis membris bene applicata non inhærent, stare referuntur. Judæa igitur circa veritatis notitiam etiam cum servire videretur, *sicut vestimentum* stetit, quia per exteriora mandata servire se Domino ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit. Aliter: Tot nunc quasi vestibus sancta Ecclesia induitur, quot fidelium veneratione decoratur. Unde
B et ei ostensis gentibus a Domino per prophetam dicitur: « Vivo ego, quia his omnibus velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX, 18). » Multis tamen quasi fidelibus nunc specie tenus induitur, sed pulsante persecutionis impetu tunc eis exuta nudabitur. Stare vero hoc loco ponitur, in peccato persistere, ut illud: « In via peccatorum non stetit (*Psal.* I, 1), » vel certe sicut induta vestis tenditur, exuta fracta complicatur, ita unusquisque qui ab Ecclesia recesserit, confractus atque abjectus jacebit, qui, dum indueretur, decorus atque tensus fuit. Si vero stare intelligimus perdurare, sicut vestimentum stat quisque reprobus, quia in hac vita, quam diligit, brevi durat, ut illud: « Omnia sicut vestimentum veterascent, » etc., (*Psal.*
C CI, 27.) MORALITER. *Lutum* namque nostrum sicut *vestimentum* stare est usque ad resurrectionis tempus inane exutumque perdurare. Sequitur:

VERS. 15. *Auferetur ab impiis lux sua.* — Quia dum credere veritatem Judæi renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt, et dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiæ suæ gloria cæcantur. Scriptum quippe est: « Obscurentur oculi eorum ne videant (*Psal.* LXVIII, 24). » Et: « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava (*Isa.* VI, 10). » Aliter: Neque enim eos nunc Dei lumen illustrat, qui iniquitatis suæ malitiam fidei nomine palliant. Sunt vero nonnulli qui æterna quæ audiunt veraciter credunt, et tamen eidem quam tenent fidei male vivendo contradi-
D cunt. Qui, dum perversa agunt et tamen de Deo recta sentiunt, ne tenebrescant funditus, ex quadam parte fulgore luminis illustrantur. Qui plus terrena quam cœlestia diligunt, pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur amittunt. Quod maxime multiplicius in persecutione Antichristi agetur. Quanquam et in suis operatoribus ipse auctor iniquorum jam appareat, qui, dum venit, hinc Joannes ait: « Nunc Antichristi multi facti sunt (*I Joan.* II, 18). » MORALITER. Mors enim carnis, quæ electos luci suæ restituit, lucem suam reprobis tollit. Lux namque superbientibus est gloria vitæ præsentis. Quæ ei lux tunc subtrahitur, cum per carnis interitum ad rationum suarum tenebras vocatur. Sequitur: *Et brachium excelsum conteretur.*—Excelsum quippe brachium

conteretur, quando prædicata fidei gratia superba A
legis operatio reprobatur, cum dicitur : « Ex operibus legis non justificabitur omnis caro (*Rom.* III, 20). » Aliter : Quid namque excelsum brachium accipitur, nisi superba Antichristi celsitudo ? quæ super reprobas mentes hominum, fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus apostolus dicit : « Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 4). » « Quem Dominus Jesus Christus, » sicut idem ait Apostolus, « Interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*Ibid.*, 8). » Excelsum quippe brachium tunc confringitur, quia celsitudo cordis ultra naturæ ordinem violenter arrepta divinæ justitiæ modo dissipatur, ut quam se perverse in brevi erexerat, B
per pondus judicii in æternum fracta cognoscat. Sequitur :

VERS. 16. *Nunquid ingressus es profundum maris ?* — Ac si dicat, ut ego. Si enim mare more divini eloquii sæculum debet intelligi, nil prohibet profunda maris inferni claustra sentire. Quod profundum maris Dominus petiit, cum inferni novissima electorum suorum animas erepturus intravit. Unde et per prophetam dicitur : « Posuisti in profundum maris viam ut transirent liberati (*Isa.* v, 10). » MORALITER. Mare quippe est mens humana cujus profunda Deus ingreditur, quando prioris vitæ nequitias ad memoriam reducit, et fluctuantem in confusione sua animum concutit ? *Profundum maris* Deus intrat, quando etiam des- C
perata corda permutat, vel cum cor sæculare humiliat, vel quando visitare mentes etiam pressas sceleribus non dedignatur. Sequitur : *Et in novissimis abyssi deambulasti ?* — Quod supra profundum maris dixerat, hoc aliis verbis replicans, *abyssi novissimum* vocat, quia sicut aqua um abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferi nullo a nobis cogitationis sensu penetrantur, deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in infernum deambulavit, liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est : « Factus sum sine adjutorio inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 5). » Hinc Petrus ait : « Solutis inferni doloribus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo (*Act.* II, D
24). » Vel certe quia deambulando nos cum de loco ad locum ducimur, hic illicque præsentes invenimur. Ambulasse in inferno Dominus dicitur, ut electis animabus in locis singulis per divinitatis potentiam præsens fuisse monstratur. MORALITER. Quid enim est abyssus nisi mens humana ? Quæ, dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est velut obscura abyssus latet. Unde bene per prophetam dicitur : « Dedit abyssus vocem suam (*Habac.* III, 10). » *novissimis* ergo *abyssi* Deo deambulare est, etiam nequissimorum hominum corda convertere, et desperatas mentes visitationis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reformare, atque post immensa scelera cor obscursum vitiisque tenebrosum visitationis timore r primere, et ad lamentum compunctionis provocare. De his gressibus Propheta ait : « Visi sunt ingressus tui, Deus, ingressus Dei mei (*Psal.* LXVII, 25). » Sequitur :

VERS. 17. *Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis et ostia tenebrosa vidisti ?* — Portæ enim mortis, potestates sunt adversæ, quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superavit, quæ appellatione quoque alia tenebrosa ostia vocantur, quia dum per occultationis suæ insidias non videntur, deceptis mentibus viam mortis aperuit. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt, quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam et respicit et premit, quæ tenebrosa ostia nos etiam cernimus, quando supernæ lucis (62) illustramur. Unde et per Prophetam dicitur : « Dominus mihi adjutor est, et ego videbo inimicos meos (*Psal.* CXVII, 7). » Hostes igitur nostros ipse videt, quia suos eos munere nobis visibiles facit. Vel certe *tenebrosa ostia* Dominus videt, cum claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit, et mortis præpositos moriendo damnavit. MORALITER. Portæ enim mortis sunt cogitationes, quas Deo pandimus, quando eas in pœnitentia flendo confitemur. Tunc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando solutis pravis cogitationibus ad nos post confessionem venit. Tenebrosa namque ostia sunt latentia mortis mala, quæ et habere intrinsecus possunt, quæ tamen Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiæ destruit. Scriptum quippe est : « Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo (*Prov.* XX, 8). » Sequitur :

VERS. 21. *Nunquid considerasti latitudinem terræ ?* — Dum enim Dominus angustias mortis petiit, fidem suam gentibus dilatavit, atque in innumera corda sanctam Ecclesiam extendit. Cui per prophetam dicitur : « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas ; longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit (*Isa.* LIV, 2, 3). » Pauci enim ex plebe Israelitica, ipso prædicante, crediderunt ; innumeri vero gentium populi viam vitæ illo moriente et resurgente secuti sunt MORALITER. Nisi enim virtutes animum dilatarent, nequaquam Paulus Corinthiis diceret : « Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus (*II Cor.* VI, 13, 14). » Intuendum est quod dicitur, *considerasti.* Latitudo namque bonorum interior est, et nequaquam comprehenditur, nisi caute consideratur. Nam plerumque eos exterius inopia humiliat, pœnas cruciatus angustat. Sed tamen inter hæc semper interior fortitudo usque ad speranda cœlestia dilatat. Scriptum namque est de apostolis : « Ibant gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v, 41). » Sequitur :

VERS. 19. *Indica mihi, si nosti omnia. in qua via*

(62) Desideratur hic substantivus in ablativo cujus modi potest esse (radiis).

*lux habitet, et tenebrarum quis locus sit.* — Quid A enim lucis nomine nisi justitia accipitur, et quid per tenebras, nisi iniquitas designatur ? Unde quibusdam dicitur : « Eratis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 8). » Et de quibusdam in peccato manentibus memoratur : « Qui dormiunt, nocte dormiunt (*I Thess.* v, 7). » Ac si beato Job diceretur : Si plenam te habere scientiam suspicaris, dic vel in cujus corde ea quæ nunc est malitia perseveret. Sequitur : *In qua via habitet lux*, id est, in cujus mentem veniens justitia impleat. Sequitur :

Vers. 20. *Et tenebris quis locus sit.* — Id est, in quo iniquitas cæca perduret. Sequitur : *Ut ducas unumquodque ad terminos suos*, — id est, ut dijudices, si, vel is qui nunc iniquus cernitur in B hujus iniquitate vitam finiat, vel is qui justus cernitur extremitatem vitæ suæ cum justitiæ perfectione concludat. Sequitur : *Et intelligas semitas domus ejus.* — Id est, consideres atque discernas, vel cui bona actio perseverans æternam mansionem præstet in regno, vel quem usque ad terminum suum actio prava constringens in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansione ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit ; sed quis hominum ista discussus dicat ? quis ista saltem imperterritus audiat ? Multos enim videmus justitiæ luce resplendere, et ad finem nequitiæ suæ obscuritate tenebrari, et multos peccatorum tenebris obvolutos, et tamen juxta vitæ suæ termi- C num repente reddi luce justitiæ liberos, et multos viam justitiæ usque ad obitum tenere, et plerosque conspeximus usque ad exitum cœpta semel crimina sine cessatione cumulasse. Sequitur :

Vers. 21. *Sciebas tunc quod nasciturus esses, aut numerum dierum tuorum noveras ?* — Ac si illi aperte diceret : Quid mirum, si terminum tuum non intelligis, qui nec initium comprehendis. Aliter : Homines quippe tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur. Nam ipsa conceptio nativitas dicitur, juxta quod scriptum est : « Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est (*Matth.* i, 20). » Et idcirco se nascituros nesciunt, quia nec priusquam creentur existunt. Deus vero, qui sine initio semper existit, præscivit de se D hoc quod in uterum Virginis per initium sumpsit ; et quia præscivit, disposuit ; quia disposuit, nil profecto in humana forma sine sua voluntate toleravit. Sequitur :

Vers. 22. *Nunquid ingressus es thesauros nivis, et thesauros grandinis aspexisti ?* — Quid aliud in nive vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum ? Sicut enim fervore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum quippe est : « Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit animam malitia sua (*Jer.* vi, 7). » Et rursum : « Abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* xxiv, 12). » In frigore enim nivis, vel in duritia grandinis, quid accipi potius potest quam vita pravorum, quæ et torpore frigescit et per duritiæ malitiam percutitur. Sequitur :

Vers. 23. *Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli ?* — Cum enim adversarius noster diabolus tentare nos nititur, pravorum moribus quasi suis contra nos armis utitur, per ipsos quippe nos sæviens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsis flagellum fiunt. De quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Aliter in nive vel grandine frigida vel dura accipimus corda pravorum, sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus elegit, et quia, quam multos electos adhuc inter pravorum vitam repositos habeat novit, apte in nive vel grandine *thesauros* habere se perhibet. Thesaurus quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id est a positione nominatur. In nive ergo vel grandine habentur thesauri, quia plerique iniquitatis torpore frigidi, ad supernam gratiam assumpti in sancta Ecclesia justitiæ luce fulgescunt, et pravam adversariorum scientiam doctrinæ suæ ictibus tundunt, quod ad diem belli pugnæ præparatos diu in suæ scientiæ sinu tegit. Sed cum repente eos eduxerit, resistentia adversariorum pectora, illorum verbis ac redargutionibus, quasi quibusdam grandinibus percutit. Unde scriptum est : « Præ fulgore in conspectu ejus, » etc. (*Psal.* xvii, 13.) Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium et blandientes rigant et feriunt. Nam quemadmodum feriunt, Propheta testatur dicens : « Virtutem terribilium tuorum dicent, » etc. (*Psal.* cxliv, 6.) Et quemadmodum blandienter rigant secutus adjunxit : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, » etc. (*Ibid.*, 7.)

Vers. 24. *Per quam viam spargitur lux ?* — Ipse quippe via est, qui ait : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6). » Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per ejus præsentiam cuncta gentilitas illustratur. *Spargitur* autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angusta atque coarctata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit. Sequitur : *Dividitur æstus super terram.* — Quod per æstum persecutio designatur, Dominus testatur de jactu seminis supra petram, dicens : « Sole orto æstuaverunt omnia, » etc. (*Matth.* xiii, 6.) Quod paulo post, cum exposuit æstum, persecutionem vocavit. Sparsa igitur luce æstus super terram divisus est, quia, clarescente vita fidelium, accensa est crudelitas perfidorum. Divisus namque æstus erat, quando nunc Hierosolymis, nunc Damasco, nunc in aliis longe regionibus persecutio sæviebat. Scriptum quippe est : « Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat in Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ (*Act.* viii, 1). » Aliter : Per lucis nomen justitia designatur, de qua scriptum est : « Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam (*Isa.* ix, 1). » Omne autem quod spargitur, non continuo, sed quadam intermissione jactatur. Dux ergo in hac vita spargitur, quia ad omnes rei intelligentia continua non

habetur. Dum enim aliud sicut est comprehendimus, et aliud ignoramus, quasi sparsa luce, et ex parte cernimus, et in obscuritate ex parte remanemus. Tunc vero lux nobis sparsa jam non erit, quando mens nostra ad Deum funditus rapta fulgescit. Ac si ergo ei aperte diceretur : Dic quo ordine justitia mea occultis sensibus cor infundo, cum et per accessum non videor, et tamen visibilia opera hominum invisibiliter immuto. Sequitur : *Dividitur æstus super terram.* — Hostis namque callidus quos luce justitiæ enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit. Unde et Israelitæ, postquam vocati sunt, contra Moysen, de excrescente labore conqueruntur, dicentem : « Videat Dominus et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium ut interficeret nos (*Exod.* v, 21). » Post lucem vero æstus sequitur, quia post illuminationem divini muneris, tentationibus certamen augetur. Recte ergo etiam dividi æstus dicitur, quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac juxta positis vitiis fatigantur. Prius enim conspersionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, et tunc tentationum laqueos opponit. Lætis enim moribus luxuriam, tristibus poculum discordiæ porrigit. Hunc autem æstum aliter dividit callidus supplantator, aliter misericors Conditor. Ille dividit, ut per illum citius interimat, iste ut eum tolerabiliter reddat. Sequitur :

Vers. 25. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum ?* — Ac si diceret : Nisi ego? Diviso enim æstu, cursum inter ipsas persecutionis angustias, prædicationis impetum roborasse, ut tanto magis virtus prædicantium cresceret, quanto magis persequentium crudelitas obviaret, quatenus arentia corda audientium pluviæ guttis infunderent, ut siccitatem perfidiæ uberibus, irrigarent. Hunc persecutionis æstum Paulus tolerabat et irrigabat, cum diceret : « Laboro usque ad vincula quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II, 9). » De hoc imbre alias dicitur : « Mandabo nubibus ne pluant super terram imbrem (*Isa.* v, 6). » Sed notandum quod eumdem imbrem non vehementem, sed *vehementissimum* vocat. Imber vehemens, est vis magna ; imber vero vehementissimus, vis et immensitas prædicationis. Vehemens namque imber est, cum prædicatores sancti credi æterna suadebant. Imber autem vehementissimus, cum propter spem admonebant rem deseri, cuncta visibilia propter invisibilia contemni. Sequitur : *Et viam sonantis tonitrui.* — Quid enim per tonitruum, nisi prædicatio superni terroris accipitur? quem terrorem, dum percipiunt, humana corda quatiuntur. Aliquando vero in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur. Quia antiquorum Patrum Propheta ad nostram notitiam quasi ex nubium concussione prolatus est, qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erat, terribiliter sonuit. Unde apostoli « Boanerges, id est, filii tonitrui (*Marc.* III, 17) » vocati sunt. Ali-

A quando ipsa ejus prædicatio accipitur, per quam supernorum judiciorum terror auditur. Incassum quippe prædicatio audientis aure percipitur, quæ perveni ad intima surdo corde perhibetur. Sed quia Dominus viam sanantis tonitrui dare asserit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit : hinc Paulus ait : « Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui, ad loquendum mysterium Christi (*Col.* IV, 3). » Sequitur :

Vers. 26. *Et plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.* — Super terram absque homine in deserto pluere est, verbum Dei gentilitate prædicare, quæ, dum nullum cultum divinitatis tenuit, nullam in se
B speciem boni operis ostendit. Videlicet desertum fuit, in qua quia legislator non fuit, et quia rationabiliter Deum quærere non fuit, quasi hominum nullus fuit, et velut solis bestiis occupata vacua a mortalibus exstitit. De hac deserta terra alias dicitur : « Posuit flumina in desertum (*Psal.* CVI, 33). » Bene autem postquam æstus super terram divisus est, cursum vehementissimum imber accepit, ut in desertum plueret, quia postquam in Judæa asperitas persecutionis inhorruit, ad Israel missus quisque prædicator ad vocandas gentes deflexit. Unde sancti apostoli dicunt : « Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.*
C XIII, 46). » Sequitur :

Vers. 27. *Ut impleret inviam et desolatam.* — Quid vero complura reddidit, demonstratur, cum illico adjungitur : *Et produceret herbas virentes.* — Invia namque gentilitas fuit, ad quam via Dei verbo non patuit. *Desolata* etiam recte vocata est, vel ratione consilii, vel fructu boni operis destituta. Sed *desolata* impleta est cum exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, ut corda gentilium arentia virescerent, clausa patescerent. In Scriptura enim sacra aliquando herba viror gloriæ temporalis accipitur, sicut Propheta ait : « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat (*Psal.* LXXXVI, 6). » Aliquando refectio diaboli, sicut de illo a Domino dicitur : « Huic montes herbas ferunt (*Job.* XL, 15). » Aliquando sustenta-
D tio prædicatorum, ut illud : « Producit in montibus fenum et herbam servituti hominum (*Psal.* CXLVI, 8). » Aliquando bona operatio, sicut scriptum est : « Germinet terra herbam virentem (*Gen.* I, 11). » Aliquando æternæ vitæ scientia designatur, sicut per Jeremiam dicitur : « Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum quia non erat herba (*Jer.* XIV, 6). » Significat Judæorum persecutionem. Ipsa dracones virulenta cogitatione steterunt in rupibus, non in Deo, dicentes : « Non habemus regem, » etc. (*Joan.* XIX, 15). Ventum elationis traxerunt oculi, id est, spes eorum temporalia diligens corruit, herba defecit, quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia. Sed hoc in loco virentes

herbas, sanctæ doctrinæ scientiam vel congruas operationes accipimus, quia dum sanctæ prædicationis imbrem gentilitas percipit, et vitæ opera et doctrinæ verba germinavit. Hinc Propheta ait : « In cubilibus, in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami et junci (*Isa.* XXXV, 7). » Ubi in calamo, scriptores ; in junco, auditores designavit ; in draconum cubilibus, populum, quem hostis malitia possidebat. MORALITER. Deserta terra sunt, qui fidei nomine censentur, verba vitæ audiunt auribus, sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt. Quæ scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret, et nullus mortalium in hac terra commuratur, quia et si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt. Sed dum misericors imbri suo cursum dare designatur, compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt. Et implet terram *inviam,* quia dum præbet auditum verbo, cumulatur mysterio. *Et producit herbas virentes,* quia per gratiam compunctionis verba non solum libenter accipit, sed etiam ubertim reddit, ut quod audire non poterat. Jam loqui concupiscat. Hinc scriptum est : « Emitte Spiritum tuum et creabuntur, » etc. (*Psal.* CIII, 30.) Sequitur :

VERS. 28. *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris ?* — Ac si diceret : Nisi ergo, qui siccam terram humani cordis guttis scientiæ gratuitæ spargo ? De hac enim pluvia alias dicitur : « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, » etc. (*Psal.* LXVII, 10.) *Pater pluviæ* Deus dicitur, quia superna nobis prædicatio non de nostro merito, sed de ejus gratia generatur. Stillæ enim roris ipsi sancti prædicatores sunt, qui arva pectoris nostri inter mala vitæ præsentis, quasi tenebras siccæ noctis arentia gratia supernæ largitatis infundunt. De his stillis contumaci Judææ dicitur : « Propterea prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit (*Jer.* III, 3). » Rorem aspergebat Paulus cum Corinthiis diceret : « Non enim judicare me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2) ; » et rursum pluviam manavit dicens : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (*II Cor.* VI, 11). » Hinc Moyses ait : « Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea (*Deut.* XXXII, 2).» Sequitur :

VERS. 29. *De cujus utero egressa est glacies ? et gelu de cœlo quis genuit ?* — Quid enim aliud in gelu vel glacie, nisi frigida et perfidiæ torpore constricta accipimus corda Judæorum ? Qui quondam per acceptionem legis, per mysteria, sacrificia ; vel prophetiæ sic intra sinum gratiæ quasi intra uterum Creatoris habebantur ? Sed quia veniente Domino constricti frigora perfidiæ, fervorem fidei et charitatis amiserunt a secreto gratiæ sinu projecti, quasi glacies de utero Creatoris egressi sunt. Per cœlum autem vita sublimis sanctorum intelligitur, cui cœlo dicitur : « Attende cœlum, et loquar (*Isa.* LXVI, 1). » Hinc Dominus ait : « Cœlorum mihi sedes est (*Ibid.*).» De qua sede alias scriptum est : « Anima justi sedes est sapientiæ. » Quia ergo sapientia est Deus, sedes Dei cœlum est, anima justi sedes sapientiæ. Cœlum est utique anima justi. Cœlum fuit Abraham, Isaac et Jacob. Sed quia persecutores Domini pontifices Judæorum, perfidiæ torpore frigidi, de illorum patrum progenie processerunt, quasi de cœlo gelu exiit. Quod tamen gelu idcirco nobis Dominus genuisse se dicit, quia Judæos quos naturaliter ipse bonos condidit, justo judicio pro eorum malitia frigidos a se exire permisit. Dominus enim auctor est naturæ, non culpæ. Aliter : In gelu et glacie Satan, nihil obstat intelligi. Ipse quippe quasi de Deo vero glacies processit, quia a calore secretorum ejus malitiæ torpore frigidus magistor iniquitatis exivit. Ipse gelu de cœlo est genitus, quia constricturus corda reproborum, a summis cadere est promissus [permissus] ad ima. MORALITER. Mentes namque hominum omnipotens Deus dum timore format, quasi concipit, easque ad apertas virtutes dum provehit, gignit ; sed si de acceptis virtutibus extolluntur, relinquit. Quasi enim de Dei utero glacies egreditur, quando hi qui jam intus incaluerunt ex virtutum dono frigescunt, et inde exteriorem gloriam torpentes appetunt. Unde ad interna diligenda ardentius flagrare debuerunt. Hanc glaciem nunc in utero Dominus portat, quia intra sinum sanctæ Ecclesiæ tolerat, sed per extremum et publicatum judicium hanc repellet, dicens : « Nescio vos unde sitis, discedite a me, omnes operarii iniquitatis (*Luc.* XIII, 27).» Cœlum utique sacrum eloquium intelligitur, quod diem nobis intelligentiæ aperiens Sole nos justitiæ illustrat. Quod dum nos vitæ præsentis nox continet, stellis nobis mandatorum fulget. Sed quia « oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant (*I Cor.* XI, 9), » sancta Scriptura eos qui se superbire appetunt, atque exteriores favores per illam sequuntur, a se frigidos emittit, qui dum a superna intelligentia respondentes eloquiis et obdurati, ipsi seducunt cæteros, corruunt ad ima venientes, et gelu sunt, et alios astringunt, duratusque in ima corruit, qui ad cognitionem Dei prius tractabilis in summis et liquidus stabat. Dominus tamen hoc gelu gignere perhibetur, non quo pravorum mentes ipse ad culpam formet, sed quo a culpa non liberat. Sicut scriptum est : « Ego obdurabo cor Pharaonis (*Exod.* IV, 21).» Potest et in bonam partem nobis ejus intelligentia sine obstaculo difficultatis intelligi. Tarra enim si post jactatum semen compluitur, irrigatur : quam si immoderatus (63) accipit, pinguedinem frumenti virtutemque mutat : sed si pluvia gelu premitur, quo vetatur semen progredi foras, cogitur intus radicari ac multiplicari. Quid ergo est, Dominus prius quidem patrem se pluviis insinuat, postmodum vero de suo utero egredi glaciem narrat, seque gelu gignere de cœlo pronuntiat, nisi quod miro modo Dominus pectoris ter-

(63) Oratio fortassis congruentior : *quæ si immoderatius.*

ram ad suscipienda verbi semina, et prius per occultam gratiam compunctionis pluviam infundit, et postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat disciplina intimæ dispensationis premit? Ut quum perceptæ gratiæ pluvia irrigat, etiam disciplinæ rigor astringat, ne si aut antequam debet aut plusquam necesse est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat. Videamus, Paulus, infusa videlicet terra, quid ait: « Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio (*Rom.* VII, 17).» Et rursum: « Ut non quæ vultis illa faciatis (*Gal.* V, 18). » Potest etiam in gelu vel glacie præsentis vitæ adversitas designari, quæ dum sub asperitate sua sanctos comprimit, valentiores reddit. Miro quippe consilio Dominus electos quoque in hac vita tanquam in hieme adversa ventorum et frigora tolerare permittit, ut velut in æstiva serenitate postmodum fructus, quos hic conceperunt, demonstrent. Unde sponsi voce unicuique animæ dicitur: « Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni; jam enim transiit hiems, imber abiit et recessit (*Cant.* II, 10, 11). » Sequitur:

VERS. 30. *Ipsi in similitudinem lapidis aquæ durantur.* — Aquas apostolos accipimus, lapis vero pro ipsa duritia aliquando gentiles populi designantur. Ipsi quippe lapides coluerunt, et de eis dictum est: « Similes illis fiant qui faciunt ea (*Psal.* CXIII, 8). » Quia ergo primum Judæa Deo credidit, gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente; postmodum vero ad fidem gentilium corda mollita sunt, et Judæorum infidelitas obdurata, benedicitur: *Aquæ in similitudinem lapidis duratur.* Hinc Paulus gentibus dicit: « Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, pro illarum incredulitate; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequamur. Conclusit enim Deus omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur (*Rom.* XI, 30-32). » Aliter: Per aquam populos, per lapidem vero ejusdem Satan duritia designatur. Illo igitur ad ima veniente, in similitudinem lapidis aquæ duratæ sunt, quia ejus malitiam imitati homines, mollia viscera charitatis amiserunt. MORALITER. Aquæ enim per glaciem in superficiem durescunt, sed fluida in intima remanent. Et quid per aquas nisi fluxa accipimus corda reproborum? Quæ cum et proposito virtutem deserunt, fortasse in bonis operibus per hypocrisim ostendunt, dumque in intimis suis ad vitia defluunt, et fortassis imitatores sanctorum se fingunt, *quæ in similitudinem lapidis durantur.* Aliter: Quia fluxæ cogitationes interius lacescunt, nequaquam tamen usque ad consensum pravi operis trahunt: sed mens vivendi consuetudine quasi sub quadam duritia abscondit, quidquid intus ex tentationis pulsante mollescit. Mentes enim quæ per prospera molliter fuerint liquidæ, constrictæ adversitatibus durescunt, et ad *similitudinem lapidis* aqua perducitur, quando infirmus quisque per acceptam desuper tolerantiam, passiones sui Redemptoris imitatur. *In similitudinem* quippe *lapis* induraverat, qui dicebat: « Impleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea (*Col.* I, 24).» Sequitur: *Et superficies abyssi constringitur.* — Quia super tecto quodam ignorantiæ vestræ velamine, incomprehensibilitas divini judicii humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Scriptum quippe est: « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7).» Aliter: Aliud quidem Satanæ, intrinsecus latet, atque aliud intrinsecus ostendit. « Transfigurat enim se velut angelum lucis (*II Cor.* XI, 14), » quia dum quasi bona persuasionis ejus species, velut solida desuper glacies ostenditur, in profundum latens ejus malitia non videtur. MORALITER. *Superficies abyssi constringitur,* quia superductam sanctitatis speciem fluxa ac instabilis eorum conscientia hominibus tegitur. Nam cum sibimetipsis turpes sint intrinsecus, ante alienos tamen oculos quadam vivendi venustate vestiuntur. Aliter: Quia prava cogitatio etsi usque ad suggestionem venit, usque ad consensum non prosilit, quia fluctuantes motus animi superductus rigor sanctæ liberationis premit. Solet enim lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere; adversa vero cum nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt. Post gelu itaque vel glaciem *superficies abyssi constringitur,* quia mens nostra ad conservanda profunda dona quæ acceperit, ipsis adversitatibus munitur. Hanc abyssum tegebat Isaias dicens: « Secretum meum mihi (*Isa.* XXIV, 16). » Et Paulus; « Parco autem ne quis existimet supra id quod videt et audit aliquid ex me (*II Cor.* XII, 6). » Sequitur:

VERS. 31. *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* — Pleiades stellæ apo tu plistu [ἀπὸ τοῦ πλείστου], id est, a pluritate vocatæ sunt; ita autem vicinæ sibi et divisæ sunt conditæ, ut et simul sint, et tamen conjungi nequaquam possint. Arcturus vero ita nocturna tempora illustrat, ut in cœli axe positus per diversa se vertat, nec tamen occidat. Quid enim micantes Pleiades, quæ et septem sunt, alios quam sanctos omnes denuntiant, qui inter præsentis vitæ tenebras, spiritu septiformis gratiæ nos lumine illustrant? Quia ab ipsa mundi origine usque ad ejus terminum diversis temporibus ad prophetandum sunt missi, juxta aliquid sibi conjuncti sunt, et juxta aliquid non conjuncti. Conjuncti per intentionem mentis, et disjuncti sunt per divisionem suæ imaginis, quam diversis temporibus Abel, Isaias, et Joannes apparuit. Divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione, quia et confessione vocis et virtutum sibi unanimitate junguntur. In Arcturo autem, qui per gyrum suum nocturna spatia non cassurus illustrat, nequaquam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ecclesia designatur; quæ fatigationes quidem patitur, nec tamen ad defectum prostrata inclinatur. Dum enim sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur, præsentis vitæ umbra terminatur, eaque stante nox præterit, quia illa in sua

incolumitate perdurante, mortalitatis hujus vita percurrit. Aliter : Arcturus in septem quidem stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, quatuor ad ima; et quatuor superius erigit, et tres inferius premit. Sancta quoque Ecclesia cum modo infidelibus Trinitatis notitiam, modo autem fidelibus virtutes quatuor, id est prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam, prædicat quasi rotata prædicationis status sui speciem quodammodo immutat. Nam cum confidentiam proprii laboris evacuat, et fidem Trinitatis exaltat, tres Arcturus stellas elevat et quatuor inclinat. Hinc Paulus ait : « Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV, 2, 3). » Et cum desolata fide præsumere prohibet, sed operari enixius quæ præcepta sunt jubet, non quatuor, sed tres deponit. Hinc Jacobus ait : « Sicut corpus sine spiritu emortuum est, ita et fides sine operibus mortua est (*Jac.* II, 26). » Arcturus itaque volvitur, quia sancta Ecclesia juxta auditorum suorum mentes in diverso latere prædicationis arte versatur. Sed hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia labores Ecclesiæ ad requiem permutat. Tunc et pleiades plenius junget, quia nimirum sancti omnes etiam visionis specie sibi copulantur, quando in fine mundi sancta Ecclesia ab his quos nunc sustinet, laboribus solvitur. Potest igitur per Arcturum, quia a plaga frigoris nascitur, lex ; per Pleiades vero, quæ ab oriente surgunt. Testamenti Novi gratia designari. Quasi enim ab Aquilone lex venerat, quæ tanta subditos rigiditatis asperitate terrebat. Nam dum pro culpis suis alios præciperet lapidibus obrui, alios gladii morte mulctari, plaga torpens, et velut a sole charitatis aliena præceptorum suorum semina plus premebat ex frigore quam ex calore nutriebat. Hinc Petrus ait : « Quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ? » (*Act.* XV, 10). Per septem nimirum stellas Testamentum exprimitur Vetus, quasi in veneratione legis dies septimus, et per hebdomadam integram constituti sacrificii vota tendebantur. Pleiades vero, quæ septem sunt, Testamenti Novi gratiam designant; per illud enim fideles suos septiformis muneris limine illustrat. Quia igitur se Arcturus vertit, Pleiades ostendit, quia per omne quod Testamentum Vetus loquitur, Testamenti Novi opera nuntiatur. Redemptor autem noster in carne veniens Pleiades junxit, quia operationes septiformis Spiritus simul in se et junctas et manentes habuit. De quo per Isaiam dicitur : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 1). » De quo Zacharias ait : « Super lapidem unum septem oculi sunt (*Zach.* III, 9).» Dum Pleiades jungit. Arcturi gyrum dissipat, quia dum semetipsum factum hominem habere conjunctas sancti Spiritus operationes innotuit, in Testamento Veteris litteræ laborem solvit ut fidelis quisque jam cum libertate spiritus illud intelligat, cui prius in formidine inter tot discrimina serviebat. Sequitur :

VERS. 32. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo?* — Pater quippe in suo tempore Luciferum produxit, quia sicut scriptum est : « Cum venerit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*Gal.* IV, 4, 5). » Qui natus ex virgine velut Lucifer in tenebris nostræ noctis apparuit, quia, fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nuntiavit. Luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore luminis mortalitatis nostræ terram caliginem expressit. Hinc Joannes ait : « Stella splendida et matutina (*Apoc.* XXI, 16).» Sequitur : *Et vesperum super filios terræ consurgere facis?* Vesperum vero Dominus consurgere facit, quia infidelibus Judæorum cordibus dominari Antichristum, eorum merito exigente, permittit. Terrena quippe et non cœlestia requirentes, sponte filii terræ esse voluerunt, et ad percipiendam luciferi nostri claritatem cæcati sunt. Hinc Dominus ait « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me, alius veniet in nomine suo, et illum accipietis (*Joan.* V, 43). » MORALITER. Electis Lucifer oritur, et vesperum reprobis Deo permittente dominatur. Unus enim atque idem sermo Dei est in ore prædicantis. Quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, claritatem sibi Luciferi in Vesperi tenebras vertunt. Hinc Paulus ait : « Christi bonus odor sumus Deo in his qui saluti fiunt, et in his qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam (*II Cor.* II, 15, 16). » Sequitur.

VERS. 33. *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terram?* — Ordinem cœli nosse est, supernarum dispositionem occultas prædestinationes videre. Rationem vero ejus in terram ponere est ante humana corda talium secretorum causas aperire, supernorum judiciorum mysteria, vel considerando discutere, vel loquendo manifestare, quod utique facere in hac vita nullus potest. Quis intelligat cur vivit alius insidians proximis, et moritur alius qui profuturus vitæ esset multorum? Ad cognoscendos quippe istos judiciorum secretorum sinus nullus ascendit.

# LIBER TRICESIMUS.

VERS. 34 *Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?* — Vocem quippe suam Dominus in nebulam levat, quando prædicatorum suorum linguas ad caliginosa corda infidelium

exhortatione format, eumque aquarum impetus operit, dum bene agentia membra ejus turba resistentium premit. Hinc enim scriptum est: « Factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: « Ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut « adorent in domo Domini, universos sermones « quos ego mandavi tibi, ut loquaris ad eos, noli « subtrahere verbum: si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala, et pœniteat « me mali quod ego cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. Et dices ad eos: Hæc « dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos « ego misi ad vos de nocte consurgens et dirigens, « et non audistis. Dabo domum istam sicut Silo, et « urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. Et audierunt sacerdotes et prophetæ, et omnis populus Jeremiam loquentem verba « hæc in domo Domini. Cumque complesset Jeremias loquens omnia quæ præceperat ei Dominus « ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetæ et omnis « populus dicens: Morte moriatur. Quare prophetavit in nomine Domini? » (*Jer.* XXVI, 2, 9). Per semetipsum quoque Dominus *in nebulam* voce levavit, quando præsentem se etiam assumpto corpore exhibens, veritatem suam non secuturis infidelibus quando per caliginem sonuit dicens: « Ego et pater unum sumus (*Joan.* X, 30); » et: « Antequam Abraham fieret ego sum (*Joan.* VIII, 58). » Sed eum protinus *aquarum impetus* operuit, quia contra illum mox sæviens populorum turba surrexit. Scriptum quippe est: « Propterea ergo quærebant eum Judæi occidere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*Joan.* V, 18). » De hoc aquarum impetu per Prophetam clamat: « Circumdederunt me sicut aqua tota die (*Psal.* LXXXVII, 18); » et: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII, 2). » MORALITER. Quanquam fideles sumus dum quibusdam supervacuis curis premimur, obducta confusione caligamus. Et cum nobis etiam talibus mira quædam Dominus de se sentienda insinuat, quasi *in nebulam vocem levat*, dum caliginosis nostris mentibus semetipsum loquitur, velut in nebula is qui non cernitur, auditur. Cum enim cæcis nostris mentibus subtilia de seipso insinuat, *in nebulam vocem levat*. Cum vero tentatione vitiorum ipse de Deo noster intellectus opprimitur, quasi *aquarum impetu* in voce sua Deus operitur. Tot enim super illum aquas admittimus, quot post inspirationem ejus gratiæ cogitationes illicitas in corde versamus. Sequitur:

VERS. 35. *Nunquid mittes fulgura et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?* — Fulgura quippe ex nubibus exeunt, sicut mira opera ex sanctis prædicatoribus ostenduntur. Nubes quippe ideo vocari solent, quia et coruscant miraculis, et verbis pluunt. Hinc scriptum est: « Fulgura multiplicabis

A et conturbabis ea (*Psal.* XVII, 15). » Vadunt enim fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant, et superna revertentia corda transfigunt. Revertuntur, cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est enim Deo dicere, *Adsumus*, nisi illi laudem tribuere gratiæ, a quo se accepisse sentiunt victoriam pugnæ? Fulgur quippe ibat cum Petrus diceret: « Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi dabo. In nomine Jesu Christi surge et ambula (*Act.* III, 6). » Fulgur autem redit cum ait: « Quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute et pietate fecerimus hunc ambulare? » et reliqua (*Act.* III, 12). Aliter: Fulgura, id est, sancti viri mittuntur et eunt, cum a secreto B contemplationis ad publicum operatio exeunt, cum ab abscondito speculationis intimæ, in activæ vitæ latitudine diffunduntur; sed revertuntur, quia post opera exteriora quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris sui flammam reficiant, et quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant. Unde Salomon ait: « Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant (*Eccle.* I, 7), » quia enim corda audientium rigant, flumina, quia vero accendunt, fulgura memorantur. Hinc enim dicitur: « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ (*Psal.* XCVI, 4). » Illinc: « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt voces suas (*Psal.* LXXXVIII, 26). » *Adsumus*, namque dicere est præsente se amando monstrare. Sequitur:

C VERS. 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* — In galli nomine prædicatores sancti designantur, qui inter tenebras vitæ præsentis student lucem venturam prædicando, quasi cantando nuntiare. Dicunt enim: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 11); » et: « Hora est jam nos de somno surgere (*Ibid.*, 12). » De hoc gallo alias dicitur: « Tria sunt, quæ bene gradiuntur, et quartum quod incendit feliciter: leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, gallus succinctis lumbis, et aries, nec est rex qui resistat ei (*Prov.* XXX, 29, 30, 31). » Ubi leo, Christus accipitur, gallus prædicatores, et aries ecclesiarum præpositi designatur: quartum feliciter incedens, D Antichristus est prospera cuncta tenens. Notandum quod sapientia divinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum electis non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, et juxta quod loquitur lingua, loquitur conscientia. Gallo itaque intelligentia datur, quia doctori veritatis discretionis virtus ut noverit quibus, quando, vel quomodo inferat divinitus monstratur. Non enim cunctis una eademque exhortatio convenit. Solet enim gallus profundioribus horis noctis, valentiores ac productiores edere cantus, luce vero propinquante, minores ac minutiores omnino voces format. Sic quippe prædicatores iniquis adhuc mentibus faciunt, dum magnis vocibus æterni judicii terrores intimant. Illustratis vero

mentibus non tam ea quæ sunt pœnæ terribilia, sed ea etiam quæ sunt præmiis mitiora prædicant. More etiam galli sancti se prædicatores prius excutiunt, et sic alios sollicitos reddunt : prius enim sua punire fletibus student, et tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Sequitur :

Vers. 37. *Quis enarravit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire facit ?* — Quid enim cœlorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum ? Per cœli vero concentum, concors prædicantium sermo signatur. Conditor igitur noster cum cœli rationem enarrare cœperit, *Dormire concentum cœli facit*, quia cum, jam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc Jeremias ait : « Non docebit ultra proximum suum, et vir fratrem suum dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus (*Jer.* xxxi, 34). » Vel certe cœlorum ratio est ipsa vivificatrix virtus, quæ spiritus format angelorum. Dominus enim sicut est causa causarum, sicut vita viventium, ita etiam ratio rationabilium creaturarum. Tunc ergo cœlorum rationem narrat, cum semetipsum nobis clara visione manifestat. Unde in Evangelio dicit : « Venit hora cum jam non in parabolis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis (*Joan.* xvi, 25). » Moraliter. *Cœlorum rationem* Dominus narrat, dum nunc insinuando superna secreta, electorum suorum mentes illuminat ; *concentum* vero *cœli dormire facit*, dum concordes hymnos angelorum, atque illa cœlestium virtutum gaudia reproborum cordibus justo judicio abscondit. Qui concentus cœli, quamvis intrinsecus in se vigilet, in ipsa tamen reproborum ignorantia extrinsecus dormit. Narratur ergo secreti cœlestis ratio, et tamen concentus cœli dormire permittitur, quia et aliis per inspirationem supernæ retributionis scientia panditur, et aliis quæ sit internæ laudis suavitas occultatur. Concentus enim supernæ laudis in aure illius proruperat, qui dicebat : « Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei (*Psal.* xli, 5). » Sequitur :

Vers. 38. *Quando fundebatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur.* — More enim suo, quæ adhuc futura sunt, quasi jam præterita divinus sermo describit. De eo quippe dicitur : « Qui fecit quæ futura sunt. » Pulvis itaque tunc in terra fundatur, quia in solida membra reducitur ; glebæ compinguntur, quia nimirum firma corpora ex pulvere collecta consurgunt. Moraliter. Quid in pulvere, nisi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere solidati, cujuslibet tentationis flatu rapiuntur ? De quibus scriptum est : « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, » et reliqua (*Psal.* i, 4). Pulvis ergo in terra fundatus est, cum peccatores vocati, in Ecclesiam traditi, fidei sunt ratione solidati, ut immobiles postmodum contra testamenta consisterent. In hac itaque terra glebæ compactæ sunt, quia vocati peccatores, A et per sancti Spiritus gratiam infusi, in collectione sunt charitatis uniti. Hinc enim scriptum est, quia « erat in eis cor unum et anima una » in Domino (*Act.* iv, 32). Has etiam glebas in Ecclesia ex diversitate meritorum distinguere valemus. Nam dum alius est ordo prædicantium, alius auditorum, alius continentium, alius virginum, alius pœnitentium, quasi ex una terra e diversa glæbarum forma distincta, dum in una fide, in una charitate disparia demonstrantur. Sequitur :

Vers. 39. *Nunquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum ejus implebis ?* — Ista nimirum illa leæna est de qua Job dixerat : « Non calcaverunt ea filii institorum, nec pertransibit per ea B leæna (*Job.* xxviii, 8). » Huic ergo leænæ prædam Dominus capit, ut animam catulorum ejus impleat, quia ad augmentum hujus Ecclesiæ innumeros de gentilitate diripuit, et per animarum lucrum esurientium apostolorum vota satiavit. Ipsi quippe catuli pro meritis teneritudine et formidinis infirmitate vocati sunt, qui passo Domino clausis foribus residebant. Sicut de illis scriptum est : « Cum esset sero die illa una Sabbatorum, et fores essent clausæ, » et reliqua (*Joan.* xx, 19). Et hæc quidem facta a sanctis apostolis novimus, hæc nunc etiam fieri a rectis doctoribus scimus. Ipsi enim subsequentium populorum patres sunt, tamen præcedentium filii. Unde et non immerito catuli dicuntur. Vel certe, quia etsi quorumdam magistri sunt, universalis tamen Ecclesiæ esse C discipuli gloriantur. Leænæ itaque Dominus prædam capit, quia virtute suæ inspirationis ab errore vitam delinquentium diripit, et animas catulorum ejus replet, quia conversatione multorum piis doctorum desideriis satisfacit. Sequitur :

Vers. 40. *Quando cubant in antris, et in specubus insidiantur.* — Cum enim nequaquam sancti apostoli, contra membra diaboli in voce liberæ prædicationis exurgerent, adhuc contra adversarios suos quasi in antris insidiabantur. Clausis quippe foribus quasi in quibusdam additis specubus suis catuli rapturi mundum cubant, ut animarum prædam postmodum præsumentes diripe- D rent. Horum primo illi catulo esurienti, sed etiam valentius tensa per linteum gentilitate, quasi monstrata præda dicitur : « Macta et manduca (*Act.* x, 13). » Aliter : Doctores etenim sancti quando et arguenda conspiciunt, et tamen per silentium in cogitationibus retinent, quasi in specubus latent ; et velut in antris se contegunt, quia in suis cordibus occultantur. Sed cum opportunum tempus invenerint, repente prosiliunt, et nulla quæ dicenda sunt reticent, et cervicem superbientium morsu asperæ increpationis tenent : neque enim cuncta tempora doctrinæ sunt congrua. Sequitur :

Vers. 41. *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Dominum ?* — Quid enim corvi pullorum nomine, nisi peccati nigra

gentilitas designatur? De qua per Prophetam dicitur : « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum, » et reliqua (*Psal.* CXLVI, 9). Iste corvus esca fuit, dum ipsam Ecclesiam quæreret, sed nunc escam accipit, quia ipse ad conversionem alios exquirit, cujus videlicet pulli, id est, prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui ; et quamvis animarum piis vocibus esuriant, nihil tamen sua virtute posse sciunt : « Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III, 7). » Sequitur : *Vagantes eo quod non habeant cibos.* — In hac vagatione nil aliud quam æstuantium prædicatorum vota signantur, qui dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad nos, nunc ad illos colligendos desiderium mittunt. Quasi quædam quippe vagatio est ipsa cogitationis æstuatio. Sic quippe Paulus transire ad alia ex aliis appetit, quia ipsa eum quæ implet charitas impellit. Retentus Ephesi, Corinthiis scribit : « Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos (*II Cor.* XII, 14). » Rursum Ephesi commorans, Galatis loquitur dicens : « Vellem modo esse apud vos, et mutare vocem meam (*Gal.* IV, 20). » Potest etiam corvi nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Judaica designari. Pulli nimirum sancti apostoli sunt, plebis Israeliticæ carne generati ; qui dum pro gente sua ad Dominum preces funderent, quasi pulli corvorum eum de quo carnaliter editi sunt spiritali intelligentia parentem populum paverunt. Igitur dum *pulli clamant*, corvo esca præparatur, quia dum apostoli exorant, plebs dudum perfida ad cognitionem fidei ducitur, et ex prædicatione filiorum, dum Judæa audiens modo in tribus millibus (*Act.* II, 41), modo in quinque millibus (*Act.* IV, 4), spirituali est intelligentia satiata. Sed vagantes pulli corvo huic esurientes quæsierunt escam, quia, Judæa credere nolente, apostoli in universam, mundi partem dispersi sunt, dicentes resistentibus : « Vobis quidem primum oportuerat loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Tuncque corvus escam invenit, quia conversa gentilitate Judaicus populus ad extremum stultitiam suæ infidelitatis relinquet. Sicut scriptum est. « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25, 26). » MORALITER. Corvus editis pullis, ut fertur, escam plene præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant. Corvus profecto est doctus quisque prædicator, peccatorum suorum nigredinem menti reducens, cui quidem nascuntur in fide discipuli ; sed fortasse dum a peccatis præteritis memoriam avertunt, humilitatis nigredinem non ostendunt, quibus discretus doctor sublimia discere quærentibus interna mysteria non ministrat. Si vero in confessione vitæ præteritæ lamenta sui gemitus velut nigrescentes plumas proferant, illico esurientibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat.

A Sed, dum pulli, ut salventur, clamant, corvo esca præparatur, quia dum verbum Dei boni auditores esuriunt, proficiendis eis majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. Sequitur :

## CAPUT XXXIX.

VERS. 1. *Nunquid nosti tempus partibus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?* — Meridiana pars ibices aves vocat, quæ Nili fluenta inhabitant. Orientalis vero Occidentalisque plaga, parva quadrupedia Ibices nominant, quibus et moris est in petris parere, qui casu ruentes, suis se cornibus illæsi suscipiunt. Cervorum vero mos est serpentes exstinguere, et flumina transeuntes capitum onera vicissim ferre. In cervis vero vel ibicibus, magistrorum spiritualium persona signatur,
B qui in petris pariunt, dum in doctrina Patrum, qui petra pro soliditate vocati sunt, ad conversionem animas gignunt, ipsi nullius casus damna sentiunt, quia quidquid eis ruinæ temporalis accesserit, geminis se in Testamentis suscipiunt. De quibus dicitur : « Cornua in manibus ejus (*Habac.* III, 4). » His se excipiebat cornibus Paulus dicens : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, » etc. (*Rom.* XV, 4.) Ipsi etiam cervi vocati sunt. Ut illud Jeremiæ : « Cerva in agro peperit et reliquit (*Jer.* XIV, 5). » Ipsi more cervarum interemptis vitiis quasi serpentes vivunt, et ad fontem vitæ acrius inardescunt. Hinc scriptum est : « Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, etc. (*Psal.* XLI, 2.) Ipsi dum
C labentia hujus temporalitatis momenta quasi quædam flumina transeunt compatientes charitate, onera sua invicem portant, implentes quod dictum est : « Invicem onera » vestra « portate, » etc, (*Gal.* VI, 2.) Quia vero post adventum Domini spiritales magistri per mundum sparsi sunt, ut animas in fide prædicando gignere potuissent, et quia tempus incarnationis Domini ante prophetarum voces cognitum non fuit, quamvis ipsa futura incarnatio præcognita omnibus electis fuerit, bene beatus Job de tempore partus ibicum, cervarum discutitur. Possunt vero cervarum significatione doctores, appellatione ibicum auditores intelligi. In petris vero ibices pariunt, quia ad exercenda sancta opera, per exempla Patrum præcedentium
D fecundantur, ut cum fortasse præcepta sublimia audiunt, et infirmitatis propriæ conscii eos implere posse diffidunt, majorum vitam conspiciunt, atque in eorum considerata fortitudine bonorum operum fetus ponant, verbi gratia : Verborum contumeliis pressus, cum virtutem patientiæ servare non sufficit, David factum ad memoriam reducat. Parturientes enim cervas observare est, ipsos labores Patrum, qui spiritales filios genuerant, cauta consideratione pensare. Cauta quippe se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in præceptis compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi. Qui per vigorem disciplinæ Patres sunt per pietatis viscera esse matres noverunt, quia labores sanctæ conceptionis tolerant, et proferendo

Dei filios intra uterum charitatis portant. Sequitur:

VERS. 2. *Si numerasti menses conceptus earum.* — Subaudis, ut ego, qui in sanctis prædicatoribus non solum fructus exterioris operis, sed ipsas diutinas cogitationes numero, quia ad retributionem servo. Sancti enim viri cum de profectu auditorum cogitant, quasi jam in uterum conceptum portant; sed, cum nonnulla, quæ dicenda sunt, differunt, et aptum suis exhortationibus tempus quærunt, veluti aperto, quem fieri appetunt, in mensium prolixitate dilatantur. Possunt per menses, quia congesti dies sunt, etiam multiplicatæ virtutes intelligi. In mensibus quoque luna renascitur, nihilque obstat si per menses novæ regenerationis creatura signetur. De qua Paulus apostolus ait: « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura (*Gal.* VI, 15), Sancti igitur cum se ad prædicandum parant, prius se interius virtutibus innovant, ut ad hoc quod loquendo docent, vivendo concordent. Curant summopere ut contra iram, patientiam, contra luxuriam, cordis munditiam ponant, sicque in conspectu sanctæ prædicationis menses virtutum fiunt, quos tamen menses Dominus solus dinumerat, qui eadem bona in eorum cordibus nonnisi qui dedit, pensat. Sequitur: *Et scisti tempus partus earum?* — Subaudis, ut ego, qui, dum in cogitatione virtutum menses dinumero, quando hoc, quod implere appetunt, parere valeant, scio. Sequitur:

VERS. 3. *Incurvantur ad fetum, et aperiunt* [*pariunt*], *et rugitus emittunt.* — Mugiunt quippe, dum per incurvationem suam in conversatione lucis auditorum animas gignunt: quia ab æternis suppliciis nos removere, nisi flendo et dolendo non possunt. Hinc Paulus dicebat: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Gal.* IV, 19); » et: « O insensati Galatæ, » etc. (*Gal.* III, 1). Notandum vero est quod incurvantur istæ cervæ ut pariant, qui ab immensitate contemplationis intimæ, ad infirmitatem nostram condescendunt. Hinc Paulus ait: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III, 1, 2). » Sequitur:

VERS. 4. *Separantur filii earum; pergunt ad pastum, egrediuntur et non revertuntur.* — Pastum Scriptura sacra illud viriditatis æternæ pabulum vocat. Unde Psalmista ait: « Dominus regit me, etc. (*Ps.* XXII, 1) et rursum: Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Ps.* XCIX, 3). » Pergunt ergo ad pastum, quia de corporibus exeuntes illa pabula internæ viriditatis inveniunt. *Et non revertuntur ad eas.* Quia in illa suscepta contemplatione jam nullatenus indigent verba audire dicentium. Hinc enim scriptum est; « Non docebit ultra quis proximum suum, et vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, » etc. (*Jer.* XXXI, 34). Et Dominus: « Palam, » inquit, « de Patre annuntiabo vobis (*Joan.* XVI, 25). » Sequitur:

VERS. 5. *Quis dimisit onagrum liberum in solitudine?* — Subaudis ut ego? Per onagrum eorum vita signatur, quia turbis popularibus remoti conversantur. Qui apte etiam liber dicitur quia magna, est servitus sæcularium negotiorum quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudetur, ac si quem semel a dominatione desideriorum colla mentis excusserit, quadam jam libertate perfruitur, ab hoc gravi jugo servitutis Dominus revocat dicens: « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis (*Matth.* II, 28). Liber ergo dimittitur, quia calcatis terrenis desideriis appetitione rerum temporalium securitatem mentis exonerat. MYSTICE. Nec indignum quis judicet per tale animal, incarnatum Dominum posse figurari, qui in Scriptura sacra vermis et scarabeus nominatur. Ut illud: « Ego sum vermis (*Psal.* XXI, 7). » Et: « Scarabeus de ligno clamavit. » Sic quippe agno et serpenti comparatur. Per hæc enim omnia dici singulariter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Potest ergo onager incarnatum Dominum designare, agri quippe est animal onager. Et quia incarnatus Dominus gentilitati magis quam Judææ profuit, quasi non in domum, sed potius in agrum venit. Hinc scriptum est: « Species agri mecum est (*Psal.* IX, 11). Et quia incarnatus Dominus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo alias dicitur: « Inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 5). » « Omnis » enim « qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Hic quippe dimissus est liber, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullumodo tenetur. Sequitur: *Et vincula ejus quis solvit?* — Subaudis, nisi ego? Solvuntur vero uniuscujusque vincula dum divino adjutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Solvit itaque Deus onagri vincula, quando ab electi uniuscujusque animo infirmarum cogitationum nodos erumpit, et propitius dissipat omne quod in electa mente ligabatur. TYPICE. Vincula Domini tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis, illius resurrectionis sunt gloria commutatæ. Esurire enim, sitire, lacessere, teneri, flagellari, crucifigi mortalitatis nostræ vinculum fuit. Sed cum expleta morte inferni claustra patescerent, quid aliud nisi infirmitatis nostræ vincula solvebantur? De quibus vinculis Petrus ait: « Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo (*Act.* II, 24). » Sequitur:

VERS. 6. *Cui dedi in solitudine domum.* — Hoc loco solitudinem debemus intelligere corporis, an solitudinem cordis? Sed quid est solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ ac terrenorum desideriorum cogitationi se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Omnes enim mo-

tus importune se offerentium levium cogitationum quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigit manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino secretum intra se quærit, ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est : « Factum est silentium in cœlo quasi media hora (*Apoc.* VIII, 1). » ALLEGORICE. Per solitudinem gentilitas designatur, in qua dum patriarcha non fuit ad intelligendum Deum, qui ratione uteretur non fuit, homo pene non fuit. Hinc Isaias ait : « Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium (*Isa.* XXXV, 1). » Et rursum de Ecclesia dicitur : « Ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini (*Isa.* II, 3). » In solitudine ergo Dominus domum accepit, qui post mortem ac resurrectionem suam ad gratiam fidei gentilitatem vocare dignatus est. Sequitur : ***Et tabernaculum ejus in terra salsuginis.*** — Salsugo accendere sitim solet, et quia sancti viri quandiu in hujus vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderii sui quotidianis æstibus acceduntur, in terga salsuginis tabernacula habere perhibentur, sicut scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, » etc. (*Matth.* V, 6). ALLEGORICE. Terra salsuginis gentilitas intelligitur, quæ priusquam veram Dei sapientiam cognosceret, salsuginem protulerat, quia nullam viriditatem boni intellectus proferens perversa sapiebat. De qua scriptum est : « Terra fructifera a salsugine, etc. » (*Psal.* CVI, 34). Tabernaculum ergo in terra salsuginis Redemptor noster accepit, quia incarnatus pro hominibus derelicta a Deo gentilitatis corda possedit. De quo scriptum est : « Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum (*Ibid.*, 25). » Sequitur :

VERS. 7. *Contemnit multitudinem civitatis.* — Multitudinem civitatis contemnere et humanæ conversationis prava studia devitare, ut jam non libeat terrenorum hominum qui præ abundantia iniquitatis multi sunt, perditos mores imitari. Cum paucis namque ingredi angustam portam desiderant, et non cum multis læta itinera ingredi appetunt, quæ ad interitum ducunt (*Matth.* VII, 13). Unde et sponsi voce sponsæ in Canticis canticorum dicitur : « Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos (*Cant.* I, 7). » MORALITER. Contemnit multitudinem civitatis, id est mores despexit humanæ conversationis. Homo quippe inter homines factus, usum tenere hominum noluit. Idcirco namque inter nos homo factus est, ut non solum nos sanguine fuso redimeret, sed ostenso exemplo commutaret. In conversatione igitur nostra, et veniendo alia invenit, et vivendo alia docuit. Stupebant enim omnes superba Adam stirpe progeniti prospera vitæ præsentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus adversa appetens, prospera spernens opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cum Judæi illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex fugit ; cumque eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Quia ergo nova conversatione usus inter homines, quia mores secutus non est, bene de eo scriptum est : *Contemnit multudinem civitatis.* Vel certe quod multos per spatiosam viam vagantes deseruit, et per augustam gradientes paucos elegit. Multitudinem namque civitatis contemnere est, humani generis partem, quæ latam viam ingreditur, quæ et pro abundantia iniquitatis multa est, a regni sui sorte reprobare. Sequitur : *Clamorem exactoris non audit.* — Quis intelligi exactor alius potest nisi diabolus ? qui semel in paradiso homini malæ persuasionis nummum contulit, et quotidie ab eo hujus debiti exigere reatum quærit. Hujus exactoris sermo est malæ suggestionis inchoatio. Sciendum præterea est quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, ut Jonathan in gustu mellis edendi tempus antecessit (*I Reg.* XIV, 27). Aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit, sicut populus in eremo cibos carnium petiit, quos lautiores putavit (*Num.* XI, 31, 32). Aliquando quælibet sumenda sint præparare accuratius expetit, ut puer filiorum Heli, non coctas more solito de sacrificio carnes, sed crudas quærebat, quas accuratius exhiberet (*I Reg.* II, 15). Aliquando autem in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit, quælibet sumenda sint, ut illud : « Sodomæ iniquitas fuit saturitas panis et abundantia aquæ (*Ezech.* XVI, 49). » Aliquando despectus est cibus, sed avidius sumitur, ut Esau primogenitorum gloriam lenticula vendens (*Gen.* XXV, 34). Sermo ergo hujus exactoris est necessaria postulatio naturæ, clamor vero ejus mensuram necessitatis transiens, appetitus gulæ. Hic itaque onager exactoris hujus sermonem audit, clamorem non audit, quia discretus ac continens vir, et usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, et a voluptate restringit. Hinc quippe scriptum est : » Carnis curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* XXXI, 34). » MYSTICE. Hujus exactoris violentos motus Dominus non expavit adveniens, sicut ipse ait : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non inveniet quidquam (*Joan.* XIV, 30). » Venit quippe ad eum exactor humani generis, quia illum hominem vidit, sed quem in se infirmitate despectum hominem credidit, virtute supra hominem sensit. Hujus nimirum exactoris typum Laban tenuit, quando cum furore veniens sua apud Jacob idola requisivit (*Gen.* XXXI, 34). De hac exactore Redemptori nostro gentilitatem ab ejus dominio liberanti per prophetam dicitur : « Jugum enim oneris ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, » etc. (*Isa.* IX, 4). Sequitur :

VERS. 8. — *Circumspicit montes pascuæ.*— Montes pascuæ, altæ contemplationes internæ refectionis. Sancti enim viri, quanto magis se exterius despi-

ciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Unde scriptum est: « Ascensus in corde ejus disposuit iu valle lacrymarum (*Psal.* LXXXIII, 7). » Aliter: Montes etiam pascuæ sunt, sublimes virtutes angelorum, quæ idcirco hic nos ministrando et adjuvando reficiunt, quia illic internæ contemplationis rore pinguescunt; quæ quia largiente Deo in omni nos certamine protegunt, recte circumspici dicuntur. Aliter: Montes pascuæ possunt altæ sententiæ Scripturæ sacræ accipi. De quibus scriptum est: « Montes excelsi cervis (*Psal.* CIII, 18). » Quia nimirum hi qui jam dare contemplationis saltus noverunt, altas sententiarum divinarum virtutes, quasi cacumina montium ascendunt. MYSTICE. Montes accipimus elatos hujus sæculi, qui in corde suo altitudinem terrarum tenuerunt, sed quia etiam tales Dominus Ecclesiæ suæ corde conversos inviscerat, eosque a priori elatione commutans, in sua membra transformat, isti montes pascuæ ejus sunt, quia nimirum de conversatione errantium, de superborum humilitate satiatur, et sicut apostolis ad prædicationem missis præcepit dicens: « Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan*, VI, 27). » Sicut ipse ait: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV, 34). » De his montibus scriptum est: « Non repellet Dominus plebem suam (*Psal.* XCIII, 14), » « quoniam in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt (*Psal.* XCIV, 4). » Convertit namque eum quem conspicit sicut scriptum est: « Conversus Dominus respexit Petrum (*Luc.* XXII, 61); » et sicut Salomon ait: « Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo (*Prov.* XX, 8). » Notandum quod non ait, inspicit, sed *circumspicit*; in Judæa quippe incarnatus est Dominus, quæ posita in medio gentium fuit, atque ideo circumspicit montes quia latos [elatos] hujus sæculi circumquaque positos ex gentilitatis universitate colligit. In his itaque montibus pascitur, quia bonis operibus conversorum quasi herbis virentibus satiatur. Hinc scriptum est: « Ubi pascis, ubi cubas in meridie (*Cant.* I, 6). » Sequitur: *Virentia quæque perquirit.* — Virentia quippe sunt omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine, jocunditate vitæ præsentis quasi æstivo sole siccantur. Virentia autem vocata sunt, quæ nulla temporalitate marcescunt; hinc onagro despectis rebus transitoriis virentia perquirere est, in æternum mansura sancto unicuique viro desiderare. TYPICE. Arentia namque sunt corda hominum quæ in hujus sæculi perituris plantata æternitatis fiduciam non habent: virent autem, quæ illi hæreditati inhærent. De qua Petrus apostolus dicit: « In hæreditatem incoruptibilem (*I Petr.* I, 4). » Quisquis itaque intrinsecus arescere formidat, arentia extrinsecus mundi hujus desideria fugiat. Quisquis a Domino perquirere desiderat æternam patriam appetens, interna cordis plantatione viridescat. Hæc autem de onagro exposita duplici intellectui sufficiant; lectoris vero judicio relinquendum est, quid magis duxerit eligendum.

# LIBER TRICESIMUS PRIMUS.

VERS. 9. *Nunquid vult rhinoceros servire tibi?* — Subaudis, qui cum prædicamentis quidem hominum diu resistere pertuli, sed tamen repente, cum volui, miraculis stravi. Rhinoceros enim indomitæ omnino naturæ est; ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus vero nomine Latina lingua interpretatum sonat, *in nare cornu.* Et quid aliud in nare, nisi fatuitas, quid in cornu, nisi elatio designatur? Nam quia in nare fatuitas solet intelligi, Salomone attestante, dicimus qui ait: « Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua (*Prov.* XI, 22). » Et quod in cornu superbia designatur, propheta demonstrat dicens: « Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus: Nolite exaltare cornu (*Psal.* LXXIV, 5). » Quid ergo in rhinocerote hoc, nisi potentes hujus sæculi designantur? vel ipsæ in eo principatuum potestates, qui typo fatuæ jactationis elati, dum falsis exterius inflantur honoribus, veris miseriis intus inanes cunt? Quibus bene dicitur: « Quid superbis terra et cinis? » (*Eccli.* X, 9.) Sed cornu suum rhinoceros iste feriendo Ecclesiam in martyribus lassatus inclinavit, cum potestates hujus mundi non verbis, sed miraculis Deus fregit, sibique subditas fecit. Aliter: Rhinoceros iste, qui etiam monocerus Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur. Et sicut quidam dicunt, virgo si puella proponitur, quæ se veniente sinum aperit, in quo illo omni ferocitate postposita, caput deponit. sicque ab eis a quibus capi quæritur, repente velut enervis invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam elephantem cornu (quod immane singulariter gestat) in ventre infigere perhibetur, ut eum facile sternat. Potest ergo per hunc unicornem ille populus designari, qui dum de accepta lege, non opera, sed solam inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter cæteras bestias, cornu singulariter gestavit. Unde scriptum est: « Libera me de ore leonis, et cornibus unicornium (*Psal.* XXVIII, 22). » Ac si ergo beatus Job typum beatæ Ecclesiæ tenenti dicatur: Nunquid illum populum quem

superbire in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub jure tuæ prædicationis inclinas? Subaudis, ut ego? qui et in me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero protinus subdo. Paulus ergo ad medium ducatur, qui dum contra Deum se quasi de custodia legis nesciens, extulit; cornu in nare gestavit. Unde et hoc ipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans dicit: « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci (*I Tim.* I, 13). » Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei sapientia Incarnationis suæ mysterium de cœlo loquendo patefecit dicens: « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* IX; 4.) Et fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus homo omne quod superbum tumebat, amisit. Sequitur: *Aut morabatur ad præsepe tuum?* — Præsepe hoc loco ipsa Scriptura sacra non inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur. De quibus per Prophetam dicitur: « Animalia tua habitabunt in ea (*Psal.* LXVII, 11). » Sed elati omnes in primordiis nascentis Ecclesiæ tantominus in prædicatorum præsepe claudi se jam contempserant, quanto magis in voluptatibus propriis dimissi desperationis suæ campum tenebant. De quibus Paulus ait: « Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operatione immunditiæ omnis, in avaritiam (*Ephes.* IV, 19). » Et tamen cum voluit, repente Dominus ad suum eos præsepe religavit. Ecce enim cernimus quod potentes hujus sæculi, ejus principes prædicamenta Dominica libenter audiunt, constanter legunt, passimque [passumque] a præsepe non exeunt, quia præcepta Dei quæ aut legendo aut audiendo cognoscunt, nequaquam vivendo transcendunt, sed ad verbi pabulum quasi clausi stare æquanimiter tolerant, ut edendo et permanendo pinguescant. Aliter: Isdem rhinoceros etiam ad Dei præsepe moratus est, quia ruminare verba Evangelii dedignatus non est. Ait enim: « Ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito, ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum eis Evangelium (*Gal.* II, 1, 2). » Et quia prius jejunus audierat: « Durum tibi est contra stimulum calcitrare (*Act.* IX, 5), » mira postmodum virtute præsidentis pressus ex verbi pabulo vires obtinuit. Sequitur:

VERS. 10. *Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* — Lora sunt Ecclesiæ præcepta disciplinæ; arare vero est, per prædicationis studium humanum pectus vomere linguæ proscindere. Scimus, rhinoceros iste terrenus videlicet princeps, quanta prius crudelitate sævierit, et nunc agente Domino cernimus quantis disciplinæ loris astrictus sit, qui non solum se a pravis operibus retinet, sed etiam in sanctæ fidei prædicatione exercet, quos, dum metuere Deum in suis actionibus cernimus, quid aliam quam loris ligatos videmus? Cum vero eam fidem, quam dudum persequendo impugnaverant, nunc prolatis legibus prædicare non cessant, quid aliud faciunt, nisi aratri labori insudant? Aliter: Loris præfatus rhinoceros astringitur, quia videlicet uno in tempore cæcitate, prædicatione, baptismate ligatur, ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectione sæviens, aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus quasi de arantibus dicit: « Debet enim in spe qui arat, arare, et qui triturat in spe fructes percipiendi (*II Cor.* IX, 10). » Qui igitur tormenta prius fidelibus irrogaverat, et per fidem postmodum flagella libenter portat, profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui vivebat in campo male liber a timore. Sequitur: *Aut confringet glebas vallium post te?* — Plerumque autem terræ principes loris fidei ligati exigente ira ad feriendum rapiuntur, regni culmina quasi cornu ad profectum regni cœlestis inclinant. Aliter: Jam Dominus quorumdam mentes intraverat qui illum veraciter humani generis redemptorem credebant; qui tamen dum nequaquam a pristina observatione recederent, dura litteræ prædicamenta custodirent, ei prædicator egregius dicit: « Si circumcidamini, Christus in vobis nihil proderit (*Gal.* V, 2). » Qui ergo in humili mente fidelium, legis duritiam redarguendo contrivit, quid aliud quam in valle post Dominum glebas fregit? ne videlicet grana seminum quæ excissus aratro fidei sulcus cordis exceperat, per custodiam litteræ depressa deperirent. Sequitur:

VERS. 11. *Nunquid habebis fiduciam in fortitudine ejus?* — Ac si dicatur ut ego? In rhinocerotis fortitudine fiduciam Dominus habere se asserit, quia, quod temporaliter terreno principi contulit, ad cultum suæ venerationis inclinavit. Quo enim in mundo plus potest, eo pro mundi Auctore plus prævalet. Nam quia a subjectis ipse metuitur, tanto facilius persuadet, quanto et cum potestate indicat qui vere metuatur. Aliter: In rhinocerotis hujus fortitudine fiduciam Dei habuit, quia quanto illum crudelius dura sibi inferentem pertulit, tanto per se constantius tolerantem adversa præscivit. Sequitur: *Et derelinques ei labores tuos?* — Labores enim suos huic rhinoceroti Dominus dereliquit, quia converso terreno principi eam, quam sua morte mercatus est. Ecclesiam credidit. Quia videlicet in ejus manu quanta sollicitudine pax fidei sit tenenda, commisit. Aliter: Labores etiam, quos ipse in carne pertulerat, rhinoceroti dereliquit, quia conversum illum usque ad imitationem propriæ passionis traxit. Unde et per eumdem rhinocerotem dicitur: « Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea (*Cor.* I, 24. » Sequitur:

VERS. 12. *Nunquid credes ei quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget?* — Quid aliud semen, nisi verbum prædicationis accipitur? Sicut in Evangelio Dominus dicit: « Exiit qui seminat semen suum (*Matth.* XIII, 3). » Et sicut propheta ait: « Beati qui seminatis super omnes aquas (*Isa*

xxvii, 26). » Quid aliud area, nisi Ecclesia debet intelligi? De qua rursus voce Præcursoris dicitur : « Et permundabit aream suam (*Matth.* iii, 12). » Quis ergo in initio nascentis Eclesiæ crederet, dum contra eam ille indomitus principatus terræ tot minis et cruciatibus sæviret, quia rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est, acceptum prædicationis verbum operibus repensaret? Quis posset tunc infirmorum credere quod eis aream congregaret? Ecce enim modo pro Ecclesia leges promulgat, qui dudum contra eam per varia tormenta sæviebat. Hic quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei gratiam illas suadendo perducit ; eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem servat. Aliter : Consideremus Paulum quis ante fidem fuerit, et profecto cognoscimus quia nullus tunc fidelium crediderat, quod ad jugum Deus suæ formidinis vim tantæ elationis inclinaret. Unde et Ananias pavens ait : « Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem (*Act.* ix, 13). » Qui tamen repente commutatus ab hoste prædicator efficitur, et in cunctis mundi partibus Redemptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tolerat ; alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat, et tanto Dei aream congregat, quanto illum prius elatione ventilabat. Sed neque hoc abhorreat a Paulo quod rhinoceros buxei coloris dicitur. Quid enim per colorem buxeum, nisi abstinentiæ pallor exprimitur? cui ipse tenaciter adhærere testatur dicens : « Castigo corpus meum et in servitutem subjicio, » etc. (*I Cor.* ix, 27). Qui cum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantos in ventrem ferit. Ut illud : « Multi enim ambulant, quos sæpe dixi vobis, nunc autem et flens dico inimicos crucis, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, » etc. *Phil.* iii, 18). Et rursum : « Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri (*Rom.* xvi, 18). » Quæ ergo in Paulo scripta cognovimus, superest ut facta et in aliis credamus. Sequitur :

Vers. 13. *Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris.* — Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio vero eorum pennæ similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra vero elevari non valet, et alas quasi ad volatum specie tenus erigit. Significat Omnipotens hypocritas, qui, dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ visionis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent ; qui alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere gravati, nullatenus a terra sublevantur. De quo pondere per Prophetam dicitur : « Filii hominum usquequo graves corde? » (*Psal.* iv, 3). De his Dominus ait : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum. » etc. (*Matth.* xxiii, 27). Et quoniam accipitris et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta : idcirco cum celeritate trans-

A volant, quia eis parum inest quod aggravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, immani corpore gravatur, ut et si volare appetit, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aera non suspendat. Bene ergo in herodio et accipitre et electorum persona signatur, quia quandiu in hac vita sunt, sine quantulæ culpæ contagio esse non possunt. Sed cum in eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollit ; at contra hypocritæ, et si faciunt pauca, quæ elevant, perpetrant multa quæ gravant. Hæc quoque ipsa struthionis penna, ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis similitudinem non habet. Quid ergo in his aspicimus, nisi quod
B electorum virtutes solidæ volant, et ventos humani favoris premunt? Hypocritarum vero actio, quamlibet recta videatur, volare non sufficit quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit. Aliter : Quid struthionis nomine, nisi Synagoga signatur? quæ alas habuit, sed corde in infimis repens, nunquam se a terra sublevavit. Quid vero per herodium et accipitrem, nisi antiqui Patres exprimuntur, qui ad ea, quæ potuerint intelligenda perspicere, valuerunt etiam vivendo penetrare? Penna igitur struthionis, herodii et accipitris est similis, quia Synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescit. Unde ejusdem Synagogæ populis Veritas ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et
C Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis servate et facite, » etc. (*Matth.* xxiii, 2). Sequitur :

Vers. 14. *Quæ dereliquit in terra ova sua.* — Quid enim per ova, nisi tenera adhuc proles exprimitur? quæ diu fovenda est, ut ad vivum volatile perducatur. Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta in vivis volatilibus convertuntur ; ita nimirum parvuli auditores ac filii certum est quod frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant ; assidua doctorum voce fovendi sunt, quousque valeant per intelligentiam vivere, et contemplatione volare. Attamen hypocritæ quamvis perversa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt. Bene autem loquendo in fide vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire
D non possunt, quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdunt, in quibus quanto magis se extollunt, tanto minus de prolis suæ defectu cruciantur. Ova ergo in terra dereliquisse est, nullum cœlestis vitæ filiis exemplum præbere. Aliter : In ovis aliud est quod cernitur, aliud quod speratur, et videri spes non potest, Paulo attestante, qui ait : « Quod enim videt quis, quid sperat? » (*Rom.* viii, 24). » Quid ergo per struthionis ova, nisi Synagogæ carne editi apostoli designantur? Qui dum se in mundo despectos, atque humiles exhibent, sperare gloriam in supernis docent. Abjecti namque et quasi nullius momenti apud elatos habiti in terra velut ova jacuerunt, sed intus in eis latebat unde viverent, et sublati spei pennis ad cœ-

lestia volarent. Quæ ova struthio in terra derelin- A quit, quia eos quos carne genuerat Synagoga apostolos audire contemnens, vocandæ gentilitati deseruit. Sequitur : *Tu forsitan in pulvere calefacis ea?* — Ac si dicat, ut ego, qui illa in pulvere calefacio. Quia scilicet parvulorum animas, et in medio peccantium positas, amoris mei igne succendo. Quid enim pulvis, nisi peccator accipitur? Hinc enim scriptum est : « Serpenti pulvis panis ejus (*Isa.* LXV, 25). » Hinc est enim quod plerosque cernimus, et in medio populorum vivere, et tamen vitam torpentis populi non tenere, et, ut ita dixerim, in frigore calere, ut nequaquam jacentia in infinis torpeant, sed in vivis volatilibus versa, sese ad cœlestia contemplando, id est volando, suspendant : Aliter. Mira autem potentia Dominus B hæc eadem in pulvere ova calefacit, quia vivos apostolorum fœtus in illa abjecta dudum gentilitate suscitavit, et quos Synagoga velut insensatos invivificatosque despexerat, ipsi nunc in veneratione gentium per doctrinæ magisterium viventes volant. Ova struthio in pulvere dereliquit, quia et omnes quos prædicandos Synagoga genuit, a terrenis desideriis minime suspendit. Sequitur :

VERS. 15. *Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* — Quid in agro, nisi mundus iste signatur? De quo in Evangelio Dominus dicit : « Ager autem est mundus (*Matth.* XIII, 38). » Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur, qui hujus mundi rapinis insidians, humana quotidie morte satiatur? De qua per prophetam, pollicente C Domino, dicitur : « Et mala bestia non transibit per ea (*Isa* XXXV, 9). Hypocritæ enim eos quos in conversatione filios generant, more struthii derelinquunt, et omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinæ custodia destitutos pravorum operum exempla pervertant ; si enim ova quæ gignunt, diligerent, nimirum metuerent ne quis ea perversa opera demonstrando calcaret. Hinc Paulus metuebat, cum diceret : « Videte malos operarios (*Philip.* III, 2) ; » et rursum : « Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi (*Ibid.*, 18). Hanc agri bestiam etiam ovis quæ posuerat formidabat dicens : « Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur D sensus vestri a charitate quæ est in Christo Jesu (*II Cor.* XI, 3). » Hinc Petrus ait : « Adversarius vester diabolus, quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*II Petr.* V, 9). » Aliter : Tunc ova pes calcat, et bestia agri conterit, cum in terra deseruntur, quia videlicet humana corda, dum semper terrena cogitare, semper quæ ima sunt agere appetunt, ad conterendum se agri bestiæ, id est diabolo sternunt, ut cum diu infima cogitatione abjecta sunt, quandoque etiam majorum criminum perpetratione frangantur. Synagoga ergo ova quæ genuit a terra suspendere bene vivendo neglexit, sed omnipotens Deus multos ejus filios quamvis in terrenis desideriis mortuos ac frigidos reperit, calore tamen sui amoris a mortuis animavit ; sed vitam quam filiis Synagoga non dedit, hanc postmodum invadit, dum moliretur persequendo exstinguere, quos se ad bona opera non meminerat fovendo genuisse. Sequitur :

VERS. 16. *Duratur ad filios, quasi non sint sui.* — Hypocritæ quippe obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debiti amoris agnoscunt, et quia sua semper appetunt, erga affectum promixi nulla charitatis compassione mollescunt. O quam mollia viscera gestabat Paulus dicens : « Nunc vivimus, si vos statis in Domino (*I Thess.* III, 8) ; » et : « Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Jesu (*Philip.* I, 8). » Ephesiis quoque ait : « Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis quæ est gloria vestra (*Ephes.* III, 13). » Aliter : Quasi non suos respicit, quos aliter vivere quam docuit ipsa reprehendit, et durescente sævitia terrores admovet, seque in eorum cruciatibus exercet ; atque invidiæ facibus inflammata, in quibus non laboravit ut possint vivere, laborat ut debeant interire. Et cum Domini membra persequitur placere se per hoc Domino suspicatur. Unde et eisdem struthionis ovis Veritas dicit : « Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI, 2). » Sequitur : *Frustra laboravit nullo timore cogente.* — Namque, « trepidaverunt timore, ubi non erat timor (*Psal.* XIII, 5). » Ecce enim divina voce præcipitur : « Si quis tibi tulerit tunicam, et voluerit tecum judicio contendere, dimitte illi et pallium (*Matth.* V, 40). » Apostolus ait : « Quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? (*I Cor.* VI, 7). Et tamen hypocrita assumpto sanctæ conversationis habitu filiorum custodiam deserit, et temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærit, exemplo suo eorum perdere corda non trepidat, et quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat. In errore discipulus labitur, et tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur, ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspicit, et hæc quasi inaudita pertransit ; at si quod sibi leviter inferri temporale damnum senserit, in ultionis ira repente ab intimis inardescit ; mox patientia rumpitur ; mox dolor cordis in vocibus effrenatur. Aliter : In labore quippe illam persecutionis anhelare non timor, sed crudelitas cogit. Sed quia plerumque, vitia colore virtutum tincta, tanto nequiora sunt quanto et esse vitia minime cognoscuntur, eo in persecutione Synagoga durior exstitit, quo religiosiorem se fieri fidelium mortibus æstimavit, et idcirco quæ ageret discernere omnino non potuit, quia lumen sibi intelligentiæ per superbiæ abjectionem clausit. Sequitur :

VERS. 17. *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* — Quamvis aliud sit privari, aliud non dare, hoc tamen repetiit, subdendo nec

dedit quod præmisit, privavit ; ac si diceret : quod dixi, *privavit*, non injuste sapientiam abstulit, sed juste non dedit. Unde et Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur (*Exod.* IV, 21). Aliter : Districtum quippe est occultæ retributionis examen, et quia sciens humilitatem perdit, etiam veritatis intelligentiam nesciens amisit. Minora sunt vulnera quæ in Redemptoris adventu fidelibus intulit, quam ea quibus sanctam Ecclesiam adhuc per adventum Antichristi ferire contendit. Sequitur :

VERS. 18. *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit. Diridet equitem* (64) *et ascensorem ejus.* — Quid enim alas hujus struthionis accipimus, nisi perceptas hoc tamen tempore cogitationes hypocritæ quasi complicatas ? Qui opportunitate comperta, eas quasi in altum elevando superbiens manifestat. Alas in altum erigere est, per superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, quia in semetipso stringit quæ cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat. Notandum vero quod non ait, deridet equum et ascensorem, sed *equitem et ascensorem*. Equus quippe est uniuscujusque animæ corpus suum, quod videlicet novit, et ab illicitis restringere, et in bonis operibus relaxare. Equitis ergo nomine animam sancti viri exprimit. Hinc enim scriptum est : « Exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis (*Apoc.* XIX, 14). » Ascensor autem equitis omnipotens est Dominus, qui uniuscujusque viri animam possidet, sua membra possidentem. *Deridet* ergo hypocrita *equitem*, quia electorum despicit sanctitatem. Deridet ascensorem equitis, dum prosilit usque ad injuriam Creatoris : Aliter. In altum struthio alas erigit, quando suo Conditori Synagoga non ut antea formidando, sed aperta, jam repugnando contradicit. In membra quippe diaboli transiens, et mendacii hominem Deum credens, contra fideles tantum in altum extollitur, quantum et Dei corpus se esse gloriatur, quæ quia non solum humilitatem Domini, sed ipsam etiam divinitatem, non tantum equitem, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam verbum Dei, tunc equitem ascendit, quando humanam animam propriæ carni præsidentem, divino cultui semetipsum creando subjugavit ; carnem quippe divinitas anima mediante, suscepit, et per hoc totum simul equitem tenuit, quia in semetipsum non solum illa regebatur, sed hanc etiam quæ regebat astrinxit. Judæa igitur per adventum superbientis Antichristi laqueo seductionis capta, quia Redemptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit, deridet equitem, quia ejus in omnibus divinitatem contradicit, deridet nihilominus et ascensorem. Sed Redemptor unus idemque et eques, et equitis ascensor, et cum in mundum venit, fortes contra mundum prædicatores exhibuit, et cum in mundi terminum Antichristi fiduciam tolerat, virtutem ipse certantibus subministrat.

VERS. 19. *Nunquid præbebis equo fortitudinem.*

A *aut circumdabis collo ejus hinnitum.* — Equi nomine sanctus quisque prædicator accipitur, propheta attestante qui ait : « Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas (*Habac.* III, 15). » Per hinnitum prædicatio exprimitur, verus autem quisque prædicator ante fortitudinem, et post hinnitum accipit, qui cum in se prius vitia exstinxerit, tunc pro erudiendis aliis ad vocem prædicationis venit, fortitudinem habet, quia adversa constanter tolerat, hinnitum quia ad superna blandiens vocat. Equo enim suo Dominus et cum actionis fortitudine hinnitum vocis, et cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Collo enim equi hinnitus circumducitur, quia ne ad perversa opera prodeat suis vocibus etiam vita B prædicantis ligatur. Hinc enim per Salomonem dicitur : « Coronam gratiarum accipies capiti tuo, et torquem auream collo tuo (*Prov.* I, 9). » MORALITER. Unicuique animæ cui misericorditer Deus præsidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet. De quo Petrus ait : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Petr.* V, 8). » Huic autem fortitudini hinnitus jungitur, cum fit quod scriptum est : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10). » Sequitur :

VERS. 20. *Nunquid suscitabis eum quasi locustas.* — Subaudis, ut ego, qui illum ad altiora excitando sublevo, qui graviori persecutionis æstu excruciari C permitto. Locustarum nomine aliquando Judæorum populus signatur, ut illud de Joanne : « Locustas et mel silvestre edebat (*Marc.* I, 6), » aliquando conversa gentilitas, ut illud : « Florebit amigdalus (*Eccles.* XII, 5), » id est Ecclesia primitiva flore virtutum. « Impinguabitur locusta (*Ibid.*), » id est sicca gentilitas pinguedine terræ, « et dissipabitur capparis (*Ibid.*), » id est Judæa. Aliquando adulantium lingua. Ut illud : « Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti (*Exod.* X, 13, 14). » Aliquando vero per comparationem, resurrectio Dominica, vel prædicatorum vita signatur, ut illud : « Excussus sum sicut locusta (*Psal.* CVIII, 23). » Recte utique ipsa prædicatorum perfectio locustis D exprimitur. More enim locustarum quoties se attollere conatur, crura figunt, et alas erigunt, quia recte agendo se stabiliunt, et ad alta videndo sublevantur, rursumque pedibus se suis post saltum excipiunt, dum post contemplationem sublimium, ad activam vitam revertuntur. Vel sicut locustæ matutinis horis vix a terra se sublevant, cum vero æstus exarserit, tanto altius quanto alacrius volant. Ita nimirum sanctus quisque prædicator, cum quieta fidei tempora conspicit, humilis ac despectus accipitur, si autem persecutionis ardor incandeat, corde cœlestibus inhærens, mox quantæ sit sublimitatis ostendit. MORALITER. Unusquisque, qui Deum sequitur in ipso suo exordio, ut locusta suscitatur, qui etsi in quibus actionibus locustarum

(64) Vulg., *equum*.

more flexis poplitibus terræ inhæret, in quibus- A dam tamen expansis alis se in aera suspendit. Conversis quippe initia bonis moribus malisque immista sunt, dum nova jam per intentionem agitur, et vetus adhuc vita ex usu retinetur. Sequitur : *Gloria narium ejus terror.* — In Scriptura sacra vocabulo narium, aliquando fatuitas narium solet intelligi, ut illud : « Circulus aureus in naribus suis (*Prov.* XI, 22). » Aliquando antiqui hostis instigatio, ut illud : « De naribus ejus procedit fumus (*Tob.* XLI, 11). » Aliquando vero præscientia designatur, ut illud prophetæ : « Quiescite ab homine, cujus spiritus est in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse (*Isa.* II, 22). » Hoc autem loco narium nomine prædicatoris sancti præscientia ac præstolatio designatur. Dum enim venire B extremum judicium ostendi cœlestem patriam, persolvi justis, præmia appetit, quasi per nares spiritum de futuris trahit. Sed gloria narium ejus terror est, quia visionem districti judicis quam justus vehementer exspectat, injustus venire formidat. Hinc Paulus ait : « Ego jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi sed et his qui diligunt adventum ejus (*II Tim.* IV, 6-8). » MORALITER. Pro eo quod non visa res odore deprehenditur, non immerito narium nomine spei nostræ cogitationes exprimuntur, quibus venturum judicium quod et si oculis C adhuc non cernimus, jam tamen sperando prævidemus. Omnis autem qui bene vivere incipit, audiens quod per extremum judicium justi ad regnum vocentur, hilarescit. Sed quia quædam mala adhuc ex reliquo sibi inesse considerat, hoc ipsum judicium de quo exsultare inchoat, appropinquare formidat, vitam quippe suam bonis malisque permistam conspicit, et cogitationes suas aliquando spe et timore confundit. Sequitur :

VERS. 21. *Terram ungula fodit.* — Quid per ungulam nisi prædicatoris sancti virtutum perfectio demonstratur? Quia videlicet *ungula terram fodit*, dum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes, elicit, et auditorum corda a sæcularibus curis evacuat, cum ipse contemni [contemnere] sæculum opere ostendit ? D Hinc Paulus discipulis ait : « Hæc cogitate quæ et didicistis, et accepistis, et audistis in me, et Deus pacis erit vobiscum (*Philip.* IV, 8, 9) ; » et rursum : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*Phil.* III, 17). » Aliter : Equus iste ungula terram fodit, cum prædicator quisque inquisitione forti terrenas in se cogitationes discutit, easque flendo a se evacuare non cessat. Hinc ad Ezechielem dicitur : « Fili hominis, fode parietem (*Ezech.* VIII, 8). » Item ad Isaiam Dominus dicit : « Ingredere petram, abscondere fossa humo a facie timoris Domini, et majestatis ejus (*Isa.* II, 10), » id est, penetra duritiam cordis tui, et terrenas cogitationes ab ira districti judicis in humilitate mentis cela. MORALITER. Ungula terram fodere est, districta abstinentia carnem domare. Sequitur : *Exsultat audacter.* — Audacter exsultat, quia sic adversis non frangitur, sicut nec prosperis elevatur. Adversa namque non dejiciunt quem prospera nulla corrumpunt. Ne ergo prematur adversis, habet vim fortitudinis ; ne elevetur prosperis, habet pondus desuper sedentis. In adversis hilarescit, quia augeri sibi virtutis meritum lætatur. Hinc de apostolis dicitur : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, » etc. (*Act.* V, 41.) Solent namque hæretici potestatum mundi defensionibus contra fidei prædicationem quasi quibusdam armis se tegere, sed equus iste potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsius quoque vitæ præsentis desiderium per mentis excessum calcat. Hinc per Salomonem dicitur : « Justus quasi leo confidens, absque terrore erit (*Prov.* VI, 28). » MORALITER. Qui enim valenter reprimit quod impugnat, audacter exsultat de his quæ in æterna pace desiderat. Hinc per Salomonem dicitur : « Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam (*Prov.* XXIV, 27). » Sequitur : *In occursum pergit armatis.* — Plerumque enim quieti atque concussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, in quantum locus admittit, debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos ultro objicere, sicut de Paulo scriptum est : « Repleti sunt iræ, et exclamaverunt dicentes : Magna Diana Ephesiorum (*Act.* XIX. 28) ; » et paulo post : « Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli (*Ibid.*, 30). » Nam cum justitia quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur. MORALITER. Hostes armati, sunt immundi spiritus innumeris contra nos fraudibus accincti, qui cum suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt. Effossa igitur terra armatis hostibus in occursum pergere est, devicta carnali nequitia contra spiritualia certamen subire. Nam qui adhuc secum enerviter pugnat, frustra contra se bella extra se posita suscitat. Vel certe armatis hostibus in occursum pergimus, quando per exhortationis studium, eorum insidias et in alieno corde prævenimus, quando nostra cura ordinate postposita accessum immundorum spirituum a proximi mente prohibemus. Sequitur :

VERS. 22. *Contemnit pavorem, nec cedit gladio.* — Videamus quomodo pavorem despicit, qui ait : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio ? » (*Rom.* VIII, 35.) Contra hunc itaque equum tot sunt gladii hostium, quot genera persecutionum. Sed vir sanctus, quia ventura adversa non metuit, pavorem despicit; quia vero nec superveniente persecutione vincitur, nequaquam gladiis cedit. MORALITER. *Contemnit pavorem*, quia nullius tentationis formidine ad hoc usque terretur ut taceat ; *nec cedit gladio*, quia et si violenta illum tentatio percutit, a cura

tamen proximi non repellit. Nam Paulus quos ab hoste gladios suscipiat, dicit, et quomodo eisdem gladiis non cedet ostendit : Video autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ,» etc. (*Rom.* VII, 23). Cæteris autem dicit : « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam (*Col.* III, 5). » Sequitur :

VERS. 23. *Super ipsum sonabit pharetra.* — In Scriptura sacra pharetræ nomine aliquando justum Dei occultumque consilium accipitur, ut illud : « Pharetram suam aperuit et afflixit me (*Job.* XXX, 11). » Aliquando clandestina pravorum machinatio designatur ut illud : «Paraverunt sagittas suas in pharetra (*Psal.* X, 3).» Igitur quia equus Dei nulla adversitate terretur, ei quoque magis obviatur, ut eum ex obsessa machinatione longe feriant, cui apertis congressionibus inaniter apppropinquant. Hæc tunc super equum Dei pharetra sonuerat, cum quadragita viri in Pauli morte conspiraverant (*Act.* XXIII, 13). Pharetra ergo sonuit, quia occultæ machinationis ad Paulum causa pervenit. Sequitur : *Vibravit hasta et clypeus.* — Contra equum quippe Dei, quia pravorum consilia minæque perstrepunt, pharetra sonat ; quia aperta pœna ut interficiatur exquirit, hasta vibratur ; quia vero ei disputatione resistitur, clypeus antefertur. Habent enim sancti prædicatores sagittas quibus cor audientium feriunt. De quibus Paulus dicebat : « Laboro usque ad vincula quasi male operans, sed sermo Dei non est alligatus (*II Tim.* II, 9). » Contra quas persecutores clypeo suæ disputationis corda audientium muniunt. MORALITER. Equo Dei hostis callidus sagittas per insidias impetit, quando ei sub virtute vitium abscondit, hasta autem dominus vulnerat, cum manifesta nequitia etiam scientem tentat. Sæpe nonnulli vitæ suæ custodiam negligentes in immunditiam libidinis demerguntur ; nonnulli vero dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Hasta autem est culpa de vitio, sagitta autem de virtute culpa, sed perfectus quisque ab utroque protegitur. Hinc Salomon ait: « Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris (*Prov.* III, 26). » Cui etiam clypeum fraudulentus hostis opponit, ut si resistentis pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam objectionibus proficientis intercludat. Sequitur :

VERS. 24. *Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ clangorem.* — Primo homini peccanti dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19).» Quia ergo sancti Spiritus zelo inflammatus, vel inter supplicia positus quoslibet peccatores ad se trahere non desistit, fervens procul dubio terram sorbet. Tubæ autem clangunt, cum hujus sæculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Quia igitur persecutionum minas prædicatores minime formidant, clangorem tubæ sonare non reputant. Hæc a principibus sacerdotum tuba sonuerat, cum flagellatos apostolos de Deo loqui

A prohibebant, sicut scriptum est: « Cæsis denuntiaverunt, ne loquerentur in nomine Jesu (*Act.* V, 40).» Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat ait Petrus : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V, 29). » Et rursum : «Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui (*Act.* IV, 20).» MORALITER. Contra equum clangor tubæ insonat, quando electi mente in eo quod agit fortiter e vicino quædam posita culpa terribiliter tentat. Sed *fervens et fremens sorbet terram*, quia nimio ardore semetipsum discutit, et quidquid in se terrenum reperit, quo proficiendo consumit, et clangorem tubæ sonare non reputat, quia considerationem fortium ne vitium quod de virtutis gloria nascatur sollicitus declinat.
B Sequitur :

VERS. 25. *Ubi audierit buccinam, dicit. Vah !* — Equus ergo, audita buccina, vah dicit, quia fortis quisque prædicator, cum certamen sibi passionis propinquare desiderat, de exercitio virtutis exultat, nec terretur pugnæ periculo, quia victoriæ lætatur triumpho. Videamus Paulum, quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat. Ait enim : «Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (*Philip.* I, 23).» Et tamen dicit : «Qui sumus in hoc habitaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita (*II Cor.* V,4).» MORALITER. Multos enim sua felicitas stavit, multos diuturna pax inertes reddidit. Equus ergo, audita buccina,
C dicit vah, quia videlicet præliator Dei cum vim tentationis incumbere, conspicit, utilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius adversitate confidit. Sequitur : *Procul odoratur bellum.* — Bellum quippe procul odorare est, adversa quæ longe adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Idcirco enim quodlibet certamen exsuperat, quia mente certamini ante certamen parat. Hinc Paulus discipulis ait : « Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate (*II Cor.* III, 5). » MORALITER. Bellum namque procul odorari est, ex causis præcedentibus quæ vitiorum pugnæ subsequantur agnoscere, et sicut flatu narium, sic provisas cogitationum nequitias latenter indicare. De quo
D odoratu recte in Ecclesiæ suæ laudibus dicit : « Nasus tuus sicut turris est in Libano (*Cant.* VII, 4).» Sequitur : *Exhortationem ducum et ululatum exercitus.*— Duces adversæ partis sunt erroris auctores. De quibus per Psalmistum dicitur : «Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio et non via (*Psal.* CVI, 40). » De quibus per semetipsam Veritas dicit : « Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in faveam cadunt (*Matth.* XV, 14). » Hos autem duces exercitus sequitur, pravorum scilicet turba, quæ iniquis eorum præceptionibus famulatur. Duces autem exhortantur, quia hi qui infidelibus præsunt, prava, quæ teneris præcipiunt, quasi exhortatione persuadent. Exercitus vero ululat, quia catervæ reproborum contra vitam moresque fidelium, dum soli rapacitati inhiant,

quasi per ululatum clamant. Sed quisque prædicator longe ante considerat quod vel auctores eorum contra electos valeant præcipere, vel turba eis subdita quam possit immaniter insanire. De his ducibus Paulus ait : «Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI, 18), » hos ululatus odorabatur dicens : « Intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos (*Act.* XX, 29). » MORALITER. Tentantia quippe vitia, quæ invisibile contra nos prælium regnante super se superbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum trahit : « initium, » quippe, « omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15) ; » ex qua nimirum nascitur inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria ; sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. De inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ et novitatum præsumptiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vacatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem desperatio futuri generatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se miserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis namque gloria dicit : Debes majora appetere, ut, quo potestate valueris, multos excedere eo etiam valeas, et pluribus prodesse. Invidia quoque loquitur : In quo illo, vel illo minor es ? Non ergo tibi aut superiores esse, aut etiam æquales debent. Ira etiam fatur : Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferre non possunt, quia et si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te sine mensura cumulantur. Tristitia vero ait : Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas ? Avaritia namque dicit : Unde culpa est quod quædam habenda concupiscis, qui non multiplicare appetis, sed egere pertimescis ? Ventris ingluvies clamat : Ad esum Deus munda omnia condidit, et, quia satiat cibo respuit, quid aliud quam muneri contradicit ? Luxuria vero fatur : Cur te in voluptate tua non dilatas ? Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset (*Gen.* I, 27). Sed miles Dei, quia solerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur, quia mala præeuntia, quid menti persuadere valeant, cogitatione sollicita respicit. Exhortationem ducum naris sagacitate deprehendit, et quia longe præsciendo subsequentium iniquitatem confusionem conspicit, quasi ululatum exercitus odorando cognoscit. Sequitur :

VERS. 26. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, et expandit alas suas ad austrum ?* — Non autem hic illud plumæ tempus dicitur, quo in nido vestitur, sed illa annua pluma describitur, quæ laxata vetere penna renovatur. Et quidem domesticis munita ac tepentia loca requiruntur. Agrestibus vero moris est, ut flante austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam B pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest, aliis contra radium solis expansis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt. Quid ergo per accipitrem signatur, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu Spiritus sancti concalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit ? Quod Paulus admonet dicens : « Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum qui secundum Deum creatus est (*Col.* III, 9) ; » et rursum : « Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen qui intus est renovatur de die in diem (*II Cor.* IV, 16). Alas quippe nostras ad austrum expandere est, per adventum sancti Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire, ut jam non libeat C defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, cum ad austrum et alas expanderit, quia tunc se unusquisque virtutum pennis induit cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim vetera fatendo non detegit, novæ vitæ opera minime producit : qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat. Sequitur :

VERS. 27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ?* — In Scriptura sacra vocabulo aquilæ, aliquando præsentis sæculi potestates designantur, ut est in Ezechiel : « Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus avulsit (*Ezech.* XVII, 3, 4). » D Aquila autem Nabuchodonosor intelligitur, qui immensitate exercitus magnarum alarum, pro diuturnitate temporum longa membrorum, pro multis divitiis plena plumis, pro innumera terrenæ gloriæ plena varietate. Quia vero Judææ celsitudinem petens, nubilitatem regni ejus, quasi medullam cedri abstulit, aliquando vero insidiatores spiritus exprimuntur, ut illud Jeremiæ : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli (*Thren.* IV, 19). » Aliquando subtiles sanctorum intelligentiæ vel volatus Dominicæ ascensionis intelligitur, ut in Ezechiel (*cap.* I. 5) de quatuor animalibus legitur, et in Apocalypsi (*Cap.* IV, 6, 7) similiter. Sed hoc loco aquilæ nomine subtilis sanctorum intelligentia, et sublimis eorum contemplatio figura-

tur. Ad præceptum ergo Dei elevatur aquila, dum jussionibus divinis obtemperans in supernis suspenditur fidelium vita; quæ in arduis nidum ponit, cum desideria terrenas despiciens, spe jam cœlestibus nutritur, et habitationem mentis suæ in abjecta et infirma conversatione non construit. Hinc Paulus ait: « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20); et rursum: « Qui conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus (*Ephes.* II, 6).» Hinc perfecta animæ sequenti se Dominus per prophetam dicit: « Sustollam te super altitudines terræ (*Isa.* LVIII, 14).» Sequitur:

VERS. 28. *In petris manet.* — In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur, quis alius quam Christus accipitur? ut est illud: « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 4).» Cum autem pluraliter appellantur sancti exprimuntur, qui illius robore solidati sunt. Hinc Petrus ait: « Et vos tanquam lapides vivi coædificamini domos spirituales (*I Petr.* II, 5).» Ista autem aquila *in petris* manere dicitur, quia in dictis antiquorum et fortium Patrum mentis statione collocatur; et dum eos ad memoriam reducit, in celsitudine illorum fortitudinis nidum sibi construit sanctæ meditationis. Possunt etiam petræ nomine sublimes virtutum cœlestium potestates intelligi, quæ velut petræ in arduis, ita ab omni motu mutabilitatis alienæ sunt, et ad soliditatem fixæ celsitudinis ipsa, cui inhærent æternitate duruerunt. Vir itaque sanctus cum terrena despicit, more se aquilæ ad altiora suspendit, et per contemplationis spiritum sublevatus, perennem angelorum gloriam præstolatur, atque huic mundo hospes illa appetendo quæ aspicit, jam in sublimibus figitur. Sequitur: *Et in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus.* — Prærupti scilicet sunt illi fortissimi angelorum chori, quia pars eorum cecidit, pars vero remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed superni numeri quantitate prærupti; propter hanc præruptionem mediator venit, ut mensuram cœlestis patriæ locupletius fortasse cumularet. Hinc de Patre dicitur: « Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt in ipso (*Ephes.* I, 9, 10).» Ipsi etiam sunt inaccessæ rupes. Cordi enim peccatorum hominum valde inaccessa est claritas angelorum, quia quoad pulchra corporalia cecidit, eo a spirituali specie oculos clausit. Sequitur:

VERS. 29. *Inde contemplatur escam.* — Id est, ex illis choris angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ majestatis, quia non visu adhuc esurit, qua tandem visa satiatur. Scriptum quippe est: « Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et satiabitur (*Isa.* LIII, 11).» Et rursum: « Beati qui esuriunt,» etc. (*Matth.* V, 6, 8.) Et item: « Beati mundo corde,» etc. (*Ibid.*, 8.) Sequitur: *Oculi ejus de longe prospiciunt.* — Quantumlibet enim in hac vita positus quisque profecerit, nec Deum per speciem, sed per ænigmata et per speculum videt (*I Cor.* XIII, 12). Ac si ergo diceret: Intentionis aciem fortiter tendunt, necdum propinquum aspiciunt, cujus claritatis magnitudinem penetrare laudabilem nequaquam possunt. Libet ad medium Isaiæ verba deducere: « Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manuas suas ab omni munere. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum (*Isa.* XXXIII, 15).» Et item: « Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est; aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbit, oculi ejus cernent terram de longe (*Isa.* XVI, 17).» In excelsis namque habitare est cor in cœlestibus ponere: et munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum fortium Patrum exempla respicimus, castrique cœlestibus jungimur; aquæ fideles sunt, quia verba vitæ quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant panis ei datur, cum contemplatione reficitur; regem in decore suo vident, quia ultra semetipsos rapti, in ipso deitatis fulgore oculos cordis figunt. Sequitur:

VERS. 30. *Pulli ejus lambent sanguinem.* — Ac si aperte diceretur: Ipsa quidem contemplatione divinitatis pascitur, sed quia auditores ejus deitatis percipere arcana nequaquam possunt, cogniti crucifixi Domini cruore satiuntur. Sanguinem lambere, est passionis Dominicæ infirma venerari. Hinc Paulus discipulis ait: « Non enim judicavi me scrire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2).» Sequitur: *Et ubicunque cadaver fuerit, statim adest.* — Cadaver quippe a casu dicitur. Et non immerito corpus Domini propter casum mortis, cadaver vocatur. Hinc ipsa Veritas ait: « Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*Matth.* XXIV, 18).» Aliter: Omnis enim qui in peccati mortem ceciderit, non inconvenienter poterit cadaver vocari. Quasi exanimis namque jacet, qui justitiæ vivificantem spiritum non habet; sanctus autem quisque prædicator, illuc prædicationis utilitate tendit, ubi prodesse prospicit, ut ex eo quod jam spiritaliter vivit, aliis in morte sua jacentibus prosit. Esca quippe justorum est, conversio peccatorum, de qua dicitur: « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI, 27).» Sanctus itaque Job tanta hac districtione flagelli non æstimavit augeri sibi merita, sed vitia resecari. Quæ quia in se nulla cognovit, percussum injuste se credidit, et percutientem prorsus arguere est de percussione murmurare. Considerans autem Dominus quod ea quæ protulit, non ex tumore superbiæ, sed ex qualitate collegerat vitæ, pie illum increpat, dicens (65):

VERS. 32. *Nunqnid qui contendit cum Deo, tam facile quiescit? utique qui arguit Deum debet et respondere illi?* — Ac si apertius diceretur: Qui

(65) Præterit auctor *Vers.* 31, ubi sic: *Et adjecit Dominus et locutus est ad Job.*

tanta de tua actione locutus es, cur auditam sanctorum vitam siluisti? Ipse quippe considerabas tuam, A sed aliorum celsitudinem nesciebas. Auditis igitur aliorum virtutibus, si quid vales, responde tuis.

# LIBER TRICESIMUS SECUNDUS.

VERS. 33, 34. *Respondens autem Job Domino dixit: Qui leniter locutus sum, respondere quid possum?* Ac si dicat: Sermonem meum defenderem, si hunc cum rationis pondere protulissem; at postquam lingua levitate usa convincitur, quid restat nisi ut conticendo refrenetur? Sequitur: *Manum meam ponam super os meum.* — Usu sacri eloquii, in manu operatio, in ore locutio solet intelligi. Manum ergo super os ponere est, virtute boni operis culpas tergere incautæ locutionis. Quis enim est tam perfectus, qui saltem in otioso sermone non peccet, Jacob attestante, qui ait: « In multis enim offendimus omnes (*Jac.* III. 2).» Unde sancta Ecclesia, manum super os ponit, dum in electis ejus quotidie otiosæ locutionis vitam virtute bonæ actionis operitur. Scriptum namque est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates,» etc. (*Psal.* XXXI, 1.) Sequitur:

VERS. 35. *Unum locutus sum quod utinam non dixissem, et alterum; quibus ultra non addam.* — Si transacta verba beati Job discutimus, nil eum nequiter dixisse reperimus; si vero ea quæ cum veritate ac libertate prolata sunt, in aliquo superbiæ vitio flectimus, duo solummodo jam non erunt, quia multa sunt. Sed quia nostrum est hominibus sensum verbis aperire, loqui vero nostrum ad divinas aures est motum mentis expressione actionis ostendere. Unum ergo loqui illicite est, res flagello dignas agere, aliud loqui est etiam de flagello murmurare. Ac si ergo dicat: Rectum quidem me inter homines credidi, sed te loquente ante flagella pravum, et post flagella me rigidum inveni. Quibus ultra unum non addo, qui jam nunc quanto te loquente subtilius intelligo, tanto memetipsum humilius investigo. Electi autem in Ecclesia in uno et ab alio deliquisse se sentiunt, quia se intelligunt vel in cogitatione et opere, vel in Dei ac proximi neglecta dilectione peccasse, quibus se promittunt ultra nil addere, quia per conversionis gratiam curant pœnitendo quotidie etiam transacta purgare. Omnis autem peccator in pœnitentia duplicem habere gemitum debet, nimirum, quia et bonum, quod oportuit, non fecit; et malum quod non oportuit, fecit. Sequitur:

## CAPUT XL.

VERS. 1, 2. *Respondens autem Dominus Job de turbine dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et indica mihi.* — Hæc autem omnia primo jam Domini sermone tractata sunt. Sequitur:

VERS. 3. *Nunquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris?* — Beatus itaque Job quia culpam suam inter flagella non invenit, nec tamen flagella eamdem causam sibi esse augendi meriti deprehendens, injuste feriri se credidit, cum quid in se debuisset corrigi nil invenit. Non enim idcirco eum flagella cœlestia percusserunt, ut in eo culpas exstinguerent, sed potius ut merita augerent. Sed, ne eum ipsa innocentia in tumorem elationis inflecteret, divina voce corripitur, ut superna sententia et si non est cognita, non tamen credatur injusta. Sequitur:

VERS. 4. *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas.* — Cum enim Deo vox et brachium dicitur, cavendum summopere est ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In Antropomorphitarum namque hæresim cadere est eum, qui incir- B cumscripte implet et complectitur omnia, inter corporea lineamenta concludere; sed omnipotens Deus, ad sua nos trahens, usque ad nostra se humiliat, atque, ut alta insinuet, humilius condescendit. Unde sit ut per Scripturam suam aliquando a corporibus omnium similitudinem trahat, ut illud: « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II, 8)» et: « In scapulis suis obumbravit tibi (*Psal.* XC, 4) » Aliquando a mentibus, ut illud: « Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam (*Jer.* II, 2).» Aliquando ab avibus, ut illud: « Expandit alas et accepit eos (*Deut.* XXXII, 11).» Aliquando etiam ab insensatis rebus, ut illud: « Ecce ergo stridebo super vos, sicut stridet plau- C strum onustum feno (*Amos* II, 13).» Cum autem in Deo oculi, scapulæ atque alæ nominantur, effectus quidam operationis ostenditur; cum vero manus et brachium, dextera vel vox in Deo dicitur: per hæc vocabula consubstantialis ejus Filius demonstratur. Ipse quippe est manus et dextera, ut illud: « Tollam in cœlum manum meam (*Deut.* XXXII, 40),» et: « Jurabo per dexteram meam (*Isa.* LXII, 8).» Ipse brachium: « Et brachium Domini, cui revelatum est (*Isa.* XXXIII, 1).» Ipsa vox: « Ipse dixit, et facta sunt (*Psal.* XXXII, 9).» Deo ergo brachium habere est operantem Filium gignere: voce tonare est, consubstantialem sibi filium terrilibiliter demonstrare. Sed cum beato Job ista dicuntur, mira dispensatione pietatis eum, D dum increpat, exaltat. Sequitur:

VERS. 5. *Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.* — Subaudis ut ego; ipse sibi circumdat decorem. De quo scriptum est: « Dominus regnavit, decorem indutus est (*Psal.* XCII, 1).» Ipse apud nos *in sublime* erigitur, cum in nostris mentibus in natura sua

esse impenetrabilis demonstratur. Ipse vero *gloriosus est*, qui dum seipso perfruitur, accidentis laudis indigens non est. Ipse *speciosis* induitur *vestibus*, qui sanctorum choros quos condidit, in usum sui decoris assumpsit, et velut quamdam vestem, gloriosam sibi Ecclesiam exhibet. « Non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* v, 27). » Unde et per Prophetam dicitur : « Confessionem et decorem induisti, » etc. (*Psal.* CIII, 1).

VERS. 6. *Disperge superbos in furore tuo.* — Subaudis ut ego, qui eos tranquillitatis tempore immites contra me tolero, et districtus quandoque veniens, in meo eos furore dispergo. Absit autem ut quis credat quod in illa divinitatis substantia furore tranquillitas varietur. Hinc enim scriptum est : « Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas (*Sap.* XII, 18). » Sed furor Domini in loco, non perturbatio divinæ substantiæ, sed super peccatores male conscios examinatio justæ vindictæ dicitur. Sequitur : *Et respiciens, omnem arrogantem humilia.* — Ac si dicat, ut ego. Duobus autem modis a Domino peccator unusquisque respicitur; cum aut a peccato convertitur, aut ex peccato punitur. De respectu enim conversionis dicitur, quia « respexit Dominus Petrum, » etc. (*Luc.* XXII, 61). De respectu rursum ultionis dicitur : « Vultus autem Domini super facientes mala, » etc. (*Psal.* XXXIII, 17).Sequitur :

VERS 7. *Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo.* — Subaudis ut ego superbi enim ex respectu Domini confunduntur, aut hic de pietate cognoscentes et damnantes crimina, aut illic supplicia de justitia sentientes. Impiorum vero locus ipsa superbia est, quia cum scriptum sit : « Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 25). » Unde oritur impietas, ibi continetur. Quamvis nec quidquam a superbia distat impietas. Valde enim superbire est de auctore perversa sentire. Impius ergo in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua elevatur, opprimitur. Unde Propheta ait : « Dejecisti eos dum allevarentur (*Psal.* LXXII, 18). » Sequitur :

VERS. 8. *Absconde eos in pulvere.* — Ac si dicat, ut ego. Superbos enim atque impios justo judicio Dominus in pulvere abscondit, quia nimirum quasi ante faciem veri luminis non apparet, quisquis adhuc ea quæ mundi sunt, appetit atque sub pulvere terrenæ cogitationis latet Hunc pravarum cogitationum pulverem oppressa mens tolerat, quæ ventus nequissimæ tentationis asportat. Sequitur : *Simul et facies eorum demerge in foveam.* — Ac si dicat, ut ego. Justo namque judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum sese ultra omnes erigentem inferius dejicit. Ima enim respicit, cujus facies foveam attendit. Recte ergo eorum facies in foveam demergi perhibentur, quia sequentes infima, ad inferni barathrum tendunt. Sequitur :

VERS. 9. *Et ego confitebor quia salvare te possit dextera tua.* — Ac si aperte diceret : Si potes
A terribilia hæc facere ipsa quæ pertuli, tibi et non mihi deputo bona omnia quæ fecisti. Si vero peccantes alios respiciendo non potes perdere, liquet quod reatu nequitiæ tua te virtute non liberares. Sequitur :

VERS. 10. *Ecce Behemoth quem feci tecum.* — Quem sub Behemoth nomine, nisi antiquum hostem insinuat, qui interpretatus ex Hebræa voce in Latina lingua, *animal* sonat ? Sed cum de Deo dicitur, quia fecit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1), hoc animal cum homine fecisse indicat, dum cuncta quia semel fecerit constat. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est : et quoad simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem
B formæ. Sed cur de Behemoth specialiter dicitur, cum beatus Job factum, quod commune cum creaturis omnibus generaliter habeatur ? Subtili autem discussione « simul » factum angelum hominemque cognoscimus ; « simul, » videlicet non unitate temporis, sed cogitatione rationis. « Simul » per acceptam imaginem sapientiæ, et non « simul » per conjunctam substantiam formæ. Scriptum namque est de homine : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I, 26). » Et per Ezechielem ad Satan dicitur : « Tu signaculum similitudinis plenus sapientiæ et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti (*Ezech.* XXVIII, 12). » Quia ergo in cuncta conditione rerum, nullum rationale animal nisi angelus
C et homo est quidquid ratione uti non potest cum homine factum non est. Ergo homo cum eum qui ratione secum factus est periisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsa propinqui sui perditione pertimescat. Sciendum vero est, quia nefarium Manichæi dogma hic reprehenditur, qui dum duo principia loquitur, tenebrarum gentem non facta asserere conatur. Quomodo enim gentem dicit nequissimam non factam, dum Behemoth, istum videlicet auctorem nequitiæ per naturam bene conditum se Dominus fecisse testatur ? Sequitur : *Fenum sicut bos comedit.* — Hæc etiam eadem Isaias ait : « Leo sicut bos comedit paleas (*Isa.* XI, 7). » Quid autem feni palearumque nomine, nisi carnalium vita signatur ? De qua per prophetam dicitur : « Omnis caro fenum (*Isa.* XL, 6). »
D Qui ergo hic Behemoth,illic leo ; et qui hic fenum, illic palleæ nominantur ; boves enim aquam quamlibet sordidam bibunt, sed feno nonnisi mundo vescuntur. Quid est ergo quod bovi, qui mundum comedit, Behemoth iste comparatur, nisi hoc quod de isto antiquo hoste per prophetam dicitur ? Esca ejus electi (*Habac.* I, 16). » Fenum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritalium quærit. Sed quærendum est si feno vita carnalium designatur, quomodo fenum comedens escam habet electam. Sed hoc citius occurrit, quia nonnulli hominum et apud Deum fenum sunt, et apud homines sanctitatis nomine censentur. De quibus per Salomonem dicitur : « Vidi impios sepultos, qui

etiam cum adhuc viverent in loco sancto erant, et laudabantur in civitate (*Eccle.* VIII, 10). » Per hoc quidem quod mundam vitam per studium dicunt, sed ex illa intus placere non appetunt, recte esca ejus electa dicitur, et tamen fenum sicut bos comedere Behemoth iste memoratur. Sequitur :

VERS. 11. *Fortitudo ejus in lumbis, et virtus ejus in umbilico* ventris ejus perhibetur. — Hinc Veritas ait : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Hinc Petrus ait : « Succincti lumbos mentis vestræ (*I Petr.* I, 13). Quia vero feminarum luxuria feminis in umbilico continetur, propheta testatur dicens : « In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus (*Ezech.* XVI, 4). » Behemoth itaque iste insatiabiliter sæviens, et devorare simul hominem quærens, modo in superbiam mentem erigit, modo carnem luxuriæ voluptate corrumpit. Bene autem nequaquam fortitudo ejus in lumbis vel umbilico eorum, dicitur, qui prosternuntur, quia nimirum ejus proprie corpus fiunt qui suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per luxuriæ fluxa succumbunt. Sequitur :

VERS. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum.* — In sacra Scriptura cedri nomine aliquando alta excellentia gloriæ cœlestis exprimitur, ut illud Prophetæ : « Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani, » etc. (*Psal.* XCI, 13). Aliquando autem pravorum rigida elatio designatur, ut illud : « Vox Domini confringentis cedros (*Psal.* XXVIII, 5). » Quid autem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur? Cum nimirum vas proprium illum perditum hominem ingrediatur, qui specialiter Antichristus nuncupatur, quem quia modo honoribus sæculi, modo signis ex prodigiis fictæ sanctitatis in timore potentiæ elevare permittitur, recte voce Dominica cauda illius cedro comparatur. Sicut cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit, ita nunc Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens mensuras hominum et honoris culmine, et signorum potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est, qui in sublimibus conditus potentiam naturæ suæ non perdidit vel dejectus ; cujus idcirco virtus nunc maxime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis ligatur. Unde per Joannem dicitur : « Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum (*Apoc.* XX, 1-3). » Bene autem stringere caudam dicitur, quia tota ejus virtus in illo damnato homine congesta densatur, ut tanto per illum fortia ac mira faciat, quanto illum collectis suis viribus instigat. MORALITER. Caudam itaque quasi cedrum stringere dicitur, quia semel ejus recepta in corde tentatio, in cunctis quæ subsequenter intulerit, velut ex jure dominatur. Hujus ergo Behemoth caput herba est, cauda cedrus, quia ex prima quidem suggestione blandiens substernitur ; sed per usum vehementer

A invalescens, sub crescentis tentationis fine roboratur. Unde bene stringere caudam dicitur ; dente enim vulnerat, quando ligat, quia prima suggestio percutit, sed percussam mentem ne evadere valeat, invalescente tentatione astringit. Behemoth enim iste prius illicita suggerens, linguam exerit, post ad delectationem pertrahens dentem figit, ad extremum vero per consensionem possidens cauda stringit. Sequitur : *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* — Tot iste Behemoth testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet, qui pravis persuasionibus corda hominum virulenta erroris semina fundendo, corrumpunt. Qui *perplexi sunt*, quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus enodantur, ut recta esse simu-

B lent, quæ perversa persuadent, ut alligationum implicatio quasi nervorum perplexitas, etsi videri possit, solvi non possit. Ipsum nimirum suum caput imitantes, qui quasi leo in insidiis, et sævit per potentiam terreni culminis, et blanditur per speciem sanctitatis. Multi enim Antichristum non viderunt, sed tamen testiculi ejus sunt, quia corda actionis suæ exemplo corrumpunt. Quisquis namque in superbia tollitur, quisquis avaritiæ desideriis cruciatur, vel luxuriæ voluptatibus solvitur, quid aliud quam Antichristi testis ? Qui dum se libenter hujus usibus implicat, exemplo suo aliis erroris fetus ministrat. MORALITER. Testes ejus sunt suggestiones pravæ, quibus in mentis corruptione fervescit, atque in constuprata anima iniqui operis

C prolem gignit, sive pestifera argumenta machinationum. Per ipsa quippe calliditatis suæ vires erigit, et fluxa mortalium corda corrumpit. Sed horum *testiculorum nervi perplexi sunt*, qui suggestionem illius argumenta, implicatis inventionibus alligantur, ut plerosque ita peccarefaciant, quatenus si fortasse peccata fugere appetunt, hoc sine alieno peccati laqueo non evadant, et culpas faciant, dum vivant ; veluti quis quæ mundi sunt deserens, alieno se subdere regimini appetit, sed eum qui sibi ad Deum præesse debeat, minus cauta inquisitione discernit. Cui fortasse is qui sine judicio eligitur, et præesse jam cœperit, agi quæ Dei sunt prohibet, quæ mundi sunt jubet. Pensans itaque subditus, vel quæ sit culpa inobedientiæ, vel quod contagium sæcularis vitæ, et obedire trepidat, et

D non obedire formidat. Sed si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia et qui murorum undique ambitu refugiat clauditur, ubi se in fuga præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Sequitur :

VERS. 13. *Ossa ejus velut fistula æris.* — In corpore ossa sunt quæ continentur. Habet ergo carnes hæc bellua, habet ossa ; quia et iniqui sunt alii, qui tamen ab aliis in errore tenentur, nequiores aliqui in errore et alios retinent. Quid aliud ossa Antichristi, quam quoslibet in ejus corpore valentiores accipimus, in quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota ejus corporis compago subsistit ? Recte enim fistulæ æris comparantur, quia nimi-

rum more metalli in sensibus sonum loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt, quod elati vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur : « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 1). » MORALITER. Quis per ossa Behemoth istius nisi consilia designantur ? Nam sicut in ossibus positio est corporis roburque subsistit, ita in fraudulentis consiliis tota se ejus malitia erigit ; neque enim vi quempiam premit, sed calliditate pestiferæ persuasionis interficit. Et rursum, sicut medullæ confortant ossa quia irrigant, ita ejus consilia per naturæ spiritalis potentiam infusa ingeniis subtilitas roborat. Hoc vero testiculi ab ossibus, id est suggestiones a consiliis distant, quod per illos aperte noxia inserit, per hæc autem quasi et bono consulens ad culpam trahit. Bene autem æris fistulis comparantur. Æris quippe fistulæ sonoris aptari cantibus solent, ita quoque astuta consilia, dum si qua blanda provisione consulunt, cor a forti intentione pervertunt, et dum dulcia resonant, ad noxia inclinant. Veluti quis frangere voluntates parat, et alterius voluntatibus subdi, huic hostis callidus blandiens dicit : O quanta per temetipsum agere miranda poteras, si nequaquam te judicio alterius subdidisses ! et his similia. Sequitur : *Cartaligo illius quasi laminæ ferreæ.* Cartilago namque ossis quidem speciem habet. Quid est ergo quod cartilago ejus laminis ferreis comparatur, nisi quod hi qui in illo debiliores sunt ad perpetranda mala nequiores existunt ? Ferro quippe cætera metalla conciduntur, et cartilago ejus similis ferro dicitur, quia hi qui in ejus corpore ad ostentationem virtutum non sufficiunt, contra necem fidelium acrius accenduntur. Qui recte non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur ; quia dum se circumquaque in credulitate dilatare ambiunt, quasi in ferri se laminis extendunt. MORALITER. Quid per cartilaginem, nisi simulatio ejus accipitur ? Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem. Plerumque in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et justitia putatur, atque immoderata ira justi zeli meritum creditur. Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas habetur ; nonnunquam effusio misericordia creditur. Quid per laminas ferri, nisi duritia fortitudinis designatur ? Nonnulli enim infirma faciunt, sed elationis decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt, et quo esse magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. De quibus Jeremias ait : « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus : aruit et facta est quasi lignum (*Thren.* IV, 7, 8). » Sequitur :

VERS. 14. *Ipse est principium viarum Dei.* — Quid enim vias Dei, nisi ejus actiones accipimus ? De quibus per prophetam dicitur : « Non enim viæ meæ sicut viæ vestræ (*Isa.* LV, 8). » Et principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Hinc propheta ait : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non coæquaverunt summitati ejus, » etc, (*Ezech.* XXXI, 8.) Et rursum : « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi fuisti (*Ezech.* XXVIII, 12). » Consideret ergo homo quid elevatus in terra mereatur, si et prælatus angelis in cœlo prosternitur. Hinc propheta ait : « Inebriatus est in cœlo gladius (*Isa.* XXXIV, 5). » Sequitur : *Qui fecit eum, applicavit gladium ejus.* Gladius quippe Behemoth istius, ipsa nocendi malitia est. Sed ab eo quo bonus per naturam factus est ejus gladius applicatur, quia ejus malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire tantum hominum mentes quantum appetit permittatur. Iste namque Behemoth, quia principium viarum Dei est, cum contra sanctum virum licentiam tentationis accepit, cuncta abstulit, convivantes filios exstinxit, sed gladius ejus a Conditore replicatur, cum dicitur : « Animam illius serva (*Job.* II, 6). » Notandum quoque est quod vesanum dogma Arii aperta in hoc loco ratione dissipatur ; facturam quippe Dei Filium patitur, et ecce Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo ut Arius non factum Filium prædicet, aut eum post Behemoth conditum stultum putet. Quia vero nos cognoscimus cum quanto hoste pugnamus, superest ut unusquisque nostrum tanto se plenius auctori subjaceat, quanto contra se sævire violenter adversarii vires pensat.

---

# LIBER TRICESIMUS TERTIUS.

VERS. 15. *Huic montes herbas ferunt.* — In Scriptura sacra cum numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus designatur, sicut scriptum est : « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium (*Isa.* II, 2). » Aliquando sancta Ecclesia, ut illud : « Qui confidunt in Domino sicut mons Sion (*Psal.* CXXIV, 1). » Aliquando testamentum Domini, sicut Habacuc ait : « Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso (*Habac.* III, 3). »

Aliquando apostata angelus, ut illud : « Transmigra A in montem sicut passer (*Psal.* x, 1). » Cum vero montes plurali numero nominantur, aliquando celsitudo apostolorum atque prophetarum designatur, ut illud : « Justitia tua sicut montes Dei (*Psal.* xxxv, 7). » Aliquando vero sæcularium potestatum tumor exprimitur, de quibus dicitur : « Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini (*Psal.* xcvi, 5). » Elati namque sæculi hujus huic Behemoth *herbas ferunt*, quia ex eo illum reficiunt, quod nequiter operantur, quia suas illi offerunt fluxas et lubricas voluntates. « Erunt enim, ait Apostolus, homines seipsos amantes, voluptatum amatores magis quam Dei (*II Tim.* III, 2, 4). » Quæ est ergo herba montium, nisi voluptas fluxa quæ ex corde gignitur superborum? Quibus nimirum herbis Behemoth B iste pascitur, quia in eis pœnam æternæ mortis esuriens, eorum perditis moribus satiabitur. Sequitur : *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Quid per bestias agri nisi immundi spiritus designantur? Unde et de ipso malignorum spirituum principe contra Ephrain dicitur : « Bestia agri scindet eos (*Ose.* XIII, 8). » Et Isaias : « Mala bestia non transibit per eam (*Isa,* xxxv, 9). » Et quid per agrum, nisi præsens sæculum accipitur? Hinc Dominus ait : « Ager autem est mundus (*Matth.* XIII, 28). » Agri ergo bestiæ in herbis montium ludunt, quia projecta de superioribus in hunc mundum dæmonia pravis superborum operibus delectantur. Bene in herbis ludunt, cum reprobi spiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. Pro eo C enim quod superbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla est agri bestia quæ non horum montium herba satietur. Sequitur :

VERS. 16. *Sub umbra dormit.* — Obumbratio in sacro eloquio aliquando incarnatio Domini ponitur, ut illud : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 15). » Aliquando mentis refrigerium a fervore carnalium cogitationum, ut illud : « Sub umbra alarum tuarum protege me (*Psal.* XVI, 8). » Vel : « Sub umbra illius quem desiderabam sedi (*Cant.* II, 3). » Aliquando umbras recedentem charitatem frigidæ mentis accipimus, sicut de peccante homine dictum est, quia secutus est umbras. Nonnunquam vero per umbram (si tamen cum adjectione mortis ponatur) vel mors carnis exprimitur, ut illud : « Et cooperuit nos umbra mortis (*Psal.* D XLIII, 20). » Mors quippe carnis imago est mortis æternæ. Vel certe mors diabolus, ut illud : « Nomen illi mors (*Apoc.* VI, 8). » Umbra ergo mortis sunt omnes reprobi, qui illius nequitiam elationis imitantur, ejusque imaginem quasi umbram exprimunt. Hoc autem loco umbra nequitiæ torpor accipitur, in qua ipse Behemoth dormit, quia contra corda claritate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem securus jacet Dormire etiam in sanctorum cordibus non potest, quia si quando se in eis ad momentum collocat, tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cœlum clamant. Unde fit ut bonarum actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida redeat. Sequitur : *In secreto calami.* In sacro eloquio calami vel arundinis appellatione aliquando verbum manens accipitur, ut illud : « Lingua mea calamus scribæ, » etc. (*Psal.* XLIV, 2.) Aliquando doctorum peritia, ut illud : « Et in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci (*Isa.* xxxv, 7). » Ubi per calamum doctrina scribentium, per juncum viriditas auditorum intelligitur. Aliquando mobilitas mentis, ut illud : « Quid existis videre? Arundinem vento agitatam? » (*Matth,* XI, 7.) Aliquando nitor gloriæ temporalis accipitur, ut illud Sapientiæ : « Fulgebunt justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrent (*Sap.* III, 7). » Ubi arundinetum vitam sæcularium appellat. Hoc ergo loco appellatione calami, mentes sæcularium designantur; quorum corda tacitus tenet, dum eos ad appetitum temporalis nitoris atque altitudinis commovet, et quasi ibi ipse quietus dormit ubi eos quos possidet, quiescere non permittit. In hoc enim quod ipsi interitus more calami vacui remanent, locum Behemoth isti ubi apud se requiescere debeat, præbent. Sequitur : *In locis humentibus.* — Loca namque humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit. Loca quippe humentia sunt opera voluptuosa. *In his* itaque *locis humentibus dormit,* quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit. Aliter : Possunt per loca humentia, membra genitalia, id est luxuria, designari, ut et per calamum gloria superbiæ, et per loca humentia, luxuria corporis exprimatur. Duo quippe hæc sunt vitia quæ humano generi immaniter dominantur : unum videlicet spiritus, atque aliud carnis. Antiquus itaque hostis humanum genus vel per elationem præcipitat, vel per luxuriam premit, quosdam vero etiam in utroque possidet. Sequitur :

VERS. 17. *Protegunt umbræ umbram ejus.* — Umbræ quippe sunt diaboli omnes iniqui; qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Umbræ itaque umbram protegunt; quia peccatores quique in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem dum corripiunt, defendunt. Quod ad hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa in qua et ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Hinc propheta ait : « Oriuntur in domibus spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus (*Isa,* XXXIV, 14) » Ubi per urticas cogitationum prurigines, per spinas vitiorum punctiones, accipimus; per paliurum vero, quæ spina est densissima, nequissimorum tuitionem intelligimus. *Circumdabunt eam salices torrentis.* — In sacro eloquio salicum nomen aliquando pro viriditate boni ponitur, ut illud prophetæ : « Germinabunt in herbis sicut salices juxta fluentes aquas (*Joan.* XLIV, 4). » Aliquando pro sterilitate reprobi designantur, ut illud : « In salicibus in medio ejus, » et reliqua (*Psal.* CXXXVI, 2). Torrens utique mortalis vitæ cursum designat, ut

illud. « De torrente in via bibet (*Psal.* CIX, 7). » *Circumdabunt eum salices torrentis.* Qui amatores vitæ mortalis, a bonis actibus quasi fructibus alieni, tanto antiquo hosti arctius inhærent, quanto eos largius delectatio transitoriæ voluptatis infundit. Hos etiam quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat. Habent honestatis interdum verba quasi folia, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. Sequitur :

VERS. 18. *Absorbebit fluvium et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* — Quid hoc loco fluvii nomine, nisi humani generis decursio designatur? Quæ velut a sui fontis origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit. Quid autem signatur apellatione Jordanis, nisi qui jam imbuti sunt sacramento baptismatis ? Quia enim Redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, ejus nomine debent baptizati omnes exprimi, quo hoc ipsum contigit sacramentum baptismatis inchoare. Ac si ergo diceret : Ante Redemptorem mundi mundum non miratus absorbuit, sed, quod est acrius, etiam post Redemptoris adventum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt deglutire se posse confidit : alios enim fidei errore supplantat, alios usu pravæ operationis inclinat. De talibus dictum est : « Confitentur nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I, 26). » Et : « Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II, 4). » Aliter : Quos per Jordanem dicimus exprimi, possunt per fluvium designari ; quique enim fide jam veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, recte fluvius dici possunt, quia videlicet deorsum fluunt. Jordanis vero Hebraico vocabulo *descensio eorum* dicitur. Et sunt nonnulli qui vias veritatis appetentes semetipsos abjiciunt, atque a vitæ veteris elatione discedunt ; cumque æterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt. Hinc dicitur : « Qui vult post me venire abneget semetipsum (*Matth.* XVI, 24). » Sed antiquus hostis hoc pro magno non habet,cum sub jure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet. Propheta quippe testante cognovimus quia *escæ ejus electæ.* Magnopere enim illos rapere nititur, quos despectos terrenis studiis, jungi jam cœlestibus contemplatur. Hinc per prophetam dicitur : « Vocavit Dominus judicium ad ignem, et devoravit abyssum multum, et comedit partem domus (*Dan.* VII, 4). » Sequitur :

VERS. 19. *In oculis ejus quasi hamo capiet eum.* — Quis nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur ? Esca enim provocat, ut aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret ; quam mortem dum in illo injuste appetit, nos quos quasi juste tenebat, amisit. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devorato-

A rem duceret ; ibi divinitas, quæ perforaret. In oculis quippe habere dicimus, quod coram nobis positum videmus. Antiquus vero hostis humani generis redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit dicens : « Quid nobis et tibi, Fili Dei ? Venisti ante tempus torquere nos ? » (*Matth.* VIII, 29.) quem et novit et momordit. Sequitur : *Et in sudibus perforabit nares ejus.* — Quid aliud sudes, id est palos accipimus, qui videlicet exacuuntur ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia ? Quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transfigunt. Per nares odor trahitur. Naribus ergo Behemoth callidæ ejus insidiæ designantur, per
B quas sagacissime nititur, et occulta cordis nostri bona cognoscere, et hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus nares ejus perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat. Possunt per sudes acutas, per ipsius carnem manifestæ sapientiæ verba signari. Et quia naribus odor trahitur, per Behemoth nares illa antiqui hostis exploratio figuratur ; qui cum Deum incarnatum esse dubitaret, hunc miraculis voluit cognoscere, dicens : « Si Filius Dei es, » et reliqua (*Matth.* IV, 3). Sed dum ei protinus respondetur : « Non in solo pane vivit homo, » et reliqua (*Ibid.*, 4) ; et : « Non tentabis Dominum Deum tuum (*Ibid.*, 7), » quasi sententiarum suarum acuminibus indagationem antiqui hostis veri-
C tas perculit, quasi nares ejus sudibus perforavit. Sequitur :

VERS. 20. *An extrahere poteris Leviathan hamo ?* — Subaudis, ut ego. Leviathan quippe *additamentum eorum* dicitur. Hominum videlicet, quibus semel culpam prævaricationis intulit, et hanc usque ad æternam mortem quotidie pessimis suggestionibus extendit. Potest quoque per irrisionem Leviathan vocari. Primo quippe homini persuasione callida divinitatem se additurum perhibuit, sed immortalitatem tulit. Sed Leviathan iste hamo captus est, quia in Redemptore nostro dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Hujus hami linea, Christi est genealogia. Nam cum dicitur : « Abraham ge-
D nuit Isaac, Isaac genuit Jacob (*Matth.* I, 2), » usque ad Mariam virginem, quasi quædam linea torquetur, in cujus extremo incarnatur Dominus, id est hamus ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus appeteret. Sequitur : *Et fune ligabis linguam ejus ?* Subaudis, ut ego. Scriptura enim sacra funis nomine aliquando dimensionem sortis designat, ut illud : « Funes ceciderunt mihi in præclaris, » et reliqua (*Psal.* XV, 6). Aliquando peccata, ut illud prophetæ : « Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis (*Isa.* V, 18). » Aliquando autem fidem designare consuevit. Salomone attestante, qui ait : « Funiculus triplex difficile rumpitur (*Eccle.* IV, 12). » Hoc itaque loco funis nomine, sive peccatum, sive fidem nil obstat intelligi. Incarnatus vero Dominus fune lin-

guam leviathan ligavit, quia « in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), » apparuit, et omnia errorum ejus prædicamenta damnavit, ut Apostolus ait : « Et de peccato damnavit peccatum (*Ibid.*). » Unde bene per prophetam dicitur : « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti (*Isa.* XI, 15). » Si autem fune fides signatur, leviathan lingua fune stringitur, quia, extensa fidei Trinitatis doctrina, errorum prædicamenta siluerunt. Hinc enim scriptum est : « Tu dirupisti fontes et torrentes, etc. (*Psal.* LXXIII), 15). Sequitur :

A

VERS. 21. *Nunquid pones circulum in naribus ejus?* — Subaudis, ut ego. Sicut per nares insidiæ, ita per circulum divinæ virtutis omnipotentia designatur. Circulus ergo ei in naribus ponitur, dum circumducta protectionis supernæ formidine ejus sagacia retinetur, nec contra infirmitates hominum tantum prævaleat,quantum perditionis argumenta latenter explorat. Potest etiam circuli nomine occulti judicii adjutorium designari. Leviathan itaque in naribus a Domino circulus ponitur, quia judicii ejus notentia in insidiis suis, ne quantum vult prævaleat, coarctatur. Unde regi Babyloniæ dicitur : « Ponam circulum in naribus tuis (*IV Reg.* XIX, 28). » Sequitur : *Aut armilla perforabis maxillam ejus?* — Subaudis, ut ego. Per armillam occulti ejus judicii erga nos protectio impensa designatur. Maxilla itaque leviathan perforatur, quia ineffabili misericordiæ potentia sic malitiæ antiqui hostis obviat, ut aliquando eos etiam, quos jam cepit, amittat, et quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Aliter. In ore tenere leviathan dicitur, non quos perfecte peccato implicat, sed quos adhuc peccati persuasionibus tentat, sed miro dispensationis ordine, dum tentantur, humiliantur ; dum humiliantur, ejus esse jam desinunt.Mandendum quidem, sed non degluliendum acceperat Paulum, quando illum, post tot revelationum sublimia, stimulis carnis agitabat (*II Cor.* XII, 7). Unde occultis Dei dispensationibus serviens, sanctos ad interitum tentat volens, sed ad regnum tentando servat invitus. Sequitur :

B

C

VERS. 22. *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* — Subaudis, ut mihi. Si enim ad personam Filii Dei hæc verba referantur, incarnato Domino ei *mollia* loquebatur, cum diceret : « Scio quia sis Sanctus Dei (*Marc.* I, 24). » Preces multiplicat, cum per legiones diceret : « Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum (*Matth.* VIII, 31). » Quamvis intelligi aptius potest quia ad Deum preces multiplicat, cum in judicio iniqui, qui sunt corpus ejus, sibi parci deprecantur, dicentes : « Domine, Domine, aperi nobis (*Luc.* III, 25). » Quibus respondetur : Nescio vos (*Ibid.*). » Mollia etiam per membra sua tunc loquetur, cum dixerint : « Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? » etc. (*Matth.* VII, 22.) Sed mox audient. » Nescio qui estis (*Ibid.*, 23). » Sequitur :

D

VERS. 23. *Nunquid feriet tecum pactum?* — Subaudis, ut mecum. Sequitur : *Et accipies eum servum sempiternum?* — Subaudis, ut ego. Antiquus itaque hostis, et a sinceritate divinæ innocentiæ, malitiæ succensus face, discordat, sed ab ejus judicio, etiam discordando non discrepat. Nam viros justos semper malevole tentari appetit, sed tamen hoc Domino vel misericorditer fieri, vel juste permittit. Hæc ergo ipsa tentationis licentia pactum vocatur, in qua et desiderium tentatoris agitur, et tamen per eam miro modo voluntas justi dispensatoris impletur. In pacto namque discordantium jurgia fine desiderato concluduntur. Et bene ex hoc pacto servus accipi perhibetur, quia inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ. Servus ergo ex pacto est, qui dum voluntatem suam implere permittitur, a superni consilii voluntate ligatur. Hoc autem in loco a Domino non solum ex pacto servus, sed sempiternus servus accipitur. Neque enim justos jam in felicitate pollentes tentare permittitur, sed cum suo corpore reprobis scilicet flammis ultricibus tradetur, quibus sine fine crucietur, quos scilicet cruciatus, dum justi conspiciunt, in Dei laudibus crescunt. Igitur, si utilitate justorum, et hic tentatio, et illic damnatio proficit, sempiternus servus est. Sequitur :

VERS. 24. *Nunquid illudes ei quasi avi?* — Quid est quod adversarius noster prius Behemoth, postmodum leviathan dicitur, nunc vero avi perditionis suæ illusionem comparat? Behemoth quippe *bellua* interpretatur, quæ quadrupes ostenditur, dum *sicut bos* fenum comedere perhibetur. Leviathan vero quia hamo capitur, procul dubio serpens in aquis innotescitur. Irrationale utique et quadrupes animal est per actionis immundæ fatuitatem, draco per nocendi malitiam, avis per subtilis naturæ levitatem. In eis quippe quos ad stultitiam luxuriæ excitat, jumentum est ; in eis autem quos ad nocendi malitiam inflammat, draco est ; in eis autem quos in statu superbiæ quasi alta sapientes elevat, avis est. Sed huic videlicet quasi avi Dominus illusit, dum ei in passione unigeniti Filii ostendit carnem quasi escam, sed laqueum divinitatis abscondit. Sequitur : *Aut ligabis eum ancillis tuis?* — Subaudis, ut ego. In servis etsi despecta est conditio,virilitas viget,in ancillis autem cum conditione pariter sexus ait : Ancillis ergo suis leviathan hujus fortitudinem Dominus ligavit, quia, attestante Paulo, « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 27). » Unde Salomon ait : « Sapientia ædificavit sibi domum,et scidit columnas septem, immolavit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis (*Prov.* IX, 1, 2). » Infirmos enim prædicatores mundo exhibuit, et potentes quosque qui ejus corpus fuerunt sub terroris sui vincla restrinxit, et in semetipso leviathan iste ancillis ligatur, cum infirmis prædicantibus, veritatis lumine clarescentes contra electorum mentes antiquus hostis non quantum vult, sævire permittitur. Sed ne sub infidelitatis captivitate cunctos quos appetit teneat, signis et virtutibus coarctatur. Sequitur :

VERS. 25. *Concident eum amici, divident illum negotiatores.* — Toties enim conciditur leviathan iste, quoties divini verbi gladio sua ab illo membra separantur. Iniqui enim cum veritatem audiunt, et sancto timore perculsi ab antiqui hostis se imitatione suspendunt, ipse in corpore suo dividitur, cui hi qui prave inservierant, subtrahuntur. Sancti enim prædicatores prius ancillæ sunt per formidinem. De quibus dicitur : « Nolite timere, pusillus grex (*Luc.* XII, 32). » Amici per fidem. Ut illud : « Vos autem dixi amicos, » etc. (*Joan.* XV, 15). Ad extremum quoque negotiatores per actionem. Ut illud : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » In prædicatione quippe fidei, quasi quoddam negotium geritur, dum verbum datur, et fides ab auditoribus sumitur. Hinc enim Psalmista ait : « Sumite psalmum et date tympanum (*Psal.* LXXX, 3). » Et rursum, Salomon ex voce sanctæ Ecclesiæ ait : « Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo (*Prov.* XXXI, 24). » Quia enim per prædicatores Dei valde laudabiliter a leviathan isto res possessa dividitur, Veritatis vox per prophetam pollicetur dicens : « Et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (*Jer.* XV, 19). » Sequitur :

VERS. 26. *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius?* — Quid per sagenas, aut gurgustium piscium, nisi Ecclesiæ fidelium, quæ unam catholicam faciunt, designantur ? Unde in Evangelio scriptum est : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti (*Matth.* XIII, 47). » In pelle vero leviathan istius, stultos ejus corporis, in capite autem prudentes accipimus. Vel certe pelle quæ est exterius, subditi ad hæc extrema servientes, capite autem præpositi designantur. Prius itaque intra sanctam Ecclesiam fidelium quasi pellem diaboli, extremos atque infirmos, id est, indoctos piscatores colligit, et postmodum caput illius, id est, philosophos et prudentes sibi adversarios subdidit. Sequitur :

VERS. 27. *Pone super eum manum tuam.* — Id est, ut ego, qui forti illum potentia reprimens, non plusquam expedit sævire permitto. Vel certe super eum manum ponere est, virtutis potestate superare. Sequitur : *Memento belli nec ultra addas loqui.* — Ac si aperte diceretur : Si occulti hostis contra te bellum consideras, quidquid a me pateris non accusas. Alta quippe dispensatio judiciorum Dei idcirco sæpe bene merentes famulos vel minis impetit, vel flagellis premit, quia mira potentia prævidit. Quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mente prostrati vulneribus jacerent. Sequitur :

VERS. 28. *Ecce spes ejus frustrabitur eum.* — Quod sic de eo debet intelligi, ut referri etiam ad corpus illius possit, quia iniqui omnes qui districtionem justitiæ divinæ non metuunt, incassum sibi de misericordia blandiuntur. Sequitur : *Et videntibus cunctis præcipitabitur.* — Quia æterno tunc judice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua crudelis et fortis in medium captiva deducetur, et cum suo corpore, id est, cum reprobis omnibus æternæ gehennæ incendiis mancipatur, cum dicitur : « Discedite a me, maledicti, etc. (*Matth.* XXV, 41). » Sequitur :

CAPUT XLI.

VERS. 1, 2. *Non quasi crudelis suscitabo eum.* — Et velut si mox a nobis rationis causa quæreretur, quomodo eum non quasi crudelis suscitas, quem scimus quia tantos invadere et devorare permittis ? statim subditur dicens : *Quis enim resistere potest vultui meo ?* et : *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* — Quibus duobus versibus, et virtutem suæ potentiæ, et omne pondus rationis explevit. Ac si ergo diceret. Non eum quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine electos meos potenter eripio ; et rursum reprobos non injuste, sed rationabiliter damno, id est, et eos quos benigne eligo, eripere mirabiliter possum, et eos quos respuo, non injuste derelinquo. Nemo quippe ut divina illum gratia subsequatur prius aliquid contulit Deo. Scriptum quippe est : « Misericordia ejus præveniet me (*Psal.* LVIII, 11). » Et Paulus : « Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei donum est (*Ephes.* II, 8). » Bonum quippe quod agimus et Dei est et nostrum ; Dei, per prævenientem gratiam ; nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. Quapropter et Deo gratias in æternum agimus, et tamen retribui nobis præmia speramus. Sequitur : *Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.* — Omnibus liquet quod non solum ea quæ sub cœlo sunt, sed etiam quæ super cœlos sunt ejus voluntati serviunt. Sed quia de leviathan loquitur, qui jam non in ætherei cœli sede continetur, cuncta quæ sub cœlo sunt asserit sua esse, ut eum quoque qui de cœlo cecidit, suæ edoceat potestati servire. Sequitur :

VERS. 3. *Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.* — Quis hoc legisse se novit, nequaquam existimet quia culparum suarum diabolus sit veniam petiturus. Sed fortasse de Antichristo dicitur : « Quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui (*II Thess.* II, 8), » Ut territus tantæ majestatis præsentia ad preces inclinetur. Quod tamen de iniquis omnibus intelligi aptius potest, qui sero ad petitionum verba veniunt. Unde in Evangelio Veritas dicit : « Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* XXV, 11). » Quibus respondetur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Ibid.*, 12). » Possumus et in hoc tempore accipere quod de futuro diximus. Sunt namque nonnulli qui prolixas ad Deum preces habent, sed vitam deprecantium non habent. Hi quippe et fletus in oratione percipiunt, et tamen expletis precibus cum vitiorum suggestione pulsantur, nequaquam pro æterni regni desiderio se flevisse meminerunt. Quorum tamen petitionibus Deus non parcit, quia eorum preces opere destruuntur. Sequitur :

Vers. 4. *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* Subaudis, nisi ego, qui servorum meorum gratiam subtilissimæ discretionis inspiro, ut, revelata malitia, faciem ejus nudam videant, quam ille sub habitu sanctitatis occultat? Latenter enim leviathan iste bonis insidians, sub specie sanctitatis illudit, ut mala quæ eis publice non valet inferre, tecto bonæ actionis velamine subintromittat. Unde et membra ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt. Hinc enim scriptum est: « Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* xi, 14). » Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiæ? Sequitur: *Et in medium oris ejus quis intravit?* — Subaudis, nisi ego, qui per secretas electorum mentes suggestionum ejus verba discutio, ut nequaquam pensantur quod resonant, sed quo intendant. Sequitur:

Vers. 5. *Portas vultus ejus quis aperiet?* — Subaudis, nisi ego, qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos, perspicua cogitatione manifesto? Sicut enim sancti prædicatores portæ Sion vocantur, ita etiam per portas leviathan istius, errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio perversa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Sequitur: *Per gyrum dentium ejus formido.* — Id est, iniquos prædicatores Antichristi perversæ hujus sæculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæviendo terrere. Hinc in Apocalypsi scriptum est: « Potestas equorum in ore et in caudis ejus (*Apoc.* ix, 19). » In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ sunt dentes, de quibus dicitur: « Dentes tui sicut grex detonsarum, » etc (*Cant.* iv, 2) ita leviathan dentes sunt errorum magistri, qui reproborum vitam mordendo dilaniant, et eos a veritatis integritate subductos, in sacrificio falsitatis mactant. Sequitur:

Vers. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia.* — In Scriptura sacra scuti nomine aliquando pro divina protectione ponitur. Ut illud: « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, » etc. (*Psal.* v, 13). Aliquando pro humana repugnatione, ut illud: « Ibi confringet potentias, et gladium et scutum (*Psal.* lxxv, 4). » Scuta quippe fusilia ictu quidem ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissolvunt. Corpus ergo leviathan istius, id est, omnes iniqui, quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, nullo correptionis jaculo se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Hinc per Jeremiam dicitur: « Reddes ei vicem, Domine, juxta opera manuum suarum; dabis eis scutum cordis laborem tuum (*Thren.* iii, 64-65). » Sequitur: *Compactum squamis se præsentibus* [*prementibus*]. — Fertur quia draconis corpus squamis tegitur, nec citius jaculatione penetratur. Ita omne corpus diaboli, id est, multitudo

A reproborum cum de iniquitate corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur, et quasi quasdam defensionis suæ squamas objicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim, dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit quam deflere, quasi squamis tegitur, ne a sanctis prædicatoribus gladio verbi jaculetur. Has defensionum suarum squamas amisit Paulus in illuminatione. Sicut scriptum est de eo: « Et ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ (*Act.* ix, 18). » Hæ squamæ, quamvis omne pene humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter et callidorum hominum mentes premunt. Ipsi enim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto et stultius videri ab hominibus peccatores

B erubescunt. De quibus bene per prophetam dicitur: « Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem, ibi habuit foveam hericius (*Isa.* xxxiv, 14-15). » Per lamiam quippe hypocritæ, per hericium vero malitiosi quippe qui diversis se defensionibus congerunt, designantur. Sequitur:

Vers. 7. *Una uni conjungitur, et ne spiraculum incedit per ea.* — Quia iniquitatibus suis dum vicissim se superba defensione protegunt, sanctæ exhortationis spicula ad se nullatenus permittunt. Sequitur:

Vers. 8. *Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.* — Qui enim divisi corrigi poterant, iniquitatum suarum pertinacia vincti perdurant; et tanto magis quotidie a cognitione

C justitiæ separabiliores fiunt, quanto a se invicem nulla increpatione separantur. Hinc Salomon ait: » Stuppa collecta synagoga peccantium (*Eccli.* xxi, 10). » Hinc Nahum propheta ait: « Sicut spinæ invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium (*Nah.* 10). » Sequitur:

Vers. 9. *Sternutatio ejus splendor ignis.* — Sternutatio quippe inflato a pectore exsurgit, quæ cum apertos ad emanandum poros non invenit, cerebram tangit, et congesta per nares exiens, totum caput protinus concutit. Quasi enim inflatio a pectore leviathan surgit, dum elatio se erigit ex præsentis sæculi potestate: sed poros non invenit, quia contra justos extollere quantum appetit, prohibetur. Cerebrum autem concutit, quia sen-

D sum Satanæ in fine mundi arctius pertubat, et caput turbat, dum per Antichristum persecutionem fidelium vehementer excitat. Tunc congesta inflatio per ejus nares egreditur, quia tota superbiæ ejus iniquitas apertis malitiæ flatibus demonstratur. Sternutatio ergo vocatur illa extrema Antichristi commotio, in quo leviathan ingreditur, ut per eum reprobis principetur: et si potest fieri, ut membra etiam Domini electa perturbet; qui tantis signis et prodigiis utitur, ut miraculorum potentia quasi quodam ignis lumine resplendere videatur. Sequitur: *Oculi ejus ut palpebræ diluculi.* — Per oculos quippe ejus consiliarii designantur, qui dum perversis machinationibus quæ qualiter agenda sint prævident, malignis ejus operariis quasi ostensum pedibus iter

præbent. Qui recte palpebris diluculi comparantur. Palpebras namque diluculi extremas noctis horas accipimus. Prudentes igitur perversis Antichristi consiliis inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi, quia fidem quam in Christo inveniunt quasi erroris nocti...... (66) et venerationem Antichristi verum esse mane pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere, et veritatis lucem signis clarescentibus nuntiare. Sequitur :

VERS. 10. *De ore ejus lampades procedunt.* — Qui enim procedunt, oculi; qui autem prædicant, os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem perfidiæ accendunt. Unde enim quasi per sapientiam lucent, inde procul dubio per nequitiam concremant. Sequitur. *Sicut tædæ ignis accensæ.* — Tæda enim, cum accenditur, odorem quidem suavem habet, sed lumen obscurum; ita isti prædicatores Antichristi, quia sanctitatis speciem sibi arrogant, sed tamen opera iniquitatis exercent. Olent enim per similitudinem justitiæ, sed obscure ardent per nequitiæ perpetrationem. Sequitur :

VERS. 11. *De naribus ejus procedit fumus.* — Oculorum quippe acies fumo sauciatur, id est, de miraculorum ejus insidiis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorum corde generatur. De leviathan quippe naribus fumus exit, quia ex ejus prodigiis mendacibus, etiam bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. Hinc enim dicitur : « Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. » (*Matth.* XXIV, 24.) MORALITER. Quia leviathan iste serpens et regulus dicitur, sicut Isaias ait : « De radice colubri egredietur regulus (*Isa.* XIV, 29), » et regulus non morsus sed flatu perimit, recte de naribus ejus fumus procedere asseritur, cujus noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Qui etiam aliquando electorum oculos tangit. Hinc enim scriptum est : « Turbatus est præ ira oculus meus (*Psal.* VI, 8). » Fumus iste reproborum cordibus quot illicita desideria inserit, quasi per tot ante oculos globos cogitationum intumescit. Hinc Joel ait : « Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit brucus, et residuum bruci comedit rubigo (*Joel.* I, 4). » Ubi luxuria, et inanis gloria, et ventris ingluvies, et ira designatur. Sequitur : *Sicut ollæ succensæ atque ferventis.* — Velut enim olla fervens est unaquæque tunc anima cogitationum suarum impetus, quasi spumas undarum ardentium, sustinens. Quasi ignis zeli commovit, et ipsa temporalis oppressio more ollæ intrinsecus clausas tenet. MORALITER. Olla enim succenditur, cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur. Olla autem fervet. cum jam etiam per consensum in desideriis pravæ persuasionis accenditur, et tot undas fervendo projicit, per quot se nequitias usque ad exteriora opera extendit. Hinc enim scriptum est : « Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis (*Jer.* I, 13). » Sequitur :

VERS. 12. *Halitus ejus prunas ardere facit.* — Quid enim prunas, nisi succensas internis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat? Ardent enim cum quodlibet temporale appetunt. Toties igitur leviathan halitus prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit; alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ facibus inflammat. Sequitur : *Et flamma de ore ejus egreditur.*— Flamma quippe ejus oris est, ipsa instigatio occultæ locutionis, quam prave ad uniuscujusque animum pertingere facit. Unde ardet in desideriis animus, cum ejus suggestionibus instigatur. Hæc quotidie suggerit, hæc usque ad præsentis vitæ terminum suggerere non desistit, sed tunc se nequius dilatat, cum per illum damnatum hominum veniens, in hujus mundi se gloria apertius ostendat.

(66) Horum punctorum loco in Ms., hæc vox habetur *emasserunt*, sed quæ Latina minime videtur.

# LIBER TRICESIMUS QUARTUS.

VERS. 13. *In collo ejus morabitur fortitudo.* — Quid enim collo leviathan istius, nisi elationis extensio designatur? Qui contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis, etiam tumore potestatis extollitur. Quia enim per collum superbia designatur, Isaias testatur dicens : « Ambulaverunt extento collo (*Isa.* III, 16). » Quidquid utique tunc superbe extollitur, quidquid callide machinatur, etiam sub virtute potentiæ sæcularis exsequitur. Quod Daniel propheta intuens ait : « Dolus in manu ejus dirigetur (*Dan.* VIII, 25). » Sequitur : *Et faciem ejus præcedit egestas.* — Per faciem quippe solet notitia designari. Unde scriptum est : « Facies mea præcedet te (*Exod.* XXXIII, 14). » Sciendum vero est quod egestas in sacro eloquio aliter electorum ponitur, atque aliter reproborum. Egestas namque electorum est, cum veræ divitiæ cœlestis patriæ ad eorum animum redeunt, et in hoc ærumnoso præsentis vitæ exsilio positi, pauperes se esse meminerunt. De illis divitiis Paulus dicit : « Ut sciatis quæ sit ejus vocationis spes, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis (*Ephes.* I, 18). » Egestas vero reproborum proprie dicitur, quia, dum replentur vitiis, virtutum divitiis vacuantur. De his dicitur : « Dicis quod

dives sum et locupletatus, et nullius egeo ; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, pauper, et cæcus, et nudus (*Apoc.* III, 17). » Egestas ergo faciem præcedet, quia nemo cognitioni ejus jungitur, nisi prius virtutum divitiis, vel cogitationibus sanctis denudetur. Vel certe quia multis ita fraudulenter subrepit, ut ab eis reprehendi nequaquam possit. Et sic eorum virtutes evacuat, quatenus astutiæ malitiam non ostendat, faciem ejus egestas præire perhibetur. Hinc enim dicitur per prophetam : « Comederunt alieni robur ejus, et ipse ignoravit (*Ose.* VII, 9). » Aliter : Terribili quidem ordine dispositionis occultæ, priusquam leviathan iste in illo damnato homine quem assumit appareat, a sancta Ecclesia virtutum signa subtrahuntur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur, et tunc contra eos antiquus ille per aperta prodigia hostis ostenditur. Quamvis etiam fidelibus in ejus certamine signa non deerunt. Sed tanta erunt illius, ut nostrorum aut pauca, aut nulla videantur. Sequitur :

VERS. 14. *Membra carnium ejus cohærentia sibi.* — Carnes enim leviathan hujus sunt omnes reprobi, qui ad intellectum spiritualis patriæ per desiderium non assurgunt. Membra vero sunt hi qui eisdem perverse agentibus, et sese ad iniquitatem præcedentibus conjunguntur. Sicut e contra per Paulum de Dominico corpore dicitur : « Vos estis corpus Christi et membra de membro (*I Cor.* XII, 27). » Quia enim malignus hostis sibi in perverso opere a primis usque ad maximam concordat, divinus sermo in eo membra carnium sibimet cohærentiam memorat ; sic namque perversa unanimiter sentiunt, ut nulla contra se vicissim disputatione dividantur. Et idcirco contra bonos vehementer prævalent, quia in malo se concorditer tenent. Quam scindi optat concordiam propheta, dicens : « Præcipita, Domine, et divide linguas eorum (*Psal.* LIV, 10). » Sequitur : *Mittet contra eum fulmina et ad locum alium non ferentur.* — Quid appellatione fulminis, nisi tremendæ illæ extremi judicii sententiæ designantur ? Quæ idcirco fulmina vocantur, quia nimirum eos quos feriunt in perpetuum incendunt fulmina ad locum alium non referentur, quia justis gaudentibus, solos tunc reprobos feriunt. Sequitur :

VERS. 15. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis.* — Cor enim antiqui hostis, ut lapis indurabitur quia nulla unquam conversionis pœnitentia mollietur. — Sequitur : *Et stringetur quasi malleatoris incus.* — Quia inferni vinculis coarctabitur, ut æterni supplicii continua percussione, more incudis tundatur ; sicut enim alia vasa formantur, ipsa vero tot percussionibus in vas aliud non transfertur, ita etiam nos modo illo persequente componimur : ipse autem et semper percutitur, et in vase utili nunquam mutatur. Ipso enim tentante tundimur, sed ut ad usum domus supernæ veniamus, superni artificis manu formamur. Sequitur :

VERS. 16. *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur.* — Solet in Scriptura aliquando tempus præteritum pro futuro, et futurum pro præterito poni. Sicut Joanni mulier paritura masculum qui regat gentes in virga ferrea, res gesta futura demonstratur (*Apoc.* XII, 5) ; et Psalmista : « Foderunt, » inquit, « manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI, 17), » res futura pro præterita ponitur. Hoc ergo loco nil obstat intelligi, quia sub futuri temporis modo præterita describuntur. Cadente itaque ab arce beatitudinis leviathan, ruinam ejus etiam elatos angelos expavisse, ut cum istum ex illorum numero superbia elapsus ejecit, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Hujus itaque lapsus eos et terruit et purgavit : terruit, ne conditorem suum superbe desplcerent, purgavit vero, quia exeuntibus reprobis actum est, ut electi soli, qui beate in æternum viverent, remanerent. Possumus hoc loco etiam angelos sanctos prædicatores accipere. Hinc propheta ait : « Angeli pacis amare flebunt (*Isa.* XXXIII, 7). » Hinc Malachias ait : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II, 7). » Adveniente namque districto judice, extrema hic leviathan damnatio designatur, qua de hoc mundo per iram judicii tollitur, qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur. Tanto autem hinc pondere terroris excutitur, ut sanctorum etiam prædicatorum fortitudo, qui in corporibus reperiri potuerint, immenso terrore turbetur. Qui territi purgantur, quia si qua eis inesse poterit levium rubigo vitiorum, hoc pavore excoquitur. Considerandum vero est, hi qui oderunt adventum judicis, quid facient si terrorem tanti judicii etiam qui diligunt expavescunt ? Sequitur :

VERS. 17. *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.* — In Scriptura aliquando per gladium sancta prædicatio designatur, ut illud : « Et gladius spiritus, quod est Verbum Dei (*Ephes.* VI, 17). » Aliquando æterna damnatio, ut illud : « Si multiplicati fuerint filii ejus in gladio erunt (*Job.* XXVII, 14). » Aliquando tribulatio temporalis, ut illud : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II, 35). » Aliquando antiqui hostis ira vel persuasio designatur, ut illud : « Qui liberas David servum tuum de gladio maligno (*Psal.* CXLIII, 10). » Antiqui ergo hostis est gladius ille tunc damnatus homo in usum ministerii ejus assumptus ; ipsum quippe per malitiam fraudis exacuit, et infirmorum corda transfigit. Si autem gladii nomine ejus ira signatur, recte non gladium, sed a gladio apprehendi perhibetur. In tantam quippe nunc insaniam vertetur, ut dominari omnibus appetens, nequaquam suæ dominetur ; non enim iram possidens tenet, sed ab ira sæviens tenetur. Per hastam namque prædicationis jacula, per thoracem vero fortitudo patientiæ designatur. Leviathan ergo in Antichristum veniens, tantæ virtutis apparebit, ut si supernum adjutorium desit, et prædicantium

acumen obtundat, et longanimitatem patientiæ destruat. Sequitur : A

VERS. 18. *Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs.* — Quod superius hastæ et thoracis nomine posuit, hoc inferius, ferri et æris appellatione replicavit. Ferro ergo prædicationis jacula, ære autem longanimitatis constantia designantur. Unde et sub Aser specie, de sancta Ecclesia per Moysen dicitur : « Ferrum et æs calceamentum ejus (*Deut.* XXXIII, 25). » Ubi per ferrum virtus per æs vero perseverantia exprimitur, sed leviathan iste quando gladium, id est, Antichristum assumpserit, nisi divina gratia protegantur, et prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, et constantiam patientiæ quasi lignum putridum in pulverem redi- B get. Sequitur :

VERS. 19. *Non fugavit eum vir sagittarius.* — Sagittæ namque verba sunt prædicatorum quæ ex voce bene viventium diriguntur, et audientium corda transfigunt. His vulnerata fuerat, quæ dicebat : « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* II, 5). » Hinc scriptum est : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum (*Psal.* LXIII, 8) ; » et rursum : « Sagittæ tuæ acutæ, » etc. (*Psal.* XLIV, 6). Vir itaque est sagittarius qui, per sanctæ intentionis arcum, audientium cordibus verba rectæ exhortationis infigit, sed leviathan istum a reproborum cordibus sancti prædicatoris sagitta non excutit, quia quisquis ab illo apprehenditur, verba jam prædicantium audire contemnit. Sequitur : *In stipulam* C *versi sunt ei lapides fundæ.* — Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia designatur ? Sancta namque Ecclesia dum volubilitate temporum, per tribulationem circuitum more fundæ ducitur, fortes ex illa viri quasi lapides de funda prodeunt, quibus ictibus iniquorum corda tundantur. Hinc per prophetam dicitur : « Devorabunt et subjicient lapidibus (*Zach.* IX, 15). » Leviathan ergo sanctorum robur in stipulæ mollitiem despiciendo rediget, quorum lingua prius pectus illius duris ictibus tutudit. Sequitur :

VERS. 20. *Quasi stipulam æstimabit malleum.* — In Scriptura sacra mallei nomine aliquando diabolus designatur, per quem delinquentium culpæ feriuntur, ut illud prophetæ : « Quomodo confractus D est ei contritus malleus universæ terræ (*Jer.* L, 23) ; » aliquando vero percussio cœlestis accipitur, ut illud : « Malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur (*III Reg.* VI, 7). » Quid est ergo quod leviathan iste malleum despicit, nisi quod supernæ animadversionis ictus formidare contemnit ? et quasi stipulam deputat, quia ad justæ iræ se pondere velut contra levissimum terrorem parat. Sequitur : *Et deridebit vibrantem hastam.* — Contra leviathan enim Dominus hastam vibrat, quia in ejus interitum districtam minatur sententiam ; sed apostata spiritus auctorem vitæ etiam cum sua morte despiciens hastam vibrantem deridet. Sequitur :

VERS. 21. *Sub ipso erunt radii solis.* — In Scriptura enim sacra cum figurate sol ponitur, aliquando Dominus intelligitur, ut illud : « Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non illuxit nobis, et Sol non ortus est nobis (*Sap.* V, 6). Aliquando persecutio, ut illud in Evangelio : « Orto sole aruerunt (*Matth.* XIII, 6) ; » aliquando de re qualibet manifeste visionis osensio, ut illud : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII, 6) ; » aliquando autem intelligentia sapientiæ designatur, ut illud : « Quartus angelus effudit phialam suam in sole, et datum est illi æstu afficere homines et igni (*Apoc.* XVI, 8). » Hoc autem loco, quid per solis radium, nisi acumina sapientium demonstratur? Quia enim multi in sancta Ecclesia lucere sapientiæ fulgore videbuntur, tunc vel persuasionibus capti, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, leviathan istius se ditioni subjiciunt. Recte dicitur : *Sub ipso erunt radii solis.* Sequitur : *Sternet sibi aurum quasi lutum* — Appellatione quippe auri in sacro eloquio, aliquando divinatis claritas designatur, ut illud : « Caput ejus aurum optimum (*Cant.* V, 11) ; » aliquando splendor supernæ civitatis, ut illud : « Et ipsa civitas auro mundo simili vitro mundo (*Apoc.* XXI, 18) ; » aliquando charitas, ut illud : « Ad mamillas præcinctus zona aurea (*Apoc.* I, 13) ; aliquando autem nitor gloriæ sæcularis, sicut per prophetam dicitur : « Calix aureus Babylon (*Jerem.* LI, 7) ; » aliquando vero pulchritudo sanctitatis accipitur, ut illud Jeremiæ : « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (*Thren.* V, 1) ? » Luti quoque nomine in sacro eloquio, aliquando terrenarum rerum multiplicitas designatur, ut illud Habacuc : Væ ei qui multiplicat non sua, usquequo aggravat contra se densum lutum (*Habac.* II, 6) ; » aliquando sordidum sapiens niqua doctrina, ut idem propheta ait : « Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum (*Habac.* III, 15) ; » aliquando desiderium sordidæ voluntatis exprimitur, ut illud : Eripe me de luto, ut non infigar (*Psal.* LXVIII, 15). » Hoc igitur loco aurum claritas sanctitatis accipitur ; lutum vero vel terrenarum rerum avaritiam, vel pravarum contagia doctrinarum, vel sordes carnalium voluptatum nil obstat intelligi. Quia enim leviathan iste eos qui intra sanctam Ecclesiam fulgore justitiæ resplendere videbantur, cum carnalibus voluptatibus sibi subjicit, aurum sibi procul dubio ut lutum sternit, sed hoc nunc in multorum cordibus quotidie ait, sicut Paulus dicit : « Ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium iniquitatis, etc. (*II Thess.* II, 6, 7). » Toties ergo sibi nunc aurum subjicit, quoties castitatem fidelium per carnis vitia sternit, quoties sensum continentium per immunda desideria dissipat. Sequitur :

VERS. 22. *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare.* — Quid per mare nisi vita sæcularium? Quid per profundum, nisi altæ et abditæ eorum cogitationes exprimuntur ? Profundum ergo mare quasi ollam fervescere facit, quia nimirum constat quod persecutionis extremo tempore, contra elec-

torum vitam studeat animos reproborum excitare. A Sequitur: *Et ponet quasi cum unguenta bulliunt.* — Quia ergo reprobi ita seducuntur, ut quidquid agunt, ex iniquitate perfidiæ, pro veritate rectæ fidei se agere suspicantur, quasi bene redolet id quod zelo religionis exercent. Hinc Dominus ait: « Et omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI).» Igitur sicut olla fervent, dum crudeliter persequuntur, sed apud eos unguentum redolet dum mentes eorum, vanis suspicionibus deceptæ, æstimant quasi Deo obsequium persolvant. Sequitur:

VERS. 23. *Post eum lucebit semita.* — Post leviathan quippe semita lucere perhibetur, quia quorum corda penetrat, eorum prodigiis illustrat. B Sequitur: *Æstimabit abyssum quasi senescentem.* — Judicia Dei abyssi appellari nomine Psalmista ostendit dicens: «Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » Senectus vero aliquando pro finis propinquitate ponitur. Unde ait Apostolus: « Quod antiquatur et senescit, prope interitum est (*Hebr.* VIII, 13). » Abyssum namque senescere æstimat qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. Igitur antiquus iste persuasorum iniquorum mentibus futuras pœnas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino correctionis extendat. Sunt enim etiam nunc qui peccatis suis ponere finem negligunt, qui habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur. Contra quos Veritas dicit: « Ibunt C hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV, 46). » Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. Sequitur:

VERS. 24. *Non est potestas quæ comparetur ei.*— Potestas ejus super terram cunctis eminentior perhibetur, quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen hominum genus naturæ angelicæ conditione transcendit, licet sanctis hominibus meritorum suorum dejectione subjaceat. Sequitur: *Qui factus est ut nullum timeret.* — Siquidem per naturam factus est, ut Conditorem D suum caste timere debuisset, timore videlicet qui « permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), » sed sua perversitate talis factus est, *ut nullum timeret.* Ei quippe a quo factus fuerat subesse despexit, dum præesse cæteris, et nulli subesse cupivit, dicens: « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV, 14). » Sequitur:

VERS. 25. *Omne sublime videt.* — Id est, cunctos velut infra se positos quasi de sublimi respicit, quia dum per intentionem contra Auctorem nititur, æstimare sibi quemlibet similem designatur quod apte etiam ejus membris congruit, quia omnes iniqui per tumorem cordis elati, cunctos quos cernunt superbiæ fastu despiciunt, quibus bene per prophetam dicitur: « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (*Isa.* V, 21).» Et Paulus: « Nolite prudentes esse apud vosmetipsos (*Rom.* XII, 16). » Et notandum quod leviathan iste per corporeum animal designatur, et cordis superbia, cum exterius usque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflatu quasi ex sublimi respiciunt, et quo se deprimunt, altius extollunt. Hinc Salomon ait: Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus multo surrectæ (*Prov.* XXX, 13). » Sequitur: *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* — Ut leviathan iste in cunctis quæ superius dicta sunt, caderet, sola se superbia percutit. Scriptum namque est: «Initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). » Per hanc enim ille succubuit, per hanc se sequentem hominem stravit. Eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Sed idcirco hanc Dominus doctrinæ suæ locutionem inseruit, ut cum post mala omnia leviathan istius superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Nulla quippe mala ad publicum proderent, nisi hæc mentem in occulto constringeret; alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa distinguuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargiam abstinentia, libido continentiam expugnet. Superbia autem quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus, corpus omne corrumpit. Contra quos Scriptura clamat: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6).» Contra hujus languoris pestem Veritas dicit: « Discite a me quia mitis sum, et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Ne igitur nobis leviathan istius membra, vel mira faciendo fallerent, apertum signum Dominus quo deprehendi valeat, demonstravit, dicens: *Ipse est rex super universos filios superbiæ.*

# LIBER TRICESIMUS QUINTUS.

Igitur postquam fideli famulo Dominus leviathan hostis ejus quam sit fortis et callidus ostendit beatus Job ad utraque respondit. Contra immanes quippe vires ejus intulit.

## CAPUT XLII.

VERS. 1, 2. *Scio quia omnia potes.* — Contra occultas vero machinationes illius subjunxit, *et nulla te latet cogitatio.* — Unde et mox eadem ei exprobrat, dicens :

VERS. 3. *Qui est iste qui celat consilium absque scientia?* — Absque scientia enim leviathan celat consilium, qui quamvis contra infirmitatem nostram multis fraudibus occultetur, protectoris tamen nostri sancta nobis inspiratione detegitur. Sequitur : *Ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam.* — Omnis humana sapientia, quantolibet acumine polleat, divinæ sapientiæ comparata, insipientia est. Beatus itaque Job ea quæ dixerat, sapienter dixisse se crederet, si verba superioris sapientiæ non audiret, in cujus operatione stultum est nostrum omne quod sapit. Hinc Abraham ait : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis (*Gen.* XVIII, 27). » Hinc Moyses, omni sapientia Ægyptiorum instructus, ait : « Obsecro, Domine, non sum eloquens, ab heri enim et nudiustertius ; ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris et tardioris linguæ ego sum (*Exod.* IV, 10). » Sequitur :

VERS. 4. *Audi et ego loquar, interrogabo te, et responde mihi.* — Audire Dei est sub semetipso surgentia nostra percipere. Ad Deum ergo, qui et tacentium corda cognoscit, loqui nostrum est, non vocis, sed pro mentis ad illum desideriis inhiare. Et quia ideo quisquis interrogat ut discere valeat quod ignorat, homini Deum interrogare est, in conspectu ejus nescientem se cognoscere. Respondere Dei est, eum qui se humiliter nescientem cognoverit occultis inspirationibus erudire. Ait enim : *Audi et loquar.* Ac si diceret : Misericorditer desideria mea percipe, ut dum hæc pietas tua percipiens audiat a te, multipliciora consurgant. *Interrogabo te,* id est, nescientem me ex tuæ scientiæ contemplatione cognosce, *et responde,* id est, stultitiam propriam humiliter cognoscentem doce. Sequitur :

VERS. 5. *Auditu audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* — His nimirum verbis aperte indicat, quia quanta visus superior est auditu, tanto differt, ab eo quod prius exstitit, et hoc postmodum per flagella proficit. Sequitur :

VERS. 6. *Idcirco ipse me reprehendo.* — Quanto enim quisque minus videt, tanto sibi minus displicet, et quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Sequitur : *Et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* — Ac si aperte dicat : De nullo auctoris mei dono superbio, quia sumptus ex pulvere per illatæ mortis sententiam ad pulverem me redire cognosco. *In favilla* enim *et cinere* pœnitentiam agere est, contemplata summa essentia, nil aliud quam favillam se ceneremque cognoscere. Unde et civitati reprobæ in Evangelio Dominus dicit : « Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent (*Luc.* X, 13). » Sequitur :

VERS. 7. *Et dixit Dominus ad Eliphaz Thema-nitem : Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos,* etc. — Quantum quidem ad humana judicia attinet, in verbis suis amici B. Job multa illo rectius dixisse crederentur. Sed Veritas, aliam ex occulto regulam proferens, ait : *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Coram me,* ait, id est intus, ubi sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Unde et de electis dictum est : « Erant ambo justi ante Deum (*Luc.* I, 6). » Hinc Psalmista exorat dicens : « Dirige in conspectu tuo viam meam (*Psal.* LIX). » Et notandum quod non dicitur sicut Job, sed sicut *servus meus Job,* licet in positione servitutis, dum eum quasi sub quadam peculiaritate commemorat, cuncta quæ in defensione sua dixerat, quia non contumaci superbia, sed humili veritate dixit, ostendit. Sed quid est hoc quod B. Job et laudatur hosti, et in seipso reprehenditur, et tamen amicis antefertur, nisi quod sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute transcendit, sed eo ipso quod homo fuit, ante Dei oculo sesse sine reprehensione non potuit ? B. igitur Job pro culpa se credidit et non pro gratia flagellari ; et in eo reprehenditur quod intentione flagellatum fuisse alia suspicatur, et tamen amicis resistentibus interni judicii definitione prælatus est. Sequitur :

VERS. 8 *Sumite vobis septem tauros, et septem arietes, et offerte holocausta pro vobis.* — Ecce justus et misericors Deus nec culpas sine increpatione deserit, nec reatum sine conversione derelinquit. Et prius putredinem vulneris innotuit, et post remedia consequendæ salutis indicavit. Sed quia diximus per amicos B. Job hæreticos designari, qui Deum dum defendere nituntur, offendunt, quos omnipotens tamen Deus sæpe corpori sanctæ Ecclesiæ per cognitionem veritatis invisce-rat, Job quippe typum gessit Ecclesiæ, per tauros, cervix superbiæ, per arietes vero ducatus exprimitur. De hæreticis namque superbientibus dicitur : « Consilium taurorum inter vaccas populorum (*Psal.* LXVII, 32). » Et quia sequentes se populos velut greges trahunt, arietes aliquando nominantur. Hinc Jeremias ait : « Principes tui velut arietes (*Thren.* XVII). » Tauros enim et arietes in sacrificio offerre, est superbum ducatum conversionis humilitate mactare, ut, edomita cervice superbiæ, discant obediendo sequi qui dudum ducendo præire conabantur. Recte quoque hæc eorum superbia septem sacrificiis expiatur, quia hæretici ad Ecclesiam revertentes per humilitatis hostiam dona Spiritus gratiæ septiformis accipiunt, ut qui elationis suæ vetustate tabuerunt, novitate gratiæ reformentur. Hoc enim inconcussa fide retinemus, quia quos spiritus gratiæ repleverit, perficit, eisque non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis atque justitiæ operationem præbet. In scriptura sacra solet septenario

numero aliquando secura requies designari, ut illud : « Et requievit Deus die septima (*Gen.* II, 2). » Aliquando universitas præsentis temporis hujus. Hinc est quod muros Hierico tubis clangentibus arca Dei septem circuivit dies (*Josue*, VI, 3, 4). Hinc Propheta ait : « Septies in die laudem dixi tibi (*Psal.* CXVIII, 164). » Aliquando autem sanctæ Ecclesiæ universitas designatur, ut illud in Apocalypsi : « Joannes septem Ecclesiis, » et reliqua (*Apoc.* I, IV). Veniant ergo hæretici qui extra sunt positi, et prius se universitati sanctæ Ecclesiæ misceant, et tunc demum veniam de reatu pristinæ elationis exquirant. Pro culpa sua septem sacrificia offerant, quia reatus sui absolutionem non accipiunt, nisi gratiæ septiformis Spiritu universali paci, qua excisi fuerant, aggregentur. Sequitur : *Job servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia.* — Ac si hæreticis redeuntibus aperte diceretur : Universali vos Ecclesiæ per humilitatem pœnitentiæ jungite, atque per eam, qua per vosmetipsos digni non estis, veniam ejus a me precibus obtinete. Qui cum per hanc veraciter sapere disceitis, prioris apud me vestræ sapientiæ stultitiam deletis. Sequitur : *Neque enim locuti estis coram me sicut servus meus Job.* — Hæc paulo ante Dominus protulit, et tamen hæc iterando subjunxit. Quid est hoc nisi sententiam quam in semel judicando dixerat, iterum replicando confirmat ? Sequitur :

VERS. 9. *Abierunt ergo tres amici Job, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophat Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Job.* — Intuendum vero est quod ita caute sicut prædictus fuerat ordo acceptæ veniæ custoditur, ut in sacrificiis Dominus non illorum, sed beati Job faciem suscepisse refertur. Sequitur :

VERS. 10. *Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret pro amicis suis.* — Jam enim, sicut superius memorat, pro amicis auditus fuerat. Hic autem aperte ostenditur, quia etiam pro semetipsos pœnitens, tanto citius exaudiri meruit, quanto devote pro aliis intercessit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. Hinc Dominus ait : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* V, 44) ; » et rursum : « Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, » etc. *Matth.* XI, 25). Sequitur : *Addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Job, duplicia.* — uncta quæ amiserat, duplicia recepit, quia per pietatem benigni judicis, tentationis nostræ dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus enim tentat probatio quam remuneratio consolatur. Hinc quoque dicitur : « Ad punctum in modicum reliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te (*Isa.* LIV, 7). » Et item : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII, 9). » MYSTICE. Sancta quippe Ecclesia ex se multos

A nunc percussione tentationis amittit, in fine tamen hujus sæculi, ea quæ sunt sua duplicia recipit, quando, susceptis ad plenum gentibus, ad ejus fidem currere omnes, quæ tunc inventa fuerit, etiam Judæam, consentit. Hinc enim scriptum est : « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » Et Veritas ait : « Elias veniet et restituet omnia. » Vel certe sanctæ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere est in singulis nobis et de beatitudine animæ et de carnis incorruptione gaudere. Hinc propheta dicit : « In terra sua duplicia possidebunt (*Isa.* LXI, 2). » Sequitur :

VERS. 11. *Venerunt ad eum omnes fratres sui et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum* B *prius, et comederunt panem cum eo in domo, et moverunt super eum caput.* — Divinæ pietatis muneribus consolatus, etiam humana debet charitate refoveri, ut undique ei etiam consolationis gaudia respondeant, quem undique dolorum tristitia adversa lacerabat. In comestione enim panis charitas, in motione vero capitis, admiratio designatur. MYSTICE. Tunc autem fratres sui ac sorores ad correptum veniunt, quando ex plebe Judaica quot inventi fuerint ad fidem convertuntur, ipsa enim per cognationem juncta est, vel qui fortes futuri sunt velut fratres, vel infirmi velut sorores ad eum per cognitionis fidem debita gratulatione concurrunt. Tunc in domo ejus panem comedunt, cum postposita observatione superjacentis litteræ C in sancta Ecclesia mystici eloquii quasi frugis medulla pascuntur. Bene autem dicitur, *omnes qui noverunt eum prius.* Prius quippe noverant, quem in passione sua quasi incognitum contempserant. Nam nasciturum Christum nullus qui plene legem didicit, ignoravit, quorum et notitia prior et ignorantia posterior bene ac breviter Isaac caligante signatur. Qui dum Jacob benediceret, et quid eveniret in futuro prævidebat, et quis illi præsens assisteret nesciebat. Sed ecce in fine mundi veniunt, et eum quem prius noverant recognoscunt. Ecce in domo ejus in panem comedunt, quia in sancta Ecclesia sacri eloquii fruge pascuntur. In capite namque principale mentis accipitur, sicut per Psalmistam dicitur : « Impinguasti in D oleo caput meum (*Psal.* XXII, 5. » Hoc itaque loco caput movero est et immobilitatem mentis excutere, et ad cognitionem fidei crudelitatis gressibus propinquare. Caput igitur movetur, cum per formidinem veritatis tacta ab insensibilitate sua mens quatitur. Sequitur : *Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum.* — Percussi enim mœrorem consolari est, ei post percussionem de venia congaudere. Nam quantum quisque cernitur de restituta proximi salute hilarescere, tanto se indicat de ablata doluisse. TYPICE. Consolantur Christum, consolantur Ecclesiam, qui ab infidelitatis pristinæ errore resipiscunt, et pravitatem vitæ per quam recta docentibus repugnant. Magna quippe prædicatorum consolatio est, subsequens profectus au-

ditorum. Revelatio namque dicentis, est immutatio proficientis. Qui ad consolandum post flagella veniunt, quia nimirum passionis tempore prædicamenta fidei contemnentes, quem hominem ex morte probaverunt, Deum credere despexerunt. Unde Dominus dicit : « Sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit, » et reliqua (*Psal.* LXVIII, 21). In fine igitur mundi credentes Hebræi conveniant, et humani generis Redemptori in potentia divinitatis quasi sano Job oblationum suarum vota persolvantur. Sequitur : *Et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem unam.* — Hæc juxta historiam veraciter dicta credimus. Sed quid per ovem mystice, nisi innocentia ? quid per inaurem, nisi obedientia designatur ? Per ovem quippe simplex animus, per inaurem vero ornatus humilitatis gratia auditus exprimitur. Notandum quod cum inaure ovis, et cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante, qui ait : « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me (*Joan.* X, 27). » Auream inaurem obtulisse perhibetur, ut videlicet in ea quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes auri more cætera metalla transcendit. Sed quia nulla esse innocentia, nulla esse vera obedientia in multiplicibus hæreticorum divisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes offerant ovem, sed unam ; offerant inaurem, sed unam, id est, tales veniant qui in unitate sanctæ Ecclesiæ innocui obedientesque persistant. Sequitur :

VERS. 12. *Dominus autem benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus.* — Hæc in historia facta credimus, hæc mystice facienda speramus. Quantum enim ad Israelitici populi susceptionem pertinet, urgente fine in præsentis sæculi dolore sancta Ecclesia animarum multiplici collectione consolatur. Tanto quippe locupletius ditabitur, quanto et manifestius innotescit quod ad finem præsentis vitæ temporalitas urgetur. Prædicatores namque sanctæ Ecclesiæ benedictione primi temporis Psalmista ditari conspexerat, cum dicebat : « Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. Et beneplacentes erunt ut annuntient (*Psal.* LXXXXI, 20). » Sequitur :

VERS. 13. *Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. Et fuerunt ei septem filii et tres filiæ.* — Cum cuncta beato Job duplicata sunt, cur filii totidem sunt redditi, quot amissi ? Sed et filios dupliciter addidit, cum decem postmodum in carne restituit. Decem vero qui amissi fuerant, in occulta animarum vita servavit. Possumus autem in his animalibus aggregatam fidelium universitatem intelligere. Hinc scriptum est : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, » et reliqua (*Psal.* VIII, 8) et rursum : « Animalia tua habitabunt in ea (*Psal.* LXVII, 11). » Agnoscamus ergo in ovibus fideles atque innocentes ex Judæa populos, legis dudum pascuis sociatos. In camelis simplices ex gentilitate venientes, qui prius sub ritu sacrilego quasi quadam deformitate membrorum valde turpes ostensi sunt fœditate vitiorum. Possunt rursum in bobus Israelitæ accipi, quasi jugo legis attriti ; asini vero gentiles designari. Qui dum se colendis lapidibus inclinabant, supposito quibuslibet idolis bruto sensu serviebant. Sancta ergo Ecclesia, quæ in exordiis suis innumeris tentationibus pressa, vel Israeliticum populum, vel multos ex gentibus amisit, videlicet quos lucrari non potuit, duplicia in fine recipit, quia in ea ex utraque nationum fidelium multipliciter excressit. Possunt per jugatos boves prædicatores intelligi ; possunt per asinas mentes simplicium designari. Sancta vero Ecclesia duplicia recipit, qui dum prædicatores sancti, qui pressi formidine in ejus dudum tentatione tacuerunt, et mentes simplicium quæ victæ terroribus veritatem illius confiteri formidabant, tanto jam nunc robustius in confessione veritatis suæ voces suas exerunt, quanto debilius ante timuerunt. Millenarius numerus apud sæcularem scientiam idcirco perfectus habetur, quia denarii numeri quadratum solidum reddit ; decem quippe decies ducta fiunt centum, quæ jam figura quadrata, sed plena est. Ut autem in altitudinem surgat, et solida fiat, rursum centum decies multiplicantur, et mille fiunt Septenarius autem ea ratione perfectus habetur, quod ex primo pari, et ex primo impari consummatur. Prius enim impar, ternarius est, primusque par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat, quia ex eisdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Senarius vero ideo perfectus est, quia primus innumeris completur partibus suis, id est, sexta sui parte, et tertia et dimidia quæ sunt, unum, duo, tria, et fiunt in summa sex. Sed in sacra Scriptura senarius numerus ideo perfectus est, quia in mundi origine Dominus ea quæ cœpit, sexto die opere implevit. Septenarius in ea perfectus est, quia omne bonum opus septem virtutibus agitur, ut et fide simul et opere consumetur. Denarius quoque in ea perfectus est, quia lex in decem præcepta concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur, atque narrante Veritate (*Matth.* XX, 10), operatores vineæ denario remunerantur. In denario quippe tria junguntur et septem. Homo autem, qui ex anima constat et corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus specialiter, et quatuor corporaliter viget. Sed homo denario remuneratur, quia in illa perfectione supernæ patriæ septem nostra ad tria junguntur æterna, ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, vel certe septem virtutes sunt, quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque in hac etiam vita denarium accipit, dum eisdem septem virtutibus, fidem, spem charitatemque conjungit. Millenarius namque perfectus est, quia appellatione ejus universitas designatur. Unde scriptum est : « Verbi quod mandavit

in mille generationes (*Psal.* CIV, 8). » Beatus igitur Job, *quatuordecim millia ovium* recepit, quia dum in sancta Ecclesia virtutum perfectio ad utrumque sexum ducitur, septenarius in ea numerus duplicatur. *Et sex millia camelorum*, quia plenitudinem in illa operis accipiunt, qui ab illa dudum vitiorum suorum fœditate perierunt. *Mille* quoque *juga boum* ac *mille asinas* recepit, quia Israelitas atque gentiles, doctos ac simplices, post tentationum casus in culmine perfectionis assumit. *Septem* quoque *filios et tres filias* recepit, quia eorum mentibus quos septem virtutibus generat, ad perfectionem summam, fidem charitatemque conjungit, ut tanto verius prole sua gaudeat, quanto suis fidelibus nil deesse virtutis pensat. Sequitur :

VERS. 14. *Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii.* — Per filios Job universum genus humanum accipimus. Homo namque quasi dies ex conditione claruit, quia hunc auctor suus ingenitæ innocentiæ splendore respersit, sed sponte sua ad peccati tenebras lapsus est. Unde alias dicitur : *Secutus est umbram.* Sed eum auctor pietatis, quem prius potenter ad justitiam condidit, potentius redimendo postmodum ab errore revocavit. Et quia multa nunc exhibenda sunt quæ in paradiso necessaria non fuerunt, ut est virtus patientiæ, laboris, eruditio doctrinæ, castigatio corporis, assiduitas precum, confessio delictorum, inundatio lacrymarum, quia salutis bonum ex ipsa conditus homo conditione percepit, nomen secundæ filiæ velut Cassia ex merito redolet, ut quia prima filia quasi dies exstitit per dignitatem conditionis, secunda Cassia sit per fragrantiam fortitudinis ex gratia Redemptionis. Unde et idem venienti Redemptori per prophetam dicitur. *Mirrha et gutta et cassia*, et reliqua. Quia vero tertio ordine humanum genus etiam carnis resurrectione revocato in illo conventu æternæ laudis assumitur, tertia filia Cornustibii vocatur. Quid per Cornustibii, nisi lætantium cantus exprimitur? Ibi enim veraciter adimpletur quod scriptum est : « Cantate Domino canticum novum, etc. (*Psal.* XCV, 1). » Sequitur :

VERS. 15. *Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra.* — Electorum quippe animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conversatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt. Quanto exterius affligendo se despiciunt, tanto intus verius componuntur. Hinc enim scriptum est : « Concupivit rex decorem tuum (*Psal.* XLIV, 12, 14) ; » et ; « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, » etc. (*Ibid.*, 14.) Sequitur : *Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.* — Pater enim noster inter masculos etiam feminis jura successionis tribuit, quia inter fortes atque perfectos,

A infirmos et humiles ad sortem supernæ hæreditatis admittit. Hinc Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » Quas bene Paulus mansiones juxta merita distributas insinuat cum ait : « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum : stella enim a stella differt in claritate (*I Cor.* XV, 41). » Sequitur :

VERS. 16. *Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.* — In Scriptura sacra non facile *plenus dierum* ponitur, nisi in cujus per eamdem Scripturam vita laudatur. Vacuus quippe dierum est, qui, quamlibet multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit. At contra *plenus dierum* dicitur, cui nequaquam dies sui pe-
B reundo transeunt, sed ex quotidiana mercede boni operis apud justum judicem, et postquam transacti fuerint, reservantur. MYSTICE. Si quatuordecim per denarium ducimus, ad centesimum et quadragesimum numerum pervenimus. Et recte vita sanctæ Ecclesiæ per multiplicata decem quatuor computatur, quia utcumque testamentum custodiens, et tam secundum legis decalogum, quam secundum quatuor Evangelii libros vivens, usque ad perfectionis culmen extenditur. Bene autem beatus Job post flagella vivere dicitur, quia et sancta Ecclesia prius disciplinæ flagello percutitur, et postmodum vitæ perfectione roboratur. *Usque ad quartam generationem* filios conspicit, quia
C hac ætate quæ anni quatuor temporibus volvitur, usque ad finem mundi per ora prædicantium nascentes sibi quotidie soboles contemplatur. Quod si per tres propagines Joseph pincernæ somnum edisserens spatium trium dierum intellexit (*Gen.* XL, 12), cur non etiam per quatuor generationes annua quatuor tempora figurentur? Sancta quippe Ecclesia vidit filios suos, cum primum fidelium sobolem conspexit, *vidit filios filiorum*, cum ab eisdem fidelibus ad fidem gigni et alios agnoscit. Quæ etiam *senex et plena dierum* moritur, quia subsequente luce ex mercede quotidianorum operum, deposito corruptionis pondere, ad incorruptionem spiritalis patriæ mutatur. Per hæc enim transeuntia tempora, id quod non transit operatur.
D Unde apostolis dicitur : « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI, 27). » Mori autem dicitur, quia, cum illa æternitatis contemplatio absorbuerit, ab hac mutabilitatis suæ funditus exstinguit, ut in ea jam quod acumen visionis intimæ impediat, ullo modo nihil juvat. Hanc itaque mortem, hanc dierum plenitudinem, et in beato Job, id est uno membro Ecclesiæ, credamus factam, et in tota simul Ecclesia speremus esse faciendam. Quatenus ita teneatur rei gestæ veritas, ut non evacuetur rei gerendæ prophetia.

# DE B. MARTINO ANTIPHONÆ XII

*AUCTORE S. ODONE.*

(Apud Marrier, Bibliotheca Cluniacensis, pag. 261.)

I. Sanctus Martinus obitum suum longe ante A præscivit, qui et discipulos in unum congregavit atque sui dissolutionem imminere prædixit.

II. Cum repente viribus corporis cœpit destitui, tunc mœror et luctus omnium, vox plangentium, unaque precantium : Ne, pastor, oves deseras.

III. Scimus quidem te, Pater, desiderare Christum, sed salva sunt tibi præmia tua, nostri potius miserere quos deseris, Pater.

IV. Domine, jam satis est quod hucusque certavi, sed quoad ipse jusseris militabo; ac si parcis ætati, bonum est mihi ; hos quibus timeo, ipse custodias.

V. Artus febre fatiscentes spiritui servire cogebat, stratuque suo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre jam dignatus, cœlo totus inhiabat. B

VI. Sinite me, inquit, cœlum videre, ut spiritus dirigatur ad Dominum, nihil in me reperiet inimicus, sed sinus Abrahæ me suscipiet.

VII. Media nocte Dominica sanctus discessit, cui cœli cives mox obviant. Multi audierunt voces in sublimi, qui et vitro purior, lacte candidior, carne quoque monstratus est gemma sacerdotum.

VIII. Glorificati hominis viderunt gloriam qui adfuerunt : nam caro quam cinis semper obtexerat, ita resplenduit, ut quoddam resurrectionis decus et exstincta proferret.

IX. Adest multitudo monachorum ac virginum, hi speciali gloria præcipue flebant, cum sentirent magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret.

X. Exsequiæ Martini non dicantur funeris, sed triumphi : nam greges suos qui ductu ejus mundum vicerant agebat ante se pastor exstinctus, qui corpus ad sepulcrum sequentes psallebant et flebant.

XI. Martinus signipotens, fulgore virtutum ipsa reverberat astra, hic diversa multorum complevit unus, unde et apostolis ac prophetis, pace sanctorum omnium, consertus est.

XII. O vere beatum, o ineffabilem, pietate, misericordia, charitate! quarum ut visceribus semper totus affluebat in Domino, sic non desit nobis, non desit in ævum.

# S. ODONIS HYMNI QUATUOR.

C

I.

*De sacramento corporis et sanguinis Domini.*

[Apud Marrier, Bibliotheca Cluniacensis.]

Convivas epuli mundos Deus esse superni
Edocet, et servis Dominus vestigia lavit.
Muneribus variis, et pluribus inde rejectis,
Frumentum et vinum cunctis hoc protulit unum.
Hoc sacrat, hoc nimium, quod fit breve, quod nimis [altum,
Tam modicum sumptum, tam facile atque paratum;
Tam sublime tamen quod totam habeat deitatem,
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod fit de pluribus unum
Corpus hinc capiti, caput inde cohæret et illi;
Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum, D
Hoc facile est, nitidum, simplex deitateque [plenum.

II.

*De B. Maria Magdelena.*

[Ibid.]

Lauda, mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam :
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.
Maria soror Lazari
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa face tartari
Redit ad vitæ præmia.
Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala ;
In vas translata gloriæ
De vase contumeliæ.
Ægra currit ad Medicum,
Vas ferens aromaticum,

Et a morbo multiplici.
Verbo curatur Medici.

Contriti cordis punctio
Cum lacrymarum fluvio,
Et pietatis actio,
Ream solvit a vitio.

Surgentem cum victoria
Jesum vidit ab inferis :
Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebit cæteris.

Uni [Soli] Deo sit gloria
Pro multiplici gratia :
Qui culpas et flagitia [supplicia]
Remittit et dat præmia. Amen.

III.

[Ibid.]

*De S. Martino Turonorum archiepiscopo.*

Rex christe Martini decus
Hic laus tua, tu illius :
Tu nos in hunc te colere,
Quin ipsum in te, tribue.

Qui das per orbis cardines,
Quod gemma fulget præsulum :
Da quo, premunt culpæ graves
Solvat peringens meritum.

En pauper hic et modicus,
Cœlum dives ingreditur :
Cœli cohortes obviant,
Linguæ, tribus, gentes, ovant.

Ut vita, fulget transitus,
Cœlis et arvo splendidus :
Gaudere cunctis pium est.
Cunctis salus sit hæc dies.

Martine par apostolis,
Festum colentes tu fove ;
Qui vivere discipulis
Vis, aut mori, nos respice.

Fac nunc quod olim gesseras,
Nunc [tu] præsules clarifica :
Auge decus Ecclesiæ,
Fraudes relide [relega] Satanæ.

Qui ter chaos eviceras :
Mersos reatu suscita :
Diviseras ut chlamydem,
Nos indue justitiam.

A Ut specialis gloriæ [spiritalis gratia]
Quondam recorderis tuæ :
Monastico nunc ordini
Jam pene lapso subveni. Amen.

IV.

*Hymnus in honorem sancti Martini, a S. Odone in extremis compositus.*

[Apud Mabill., *Annal.* tom. III. Append, p. 712.]

Martini renitet en speciosa dies,
Qua scandit modicus dives Abrahæ sinus,
Concentusque poli obvius astat ei :
Nos hymnis hunc honoremus.

B Est Jesus vehemens laus, honor atque decus.
Nam cœlos decorat, arvaque clarificat,
Emergens quasi sol alter ab occiduo.
Splendorem dat hunc diem [*al.* invidiam].

Cultorem Domini hic tener imbiberat,
Et nil præter eum sumere jam poterat :
Signis a puero plenus et in senio
Ipso fide fit inclytus.

Qui necdum madidus fonte sacro laticis
Vestivit Dominum parte suæ chlamydis :
Et semet gelidat algidus ut tepeat,
Nosque nunc meritis tegat.

Ter virtute potens mortibus imperitat,
Signorum titulis totus ubique micat,
Ut quod Christus habet nomen ibi nitescit
C Ut consertus apostolis.

Instinctu supero cardine quadrifido
Gens, linguæ, populi hunc celebrant seduli,
Certatimque fluit illius ad tumulum :
Martinum decet hoc decus.

Hæc, Martine, dies arvas polosque replet,
Sit per te salubris his quibus est celebris.
Sit gaudere pium, sit generale bonum
Hoc per te, Pater inclyte.

Tu pacem reparas : hic et ad astra migras :
Nunc nos te medio concilies Domino,
Odonis famuli hoc opus qui condidit
Emigrans de sæculo.

Misertus Domine, quos enutristi pie
Semper misericors, misericordissime,
Tetolonis servi cæterisque tuis
Miserere, o Martine.

# SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS II

# COLLATIONUM

## LIBRI TRES (66[1]).

**(Bibliotheca Cluniacensis ex editione D. Marrier, pag. 159).**

## EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Domino et Patri TURPIONI pontifici suus ille monachus infimus in Domino (66[2]).

Recolitis, domine mi, quid dudum jusseratis mihi, ut scilicet quia turbato rerum statu pene semper in procinctu estis, et ad consolationem scripturarum, tanquam Moyses ad tabernaculum, libris absentibus, recurrere nequitis, quædam ex Patrum sententiis deflorarem quæ et hujus temporis qualitati convenirent, et veluti quoddam sportulæ diarium vel exilem refectionem in occursu itineris posito subministrarent. Quod equidem semel et bis, et ter, et quoties me vestram adire præsentiam contingebat, requirebatis, et iterum jubebatis. At ego mirabar pontificis humilitatem, A quod tantus a tantillo quidquam hujusmodi reposceretis. Mirabar certe studium, quod animus in tantis discissus illud carmen Job, quod Deus in nocte tribulationis hujus donat, tantopere disquirebat. At tamen stupebam quonam pacto me id agere posse credebatis. Nam licet dominus abbas, vestro suggerente nuntio, tandem hoc et ipse præceperit, propriæ tamen inscitiæ conscius, rem mihi impossibilem vel tentare vitabam. Solemnitate vero S. Martini nuper elapsa, denuntiavit mihi domnus abbas (66[3]) quod statim ad vos me esset transmissurus. Sed cum de prædicta vestra, imo ipsius jussione, nihil me adhuc egisse didicisset, quindecim, inquit, dies ad hoc quod jussus est fa-

(66[1]) *Collationum libris tres.* Non conveniunt ms. codd. in horum librorum inscriptione. Victorianus enim, sive Canonicorum Regularium sancti Victoris ad urbem Paris., qui et de tribus libris pluribus capitibus omissis unicum facit, illum *Domni ac venerabilis Odonis abbatis Clun. librum Collationum* appellat. Unde et nobis operi huic titulum, qui nullus errat in exemplari Jacobi Sirmundi, quod secuti sumus, mutuare necesse fuit. Verum expleta jam illius editione, missus est ad nos et codex alter e Silviacensi cœnobio, qui luculenter ipsum *Occupationes sancti Odonis* inscribit, habetque versus hos in capite:

Dogmate cœlesti plenus hunc Oddo libellum,
Sumens dicta Patrum, pluriumque exempla priorum
Composuit, multisque utilem fore rite.... novit

Imo et ab hoc tempore repertus est etiam alter in Martiniana domo, cujus præfatio *Collationes beati Odonis abbatis*, exordium vero libri primi qui contigue sequitur, *Occupationes*, inscriptionis mutatione nuncupat, ac hos quoque versus adjungit:

Dogmate cœlesti plenus hunc Oddo libellum
Florida composuit doctorum prata peragrans

Nec certe me latet, adhuc opus hoc aliis apud alios insigniri titulis. Antonius enim Possevinus *Libros tres in Hieremiam prophetam* appellat. Quod non adeo male, sicut ex ipsius Odonis Vitæ libro II colligi potest, ubi Joannes Italus apertis verbis ait, ilum *tres libellos composuisse ex Hieremiæ vaticinio.* Fortassisque, si conjecturæ locus est, idem ipse liber censendus, qui in Gestis pontificum Lemovicensium, *De contemptu mundi* inscribitur, ut ex sequenti nota patebit.

(66[2]) *Domino ac Patri Turpioni.* Episcopo Lemovicensi, qui et Turpius et Turpinus dictus est. Quanquam aliqui *Terpionem*, quasi ter pium dicere potius, quam *Turpionem* velut a turpitudine deductum malunt. *Fuit autem*, inquiunt Gesta pontificum Lemovicensium, Turpius, seu Turpio, ex clarissimo genere, avunculus nimirum Roberti vicecomitis Albucensis. Hic Odonem abbatem Cluniacensem magno amore excoluit. Qui Odo, Turpione rogante, Vitam sancti Geraldi composuit, et librum de contemptu mundi. Ad illustrationem libri *de Contemptu mundi* satis erit addere quod Joannes Italus scribit lib. II Vitæ sancti Odonis his verbis : « Cumque episcopus ille, scilicet Turpio, pro sua quodammodo consolatione in longum sermonem de culmine sacerdotii traheret, contigit ut de statu Ecclesiæ inter illos sermo adfuisset. Tunc Pater Odo ex Hieremiæ vaticinio flebilem illi de sacerdotibus cœpit sermonem exponere. Quo videlicet expleto cœpit ille episcopus rogare ut eumdem sermonem ei describeret, et libelli more componeret. Cui e contra Odo Pater noster protulit præceptum Regulæ in quo continetur quod absque licentia prioris nihil monacho liceret facere At vero isdem episcopus ob hanc causam perrexit ad monasterium, et quia erat prædicti Patris sodalis amicus, mox quod voluit obtinuit apud eum. Deinde præcepto illius tres libellos composuit ex Hieremiæ vaticino. Quorum videlicet textus per diversas jam Ecclesias est translatus. » Hæc, autem omnia præsentibus Occupationum sive Collationum libris, quam bene conveniant, vel ex solius epistolæ lectione colligi facillime potest

(66[3]) *Denuntiavit mihi domnus abbas* Berno Balmensis cœnobii rector, cujus Odo monachus et discipulus fuit.

ciendum relaxo, ne domni episcopi præsentiam neglecto ejus jussu, adire confundaris. Arctatus, fateor, tabellam arripui; sed quidnam scribendum quoque ordine prima vel postrema disponenda essent hebetatus hæsitabam. Cum subito recordatus sum illius vestræ querimoniæ, quam de hujus vitæ qualitate profundis singultibus contexere vos in prima jussione audieram: videlicet de perversitate pravorum, qui semper in malum succrescentes et ecclesiasticam censuram penitus contemnentes, quoslibet invalidos crudeliter affligunt. Postremo de his qui divinæ servituti mancipari debuerant, sese prorsus vanæ gloriæ dedicant ac divino cultui simulate deserviunt. De his igitur et hujusmodi, quos tunc, si bene commemini, lugebatis, hujus computationis materiam scripsi. Per omnem ejus excursum id agere nitens, unde possit afflictorum dejectio consolari, pravorumque curiositas aliquatenus contundi. Opusculum sane qualitercunque digestum, vestræ jussioni satisfaciens, vobis transmitto; ut si forte penitus utilitate caruerit, me tamen apud vos de inobedientia excuset. Poterit autem lector ob tam imperiosam jussionem meæ præsumptioni ignoscere. Auctoris vero nomen ob id supprimatur, ne forte si materia sordet, mei quoque nominis vilitate gravetur.

# LIBER PRIMUS.

Auctor igitur et judex hominum Deus, licet ab illa felicitate paradisi genus nostrum juste repulerit; suæ tamen bonitatis memor, ne totus reus homo quod meretur incurrat, hujus peregrinationis molestias multis beneficiis demulcet. Quia vero nos eisdem beneficiis nimium delectamur, ejus consilio frequenti perturbatione hæc eadem nostra delectatio conteritur, ne transeuntibus bonis, quæ perinde fluunt, nimis inhærentes, ad internæ salutis defectum nesciendo trahamur. Sic enim non sentimus quomodo crescit corpus, vel qualiter ejusdem corporis species in senectutem commutatur. Sic et mens nostra nobis nescientibus ab statu rectitudinis frequenter incurvatur, et a forma religionis, dum nescit, senescit, juxta illud: *Traxerunt me, et non sensi* (*Prov.* XXIII, 35): et iterum: *Cani effusi sunt in eum, et ipse non sensit* (*Ose.* VII, 9). Sed rursus ne increpatione prædictæ perturbationis deficiamus, sanctificatam Scripturam, quæ dissolvi non potest, majori gratia misit in mundum: quatenus, ut ait Petrus, in caliginoso vitæ hujus loco pedibus nostræ actionis resplendeat, et inter quælibet adversa patientiam et consolationem, juxta Pauli vocem, subministret. Si ergo quidquam est quod sapientem virum æquo animo inter mundanos turbines continere possit, id esse quamplurimum reor meditationem Scripturarum. Omnis namque ratio, qua vel Deum, vel nos cognoscimus, divinis libris continetur. Et in hoc non solum a cæteris animalibus, sed etiam a quolibet stulto maxime distamus: et sicut ait Salomon, illuc ubi vita est, ad cognitionem videlicet Scripturarum, perreximus. Nam quod in Scripturis vita sit, testatur Dominus dicens: *Verba quæ loquor vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* XIV, 10). Ipsa est et speculum, per quod nunc in ænigmate divina mysteria videamus, ac nos quales simus intueri queamus, ita ut ibi appareat quantum proficimus in bono, vel quantum deficimus. Ibi cuncta produntur quæ dissipant, cuncta narrantur quæ ædificantur: et tamen plerique libentius scurrilitatem audiunt quam hoc paradigma Dei. Tale autem est sacram negligere lectionem, quale esset si quis in tenebris lumen, in æstu solis umbram, vel in ægritudine medicinam respueret. Hæc est, inquam, vox Dei, quæ desertores suos revocat, dicens per prophetam: *Convertimini, filii, revertentes* (*Jer.* III, 14), et item contra virorum consuetudinem stupratam conjugem revocans ait: *Audi, meretrix, verbum Domini* (*Ezech.* XVI, 33). et cætera. Ut autem longe nimis mortales a se recessisse non loco quidem, sed merito demonstret, non per verba sic præsentes jam eos alloquitur, sicut olim patres fecerat: sed per Scripturam, velut per quasdam epistolas, longe positos revocans, quasi veteris amicitiæ desertores suos recordari suadet. Hæc ad excutiendum legendi fastidium præmissa sunt, quoniam, quod pace vestra dixerim, cibum sacræ lectionis non satis esurimus.

1. Omnis vero ejusdem Scripturæ intentio est, ut nos ab hujus vitæ pravitatibus compescat. Nam idcirco terribilibus suis sententiis cor nostrum quasi quibusdam stimulis pungit, ut homo terrore pulsatus expavescat, et divina judicia quæ aut voluptate carnis, aut terrena sollicitudine discissus oblivisci facile solet, ad memoriam reducat. Ad hoc namque unumquemque nostrum secundum quod gesserit in die judicii recepturum pronuntiat. Quod cum Apostolus protestaretur subjunxit, *nescientes suademus hominibus timorem Dei (II Cor.* V, 11). Hinc alias, *Deum time et mandata ejus observa; hoc est omnis homo* (*Eccli.* XII, 13). Quibus verbis ostenditur, quod is qui Deum non timet, homo esse desit. Hæc quoque ejusdem Scripturæ intentio est, ut quia cœleste gaudium non nisi per terrens amaritudines recuperare possumus, ad tolerandam quælibet adversa spe felicitatis, quæ præsenti miseriæ succedit, nos corroboret: ut spes manentis lætitiæ leviget tristitiam transeuntis angustiæ. Ad hoc enim dicit Apostolus: *Quod in præsenti est momentaneum et leve immensum gloriæ pondus operatur* (*II Cor.* IV, 17). Molestias cum dicit, *homo nascitur ad laborem* (*Job.* V, 7). Et Apostolus, cum tribulationes suas

discipulis enumeraret : *Ipsi*, inquit, *scitis quod in* A *hoc positi sumus* (*I Thess.* III, 3). Item Job : *Homo repletus multis miseriis* (*Job* XIV, 1). Quod idcirco dicitur, quia valde impossibile est ut suæ peregrinationis tempora sine dolore percurrat. Hinc ipse auctor dixit : *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* (*Luc.* XXIII, 31.) Nam ipse est lignum viride quod putredo peccati non corrupit, quia peccatum non fecit. Nos vero sumus, ut Judas perhibet, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Ac si diceret Dominus : Si ego ipse, qui peccatum non feci, sine passionis igne ab hac vita non exeo, quid putandum est illos mereri, qui non solum originalibus, sed etiam actualibus culpis tenentur astricti? Ne vero propter angustias quæ dispensatorie nobis hic ingeruntur, B in murmurationis malum excedamus, aut pravitates nostras sub ipsis angustiis compescere negligamus, æternam gehennam transgressoribus comminatur, dicens : *Mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII, 21). Et item contra murmuratores de filiis Israel : *Cesset murmuratio eorum ne moriantur* (*Num* XX, 6). Et item : *Quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt* (*I Cor.* X, 10.

II. Igitur propter hæc tria, quæ maxime hæc eadem Scriptura denuntiat, angustias videlicet quas hic patimur, et lætitiam quæ succedit correctis, et damnationem quam incorrigibiles incurrent, Ezechiel librum se vidisse testatur, in quo scriptæ erant lamentationes, et carmen, et væ. Quo videlicet libro cuncta divina eloquia figurantur, quæque nobis la- C crymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Sed quid ipse verborum ordo designat post lamentationes, carmen, et væ continetur : quoniam post vitæ hujus miserias, aut æterna lætitia succedet bonis et patientibus, aut æterna damnatio malis et murmurantibus. Hinc discipulis Salvator dicebat : *In me pacem habeatis, et in mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI, 33). Ac si diceret : Erit vobis exterius de mundo, quod sæviendo gravet; sed sit interius de me, quod consolando reficiat. Propter hæc quoque tria dicitur, quod rotæ quæ eidem Ezechieli monstratæ in figura duorum testamentorum sunt, et staturam pro altitudine et horribilem aspectum habuerint. Quarum videlicet statura hujus vitæ qualitatem adversis vel D prosperis alternantem significat. Ait enim hæc eadem Scriptura, ejusdem status qualitatem quasi staturam demonstrans : *Omnes qui volunt pie vivere in Christo persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12). Quæ et altitudinem cœlestium præmiorum proferens dicit : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan* I, 12). Quid altius quam filios Dei fieri? horribilem aspectum exhibet, cum de reprobis dicit : *Ibunt hi in supplicium æternum* (*Matth.* XXV, 46). Et item : *vermis eorum non morietur* (*Marc.* IX, 45). Et quod proprie luxuriosis manet, illud Job : *Omnis dulcedo eorum vermis* (*Job* XXIV, 20). Quid horribilius quam semper morsibus vermium dolores suscipere, nec eos unquam finir ?

III. Refert quoque gesta virorum fortium, qui multa patienter tolerarunt : ut his auditis nihil nobis in via rectitudinis impossibile judicemus. Unde beatus Job : *Instauras testes tuos contra me* (*Job* X, 17). Tot etenim testes contra nos Deus instaurat, quot patientium exempla contra nostram impatientiam exponit. Quod autem et divinis admonitionibus, et præcedentium exemplis adjuti, de lacu mundanæ miseriæ liberari debeamus, illa ereptio Jeremiæ designat : quia ut de puteo levaretur, funes cum pannis veteribus ad eum submissi sunt. Funes Dominica sunt præcepta, quæ nos quasi vinciunt, dum suis nos jussis a malis actibus refrenant. Panni veteres opera justitiæ sunt, quibus sancti Patres se vestierunt, ne nudi supernis oculis apparerent. *Sacerdotes*, inquit, *tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Qui panni, id est, eorum exempla, cum funibus præceptorum ad nos de cœno vitæ præsentis eruendos mittuntur; quia, ne divina præcepta nobis dura videantur, eorumdem præceptorum possibilitas Patrum exemplis esse facilis demonstratur. Nam si durum est quod dicitur : *Estote in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12), occurrit Paulus, qui non solum patiens est, sed et gloriatur dicens : *Libenter gloriabor* (*II Cor.* XII, 9). Ligemur ergo præceptis, quasi quibusdam funibus. Sed et panni veteres intersint, ut quod ex nostra imbecillitate nos posse non agere formidamus, esse possibilia per exempla Patrum confidamus. Notandum sane est quam misericorditer Deus prædictæ suæ Scripturæ verba temperans, modo nos asperis incitationibus terret, modo blandis consolationibus refovet, terrorem fomentis miscet, fomenta terrori, et corda peccatorum indicatis terroribus ad humilitatem inclinet, et humilem mœrorem enarratis consolationum fomentis attollat : quatenus dum utrumque circa nos mira arte magisterii temperatur, nec desperate inveniamur territi, nec incaute securi.

IV. Lamentationes, id est angustiæ, ad tolerandum graves sunt; quia, juxta Apostolum, omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris. Carmen vero, id est, gaudium, quod succedit, desiderabile est, sicut ibi securus adjungit ; quia fructum pacatissimum reddit exercitatis per justitiam. Væ autem nimis formidabile est, quoniam, ut Paulus ait : *horrendum est incidere in manus Dei* (*Hebr.* X, 31). Si autem displicet quod patimur, percussorem nostrum justum et misericordem cogitemus. Nam quia justus est, non nisi juste percutit, ut est illud : Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Valde igitur injustum est, de justa percussione murmurare. Non itaque murmuremus, ne forte illud væ quod comminatur incurramus. Cogitemus quoque quia misericors est, ne nos derelictos ab eo credamus, ut stulti faciunt, de quibus dicitur : *In miseriis non subsistent* (*Psal.* CXXXIX, 11). Etenim juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Cogitemus et hoc, quia quod ex nostro merito patimur, ad nostram utilitatem mira benigni-

tate refecerit. Hoc itaque attendentes flagella non refugiamus, sed ea velut quædam medicamenta animæ magis optemus. Nam et æger [illegible] se ad secandum manibus medici libenter submittit, et pocula quamvis amara votive bibit, cum exinde beneficium incolumitatis recuperare se credit. Non ergo resultemus manibus medici nostri Dei. Nam etsi tribulationis adustionem prolongat, non tamen æger debet vociferari; quoniam ipse videt quam profunda ad resecandum putredo lateat in vulneribus vitiorum. Nec velut indomiti tanquam ad inusitatum quiddam aut novum obstupescamus, quoniam a primo justo Abel usque ad ultimum electum necesse est omnes hac conditione teneri. Hinc princeps apostolorum fideles monuit, ne mirarentur in fervore tentationis tanquam novi aliquid contigisset.

V. Afflictionum vero species tam diversæ sunt, quam diversos culparum modos cœlestis ille medicus nobis inesse videt; quatuor tamen modis comprehenduntur. Aliquando namque peccator affligitur pro peccatis præteritis, sicut ille cui dicitur : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* v 14). Quæ jussio docet quod pro culpis præteritis vim doloris incurrerit. Aliquando pro cavendis futuris, quod Paulo contigit, qui, ne extolleretur, stimulum carnis accepit. Quidam doctores antiqui dolorem capitis aiunt fuisse. Aliquando quisque percutitur, ut dum inopinata liberatio periculum subsequatur, ar[illegible] salvantis Dei virtus ametur. In qua percussione meritorum gratia succressit, cum per patientiam fortitudo proficit. Quod in beato Job completum est, qui prius ita laudatus, et postea sic remuneratus est. Nonnunquam vero in una qualibet persona tria hæc genera simul concurrunt, ut in eo per afflictionem et præterita puniantur, et futura prohibeantur, et laudes liberatoris Dei ex adempto periculo succendantur. Quartum genus est, quando quisque sic in præsenti percutitur, ut etiam in futuro puniatur. Quod illis solummodo accedit, quorum mentes tribulatio non convertit : de qualibus illa vox conquerentis Dei est : *Frustra percussi filios tuos, disciplinam non receperunt* (*Jer.* II, 30). Quod semper miser Antiochus et Herodes incurrit. Nam quod diversis cultibus, quibus utique diversitas pœnarum debetur, aut per ignorantiam, aut per fragilitatem, aut interdum per audaciam subjacemus, non de conditione naturæ nobis accidit, sed de vitio primæ transgressionis.

VI. Nam postquam ille primus parens Conditori per inobedientiam contrarius exstitit, ad hoc grave jugum cum omni sua stirpe sese incurvavit, ut veraciter dictum sit quod *tentatio est vita hominis super terram* (*Job* VII, 1). Divinis enim jussionibus subesse nolens, sub suis se necessitatibus prostravit: quem ita exaltaverat libera servitus, ut si uni subjectus esset, cuncta sibi subdit possideret. Sed cervicem cordis erigendo sic eum dejecit captiva libertas, ut etiam a vermiculis, et, quod magis est miserum, a seipso multa patiatur. Porro ille magnus honor, quo inter cæteras corporeas creaturas ditatus est, rationalis videlicet acuitas in eo sic hebetata est, ut cum omni creaturæ visibili præesse debuerit, nunc exemplo formicæ vivere jubeatur. *Vade*, inquit, *ad formicam, o piger* (*Prov.* VI, 6). Mens autem quæ fluxa mutabilitate unum, qui ei sufficere poterat, Deum scilicet amisit, nunc per diversa desideria variatur, et huc illucque avida delectatione quærit, in quo pausetur. Sed quoniam ad solum Deum appetendum creata est, postquam ab illo recessit, nihil invenit, quod ei sufficiat, donec ad ipsum redeat. Unde nunc per diversos affectus variatur, ut cum rerum qualitate satiari non potest, saltem varietate ipsarum rerum expleatur. Victa tædio ipsa natura a cogitatione in cogitationem ducitur; quod fastidiebat appetit, et quod appetebat fastidit, quæ dum quolibet posita, profecto docet quod aliunde pendet. Cujus prima damnatio est, ut Augustinus dicit, horrenda profunditas ignorantiæ, quæ gignit malarum vanarumque rerum multiplices amores, per quos appetuntur vana gaudia, et luxuria et innumera hujusmodi : ex quibus succrescunt mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, et cætera talia quæ in ipsis infantibus ita pullulant, ut si dimittantur facere quod volunt, vix unquam ad aliquid boni perveniant. Contra quos eruditio magistrorum divinitus procuratur, ut prava cupiditates inhibeantur, et boni appetitus utcunque suadeantur. Si tamen aliquis magistrorum, juxta illud Danielis inveniri jam possit, qui ad justitiam erudiat omnes. Etenim huic sæculo magis contra Apostolum eligentes informant; cum Job licet gentilis ita filios etiam adultos sanctificabat, ut nec in corde quidem peccarent.

VII. Ut quid autem multa de ejusmodi malis quæ lædunt dicam? Quando quidem si subtiliter consideres etiam cuncta quæ pro salute gerimus hujus vitæ, pœnis et miseriis intermista reperies. An non miseria est corruptioni carnis ad necessaria atque concessa deservire ? quod eadem caro exigitur, ut contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis : quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi labore reparatur. Et tamen reparata semper in dubio est : quippe cum corpus tot ex se morbos gignat, ut nec medicorum quidem libris cuncti nominentur, quorum aliqui vix sine amaritudine curantur. An non et hoc miseria est, quod amatus amicus suspectione offendi valet ? Formidamus namque inimicos, atque de eis securi non sumus. Ne vero suspiciosi videamur, sic eis frequenter loquimur, quasi amicis. Et rursus dum cauti esse nitimur, pura verba proximorum, multumque nos fortasse diligentium, quasi verba plerumque suscipimus inimici : et qui falli nunquam velle fallere volumus, ex cautela nostra gravius erremus. Quid itaque hoc est, nisi humanæ vitæ

miseria? Nam et ipse homo ita suis afflictionibus assuetus est, ut eas non molestias, sed voluptates putet. Amissa namque cœlesti patria, suo exsilio, in quo repulsus est, delectatur: gravatur curis, et tamen non cogitat quam grave sit quod ipsarum curarum multiplicitas mentem ejus suffocat, ut scriptum est: *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Privatus est interno lumine, et tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam. Et cum interim quotidianis casibus innumerabiles ei mortes immineant, vult tamen sub timore tot mortium diu magis vivere, quam semel moriendo nullam deinceps timere. nam quia præceptum Conditoris transgredi præsumpsit, ad hunc sui met defectum jure devenit, ut quia suam delectationem, quam in rebus exterioribus habuit, eidem Conditori præposuit, nunc et in ipsis rebus et in seipso molestias sentiat, quas voluptates esse contempto Deus stultus putavit.

VIII. Ut autem et de his quæ a foris veniunt aliqua ponamus, sciendum est quia alia sunt quæ a Deo patimur, videlicet flagella: sicut ille Lazarus. Alia quæ a proximis, persecutiones, aut damna, aut contumelias: sicut apostolus Paulus. Alia quæ ab antiquo hoste, tentamenta scilicet diversa: sicut Job. Sive autem per hominem, seu per antiquum hostem adversa veniant, a Deo utique juxta nostrum meritum modificantur. Nam status mundi ex merito nostro perturbatur, et per occultas cordium insolentias aperta prodeunt flagella pœnarum. Quas videlicet pœnas ipse judex et Dominus enumerat dicens: *Surget gens contra gentem* (*Luc.* XXI, 10), et cætera. Nos enim, ut in homeliis dicitur, omnia quæ ad usum accepimus vitæ, ad usum convertimus culpæ: humanam scilicet pacem ad inanem securitatem, salutem corporum ad usum exercemus vitiorum, ubertatem non ad necessitatem, sed ad superfluitatem. Ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis servire cogimus terrenæ delectationis. Jure igitur restat ut simul nos omnia feriant, quæ simul vitiis male subacta serviebant, et qui in cunctis deliquimus, in cunctis feriamur: ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso post nodum sentire cogamur tormenta. Hinc in libro beati Job dicitur: *De humo non egredietur dolor* (*Job.* V, 6). Quod scilicet mala nostra exigant, ut a rebus insensibilibus feriamur. Ecce enim expectandus imber arente terra suspenditur, et caliginosus aer sole inardescente siccatur. Mare procellis tumentibus sævit, et alios ad transmeandum susceptos intercipit. aliis desideratum iter contradicit. Terra etiam suscepta semina consumit. In quibus cunctis patenter ostenditur hoc quod scriptum est de Domino: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* V, 21). Quod tunc utique fit, quando in pœna delinquentium adversitas elementorum militat, sicut item dicitur: ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes et scorpii oppressiones, contrio et flagella. Sed tamen de

A humo non egredietur dolor; quia nequaquam pœna, quæ ex re insensibili ad nostram afflictionem excitatur, de ea nascitur creatura quæ percutit, sed ea quæ peccando vim percussionis extorsit. Hinc item scriptum est: *Ego Dominus creans malum* (*Isai.* XLV, 7). Mala quippe nulla natura subsistunt. Non ergo creantur a Domino, sed idcirco mala creare se asserit, quia res quas ille bene condidit, sed nos male concupiscimus, in flagella, quæ aspera videntur, et mala nobis, convertit. Inde est quod homo de veneno moritur, de quo serpens vivit. Inde quod ipse cibus et potus intemperanter sumptus resoluta corpora facit, et immaturam senectutem adducit, quin etiam et mortem, ut item Scriptura dicit: *Qui autem abstinens est, adjicit vitam* (*Eccli.* XXXVII, 34). Deus
B autem videns quod ea quæ nobis donat, et non ipsum qui dator est, perverso ordine diligimus, ex his quæ ei præponimus salubriter nos ferit, ut tanto citius ad ejus amorem resipiscamus, quanto plenius senserimus plena esse doloribus ea quæ affectamus. Neque enim solis exterioribus male oblectamur. Nam ut ad nos ipsos veniamus, in ipsis nostris membris, quæ nobis a bono artifice Deo bene attributa sunt, male frequenter utimur, ut oculis ad petulantiam conspiciendam. Per ipsos namque mors intrat ad animas nostras. Et quandocunque eisdem oculis species concupiscibilis apparet, quasi vetitum lignum Adam præ oculis habet. Lingua prompta est ad proferendum men-
C dacium, vel ad construendam fraudem, vel ad jurgia exercenda; pedes ad currendum in malum; sensus propter colorem auri; rectum judicium pervertit. Et ne per singula currere longum sit, non solum per ea quæ vetuit, sed per ea quæ concessit Deus injuriosi existimus, et tamen homo custodiam divinam debet habere in se, ne casum incurrat in corpore, quem cupiendo malum non timet incurrere in corde. Quapropter dignum est, ut vel in superbo animo nostro multa quæ nos contristant, Deo permittente, sentire cogamur, vel in delicata carne quam actori frequenter præponimus, censuram supplices sentiamus.

IX. Ab hoste vero maligno tam multipliciter patimur, quam ille nostris deceptionibus, et per naturam subtilis, et per malitiam jugiter infa-
D tigabilis insistit. Cujus cuncta tergiversationum certamina atque machinationes Dominus beato Job insinuat. Et quod opprimendo rapit, quod insidiando circumvolat, quod minando terret, quod suadendo blanditur, quod desperando frangit, exorsus est dicens: Ecce Behemoth quem feci tecum, et cætera. Quæ omnia in illorum verborum expositione plenius panduntur. Hic autem illud tantum commemorandum videtur, quia generaliter in omnibus agere nititur, quod in primo homine gessit. Verba Dei de cordibus eorum evellere, suaque blandimenta quæ fraudulenter suggerit molitur infigere. Supplicia quæ Deus minatur oblivisci suadet, et ad agenda quæ perhibet nos instigat. Tunc dixit: *Eritis sicut dii* (*Gen.* III,

5). Nunc dicit: *In hoc mundo sublimes apparete* (*Job* XL, 5). Tunc dixit: *Nequaquam moriemini* (*Gen.* III, 4). Nunc quasi misericordem Deum tingens, impunitatem scelerum promittit. Sed nos qui experimento primi hominis didicimus quam districte judex delinquentes feriat, oportet ut minacem ejusdem judicis sententiam extimeamus, et contra deceptionis fraudem ejusdem hostis cautius ac robustius consistamus, illus Job majus attendentes: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job* IX, 28). Et item dicit Psalmista: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (*Psal.* CXVIII, 21).

X. Singulis autem hominibus vitiis convenientibus insidiatur. Prius enim conspersionem uniuscujusque perspicit, et tunc tentationis laqueos eidem conspersioni proximos opponit. Neque enim facile captivaret, si aut luxuriosis præmia, aut avaris scorta proponeret. Si aut voraces de abstinentiæ gloria, aut abstinentes de gulæ imbecillitate pulsaret. Si mites per studium certaminis, aut iracundos capere per pavorem formidinis quæreret. Sed ut efficacius in sua fraude prævaleat, eo vitio quo eum citius consensurum ex qualitate animi ejus novit, explorat. Hinc scriptum est: *Dividitur æstus super terram* (*Job* XXXVIII, 24). Quia videlicet in hac vita tentationis ardorem callide singulis ingerens quasi æstum dividit, dum vicinos moribus laqueos abscondit. In illis autem qui ejus voluntati subjecti sunt, quadam securitate perfruitur, dum cordibus eorum quasi superbus rex inconcussa potestate dominatur. Sed si cujuslibet mens ad desiderium Conditoris incalescit, si Redemptoris gratiæ meminit, et teneri captivus a vitiis erubescit: cum idem hostis considerat se despici, et contra se mancipium quod dudum possederat reniti, mox in omni tentationis arte se instigat: ac ne is quem possederat ab ejus dominio liberetur, multiplici fraude decertat. Hinc de his qui convertuntur ad cor scriptum est: *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan* (*Job* III, 8). Eidem quippe hosti maledicere est peccata quæ suggerit exsecrari. Sed quisquis hoc fecerit Leviathan suscitat, qui, ut dictum est, in pravorum cordibus, quasi quietus et sopitus dormit. Quicunque igitur divinitus respectus, quæ Dei sunt agere desiderat, Leviathan in certamine contra se provocat, ejusque malitiam sua conversione inflammat. Nec magnopere ergo quoslibet pravos inquietat, quippe quos non solum per mala, sed per ipsa quoque bona opera, quæ non sinceriter gerunt, sibi servire conspicit; sed ad Deum confugientibus innumeras insidias tendit.

XI. Quibuslibet autem pravis mala quælibet aperte suggerit, eisque velut familiaribus iniquitates manifestius insinuat, ut scienter agant quæ mala esse non ignorant. Bonis ergo velut extraneis latenter insinuans, mala quæ publice non valet, tecta subintroducit: ut qui malis consentire refugiunt, in bonis aut tepidi sint, aut nimio zelo modum excedant. Quos plerumque gravius
A per ministros suos, quam per seipsum nocet, dum per malos vel illicit bonos ad malum, vel impedit eos in bono. Unde propheta: *Velociores*, inquit, *fuerunt aquilis cœli inimici nostri* (*Thren.* IV, 19). Omnes tamen quibus prævalet per tria vitia vehementibus mergit. Videlicet alios per superbiam, qua se extollunt; alios per luxuriam, qua suis voluptatibus serviunt; alios per malitiam, qua suos proximos gravent. Unde et tribus nominibus ex ipsis tribus actionibus appellatur: scilicet avis, et Behemoth, quod est jumentum, et Leviathan, quod est draco. In his namque quos pro spiritalibus vel temporalibus divitiis in superbiam elevat, avis est. In his vero, quos ad luxuriam enervat, jumentum est. In his quos ad nocendi
B malitiam inflammat, draco est. In illis autem quos pariter per tria hæc mergit, jumentum simul, et draco, et avis est. Maxima tamen virtus ejus in luxuria est. Unde ad beatum Job dicitur: *Fortitudo ejus in lumbis ejus* (*Job* XL, 11). Videlicet prosper masculos. *Et virtus illius*, propter feminas, *in umbilico ventris ejus* (*Ibid*). Ubi notandum, quia fortitudo ejus non dicitur esse in lumbis, vel in umbilico eorum qui prosternuntur: sed in lumbis et umbilico ipsius diaboli, quia nimium sicut in Moralium libro XXXII perhibetur, ejus proprie corpus fiunt, qui ei per luxuriam succumbunt.

XII. In qua tamen luxuria neminem usque ad consensum mergit, nisi eum qui prius in oculis
C Dei superbiendo cadit. Quod in se primus homo ostendit, qui postquam superbiendo peccavit, mox genitalia membra erubuit. Nam quia Deum superbiendo contempsit, mox a subdita carne prælium sumpsit. Unde propheta: *Responbedit*, inquit, *arrogantia Israel in faciem* (*Ose.* V, 5), id est per meritum superbiæ latentis in apertam luxuriam cadere permittitur. Qui ut ostenderet quod libido ex merito superbiæ proruperit ait: *Spiritus fornicationis in medio eorum* (*Ibid.*, 4). Si enim spiritus superbiæ sub Deo premitur, caro super spiritum illicite non elevatur. Quisquis ergo superna appetit, si postea voluptate prosternitur, non tunc se judicet victum, cum aperte superatur, quia tunc utique ante Dei oculos in culpæ voragi-
D nem cecidit, cum sese ultra quam deberet efferens latenter intumuit.

XIII. Igitur malitia ad violentos pertinet. Superbia vero et luxuria, tam ad ipsos, quam etiam ad alios, qui mansueti plerumque videntur. Nam in ipsis mendicis et pauperrimis ista duo vitia vigere solent. Elatio namque spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Unde et isdem nequam spiritus sub umbra et in secreto calami, et in locis humentibus dormire perhibetur. Quoniam eos quos decipit, primo a charitate Christi tepere facit. Tum vero per elationem quæ per calamum foris quidem nitentem, sed intus vacuum designatur, ubi eos subjugat. Deinde per genitalia membra, quæ loca humentia intelliguntur, ad turpitudinem prosternit. Sane qui vel hæc duo

vel cætera quælibet ejus figmenta superare cupit, hunc in prima suggestione contemnat. Quæ suggestio caput ejus est. Quod videlicet caput ab uno quolibet fidelium virtutis pede facile conteritur, si prima suggestio respuatur. Unde ad eumdem hostem de qualibet studiosa anima Deus dicit : *Ipsa conteret caput tuum (Gen.* III, 15). Cauda vero illius est operis completio, de qua scriptum est : *Stringit caudam suam sicut cedrum* (*Job* XL, 12). Succisa cedrus in lapidem durescit. Caudam vero suam quasi cedrum stringit, quia si caput ejus, quod est blanda suggestio, semel in corde recipitur, deinceps eidem cordi quasi ex jure dominatur, et violenta consuetudine pene insolubiliter innodatur. Hinc est quod nonnulli peccata sua fugere satagunt, sed evadere hæc etiam decertantes nequeunt. Quia tanto ignis suasionis illius semel receptus amplius incendit, quanto se ei ad consentiendum molliorem quisque in vitio præbuerit. Sed quia nulla ratione conceditur, ut mens in hac carne posita suasionis ejus ardore non tangatur, restat ut malignis flatibus adusta, ad orationis aut confessionis opem sine cessatione se convertat. Flammam quippe suggestionis illius et unda lacrymarum citius exstinguit, et humilis confessio fraudes ejus efficaciter tanquam proditas allidit.

XIV. De his quæ a proximis proximi patiuntur aliqua nihilominus relaturi, videtur ut duas generationes hominum, scilicet malorum et bonorum, primo ab exordio memoremus. Jam vero de singularum actibus quisque probet in qua generatione teneatur, dum cognoverit ad quam ex ejusdem generationibus pertineant opera quæ facit. Sunt itaque duæ generationes hominum, quæ a duobus filiis Adam, a Cain videlicet et Abel, exordium acceperunt, et usque ad ultimos, qui nascituri sunt, nunc divise, nunc misti percurrunt. De bonorum generatione quæ ab Abel justo incipit ita dicitur : *Vos autem genus electum* (*I Petr.* II, 9). Et item : *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* CXI, 2). Et alias : *Dominus in generatione justa est* (*Psal.* XIII, 6). De malorum vero, quæ a Cain incipit, sic dicitur : *Generatio prava et exasperans* (*Psal.* LXXVII, 8). Et item : *Generatio quæ non direxit cor suum* (*Ibid.*). Et illud : *Gens absque consilio est* (*Deut.* XXXII, 28). Quid enim plus sine consilio est, quam sicut illic sequitur, novissima non providere ? Gens bonorum habet civitatem suam Hierusalem, cujus et civis est, partim in cœlo jam regnans, partim hic peregrinans. Et habet humilem regem Christum, de quo eidem dicitur : *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens supra pullum asinæ* (*Zach.* IX, 9). Habet et illa generatio malorum civitatem suam Babylonem, partim in inferno damnatam, partim adhuc in iniquitatis ministerio occupatam. Quæ et superbum regem habet diabolum, de quo dicitur : *Ipse est rex super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25).

XV. In illis autem duobus hominibus, a quibus hæ generationes exortæ sunt, quid sequaces eorum gerant provida dispensatione expressum est. Nam ut prius de Cain dicamus, qui primogenitus Adæ fuit, (ut enim Apostolus ait, *non prius quod spiritale, sed quod animale* [*I Cor.* XV, 46], ) ipse agricola exstitit, et sequaces ejus totis desideriis terrena quærunt ; qui hic habent bonum suum, multis angustiis intermistum, cujus boni perceptione lætantur. Qualis lætitia de talibus gaudiis et rebus inesse potest ? Ille sacrificium Deo, sed non simpliciter obtulit, et isti fidem, licet verbotenus, tenent. Qui sæpe multa bona faciunt, quæ tamen vel malorum admistione, vel sicut ille, fraterno odio commaculant. Aliis donant, aliis rapiunt, mercedes congregant : sed, ut scriptum est, eos in saccum pertusum mittunt, dum pro ipsis donis aut laudes ab hominibus, aut a Deo præsentis vitæ felicitatem quærunt. De quibus propheta dicit : *Victimas in profundo deferunt* (*Ose.* V, 2), id est ea quæ in imo sunt, per quælibet bona opera requirunt. Nam si cœlestia quærerent, victimas in altum levarent.

XVI. Ille fratrem occidit, isti proximos aut damnis affligunt, aut exemplis necant, quantum in ipsis est. Unde scriptum est : *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt* (*Job* XXXV, 9). Videlicet in quibus malorum pravitas displicet, calumniatores recte vocantur, non solum qui exteriora bona rapiunt ; sed etiam qui vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt. Graviorem namque calumniam nobis infert, qui male vivendo vim nostris moribus irrogat, quam is qui violenter damna rebus ingerit. Hujusmodi autem quisque non solum calumniator, sed homicida ex verbis Domini comprobatur. Ait enim de diabolo : *Ille homicida erat ab initio* (*Joan.* VIII, 44), id est, ex quo exstitit homo cui invidebat. Vide ut Joannes dicit genus homicidii. Non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit, serpente indutus, locutus est mulieri, et per illam venenavit virum. Illum utique audiendo mortui sunt. Diabolus verbum seminavit et occidit. Noli ergo putare hominem illum non esse homicidam, qui vel exemplo, vel verbo mala persuadet ; quia, si fratri persuadet, occidit. Inde est quod ille lusus Ismaelis cum Isaac non lusio, sed illusio a matre putatur, et ab Apostolo persecutio nominatur.

XVII. Ille ab ipso Deo prohibitus est ne fratrem occideret, sed audire contempsit. Qui postea ut haberet pœnitendi occasionem requisitus est, sed confiteri noluit. Nec enim in hoc ei dissimiles isti sunt, qui scienter prohibita quæque faciunt, jussa vero contemnunt. Nam videas eos impudenti præsumptione quælibet vitia committere, et, quod juxta beatum Gregorium omni peccato fit gravius, etiam de patratis sceleribus superbire, ut scriptum est : *Lætantur cum male fecerunt* (*Prov.* II, 14). » In his namque, sicut in Cain, superbia per usum crescit : ut ita hoc vitium in se nec saltem esse putent, cum eo pleni sint. An non ingens in illo superbia fuit, cum requisitus respondit : *Numquid custos fratris*

*mei sum ego?* (*Gen.* IV, 9.) Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Nam quo latius caligo se dilatat, eo vehementius visum obscurat. Ita et hæc paulisper crescens, mentis oculum a spiritali intellectu dividit, ut captivus animus hanc et pati possit, et in se videre non possit. Quia vero anima semel voluntarie lapsa nunquam illic jacere permittitur quo primitus cadit, sed ad graviora detrimenta tanto profundius proruit, quanto longius a Conditoris humilitate discedit: idcirco tales justo Dei judicio obcæcantur, ut ad ejus præcepta durum et insensibile cor habeant. Unde Psalmista: *Auferuntur judicia tua a facie ejus* (*Psal.* x, 5). Excæca, inquit Isaias, cor populi hujus, quo contra de humilibus dicitur: *Beatus vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII, 14). Per hanc itaque duritiam quam idcirco incurrunt, quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, manda ejus observando, ita destruuntur, ut amittant a corde innocentiam, ab ore veritatem, ab opere justitiam, a carne continentiam, ab intellectu fidei religionem. Deus enim dedignatur cum superbia coli. Unde et hi in suis immunditiis merito superbiæ dimissi diabolicis suasionibus ita falli permittuntur, ut etiam ad perfidiam dilabantur. Hos defectus ab eisdem malignis spiritibus sensim perstructos, Psalmista, demonstrans ex voce destruentium Hierusalem, ait: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum* (*Psal.* CXXXVI, 7). Fundamentum enim est fides, quia super hanc bona opera construuntur. Perversos ergo spiritus virtutis munimen usque ad fundamentum exinanisse est, everso bene vivendi opere, etiam a cordibus hominum robur fidei dissipasse. Hinc Jeremias: *Constupraverunt te*, inquit, *usque ad verticem* (*Jer.* II, 6), hoc est ab exterioribus actibus, quasi ab inferioribus membris, usque ad celsitudinem fidei, quæ est totius virtutis fundamentum, polluendo pervenerunt.

XVIII. Quique tales forte non patientur audire, quod fidem perdiderunt. Sed nunquid fidem habere dicendi sunt, qui proximos persequuntur? cum doctor gentium dicat: *Qui negligit curam proximorum, fidem negavit* (*I Tim.* v, 8). Et certe pejus est fratres opprimere, quam eorum curam negligere. Judex quoque hominum quomodo reprobavit eos qui ut canibus vel equis cibos præpararent, victum pauperis per sudorem acquisitum auferunt; si illos in æternum ignem projiciet, qui esurientem non cibant? Nam et pater Augustinus in Epistola sancti Joannis dicit: Christus propter solam charitatem in carne venit; qui ergo charitatem non habet, Christum negat in carne venisse. Sunt plurima quæ quosdam in Ecclesia constitutos infideles esse demonstrant. Personam potentis ita plerique accipiunt, ut pro ejus favore verum in causa proximi negent. Et quid est veritas, nisi Christus qui ait: *Ego sum Veritas?* (*Joan.* XIV, 6.) Joannes non de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit. Quisquis ergo veritatem idcirco negat, ne personam potentis offendat, si Joannes eo ipso propter Christum occubuit, quia videlicet pro veritate mortem incurrit, iste procul dubio Christum negat, qui ne personam offendat veritatem tacet. Ecce post hæc ante oculos hominum Christianus est, sed si districte judicetur ante Deum, jam non est. Quo videlicet libro multa de ministris etiam Ecclesiæ dicuntur, per quæ et Balaam et Jezabel imitari et Antichristi membris uniri comprobantur.

XIX. Ut autem ad aliquid tale veniamus, in quo persimile factum esse Cain sequaces evidentius manifestentur, ille, ut dictum est, monentem Deum audire noluit: isti servos ejus et rectores contemnunt, imo ipsum per ipsos, sicut in ipsius verbis ostenditur, dicentis: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* x, 16). Qui etiam ejusdem rectoribus potestatem ligandi atque solvendi in persona beati Petri concessit, quam ita confirmavit ut alias diceret: *De omni re quacunque duo ex vobis consenserint super terram, fiet illis a Patre meo* (*Matth.* XVIII, 19). Sed ob hoc forte vel excommunicationes pastorum, quas ad compescendam pravorum malitiam adhibent, vel admonitiones contemnunt, quia vitam illorum reprehendunt: quod equidem ingens scandalum quibusque illusoribus præbet. Sed pastor et episcopus animarum nostrarum Christus non est contemnendus, qui in his auditur, et contemnitur, qui sicut præsciens futurorum huic temeritati contemptorum obviat dicens: *Quæcunque dixerint vobis, servate et facite* (*Matth.* XXIII, 3). Et ut hoc inferamus, quis pejor quam Caiphas, qui de Christo prophetavit? Scilicet qui prophetiam unde meruerit, sanctus evangelista monstrare studuit, dicens: *Cum esset pontifex, prophetavit* (*Joan.* XI, 51). Saul rex impius et reprobus, cum præciperet ne quis donec esset complecta victoria comedisset, Jonathas etiam jussionis nescius paululum mellis gustasset, mox divinus favor ita subtractus est, ut victoria penitus intermitteretur. Quam indignationem suam idcirco Deus tunc palam fecit, ut quantopere in contemptu rectorum offendatur, deinceps per omne sæculum intelligi posset. Nam et Judas proditor cum cæteris Christi discipulis dæmonia fugabat, quod in libro epistolarum sancti Gregorii, et in sermone de cruce sancti Joannis Chrysostomi perhibetur. Igitur Caiphas propter pontificatus honorem prophetavit; et illam Saulis jussionem ab ignorante licet contemptam adeo vindicavit, ut Jonathas mortis sententiam incurreret, nisi totius populi auctoritate liberaretur. Dæmones ob reverentiam divini nominis ab ipso suo complice fugabantur. Cum vero ista ita sint, viderint quid faciant, qui pastores etiam sine fide Christi viventes despiciunt. Ut enim ita dixerim, audaciores sunt quam dæmones.

XX. Qui et si reprehensibiles sunt, ut in libro XXV Moralium disputatur, magna cautela subditis cavendum est, ne vitam eorum judicare præsumant. Habent judicem suum Deum, qui per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum

facta examinat magistrorum. Quamvis etiam subditi, quos modo magistri discutere vel negligunt, vel non possunt, ejus procul dubio judicio reserventur. Nam prælatos a se solo judicandos innuit, cum cathedras vendentium columbas sua manu evertit. Si autem rectores nati sunt, subditi seipsos tantum et non illos accusent, quia certe eorum culpa est quod talibus subjiciuntur. Scriptum quippe est: *Dabo tibi reges in furore meo* (*Ose.* XIII, 11). Et item: *Regnare facit Deus hominem hypocritam propter peccata populi* (*Job.* XXXIV, 30). Si ergo irascente Deo secundum merita rectores accipimus, in illorum actione colligimus quid ex nostra æstimatione pensemus, vel cujus meriti simus. Si ergo magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi sufferant, etiam cum displicent. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas, aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus mens subditorum a servanda magisterii reverentia non recedat. Debet tamen a subditis humiliter suggeri, si forte valeat in prælatis quod displicet emendari. Et libere ergo dicenda sunt quæ sentimus, et valde humiliter promenda quæ dicimus, ne et quæ recta intendimus, hæc elate proferendo, non recte faciamus. Quod enim magistri a subditis reprehendi non debeant, bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti, quæ rectores significat, arca figuravit. Quam quia casuram credens Oza levites erigere noluit, mox sententiam mortis accepit, in humero percussus, quo ex præcepto legis eam ferre debuerat: quia nimirum dum subditi contra prælatos, quorum imperia ferre debuerant, manum submissionis mittunt, a sorte viventium reprobantur.

XXI. Christus baptizat, sicut Deus Pater Baptistæ Joannis testatur dicens: *Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Non ergo melior est baptismus per manus cujuslibet sancti hominis, quam per manus peccatoris, quoniam qualiscunque baptizator sit, Jesus est qui baptizat. Sic et de ministerio sancti altaris debet intelligi, quia scilicet et per manus aut justi aut injusti sacerdotis oblationem consecrat ipse Christus, et sicut Joannes in homelia de proditione Judæ disseruit nunc ipse Christus præsto est, et non ipse sacerdos corpus Christi consecrat, sed ipse Christus per ipsum. Nam sicut vox Dei in primordio mundi semel jussit, ut terra per singulos annos fructum afferat, et illa semper habet effectum ad generationem; sic et eadem vox hominis Jesu semel quidem in cœna dixit: Hoc est corpus meum, et hoc facite in meam commemorationem: sed donec, ut ait Apostolus, ipse veniat ad judicandum efficientiam ipsius rei, vox ista per omnem Ecclesiam adimplet. Et quidem fieri potest ut is qui consecrat, alter Judas sit, cui rex dicat: *Amice, quomodo huc intrasti* (*Matth.* XXII, 12.) Is tamen qui non mentitur faciet quod promisit. Hinc itaque ex obliquo uniusquisque intelligat, quia vis et pondus excommunicationis, aut admonitionis pondus, per qualemcunque persodam fiat, ex Dei majestate pensetur, cujus auctoritate deponitur.

XXII. Spiritalis, juxta Apostolum, omnia dijudicat, sed animalis homo non percipit spiritalia. Quapropter et isti nihil secundum fidem metientes, pro eo quod contemptus eorum non statim per aliquod manifestæ ultionis signum redarguitur, negligunt futurum examen contremiscere, quod ad præsens non experiuntur, et idcirco ad peccandum sunt præcipites, ad corrigendum vero difficiles. Unde scriptum est, quia propter hoc multiplicantur mala in terra, quod non cito profertur sententia contra delinquentes. Et certe tunc pejore ultione damnantur, cum eis nulla adversitate resistitur: quia videlicet ut in Moralium libro XXVI dicitur, eos Deus ad supplicium æternum reservat, quos per temporales afflictiones a suis pravitatibus non refrenat. Hinc scriptum est: *Percussit inimicos suos in posteriora*, non in præsenti, *et opprobrium*, non temporale, sed *sempiternum dedit illis* (*Psal.* LXXVII, 66). Hinc sanctus Noe filium suum reproborum, non in ipso, sed in posteritate seminis ejus damnavit. Non ergo rebelles sibi de impunitate blandiantur, quia nunc Deus magis pœnaliter prævalere permittitur, et manifestæ damnationis indicium est, quando conatibus eorum nulla contrarietate impediente subsequens favet effectus. Etenim quia, Deus, ut scriptum est, nullum tempus sine testimonio suæ virtutis derelinquit, multos etiam nostra ætate pavenda ultio, punit ut illud fuit. Cum ante hos annos (66⁴) sancti Andreæ solemnitas in prima Dominica Dominici Adventus concurrisset (66⁵), quidam sacerdos, sicut Turonicæ ecclesiæ præcentor, asserit pagensibus suis utrasque missas audire præcepit. Inter quos erat quidem medicus, qui audita prima missa discessit. Quem cum sacerdos increpasset, grave ei respondit. Et ille excommunicavit eum. At vero medicus ad domum suam iratus discessit, et in contemptum excommunicationis mox potum accepit, atque protinus vexari cœpit quousque animam exhalaret. Si isti hoc vidissent forsitan timuissent, quibus illa exprobratio congruit: *Generatio prava et adultera signum quærit* (*Matth* XII, 39). Ut illud Job: *Videntes plagam meam timetis* (*Job.* VI, 21),

(66⁴) *S. Andreæ solemnitas.* Aymoinus, lib. IV, cap. ult., *festivitatem beati Andreæ*, et lib. II, Capitul. cap. 20, *Missam sancti Andreæ* dixerunt.

(66⁵) *Quidam sacerdos pagensibus suis.* Id est parochianis, sive vicaneis. Licet enim aliquando pagi nomine provincia veniat, ut apud Gregor. Turon. lib. IX, c. 9, *Pagus Stampensis*, et *Carnotenus*, et apud Fredegarium cap. 57, *pagus Tholosanus*, *Chatorcinus*, *Aganensis*, *Petrocoreus*, unde et *pagenses* qui ejusdem pagi sive provinciæ, quemadmodum apud eumdem Gregorium lib. VIII, c. 18, et Capitul lib. III. c. 73. Attamen et *pagus* pro vico sive parochia, et *pagenses* pro vici et parochiæ ejusdem incolis frequenter ponuntur.

quia plerique Deum timere nesciunt, nisi cum vel in se, vel in aliis experta adversitate terrentur.

XXIII. Theodosius imperator ille famosus, sicut Tripertita historia refert, quadam vice a quondam monacho, qui, ut credo, non bene compos mentis suæ erat, pro quadam ejus querela, jam non statim expedierat, excommunicatus est. Et monachus quidem excommunicatione in pictatio descripta, et quo ab imperatore inveniri posset projecta discessit. At imperator non illum gyrovagum (66[6]), sed cœlestem potius regem, cujus auctoritate solet excommunicatio fieri, in causa considerans, prandere nullatenus, cum quidem incumberet hora, præsumpsit. Multisque episcopis coram astantibus, et cum illo episcopo, ad cujus diœcesim prædictus monachus pertinebat, licentiam dantibus, cogi non potuit ut aliquid gustaret, donec monachus diu multumque quæsitus, et aliquando repertus est, et rogatus ut imperatori licentiam daret. Velim ut istis personis ex obliquo personas componant, quatenus causam a contrario verius discernant. Ecce imperator non qualiscunque, sed Theodosius omni sæculo post se mirandus, observavit excommunicationem non rationabiliter, sed inepte prolatam, neque a quolibet, qui vel tenuem excommunicandi potestatem habuerit, sed a stulto monacho fortuitu injectam. Isti vero degeneres homunciones, nullumque saltem apud vulgares signum honestatis habentes, contemnunt excommunicationem non fortuitam, sed ecclesiastica censura per pontifices decretam. Certe quia dies mali sunt, in quibus, ut ait Apostolus, existunt homines seipsos amantes, qui auditum a veritate avertentes sanam doctrinam non recipiunt. Inde est quod pondus divinæ auctoritatis parvipendunt, et non solum Dei ministros, sed ipsum etiam per eos admonentem more Cain spernunt. Quia vero de uno rege, qui mira humilitate excommunicationem, licet ineptam, observavit, audivimus, nunc de alio quid contigit audiamus.

XXIV. Legitur in historia gentis Anglorum, quod quidam episcopus duos fratres Palatinos viros pro repudio uxorum excommunicavit. Contigit autem ut rex ipsius gentis juxta domum ipsorum transiret. Qui multis blandimentis delinitus, ut apud eos ad prandendum diverteret, tandem consensit. Expleto autem convivio, cum jam rediret, obviavit episcopo, qui fratres illos excommunicavit: quem cum vidisset intremuit, et exsiliens de equo in media, ut erat, via prostravit se coram episcopo. At ille appropinquans ad eum, ferula, quam manu tenebat, tetigit eum dicens. O rex, non est meum agnoscere tibi, quia contra Deum fecisti, quando te excommunicatis scienter sociasti. Idcirco ista sententia est de te; hoc anno mori habes in domo ipsa in qua excommunicationem contempsisti. Quod et factum est sicut ibi legitur. Ecce rex non potuit hunc reatum nisi moriendo expiare: ecce episcopus nec prostrato regi in pulvere potuit ignoscere. Ex his ergo colligendum est, quia nec ipse episcopus, cujus excommunicatio contemnitur, sine gravissima pœnitentia hujusmodi facinus ignoscere potest.

XXV. De signis vero illud sciendum, quia juxta Scripturam: *Unicuique rei tempus suum est sub cœlo* (*Eccle.* III, 17). Unde sancta Ecclesia signis ad corroborandum suorum fidem in primordiis suis indiguit. Nunc vero constante jamdudum fidei statu signa admodum non requirit. Verum ut internus arbiter cogitationes ex multis cordibus revelet, terribili dispositione priusquam Antichristus appareat, virtutum signa ab eadem Ecclesia subtrahuntur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus minuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur: hoc in libro XXXIV Moralium. Quod idcirco fieri permittitur, ut dum subtractis virtutibus eadem Ecclesia abjectior apparuerit, manifestum fiat qui illam propter spem cœlestium præmiorum, et non propter præsentia signa venantur, et qui sunt illi qui invisibilia, quæ promittii, sequi negligunt, dum signis visibilibus ad ejus reverentiam non incitantur, cum etiam a fidelibus miraculorum divitiæ subtrahuntur. Unde scriptum est de eodem Antichristo: quia faciem ejus præcedet egestas. Satellites ejusdem Antichristi mira facturi sunt, qua videlicet occasione fiet, ut qui Ecclesiam pro solis miraculis venerantur, illius veneratione contempta, ad illorum qui signa fecerint consortium transferantur. Bonis tamen signa omnimodis [modis omnibus] non deserunt, sed in comparatione eorum aut pauca, aut nulla videbuntur. Inde est quod nec ipsa perjuria, quæ tam cito Deus punire solebat, jam manifesta ultione vindicat, imo vero ea, quasi non punienda sint, multiplicari permittit. Nunquid perjuri dicere possunt, quod vel Deus modo non puniat quod ante solebat, vel sancti non ejusdem sint potestatis, ut perjuria super se facta sicut olim puniebant, ita nunc punire nequeant? Possunt utique, sed jam tempus est ut signa cessent. Non utique mirum si contemptum Deus prælatorum vindicare dissimulat, quandoquidem sanctorum injurias tam longanimiter suffert. Sed quia de juramento sese occasio præbuit, quid de hoc Hieronymus in Ezechielis libro V dicat commemoremus. Sedecias rex pactum subjectionis cum rege Nabuchodonosor inierat, sed mentitus est

(66[6]) *Imperator non illum gyrovagum.* Qui sint gyrovagi docet S. Benedictus cap. 1 Regulæ suæ, dum ait: « Quartum genus est monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, et nunquam stabiles, et propriis voluptatibus et gulæ illecebris servientes. » Quod et Petrus Damianus attingit epist. 9 libri V his verbis: « In monachico sane ordine, quos in claustris sub abbatis imperio regulariter manere conspicimus, consequenter utique monachos appellamus: quos autem proprium possidere, indifferenter huc illucque discurrere, solutos legibus juxta propriæ voluntatis arbitrium diffluere cernimus, non monachorum, sed gyrovagorum potius dignos vocabulo judicamus. » Videndum caput *de Gyrovagis*, in Statutis Hugonis abbatis Clun. V.

ad regem Ægypti confugiens. Dicit ergo Ezechiel : *Nunquid effugiet qui solvit pactum? Vivo ego, dicit Dominus, quia adducam eum in Babylonem, et ibi morietur in prævaricatione, qua despexit me* (*Ezech.* XVII, 15, 20). Sententia sæcularis est, dolus an virtus in hoste requiratur. Quam sententiam solent opponere qui dicunt hostes fraude decipiendos, et quibus ut quiescamus donec jures et pactum ineas sub nomine Dei. Prudentiæ est et fortitudinis, vel decipere, vel superare adversarium qualitercunque potueris. Cum autem te constrinxeris juramento, neque tanquam adversarius decipiendus est, quia non est considerandum cui juras, sed per quem juraveris. Alioquin et illum despicis per quem juras, et hostis fidelior invenitur quam tu, qui propter nomen Dei tibi credidit. Non enim hostem decipit, sed amicum, qui illum decipit cui juramento divini nominis fuerat copulatus. Hoc dictum sit ut Christianis, qui contra Christianum juramentum frangit, quid mereatur hinc intelligat, si fœdus illud quod contra paganum Judæus violavit sic animadvertitur, ut Sedecias avulsis oculis propter hanc prævaricationem in Babylonem cum ducibus suis captivus ductus sit.

XXVI. Ut autem sacerdotalis dignitas propter fidei majestatem ostensione etiam visibilis miraculi commendetur, illud beati Petri ad medium deducatur. Hic beatus Petrus Alexandriæ præsul fuit, et Arium hæreticum ab Ecclesia sua primus ejecit. Cui dehinc instante passionis articulo Christus per somnium nimio splendore fulgens apparuit, indutus videlicet colobio nimis candidissimo, sed usque ad pedes scisso. Quod tamen colobium ambabus manibus ad pectus suum stringens, nuditatem suam quodammodo operiebat. Quem Petrus esse Christum intelligens, cum ingenti horrore attonitus ait : Mi Domine, quis hoc fecit ? At ille ait : Arius mihi hoc fecit, et cætera quæ ille nimis affectuose prosecutus est. Hic ergo Petrus tempore episcopatus nunquam in cathedra sua sedere voluit, sed super scabellum ipsius cathedræ residebat. Propter quod frequenter clerus et populus contra eum querebatur, sed nequaquam acquiescebat, quoniam quotiescunque thysiasterium ascendebat, splendor igneus de ipsa sede egrediens apparebat, cujus aspectu vir sanctus ita accendebatur, ut nesciret se interdum esse in corpore. Cum autem quadam die clerus et episcopi qui aderant de prædicta sessione quererentur, ille coactus et jam celare non valens : Quid, inquit, affligitur cor meum ? Annon videtis virtutem igneam quæ emiscat de solio illo, et spiritum coruscare non cernitis ? Cumque omnes demisso capite tantam rem audientes conticuissent, ille subjunxit : Credite mihi, filioli, si videretis quæ video, tunc cognosceretis, qualis et sacerdotalis virtus, et quæ gratia in ipsis habitat, ad cujus majestatis præsentiam ego territus sedere in eadem cathedra non audeo. Quo exemplo si bene consideratur, cum hinc admodum contemptores terreri possent, tum quoque ipsi sessores non mediocriter contremiscerent. Hoc in ipsius passione refertur.

XXVII. Manebit ergo sanctæ Ecclesiæ sua potestas, et impietas imperii erit super eum. Fidelibus autem de eadem Ecclesia dicitur : *Ponite corda vestra in virtute ejus* (*Psal.* XLVII, 14). Id est non secundum quod foris apparet, sed mentalibus oculis quæ virtus in ea sit introspectent : semper namque præsto est ille qui promisit : *Ecce ego vobiscum sum* (*Matth.* XXVIII, 20), etc. Unde et illic sequitur : *Ut enarretis quoniam hic est Deus* (*Psal.* XLVII, 14, 15). Sed et sancti quique pontifices sedibus suis quas aliquando corporaliter tenuerunt, spiritali præsentia semper adesse creduntur. Quod etiam si placet exemplo monstretur. In illa divi Gregorii vita, qua Romani utuntur, multa mirabilia per præsentiam ejus post transitum in illo suo monasterio, cujus in homiliis meminit, patrata manifeste declarantur, e quibus unum est. Quidam nefarius nomine Dominicus quamdam sanctimonialem a se corruptam juxta illud monasterium sibi conduxit, cumque hospitio latrina deesset, trabeculas, quæ fontem sancti Gregorii senserant, infelix abstulit, et latrinam aptavit. Cum sequenti ibidem nocte dormiret, comprehensus est a duobus quasi cubiculariis atque ligatus : quos cum interrogaret cur se ligarent et tam crudeliter impellerent : Propter fornicariam, inquiunt, te sanctus papa jubet in audientiam duci. Forte tunc Joannes pontifex Romanus pridie contra Saracenos perrexerat : cujus absentiam reus ille recordatus, dominus, inquit papa, nunc in urbe non est, et quomodo me ligari jussit ? At illi dixerunt : Si papa Joannes hinc abiit, sanctus Gregorius hic remansit, qui more solito urbem perlustrans cum hic veniret, septa sui fontis a te propter meretriculam reperit dissipata. Ille excitus cum jam internis febribus arderet duodecimo die expiravit. Qui Zachariæ quidem qui monasterio præerat objurgationem contempserat, sed Gregorium loco esse præsentem atque singula quæque perscrutantem, quod non suspicabatur, moriendo probavit.

XXVIII. Quisquis igitur ex fide vivit, Christi vel sanctorum ejus præsentiam revereatur, et non præconem contemnat ; si etiam, quod absit, vitæ merito contemnendus fuerit, sed judicis potentiam reformidet. Licet enim talis judicandi locum teneat, cujus vita loco minime concordat : quisquis tamen regiminis gradum sortitur, locum apostolorum in ligandi atque solvendi auctoritate suscipit. Et idcirco sicut in homilia Evangeliorum vigesima sexta sancti Gregorii dicitur : Utrum juste an injuste liget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is et qui subest, et cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo sicut de omnibus judiciis suis, rationem vero judici redditurus, vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare : subditus vero ligari timeat, vel injuste. Qualiter

autem prælati vel sibi, vel subditis vivant, aut qualiter quædam levius, quædam asperius corrigant, quædam dissimulent, nec tamen crescere sinant, in libro Pastorali manifeste disseritur. Hic tamen ex libro XXVI Moralium illud commemoretur, si a pravorum correptione cessaverint, ipsi pro eis punientur. Et quot regendis subditis quisque præest, tot apud districtum judicem animas solus ad reddendam rationem habebit, cum forte de sua sola vix sufficiat. Subditos quoque tanto liberiores in divino examine prælati reddent, quanto hic eorum culpam sine vindicta non deserunt : ipsi vero tanto obligatiores fiunt, quanto in his qui committunt, nec verbi quidem injectione ab aliquo lacerantur.

XXIX. Pravorum perversitas exigit, ut contra contemptum eorum tanta dicantur, accepta videlicet occasione de Cain, cujus isti sequaces sunt qui Dei ipsius admonitionem contempsit : qui et culpam confitere noluit, sed et timide respondit dicens : *Nunquid custos fratris mei sum* (*Gen.* IV, 9). In quo facto genitorem suum Adam imitatus est, qui ad pœnitentiam requisitus mox adminiculum excusationis adjunxit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi, et comedi* (*Gen.* III, 12). Excessum suum latenter intorquens in auctorem, quasi ipsi qui mulierem dederat, occasionem delinquendi præbuisset. Hinc est quod ex illa radice ramus hujus erroris usque nunc in humano genere protrahitur, ut quod quisque male agit, aut excusando levigare, aut argumentando defendere conetur. Et certe peccare non debuimus, sed utinam post ruinam resurgere conaremur, et culpam defendendo non multiplicaremus. At miserabili modo quo spiritus peccando longius a veritate disjungitur, eo nequius obduratur. Et culpa quæ terrere mentem debuit, magis hanc extollit. Porro autem de Cain adhuc aliquid contra ejus imitatores dicamus. Ille vagus et profugus deguit, et de istis dicitur : Ambulabunt in vacuum et peribunt. In vacuum ambulant qui nihil secum de fructu sui laboris post mortem portant. Qui et profugi sunt, quia vitam præsentem sequentes fugiunt alternam, istam invenientes, illam perdunt. Alius namque adipiscendis honoribus, alius multiplicandis facultatibus, alius promerendis laudibus anhelat ; sed cuncta hæc quisque aut ante mortem perdit, aut moriens deserit. In vacuum ergo laborat, et vagus vitam suam percurrit, qui secum ante judicem nihil ad promerendam animæ salutem portat. Quoquo enim modo culpa prodeat, ita semper eidem subacti sunt, ut vel recte non incipiant, vel si inceperint fracti in ipso conatu ad consuetam pravitatem redeant. Ille primogenitum suum Enoch vocavit, atque ex nomine ejus civitatem quam condidit appellavit. Enoch *dedicatio* dicitur. Et omnes iniqui quanto longius a cœlesti hæreditate divisi sunt, tanto profundius in hac vita quæ prima est cordis radicem figunt. Et cum scriptum sit : *Ne discumbas in primo loco* (*Luc.* XIV, 8), se in primordiis dedicant, ut hic ad punctum floreant, et a sequenti patria funditus arescant.

XXX. Quorum studia hæc sunt, contra præcepta Conditoris indurescunt, pravis desideriis succensi, nec suis mortibus aliquando parcunt. Inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento quærunt. Bonos vero dictis et factis persequuntur, et etiam gladiis. Spem in semetipsis ponunt ; contra flagella Conditoris insensibiles existunt. Mortalia non mortaliter cogitant ; habendi cupiditatem nullo congestu lucrorum finiunt. Inter quaslibet amaritudines ad voluptatem carnalis desiderii recurrunt ; corpus quantum possunt epularum diversitatibus nutriunt, mœstitiam locorum blandimentis demulcent. Ne despecti videantur, dignitatibus se inaltant ; potestatibus cunctos transcendere gestiunt. Qui vero astutiores sunt, corda sua discunt machinationibus tegere, sensum verbis velare, irrogata mala multiplicius reddere, simplices irridere. Hæc veteris hominis prudentia est, quæ a pueris pretio discitur, in juvenibus usu roboratur : hanc qui sciunt, cæteros despiciunt ; qui nesciunt, in aliis urbanitatem putant. Hi superna quæ amiserunt, nec plangunt, nec recogitant ; ingenitam libertatem non recolunt, semetipsos in his, ad quæ projecti sunt, deserunt. Exsilium quod patiuntur more patriæ diligunt, et cum miseri sint ipsas miserias amant, seque inter eas in bonis esse putant. Ita ab exordio vitæ usque ad finem in iniquitate perdurantes omni tempore per augmentum malitiæ contra semetipsos ictus ingeminant, quibus succisi in æternum ruant, qui æternam patriam non amant, quia sufficere sibi credunt, si eis suppetant bona temporalia quæ cupiunt : et si in his succrescunt, felices se et munitos putant : et ita ubi carne requiescunt, ibi mentem exstinguendo sepeliunt. Quisquis itaque hæc et alia quamplura, quæ ob prolixitatem omittimus, in se deprehendit, veterem hominem cum suis rationibus necdum se deposuisse cognoscat, sed ad illam civitatem, cujus rex diabolus est, etiam si audire non patitur, factis prodentibus pertinere probatur.

XXXI. Justus Abel sicut in se regem cœlestis Hierusalem Christum cum omni collectione electorum significavit, sic in agno quem obtulit innocentiam eorumdem electorum expressit. Ut enim de studiis ejusdem innocentiæ quiddam commemoremus, quicunque inter eos perfecti sunt, nihil callida simulatione simulant, quia loqui dupliciter ignorant. Non se student rerum abundantia fulciri, non per dignitates sæculi honorabiles ostentari, non cultu vestium pompare, non in his quæ extra se sunt gloriari ; honorari metuunt, non despici ; corpus continentia tenuant, mente et moribus pinguescunt. Pro justitia contumelias suscipere gaudent : injurias non facere, sed tolerare lucrum putant. Sed et alia hujusmodi gerentes Deo quidem placent, oculos autem Cain offendunt, quia sapientes et cultores hujus mundi abjectos, et quasi mortuos deputant, quos non carnaliter secum vi-

vere cernunt. Quod in illo juvene signatur, quem Dominus cum a dæmonio liberaret, ita paululum jacere permisit, ut a multis mortuus diceretur, quoniam qui spiritaliter vivere nesciunt, eum qui immundis desideriis caret, inutilem penitus atque exstinctum arbitrantur. Unde Job ait : *Deridetur justi simplicitas* (*Job* XII, 4), quia videlicet dum foris idem justus temporali gloria non resplendet, eis qui nulla bona nisi carnalia pensare sciunt, in despectu venit. Unde bene Moyses electorum voce ait : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino* (*Exod.* VIII, 26). Ægyptii dedignantur oves edere, sed quod illi abominantur, hoc Israelitæ Deo offerunt, quia simplex humilium vita Deo in sacrificium vertitur, quam superbi et duplices fatuitatem putant esse. Fraternæ cædis Cain spirans Abel foras egredi suadet; foras autem egredi est, neglectis cœlestibus bonis exteriora quærere. Ad quod videlicet agendum nonnulli qui appetitui terrenorum succumbunt, eos vero qui æterna sequi videntur inflectere, vel solo exemplo, vel etiam verbis solent. Quos uxor beati Job evidenter expressit, quæ verba blasphemiæ viro suasit. Nam et hi propter professam fidem intra sinum Ecclesiæ fidelibus admisti sunt, quos eo imitabiles pene sibi faciunt, quo eos usque ad fidei cubile recipiunt. Sed quisquis vult crudelitatem Cain evadere, studeat internis desideriis jungi, cesset exteriora per exempla pravorum ambire. Nam ille in Evangelio latrones non incurreret, si ab Hierusalem, quod est visio pacis, non exisset, neque filiam Jacob rex terræ corrupisset, nisi illa ad videndas illius regiones mulieres processisset. Hinc de eodem Jacob dicitur : *Quod simplex in habitaculis habitavit* (*Gen.* XXV, 27). Esau vero, quem Deus odio habuit, vir gnarus venandi fuit.

XXXII. Patitur autem Deus innocentem Abel ab impio Cain jugulari, quem tamen ipse suscepit : quoniam electorum est hic mala perpeti, hic diversis modis flagella sustinere, quibus reservatur de hæreditate gaudere æterna. Nam si filii, et hæredes. Filii vero esse ex ipsa afflictione noscuntur juxta illud : *Flagellat omnem filium quem recepit* (*Hebr.* XII, 6). Licet enim non sit filius omnis qui flagellatur, tamen nullus est filius qui non flagelletur. Mali vero sine verbere relinquuntur, ut sicut in libro XXIV Moralium dicitur : Saltem hanc vitam sine pœnis ducant, qui ad tormenta sine fine quæ sunt mala agendo festinant. Nequaquam enim retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Eant igitur reprobi, et desideria sua inulte consumant, quia certe ad reatus testimonium Deus convertit etiam ipsum tempus, quod eis ad pœnitentiam tribuit, et iram quam nunc retinet quandoque irretractabiliter infundit. Quod ex afflictione bonorum colligitur, quos cernimus et pia agere et crudelia multa tolerare. Nam districtus judex quanta illic animadversione ferit quos reprobat, si hic tam districte cruciat quos amat ? Hinc Petrus ait : *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei* (*I Petr.* IV, 17). Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio ? Peccata quippe nequaquam divina severitas inulta remanere permittit, sed ira judicii a nostra hic correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat. Propter utrosque enim Job ait : *Si impius fuero, væ mihi est; et si justus, non levabo caput* (*Job* X, 15), saturatus afflictione et miseria. Impius namque caput hic levat, qui prosperis hic fulcitur, sed quod sequitur non evadet; superbia enim ejus æterna ultione feritur. Justus vero oppressus miseria caput levare non sinitur, sed transitoriis doloribus expiatus ab æterno verbere liberatur.

XXXIII. Caput itaque justi Abel in mortem premitur, et impius Cain in effrenatione suæ voluntatis abire sinitur, ut in illo felix bonorum adversitas, in isto malorum infelix prosperitas monstraretur. Fit enim plerumque ut sicut ille tunc, sic nunc unusquisque malus, cum a jugo divinæ servitutis collum mentis excusserit, in perpetratione cujuslibet reatus agendi facultatem habere permittatur. Qui dum sub divinis præceptis non restringitur, dum in agendis malis impia libertate potitur : interdum licere sibi putat omne quodlibet, unde bene de eo scriptum est : *Quasi pullum Onagri liberum se putat* (*Job* XI, 12). Onager dicitur asinus agrestis. Agrestia vero animalia libertatem habent et ire quo volunt, et quiescere quando volunt. Qui ergo implere mala quæ desiderat per effrenatam libertatem quærit, pullo onagri esse similis concupiscit, talis videlicet quia ad aliud non reservatur, sub disciplina quasi agrestis bestia non restringitur. Homo autem qui ad sequentem vitam dicitur, necesse est profecto, ut in cunctis motibus sub disciplinæ dispositione religetur, et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus restrictus vivat.

XXXIV. Ipse autem verus Abel cunctas nostræ tribulationis molestias consolans, mirabili compassione totum ex potestate sustinuit, quod nobis ex necessitate sustinendum novit, ut nos homines quod ex merito culpæ patimur, non refugiamus, cum ille qui Deus est ex sola condescensione tanta sustinere dignatus est. Non itaque puto quemlibet tam præsumptuosum, ut quasi de singulari merito, vel digniori natura præsumens, præsentem vitam sine molestiis quærat sibi disponi, cum ipse quoque auctor vitæ, sine dolore passionis ab eadem vita non exiit. Quibuslibet enim virtutibus polleat, quid digna est vita peccatorum, si ejus et vita pro nobis flagello subjacuit, quæ subdita nulli peccato fuit ? Ut enim aliquid sub exemplo dicamus, Baruch discipulum Jeremiæ prophetæ divina vox redarguit, eo quod cæteris in captivitatem transmigrantibus quietem sibi quærere præsumpsit. Alioquin diverso itinere ambulat Christianus miles, si gaudia et delectationes quærit, cui dux suus vias amaritudinis ostendit. De quibus viis scriptum est : *Omnes vias ejus intelli-*

*gere noluerunt* (*Job* XXXIV, 27), videlicet superbi A exempla humilitatis quæ præbuit imitare despexerunt. Omnis enim actio quam per incarnationis suæ mysterium Christus Dei sapientia gessit via est, et ordo vivendi : qui venientibus ad se tot vias præbuit quot exempla monstravit : de qua sapientia scriptum est : *Quia clamitat stans in mediis semitis* (*Prov.* VIII, 2), quæ nimirum investiganda nobis fuerat si se occcultare vellet. At nunc in mediis semitis figit gradum, ut in ipsam impinguamus , et nolentes ; et quam videre negligimus, tangamus offendentes. Sane qualis est via quam ostendit ? utique humilitatis : de qua ipse dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Quid enim in hac vita aliud quam dejectionem intuentium oculis ostendit ? B Nostræ enim perditionis fut origo superbia diaboli. Ut ergo redemptionis instrumentum fieret humilitas Dei, ad hoc non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit : ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra, passionum tormenta mortemque toleravit, ut humilis Deus doceret hominem non esse superbum. Propter humilitatem namque solam veraciter edocendam, is qui est æstimatione magnus super omnia, parvus inter omnia fieri dignatus est. Hæ sunt ergo viæ ejus, quas superbi intelligere nolunt, quoniam abjecta quæ pertulit pati despiciunt. Sed easdem vias unicuique humili intelligere est hoc nosse, quia per hæc infima transitur ad summa : scire quod oporteat adversa patienter tolerare, mansura perseveranter ex- C spectare, ut exemplo ejus quem pati oportuit, et ita intrare in gloriam suam, æterna quæratur gloria, temporalibus opprobriis comparata.

XXXV. Istæ duæ generationes, vel duæ civitates, quæ, ut dictum est, a duobus Adæ filiis exortæ sunt, in quatuor generationibus partiuntur : ut autem secundum illud exemplum quo malorum auctor Cain primogenitus fuit, et unusquisque nostrum primo malus est, et postea per gratiam baptismi fit bonus, nunc primo de malorum generatione dicamus. Ipsa in duobus generibus dividitur. Habet enim aperte malos, ut sunt omnes potentes pauperum oppressores, quibus hoc proprium est, ut vel deliciis se dilatent, vel potentiam divinitus acceptam ad aliorum læsiones exerceant, vel se per voluptates dissolvant : et si faciendi D effectus deest, voluntas tamen agendi semper in eis est. Unde et semper inest in eis reatus, quoniam pravis desideriis indesinenter implicantur, et quia pauperes quoque despiciunt, ut supra dicitur, bene de eis scriptum est : *Lampas contempta apud cogitationes divitum* (*Job.* XII, 5). Quo loco divitum nomine cuncti designantur, qui superbis apud se cogitationibus tument. Plerique enim rebus ditantur, qui dum se operibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt ; et qui contra meritum ditati bonis ad amorem Conditoris provocari debuerunt, magis contra illum suis donis pugnant. Aliis vero res terrenæ non suppetunt, sed tamen apud se superbiunt, et amore divitiarum semper inæstuant. Quos videlicet quia vitæ sequentis amor non humiliat, inter pravos divites morum protervia addicit : at sicut in libro X Moralium dicitur, nihil in ultione judicii discrepat, utrum rebus an solis moribus intumescant : qui scilicet quoslibet humiles, qui terrena in usu, non in desiderio habentes, sequentem vitam diligunt, vel opprimunt, vel despiciunt : cum ipsi utique aut rebus terrenis, aut solis desideriis moriuntur.

XXXVI. De his scriptum est : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram in præsenti* (*Luc.* VI, 24) : hi autem fastidientes propria, aliena concupiscunt : aut concupita adipisci non valentes, instigantis avaritiæ tumultu vastantur. De quibus in Moralium libro IV dicitur : O quam difficile ad requiem tendunt, qui tam duris cogitationum tumultibus, dum in hoc mundo sublimari volunt, in corde comprimuntur ! Hinc scriptum est : *Væ qui multiplicat non sua : usquequo aggravat contra se densum lutum ?* (*Habac.* II, 6), per lutum namque terrena figurantur. Denso igitur luto se aggravat, qui terrena multiplicat, qui se avaritiæ, quæ est idolorum servitus, oppressione coangustat ; hinc item : *Judicium durissimum his qui præsunt fiet* (*Sap.* VI, 6). Unde et in Evangelio Veritas dicit : *Cui multum datum est, multum ab eo requiritur* (*Luc.* XII, 48). Rarum itaque valde est, ut qui aurum possident ad requiem tendant, dum per semetipsam Veritas dicat : *Difficile qui pecunias habent in regnum cœlorum intrabunt* (*Matth.* XIX, 23). Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant ? Quod ut Redemptor noster valde rarum quidem, ut ex solo miraculo, per se tamen fieri posse monstraret, ait : *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* (*Luc.* XVIII, 27), et cætera. Quoniam ipse potens est in eis tumorem cordis reprimere, et ambitum concupiscentiæ refrenare. Ex solo enim divino miraculo id posse fieri monstratur, quandoquidem hoc quod fieri nullatenus potest ad exemplum deducitur, cum Dominus ait : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 24).

XXXVII. Est autem et aliud malorum genus, eorum videlicet qui habitum religionis assumunt, sed vel multis vitiis publice, vel quibusdam occulte se subdunt. Unde beatus Job voce dolentis Ecclesiæ dicit : *Effudi in terram viscera mea* (*Job* XVI, 14). Nam quia viscera in humano corpore interius sunt, viscera Ecclesiæ vocantur, qui religionis habitu induti ad intima ejus sacramenta deservire debent. Cum ergo malignus hostis quosdam ex eis ad sæcularia desideria vel negotia pertrahit, ejusdem Ecclesiæ viscera infundit in terram, quia illos in infimis conculcat, qui ad hoc vocati sunt ut spiritalibus inhærerent. De his iterum scriptum est : *Sub ipso erunt radii solis* (*Job* XLI, 21) : quod tunc fit, cum hi qui intra sanctam Ecclesiam, altiori gradu vel

acumine sapientiæ resplendere videntur, aut diabolicis suasionibus, aut terrenis potestatibus prave duntaxat agentibus se submittunt, oblitique cælestium terrena ambiunt. Hinc iterum dicitur : *Sternet sibi aurum quasi lutum* (*Job* XLI, 21), id est, eos qui spirituales videntur conculcat quasi carnales. Præterea auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam dicitur : *Calix aureus Babylon* (*Jer.* LI, 7). Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur ? qui calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse ostentat temporalia, stultas mentes in sua concupiscentia debriat, ut falso speciosa temporalia appetant, et invisibilia vere pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua debriata est Eva, quam omnes utique imitantur, qui in ecclesiasticis disciplinis positi, sæcularia quælibet blandimenta sicut illa in paradiso suscipiunt. Toties igitur Leviathan qui hæc facere perhibetur, vel radios solis, vel aurum sibi sternit quasi lutum, quoties aliquos de habitu religionis per quædam vitia tamquam sæculares supplantat. Hinc item dicit : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL, 18). Per fluvium sæculares, per Jordanem ecclesiastici viri designantur. Neque enim magnum putat si illos devorat, qui terrenis concupiscentiis impulsi, deorsum quasi fluvius fiunt : sed magnopere satagit, ut in ecclesiastico gradu positos absorbeat, quos et per suæ calliditatis insidias, tanquam Jordanem degluttiens, necat aliquando. Hinc rursus dicitur, quod ignis quem Dominus vocavit ad judicium, partem domus ejus consumpserit, quoniam illos quoque gehenna devorat, qui in habitu religionis negligenter vivunt.

XXXVIII. Electorum quoque generatio in duobus generibus distinguitur. Unum genus est perfectorum de quibus dicitur : *Mites addunt in Domino fortitudinem* (*Isai.* XXIX, 19). Et item : *Justus mundis manibus tenebit viam suam* (*Job.* XVII, 9). Aliud autem nondum perfectorum, de quibus Ecclesia redemptori suo dicit : *Imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII, 16), quasi diceret : Eos etiam qui in meo corpore vias perfectionis pleniter assequi non possunt, a tuæ misericordiæ respectu non repellis. Utrumque genus ad supernam requiem Job pertinere conspiciens ait : *Parvus et magnus ibi sunt* (*Job* III, 19). Quotquot ergo perfectiores sunt inter hujus vitæ molestias, nequaquam ad murmurationem prosiliunt, et divitiæ si affluant, nullatenus cor apponunt, sed utraque tanquam citius transitura parvipendunt. Pensant enim a quo laqueo lapsi sunt : a qua videlicet beatitudine, ad quantam miseriam in primo parente ceciderunt. Et idcirco vitæ hujus prosperitatem sicut brevem et egenam despiciunt : et licet de præsentibus ærumnis doleant, intuentes tamen quid districtus judex de futura gehenna peccatoribus comminetur, has tanto patientius tolerant, quanto post hoc exsilium æternam si murmuraverint subsequi mortem expavescunt. De bonis vero quæ forte gesserint non se extollunt, quia sollicite pensant quales ante qualem judicem stabunt, et isdem judex bona quam subtiliter discutiat, mala vero quam districte puniat. Qui, sicut in libro VIII Moralium disseritur, perituros se absque ulla dubietate præsciunt : si remota pietate judicentur. Et quia certissime sciunt, quod in hac vita nec debent habere requiem nec possunt, hoc salubre consilium interim assumunt, ut terrena desideria deserentes ad cœlestia se extollant : sed hæc agentes, paterna tamen adhuc flagella sentiunt, ut tanto perfectiores ad cœlestem hæreditatem veniant, quanto eos pie feriens disciplina etiam quotidie de minimis purgat.

XXXIX. Propter hæc autem quæ in præsenti patiuntur, et propter illa quæ in futuro metuunt, sed et propter salubre consilium, ut dictum est, quod reperiunt, bene ex eorum persona Jeremias Domino dicit : *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me* (*Jer.* XV, 17). Per faciem unusquisque cognoscitur, per manum operatio designatur : solus sedet, qui tumultu carnalium desideriorum non frequentatur. Facies ergo Dei vocatur cognitio manus experientia percussionis, quia sicut comminatus fuerat, hominem pro originali culpa multavit, et etiam in ærumnas hujus vitæ projecit. Comminatio vero est terror sequenti adhuc supplicii, quod peccatoribus intentat. Itaque propter comminationem ejus solus a facie manus Domini sedet, qui per experimentum vindictæ illius, quæ pro originali culpa mortalibus infertur, quantum timenda sit sequens pœna cognoscit, quæ non resipiscentibus comminatur, et idcirco superbire jam non audet, nec turbis carnalium desideriorum sese miscere. Job propter præsentis augustiæ punctiones dicit : Sagittæ Domini in me sunt, propter sequentes vero subinfert : *Terrores ejus militant contra me* (*Job* VI, 4). Hinc Psalmista propter utrumque : *In me*, inquit, *transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* (*Psal.* LXXXVII, 17). Quod idcirco dicitur, quia jam aliud de damnatione patimur, id est iras quidem, sed tamen transeuntes, quoniam isti dolores cito finiuntur. Sed hoc fit gravius, quod inter dolores istos æterna supplicia quæ comminatur, quorum terrores merito nos conturbant, formidamus. Omne igitur quod perfectos quoslibet viros affligit, tanto minus refugiunt, quanto id culparum suarum expiationem credunt. Et omne quod præterit, licet prosperum sit, tanto sensibus eorum vilescit, quanto et transitorium est, et ipsi ad aliud tendunt, quod semel adeptum nunquam amittitur. Bona igitur hic oblata, nec pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt. Sic utuntur temporali subsidio, sicut viator utitur aut umbra, aut lecto ; pausat corpore, sed mente ad aliud tendens recedere festinat : sic et hi gressum cordis figere in transitoriis refugiunt, ne delectatione itineris sequestrentur a statione æternæ mansionis. In propriis enim gaudere desiderant, et idcirco in loco peregrinationis suæ felices esse recusant. Hinc est quod in electorum

prole Henoch, qui dedicatio interpretatur, septimus nascitur, quia videlicet electi post sex hujus vitæ ætates, in supernam Hierusalem tanquam lapides vivi dedicabuntur. Cain vero, ut supradictum est, primogenitum Henoch appellat : quoniam iniqui se in primordiis quasi dedicant, dum in hac vita radicem cordis plantant. Cum Dominus dicat : *Cum vocatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco* (*Luc.* XIV, 8).

XL. Est et aliud genus bonorum, sed minus perfectorum, qui penetrare spiritalia non valentes, quinque sensibus corporeis deprimuntur. Quos videlicet quinque sensus quia Christianorum exercitus duce Jesu debet in corpus suum reprimere, bene Josue designat, qui reges quinque in repromissionis terra dudum regnantes ad speluncam velut antrum corporis fugientes interfecit. Sed imperfecti quique dum eisdem sensibus adhuc succumbunt, tanto minus amant eum qui fecit omnia, quanto in his amplius quæ facta sunt illigantur. Aliena quidem non quærunt, illatam injuriam vel nolentes portant. Rebus propriis contenti sunt, et humiliter vivunt ; sed tamen curam propriæ domus gerunt, de filiis cogitant, eisque hæreditatem servant. Qui tamen inter eos sollicitiores sunt, divini judicii memores, misericordiam pauperibus impendunt ; et si omnia relinquere non possunt, vel ex parte qua prævalent misericordes fiunt, et curam carnis cum animæ cura partiuntur. Sed quid de eis erit, si nullus ad regnum nisi qui summis virtutibus præditus est perveniet? Adest quippe et his consolatio sua. Nam cum ferculum regis Salomonis in typo Ecclesiæ describeretur, inter ligna Libani et columnas argenteas, et inter reclinatorium aureum ascensumque purpureum per quæ videlicet excellentiores quippe in eadem Ecclesia militantes designantur, additum est quia media charitate constravit propter filias Hierusalem. Verum quia hoc pro nostra infirmitate dicitur, ex hoc aperte claret, quod non propter filios, sed propter filias Hierusalem inesse charitas perhibetur. Quid enim aliud per sexum femineum, nisi infirmitas mentium figuratur? Quisquis igitur mente infirmus est, charitatem habeat, diligat Deum et proximum quantum potest, et quæ bona sunt valde cum charitate faciat, quia licet exterioribus implicetur, tamen si charitatem habuerit, ad Dei ferculum pertinebit, sicut Psalmista ait : *Benedixit omnibus pusillis cum majoribus* (*Psal.* CXIII, 13), quoniam qui imperfecti sunt et pusilli, si in quantum cognoscere valent Deum ac proximum diligunt, ipsi quoque licet minori loco, in sanctæ Ecclesiæ ædificatione tamen sunt ponendi. Discutiant ergo se quisque fideles, et si repositum aliquid in corde suo de fructibus charitatis invenerint, Deum sibi interesse non dubitent.

XLI. Quia vero sese occasio præbuit, hoc ex verbis beati Augustini de charitate dicendum videtur : Divinarum, inquit, Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate. Quapropter quisquis vult novo mandato vetus exstinguere peccatum, cupiditati contrariam teneat charitatem, quoniam ille tenet et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem servat in moribus. Hieronymus in epistola ad Galatas refert, quod sanctus Joannes evangelista, cum jam senex esset, et discipulorum manibus ad Ecclesiam deferretur, hoc solum semper in collecta proferebat : Filioli, diligite alterutrum. Discipuli vero pertæsi, quod eadem semper audirent, dixerunt : Magister, quare semper hoc loqueris ? Quibus respondit dignam Joanne sententiam : Quia præceptum Domini est, et si solum fit, sufficit hoc. Sciendum sane quia sicut nostris temporibus omnia pene suum ordinem perdiderunt, plerique prodigas rerum suarum expensas charitatem nominant, cum res ad inanem gloriam profuse dispensæ, comestio vel effusio magis dicendæ sunt quam charitas. Qualibus enim res dispertiendæ sint ipse Dominus docet, qui ait : *Noli invitare eos qui te reinvitent* (*Luc.* XIV, 12). Sed omnes econtra cum vix parum quid non solum vestimenti, sed etiam cibi ac potius Christo in paupere tribuant, potentibus tamen etiam accepta mutuo dispensant : quod videlicet non est charitas, sed effusio. Nam recte charitas solis indigentibus est expendenda ; et non solum amicis, sed etiam inimicis beneficia. Porro autem sicut hæc vita media est inter cœlum, quo soli boni consistunt, et infernum quo soli mali traduntur, sic utriusque partis cives indifferenter habet. Unde utraque generatio vel temporalibus bonis pariter utitur, vel malis pariter affligitur, diversa tamen fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo judicio separentur, et percipiat unusquique suum, finem cui nullus est finis. Quia seriem vero verborum qualitercunque digestam ad hoc usque deduximus, ut has generationes, licet in prosperis et adversis communiter procurrentes [percurrentes], tamen pro diversitate meritorum diversos fines habere dixerimus, librum hunc istic finiamus.

# LIBER SECUNDUS

Dies præstituti jam fluxerant; et gaudebam, fateor, quod sub occasione brevis temporis vestræ jussionis munia licebat brevitate concludi ; quandoquidem stulto genus consolationis est, ut si tacere nescit,

vel parum loquatur : cum repente solito brumosior hiems ingruit, illasque sui dieculas ita inasperavit, ut plus de aprico quam de itinere nobis cogitandum videretur. Tum vero patim prædictæ hiemis inclementia, partim sanctorum qui instabant dierum reverentia, domnus abba interim iter nostrum remorari concessit. Lectis tamen quæ jam digesta erant, et paucis contra eos qui pravorum deteriorantur exemplo repertis, placuit aliqua adhuc subrogari. Verum ego non satis confidam, quod hoc saltem audire dignentur, quippe quoslibet, nec sanctum Evangelium ut oportuerat revereri : tamen ea spe jussionem aggrediar, ut in aggere testimoniorum, quo superbi filii juxta præceptum Moysi lapidandi sunt, vel lapillum me gaudeam jactavisse.

I. Boni igitur, ut dixeramus, nunc mala quælibet vel bona cum malis hominibus sentiunt, licet hi asperius et frequentius mala patiantur, bonis vero restrictius utantur. Qui tamen sic et prosperitate et adversitate utuntur, ut in rebus prosperis si eis consolatio, ne frangantur adversis, et in rebus adversis exercitatio, ut non corrumpantur prosperis. Mali vero ad hoc cupiunt habere securam vitam ut perditis sinceris moribus, remoto omni molestiarum asperitate defluant. Neque enim propterea cupiunt habere pacem, et omni genere copiarum abundare, ut his bonis bene utantur, hoc est honeste, sobrie, temperanter, pie; sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque, rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus priora sint hostibus, et hoc sit quieta vita, ut possit esse secura nequitia. Quicunque autem ditiores sunt, student semper divitias augere, quæ et quotidianis effusionibus sufficiant, et per quas pauperiores sibi subdant, quos ad clientelas sui fastus obsequentes habeant : quibus ipsi pauperiores causa saturitatis libenter se subdunt, et hos quibus prævalere non possunt, per eorum, quibus adhærent, audaciam violenter opprimunt : hinc propter hujuscemodi satellites, et eos quorum patrocinio tuentur, scriptum est de utroque malo divite : *De lateribus ejus a ruina dependet* (*Job* xv, 27). Jam vero in tali satellitio stupra impune multiplicantur, convivia læta frequentantur, ubicunque libuerit et potuerit, die noctuque luditur, bibitur, vomitur, diffluitur, saltatur, cum scriptum sit : *Væ his qui morantur in vino* (*Prov.* xxiii, 30). Et item : *Noli esse in convivio potatorum* (*Prov.* xxiii, 20). Et : *Væ his qui carnes conferunt ad vescendum* (*Ibid.*). Et item : *Ducunt in bonis dies suos* (*Job.* xxi, 13). Quibus utique timendum fuerat, et inter pocula cogitandum hoc quod illic sequitur : *Et in puncto ad inferna descendunt* (*Ibid.*). Hi nimirum in Evangelio per ficulneam designantur, de qua Dominus quæritur dicens : *Ut quid etiam terram occupat ?* (*Luc.* xiii) quia de quolibet perverso potente pene jam requisitio Deo non est, Postquam enim se perdidit hoc solummodo quæritur, cur et alios gravet in mortem. Sicut enim terra sub arbore solis radiis privita sterilis est, sic subjecti favoris ejus exemplo depressi a lumine veritatis permanent alieni. Tales vero quique justo Dei judicio frequenter ita deseruntur, ut perversa quælibet potenter faciant, et tamen hic feliciter vivant ; sicut de quolibet eorum Scriptura dicit : *Cucurrit adversus Dominum erecto collo* (*Job* xv, 26), idem in malo opere obstaculum de adversitate non habuit. Et item : *Vidi stultum firma radice* (*Job* v, 3), quasi firma radice stultus attollitur. Quoniam hic temporali felicitati fulcitur, et adversis non eliditur, contra infirmos etiam sine repugnatione prævalet, bene agentibus ex auctoritate principatus sui contradicit, ad majora commoda ex pejori semper actione succrescit, et unde vitæ viam deserit, inde ad tempus locupletior vivit.

II. Mos est autem non solum malorum, verum etiam bonorum, sed tamen minus perfectorum ; ut eorum intentio vel sensus juxta hoc quod forte viderint informetur. Nam læta videntes hilarescunt, pro tristibus constristantur. Unde fit, ut cum pravorum gloriam cernunt, eadem gloria delectentur et magnum aliquid æstimantes in corde nutent, et ut talia mereatur exoptent. Hinc ipsa Veritas dicit : *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* xviii, 7). Item Psalmista : *Dum superbit impius, incenditur pauper* (*Psal.* x, 2). Et Job ex voce plangentis Ecclesiæ dicit : *Ad nihilum redacti sunt omnes artus mei* (*Job* xvi, 8). Sicut enim per ossa fortes, sic per artus infirmi quique designari solent. Artus ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quoniam ex imitatione pravorum in hoc sæculo succrescentium, infirmi quoque deteriores fiunt : videntes felicitatem malorum bona temporalia appetunt, dum præsenti prosperitate enervati, Deum, qui vere est, desiderare negligunt. Quod videlicet historialiter expressum est, quoniam cives Babylonis filios Jerusalem captivos abduxerunt, et item, quoniam *filii Dei*, id est, filii Seth, *videntes filias hominum*, id est filias Cain, *concupierunt eas* (*Gen.* vi, 2). Nam et nunc isti exterioris gloriæ specie decepti, nimis diligunt, quod pulchrum foras viderint. Pulchra autem videtur præsentis vitæ gloria, quæ in personis pravorum tanquam in filiabus Cain sese infirmorum oculis ad concupiscendum ostentat. Unde, sicut supra dictum est, calix aureus apellatur.

III. In eadem autem gloria maxime divitiæ videntur appetendæ. Quia videlicet sanitate, et vita, et siti, et fame, et patria, et propinquis, amicisque, et omnibus omnino quæ sunt commodiores eas esse pluribus visum est. Et ista sententia non solum terra marique servatur, ut Joannes Chrysostomus ait, sed usque ad ipsas nubes ascendit ac sidera. Quæ videlicet non tam sententia jam est, quam flamma, quæ totum istum vastat orbem terrarum. Et qui exstinguat quidem nullus est, qui vero accendant et magis magisque inflamment, omnes. Favent autem huic malo non solum illi qui ab eo capti sunt : sed et qui nondum videntur illuc ingressi. Nam et ipsi

divites, etiam si totum orbem possibile esset possideri a singulis, adhuc tamen in desiderio ejus arderent. Pauperes vero dum cupiunt divitibus exæquari, insatiabilem concupiscentiæ rabiem patiuntur, insaniunt, et furiunt, et idem morbus diversos singulis generat languores. Et intantum amor pecuniæ omnem fatigat animam, ut neque amicitiarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec conjugis, aut amori filiorum det locum. Quibus affectibus inter homines nihil præfertur. Hic amor ipso melle dulcior videtur: et cum ei qui manus illi dederint mille foveas paret, expetitur tamen, et desideratur ab omnibus, ac per innumeros labores et mores lætantur se vel ad ejus januam quandoque pertingere. Et si quis eos ad meliora, et ad regnum Dei, quod intra nos est, quærendum persuadere tentaverit, refugiunt, et insanum putant, et quasi phrenetici ad hoc quod insania suggerit magis se submittunt. Summa igitur aviditate amplexantur umbras, et stringunt ventos similes videlicet pueris ludentibus, vel certe stultiores. Illi forte turmam verberibus agitantes, vel quemlibet alium ludum per ætatem fragilem delectantes, avelli ab eo nolunt. At isti tanto inexcusabiles sunt, quanto scienter in nihili confidunt, et in cœno ejus tanquam sues volutari delectant, infeliciores utique et turpiores illis animalibus quæ cœno vescuntur existentes.

IV. Sed utinam sicut Phinees de anathemate Achar imprecatur, soli illi corruissent, qui secundum principem mammonæ vivere decreverunt: et non etiam filii lucis huic sæculo conformarentur contra Apostolum; sed, quod nimis dolendum est, ipsi filias Cain, relictis bonis celestibus, amplecti gestiunt, id est divitias, delicias, voluptates, obsequelas, atque libidines ulciscendi. Qui utinam vel ad Dei comminationem terrerentur. vel quia tunc dixit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis* (*Gen.* VI, 3), vel quia nunc dicit: *Filii regni mittentur in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). Et postquam semel audivimus: *Ego elegi vos de mundo* (*Joan.* XV, 19), non domum subjiciam principi mundi; quia nimirum necesse est nos esse, aut in mundo quem Deus per Filium reconciliat sibi, aut in eo qui, juxta apostolum Joannem: *In maligno positus est* (*Joan.* V. 19). Ut enim Hieronymus in epistola ad Ephesios perhibet, mox ut aliquem principes tenebrarum supplantant, suo mundo cui principantur adnectunt. Viderit ergo qui talis est, quantum sint novissima illius pejora prioribus. Nam ut verbis Joannis ex supra dicto libro utamur, pene sine venia habendi sunt cuncti quos hujus mundi gloria decipit. Cum enim videant apud eam cruenta omnia, periculisque ac mortibus et præcipitiis plena, nec si tamen suæ cupiditati frenum imponunt, cumque eam stipari cernant sodalibus pessimis contumeliis dico, opprobriis, livore, insidiis criminationibus et perniciosissimis curis, metu jugi timore frequenti, et mille aliis hujusmodi infaustis consortibus, velut sanguinum corona circumdari; adhuc tamen amo- A ribus ejus insaniunt; fructum autem in his nullum alium reperiunt, nisi interitum, et perniciem, pœnamque perpetuam. Et tamen eadem gloria in contemptu gloriæ cœlestis a pluribus amatur, atque fit exspectabilis. Idcirco dignum est, ut atrocius judicentur; quippe qui et oblatam Dei gratiam fastidiunt, et quod malum non ignorant eligere malunt. Tanta namque est eorum qui decipiunt stoliditas, ut non solum eos ratio nulla ab hoc interitu revocet, sed nec evidentia quidem indesinentur pereuntium exempla deterreant. Quin potius cum sciant quod omnes qui ejus umbraticam pulchritudinem diligunt, a mundi primordio eadem gloria fallat, tamen hanc amplexari inexplebili desiderio gestiunt; quæ videlicet B illos ita falso jactamine illicit, tanquam fœda meretrix, quæ nigredinem suam fucatis quibusdam coloribus occultat, lascivorum oculos captat. Cum igitur perfecti boni malis admisti sunt: ita juxta Psalmistæ vocem, discunt operam eorum, ut illud impleatur quod dictum est: *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* XVIII, 7).

V. Quisquis vero sanum sapit, oportet ut pravorum gloriam ex fine consideret, qui sicut in Moralium libro IV disputatur, eo atrocius in tormentis obruuntur, quo altius in peccatum elevantur. Transit quod extollitur, permanet quod punitur; honorantur in via, in perventione damnabuntur; et quasi per amœna prata ad carcerem perveniunt, dum vitæ præsentis per prospera ad interi- C tum tendunt. Et quidem boni cum quoslibet gloriosos aut mori aut dehonestari conspiciunt, quia humana gloria nihil sit cum gemitu fateri solent dicentes: *Ecce quia nihil est homo* (*Job* XVI, 8), quod nimirum rectius dicent si tunc interitum cujuslibet potentis cogitarent, cum eum in flore prosperitatis vident. Tunc namque considerandum est quo cursu felicitas transvolet, cum ante humanos oculos quasi permanens pollet. Nam gloriam morituri nihil esse in ipsa jam morte pensare pravi quilibet possunt: tunc enim ei etiam derogant qui hanc et usque ad mortem sequentes amant. De his atque eorum imitatoribus scriptum est sub typo scilicet illius pravæ generationis: *Longe fiant filii ejus a salute, et conterantur in porta* (*Job* V, 4). Porta est ultima dies judicii, quia D per ipsam intratur ad regnum. Stulti igitur vel eorum filii, id est, imitatores, ante portam superbiunt, sed in porta conterentur, quia nunc prosperantur, sed in judicio ferientur. Qui enim tunc renuit Deum per disciplinam habere patrem, malens esse filius hujus regni, tunc per adjutorium habere non merebitur ereptorem, sed in porta conteretur. Sane quisquis vel de utraque generatione, vel de utroque gradu vitæ hujus amore captus est; partibus ejus favet, et dehortatorium verbum non libenter auscultat.

VI. Sciendum vero est quod eadem genera sic mista sunt, ut in quibuslibet fidelium gradibus procurrere pariter inveniantur: quoniam quousque ventilabrum judicis agitetur, grana cum paleis ne-

cesse est in arca præsentis vitæ simul contineri. Porro contra eos abhinc agitur, qui factis sæculo fidem servantes mentiri Deo per habitum religionis noscuntur. Si igitur infirmi fideles in sæculari habitu pravorum deteriorantur exemplis, non utcunque mirum est ; hoc omnimodis exsecrabilius videtur, si religionis professores, quibus, ut ait Apostolus, *Eloquia Dei credita sunt* (*Rom.* III, 2), carnalibus desideriis contigerit ancillari, relictis cœlestibus terrenis inhiare, contempto Deo mammonæ servire. Quod quam exsecrabile sit ipsa prophetici sermonis invectio palam demonstrat, qua Deus comminatur dicens : *Si fornicaris tu Israel, non delinquas tu saltem Juda* (*Ose.* IV, 15). Decem namque tribus filiorum Israel a domo David, quondam ad idololatriam recesserunt ; attamen tribus B Juda, tanquam in domo David consistens, divinæ servitutis cultum diutius retentavit. Per decem ergo tribus multitudo sæcularium, per unam vero numerus ecclesiasticorum, qui brevior est, exprimitur. Quantumlibet autem sæculares tanquam illæ decem tribus a divinis legibus exhorbitent, ministri tamen Ecclesiæ tanquam tribus Juda Christo debuerant inhærere. Namque de illis decem tribubus, veluti de his qui nunc verbo non opere fidem tenent, est illa Dei querimonia dicentis : *Adversatrix Israel abiit, et fornicata est sibi* (*Jer.* III, 8). Et statim, ut ecclesiasticos, qui imitatione sæcularium deteriorantur, exprimeret, qualiter per exempla Israelitarum domus Juda ceciderit, subdit dicens : *Et vidit prævaricatrix soror ejus* C *Juda, quod mœchata esset adversatrix Israel, et quod dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii : non timuit ; sed abiit, et fornicata est etiam ipsa* (*Ibid.*). Quæ omnia nunc implentur, cum ad imitationem carnalium ministri Ecclesiæ devolvuntur ; cum similiter eos superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Et item ipsi per quos sæculares corrigi debuerant, eos ad contemptum mandatorum Dei per sua mala exempla instigant. Et cum debuerant lucere, ut ait Apostolus, in medio nationis pravæ, ut eos resplendere facerent, magis illorum exempla sequentes tenebrescunt, ut scriptum est : *Erit sicut populus sic sacerdos* D (*Isa.* XXIV, 2). Sed solerter intuendum est, quod ex voce Dei dicitur : *Quia sic dimisi eam ;* et quod additur, *dedi ei libellum repudii* (*Deut.* XXIV, 3). Nam vel quoslibet sæculares, quasi Israelem, vel quoscumque in habitu religionis positos, quasi Judam tunc Deus dimittit, cum eos, ut scriptum est, secundum desideria cordis eorum sinit : sed cum eos securitas post culpam sequitur, cum nulla disciplina vel increpatio ad cor suum revocat, etiam libellum repudii accipiunt, ut tamquam conjux adultera a conjunctione Domini separentur, et quod volunt faciant, quatenus ad æterna supplicia profundius ruant. Unde necesse est ut vel istos, vel illos tunc consideremus amplius miseriores, quoniam eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos, et quanto post iniquitatem prosperantur, tanto perditioni proximiores. Hoc in duodecima Ezechielis Homilia.

VII. At superiori libello, cum de violentis loqueremur, cum superbia et luxuriam commemoravimus, de malitia tacentes. Hi ergo qui post professam religionem ad carnales nequitias devolvuntur, primo per superbiam capiuntur. In qua, ut scriptum est *Omnis perditio sumit initium* (*Tob.* IV, 14), quæ eis maxime per hoc subrepit, quia dum redditibus Ecclesiæ, vel donariis fidelium ditati incrassantur, recalcitrant, et quia in labore hominum non sunt, tenentur ideo superbia : deinde plenam manum habentes vitium illius purpurati divitis incurrunt, quotidie videlicet splendide epulari, et cultioribus vestibus gestientes pompari. Tum quoque suæ professionis obliti luxuriæ manus tradunt. Apud quos utique, juxta illud comici, Venus frigeret, si Cerere et Baccho non abundasset. Cujus ruinæ descensionem ipsa quoque membrorum demonstrat positio, cum videlicet cor viri superbia tumet spiritus, deinde venter, postremo genitalia collocantur. Superbia est spiritus, reliquæ duæ carnis. Quæ duæ postquam hominem illexerunt, eo difficilius deponuntur quo dulcius utuntur. Jam vero hi tales contra Apostolum secundum carnem viventes de corporea nobilitate gloriantur : qui si pro certo Dei filios se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur terrenam : et cum scriptum sit : *Ne glorieris in vestitu unquam* (*Eccli.* XI, 4), isti quod audent faciunt. Nam genus quidem vestimenti, quod religioni dedicatum est, penitus propter humanam reprehensionem abjicere erubescunt, colores tamen et mollitiem studiose quærunt : quamvis nonnulli etiam abbates, ut apertas etiam inimicitias inter se et sanctam regulam protestentur (66*), monasticum schema, videlicet cucullam, induere dedignantur. Et certe sicut in libro Geronticon dicitur, eadem datur gratia in monachico habitu, quæ et in albis baptismi. Et sicut beatus Hieronymus in epistola ad filiam Mauricii perhibet, grandis divinæ gratiæ contumelia est mundani et sæcularis ornamenti præfatio, et crimen est post chrismatis sanctificationem cujuscunque specie terrenæ creaturæ caput vel corpus ornari, quod jam cœlesti splendore refulget. Ille dives quem ad magnam exprobrationem Christus ornatum purpura et bysso commemorat, non legem aut prophetas audierat, et tamen de appetitu vestium vituperatur. Istis ergo quid in judicio dicturus est idem Christus, quoniam etiam monachi atque sanctimoniales hoc appetunt, quod non solum a laicis, verum etiam ab eorum conjugibus apostoli prohibent ? Unde Petrus : *Quarum*, inquit,

(66*) *Monasticum schema, videlicet cucullam.* Sic Petrus Venerabilis lib. II. Mirac, c. 23, ubi de Matthæo Clun. monacho qui fuit et Albanensis episcopus, loquitur : « Suo, inquit, quo nunquam a monacho caruerat, cilicio prius, dehinc monachali cuculla vestitur. »

*sed non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus sed qui absconsus cordis est homo* (*I Petr.* III, 3, 4.) Et Paulus : *Mulieres similiter in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes castitatem, et bonam conversationem* (*I Tim.* II, 9, 10).

VIII. Si ergo sic a conjugatis inhibetur, quantum nefas est, hoc aut sancti habitus viros, aut sanctimoniales appetere ? Sanctus Germanus ad Genovefam inter alia : Si, inquit, sæculi hujus vel exiguus decor tuam superavit mentem, æternis et cœlestibus ornamentis c rebis. Hinc domnus Martinus brevi quidem, sed magni ponderis sententia, mulieris honestatem complexus : Summa, inquit, virtus est mulieris nolle videri. Cyprianus episcopus de virginibus sic ait : Serico et purpura indutæ Christum induere non possunt ; auro et margaritis, et monilibus adornatæ, ornamenta cordis et corporis perdiderunt. Quod si Petrus, inquit, mulieres admonet coercendas, quæ excusare soleant cultus suos per maritos : quanto magis id observare virginem fas est cui nulla ornatus sui competit venia, nec derivari in alterutrum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in corpore ? Sed quæ ejusmodi sunt, non sanctam illam vocem beati Cypriani recipiunt, quin potius irritam faciunt fidem Christi, et scortatorum oculis se magis comunt. Qui scilicet scortatores, ut ait beatus Hieronymus in epistola ad matrem et filiam, quando audent uxores Christi sponsas frequentius respectant : loquuntur nutibus, et quod minus licet ardentius affectant. Minus, inquit, licet, quia quanto detestabilius est infringere sacrosanctam quam plebeiam domum, tanto scelestius est sponsam Christi quam uxorem proximi violare. Certe cum una ex duabus sororibus viro conjungitur, et illi fidem servat ; cur altera, quæ Christo desponsatur, eamdem ei reverentiam non custodit ? Verum ut in eadem epistola sequitur : Istæ nitidulis vestiuntur, oblitæ quod Christus in Zacharia sordidis vestibus legatur indutus. Siquidem istis pulchra vestis animæ lascivientis indicium est : per terram trahitur ut statura procerior videatur, de industria dissuitur, ut aliquid appareat quod amet. Calcei nigelli et nitentes stridore suo oculos lascivos in sævos excitant appetitus. Capilli parum defluunt, et recolliguntur. Collum et guttur defluente palliolo casu nudatur, et quasi videri noluerint operire festinant. Hæc Hieronymus. Plura referre pudet. Sed in his omnibus et hujusmodi, non secundum filium virginis, sed secundum veterem hominem ambulant. Nam, ut ait Job, omnis istorum, vel istarum dulcedo, vermis. Licet enim in hac vita superfluo cultu carnem ornari gestiant, illud tamen libri Ecclesiastici restat, quia *vestietur pannis dormitatio* (*Prov.* XXIII, 21). Et ut in eodem item dicitur : *Qui se jungit fornicariis erit nequam, putredo et vermis hæreditabunt illum, et tolletur de numero anima ejus* (*Eccli.* XIX, 3). Bona vero cœlestia sponsi, quæ pro his emendicatis perdunt, æterna sunt, et talia sunt, ut adhuc nec ad Pauli quidem auditum pervenerint, nec ad cor ejus ascenderint, quamvis ad paradisum raptus fuerit.

IX. Etenim pulchritudinem corporis certis quibusdam et naturalibus terminis Deus clausit ; animæ autem pulchritudinem liberam fecit, et nulla sub necessitate conclusit. Nam etsi etiam corporei decoris potestatem Dominus in nostro permisisset arbitrio, sollicitudo nobis immineret superflua, atque in his quæ nihil prodessent omne vitæ nostræ tempus occuparemus. Ex quo cultus animæ necessario negligeretur. Quippe qui etiam nunc, ubi nulla nobis potestas est conferendi aliquid corporis decori, hoc tamen agimus, et hoc studemus, ut speciem corporis omnimodis excolamus, dum colorum fucis, vel compositione, crinium vel oculorum rotatu vel, varietate vestium, diversisque aliis et exquisitis conferre aliquid, ut dixi, decori corporis cupimus ; sed quanto magis conveniebat nobis, ut ad cultum animæ operam daremus ? Nam corporea pulchritudo in pelle solummodo constat. Nam si viderent homines hoc quod subtus pellem est, sicut lynces in Bœtia cernere interiora feruntur, mulieres videre nausearent. Iste decor in flegmate, et sanguine, et humore, ac felle, consistit. Si quis enim considerat quæ intra nares, et quæ intra fauces, et quæ intra ventrem lateant, sordes utique reperiet. Et si nec extremis digitis flegma vel stercus tangere patimur, quomodo ipsum stercoris saccum amplecti desideramus ? Auctor quippe naturarum Dominus licet multa dignitate hominem condiderit, tamen in hac corruptibili vita plura nos pati permittit, per quæ superbiam carnis retundat. Inde est quod pilus hominis in cibo vel potu repertus magis fastiditur ; et pulices de pulvere emergentes, minus quam pediculos, qui ex humore corporis nostri prodeunt, super nos videri abhorremus. Ut autem noverimus quod ipsa qualiscunque sit pulchritudo corporis, non de carne, sed de anima est, pensemus quam delectabile sit cadaver hominis, quin potius quantum horrorem videntibus se incutiat. Anima quippe pulcherrima recedente, pulchritudo quam carni dederat tota recedit. Sed isti vel iste qui auctori turpitudinis se superbiendo submittunt, nihil secundum religionem fidei nihilque secundum rationis honestatem discernunt, et idcirco sola quæ carnis sunt sapiunt, non quæ spiritus Dei.

X. Antequam fides Christi claresceret, antequam mundus alteram vitam sciret, ubi vel æternum regnum pro bonis, vel æterna gehenna pro malis recipitur, non valde mirum erat si se mortales mundialibus illecebris substernebant. At nunc cum non solum per omnes sanctos ab origine mundi prælatos, sed etiam per se ipsum Dei Filius de virgine natus ab eisdem illecebris nos compescat, et ad cœlestes delicias tantopere appetendas persuadeat,

mira est, vel potius misera hæc nostra dementia, ut eligamus emendicatis et egenis pruritibus ad modicum lætari momentum, magis quam in omnimoda gloria sociari sanctis in æternum. Sed quid fiet? utique quod Judex ipse comminatur dicens : *Qui contemnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30). Et item : *Despexistis omne consilium meum, et vocavi, et renuistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Cum irruerit repentina calamitas, quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam* (*Prov.* I, 25-29). Sed, ut item scriptum est, sola vexatio intellectum dabit auditui, quia videlicet cuncta quæ nunc in Scripturis audient, quæ quasi non intelligant, contemnunt, donec per tormenta puniri incipiant, tunc ad memoriam reducent, tunc mens eorum exæstuat, tunc infructuosæ pœnitentiæ ignibus se inflammat. Qui, ut scriptum est, *utinam*, dum licet, *intelligerent, ac novissima providerent* (*Deut.* XXXII, 29). Alioquin tale est ac si alicui proponatur utrum velit, per brevem quidem, sed petrosam viam paululum incedere, et ita inter regios pueros ad regale prandium intromitti? an magis velit cum scurris et damnatitiis per floridum pratum ludendo pergere, et ad finem prati mortem subire? Ille vero non finem, sed qualitatem itineris cogitans eligat magis suavem viam, per quam citius veniat ad horrendum exitium. Isti sane nonnulla bona faciunt, ac interdum vivere secundum disciplinam proponunt, sed semper ad consueta mala replicantur. Esse quippe humiles volunt, sed sine despectu; esse contenti prosperis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis; adipisci virtutes quærunt, sed consequi non possunt, quia labores earum refugiunt. Unde bene scriptum est: *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum* (*Job.* VI, 18), quia virtutum studia aut non appetunt, aut si appetierunt, fracti in suo conamine, non ea consequuntur. Hinc item : *Væ peccatori ingredienti duabus viis!* (*Eccli.* II, 14).

XI. Nulla lex olim præter naturalem stupra cohibebat, et tamen tanto studio resecabatur, ut rex Abimelech diceret : *Poterat aliquis coire de populo cum uxore tua, et induceres super nos grande peccatum* (*Gen.* XXVI, 10). Et Thamur, quæ de Juda conceperat, flammis adjudicata est, eo quod in viduitate mœchata videretur. Lucretia quoque gentilis Romæ matrona, cum esset a Tarquinii filio violenter oppressa, patruo suo ac viro facinus ad hoc patefecit, ut stupratorem persequerentur; porro ipsa confusionem non sustinens, seipsam interfecit. Et, ut ad sanctos veniamus, Job sine legali præcepto inter gentiles degens ait : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne quidem cogitarem de virgine* (*Job.* XXXI, 1). Non solum subaudis de alterius conjuge, gentiles itaque sic etiam sine lege. At istæ Christo desponsatæ sunt, quibus et viri ad injuriam sponsi irretractabiliter se inserunt, et ipsæ eis impudenter se ingerunt. O quales istæ lampades obviam sponso! tenebuntur certe pocula plena, sicut in Apocalypsi legitur, fornicationum. Item Job ait : *Si deceptum est cor meum super mulierem* (*Job.* XXXI, 9). Qui ut magnitudinem tanti facinoris ostenderet, subjunxit : Quam enim partem haberet in me Deus desuper? Et illos quidem sola vis naturalis legis coercebat. At nos multis et validis conditionibus ligaremur, si omnino infrenes non fuissemus. Nam ut de multis pauca perstringam, Christus jam de Virgine natus est, exhibeat sibi sponsam non habentem maculam aut rugam, sed virginem, ut ait Apostolus, et castam. Jam levavit signum crucis in nationibus, et protestatur dicens : *Qui non bajulat crucem suam quotidie non est me dignus* (*Luc.* XIV, 27). Crucem vero bajulat, qui
B corde et corpore castus carnis curam in desideriis nequaquam facit. Quomodo igitur crucem bajulat qui carnem suam a concupiscentiis non crucifigit? Apostolus enim cultores ventris, non portitores, sed inimicos ejusdem crucis appellat. Nos parentes nostri, sicut Abraham obtulit Isaac, et Anna Samuelem, Deo in sacrificium obtulerunt. Nos templum Dei quod esse ipsi debuimus violantes, et oblationem ejus commaculantes idem nosmetipsos, in fermentum conversi sumus. Naaman Syrus in tantam habuit reverentiam locum in quo nomen Dei invocabatur, ut de Israel terram cum burdonibus portaret. Nos in atriis ecclesiæ consistentes, in terram sanctorum, juxta quod propheta plangit, iniqua gerimus : *In terra sanctorum*, inquit, *iniqua*
C *gessit* (*Isa.* XXVI, 10). Sed sequitur : *Ideo non videbit gloriam Domini* (*Ibid.*). Vox ad Moysen : *Locus*, ait, *in quo tu stas, terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Qui etiam non est ausus respicere contra ignem, et ecce plus est in altare, ad quod nos impure et irreverenter accedimus. Nam ignis ille non erat Deus, sed creatura, ex qua vox Dei resonaret; hic vero corpus Christi est, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Verum quia de sacri loci reverentia sese occasio præbet, dicendum videtur quid ante hos annos in Carrilocensi monasterio contigit. Quidam vassus nomine Richerius ibi metu inimicorum confugerat, qui in cella, quæ ecclesiæ adhæret, nocte dormiens cum uxorem suam cognoscere vellet, ita sicut canis eidem inhæsit, ut nullatenus ab ea divelli posset. Cum
D igitur se ita teneri sensisset, succlamavit, rumor subitus increpuit. Accurrerunt omnes. Illi tam metu quam verecundia vehementer confusi sunt. Monachos vocari fecere, quanta potuerunt munera loco sancto dederunt. Cum diu esset a monachis oratum, sibi redditi sunt. Filium ejus, et fratres ego novi; ab his qui interfuerunt hoc audivi. Sicut autem ipsa res edocet, complexus conjugum, quia licitus erat, temporaliter punitus est ob illicitam illius sacri loci præsumptionem, ubi gerebatur. At vero incestorum in sanctis locis patratus ob hoc in præsenti minime plerumque plectitur, quia tantum est, ut non transitoria, sed æterna ultione feriri debeat. Econtra vero quantum sacrati loci reverentia prosit, hoc satis valet exemplo pervideri. Quidam

rex Longobardorum, sicut in ejusdem gentis historia legitur, in cœmeterio cujusdam ecclesiæ sancti Joannis sepeliri se fecit, hæreticus tamen perseveravit. Cujus tumulum quidam fur effringens, ornamenta cum quibus, ut rex, sepultus fuerat, asportavit : eidem vero sanctus Joannes per visionem dixit : Cur ausus es corpus ipsius hominis contingere ? fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendavit. Quia ergo hoc facere præsumpsisti, nunquam in meam basilicam deinceps ingressum habebis. Quod ita factum est : Quotiescunque enim voluisset beati Joannis oratorium ingredi, statim velut a validissimo pugili guttur ei feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Si ergo reverentia sancti loci contra violatorem sepulcri illius hæretici sanctus Joannes ita indignatus est, quantum putas et Deus et sancti ejus irascuntur adversus quemdam qui sancta loca quolibet modo commaculat? Totus mundus sancta Scriptura, quæ nos peccare prohibet, illustratur. Totus Dei testibus, qui hanc observaverunt, plenus est : de quibus, ut supra dicitur, ait Job : *Instauras testes tuos contra me* (*Job.* x, 17). Scilicet quia tot in judicio testimonium contra nos dabunt, quot legem Dei, quam nos contemnimus, sine præcepti etiam constrictione servaverunt. Igitur tot causæ frenare nos debuerant, videlicet et fœdus imitandæ castitatis, quod cum suis militibus filius virginis tanquam dux et prævius iniit, et conditio portandæ crucis, et consecratio, qua vel a parentibus, vel a nobis Deo initiamur, et professio sancti propositi, sed et locorum reverentia sacratorum, et vicinitas tantæ majestatis, quæ in altaris mysterio continetur, nec non et Scripturarum auctoritas divinarum, atque tantorum et ante legem et post legem exempla sanctorum.

XII. Constat autem etiam nunc post redemptionis gratiam illa sententia, qua dicitur, quia *omnis caro prona est ad malum* (*Levit.* xvii, 14). Licet enim filius virginis ad hoc apparuerit, ut opera diaboli destrueret, et libidinem, quam patriarcha Jacob, filium plangens, feram pessimam vocat, a suis dilectoribus truncaverit : adeo tamen adhuc in silvis nostrarum cogitationum eadem bestia sævit et fremit, ut vix reperias qui naufragium pudoris tutus evadat. At vero cum ipse filius virginis respicit terram cordis nostri, et facit eam tremere, et dicit, fluctui cogitationum carnalium tanquam mari : *Huc usque procedes, hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job.* xxxviii, 11) : resipiscit quisquis illuminari meruerit, et æternam gehennam, quam in agonio [matrimonio] voluptatis comparat, sollicite contremiscit. Sed si consideraverit quod Apostolus fornicationem jubet fugere, et quod Jesus ab eo, quem sanaverat, non possit in turba reperiri, et quod sanaturus alium de turba seorsum hunc apprehenderit, et ob hoc a turba vitiorum et pessimis complicibus, tanquam a Sodoma cum Loth profugere voluerit, et aliorsum, quo forte peccandi libertas aliquatenus refrenetur, secedere voluerit : mox omnes quasi diaboli satellites contradicunt,

A loci sui desertorem appellant, cum tamen si pro temporali honore quolibet adipiscendo quovis discedere voluerit, favent omnes, et adhortationem, vel etiam munerum adminicula præbent ; et non desertorem, sed suæ humilitati provisorem censent. Et certe locus fidelium paradisus est, vel quilibet alius, quod tutius via, qua ad paradisum reditur, teneri potest. Quem locum toties deserimus, quoties peccamus. De illa desertione nemo quæritur ; ista vero ob id opponitur, quia dum præsentia corporalis in illo tali diligitur, quantum ejus anima peccando supernis oculis absentetur, omnino non curatur. Nec mirum si Ægyptii filios Israel ne Deo servire possint impediunt. Sane postquam communis Dominus, cui prorsus ubique

B servitur, Pharisæos redarguit, eo quod nec ipsi intrent, nec alios intrare sinant : saltem hac increpatione coerciti suas contradictiones debuerant isti refrenare, et vel Ægyptios imitari, qui divinæ formidinis pavore concussi, non solum dimiserunt Israel, sed etiam ornamenta præstiterunt. Quod quidem et isti dehortatores facere solent, illis duntaxat qui pro aliquo temporali commodo discedunt, quos, ut supra dictum est, non desertores putant, sed suæ salutis provisores. Scriptum quippe est : *Vos qui in Austro habitatis occurrite sitienti cum panibus* (*Isa.* xxi, 14). Ac si diceretur, eos qui charitatis ardore fervetis, ei, qui Dominum fontem vivum quærere nititur, adjutorium præbete. Verum si Jacob ad patrem redire cupiens obstinatio-

C nem Laban reditum ejus impedire molientis deprehendit, oportet ut hanc clanculo fugiens, vel humano consilio frustretur. Hoc est enim prudentem esse sicut serpentem, qui vulneri caput maxime subjicit ; si te eo subducas, ubi caput, quod Christus est, conservare possis. *A domesticis tuis*, inquit, *cave* (*Eccli.* xxxii, 26). Si ergo dixerint : necessarius es confratribus vel propinquis tuis : respondebis : Bonum est visitare pupillos, ita tamen ut immaculatum te custodias ab hoc sæculo. Et Apostolus Jesum sequi jussus, nec patrem sepeliri permittitur quidem. In libro septimo Collationum Joseph eremita sufficienter edisserit quod ille fidem suæ professionis rectius servat, qui se ad eum locum contulerit, quo Dominicæ fidei præcepta plenius adimplere potuerit. Et revera quale

D esset, si quis naufragium dehortaretur, ne vel tabulam arriperet, vel si ramum truncaverit, quem forte manu de gurgite emergens apprehenderit, vel certe si ei qui ceciderit suadeat, ut postquam semel corruit, ibi deinceps jaceat, cum Psalmista dicat : *Nunquid qui cadit, non adjiciet, ut resurgat ?* (*Psal.* xl, 9.) Et utinam saltem tali horrore locum ubi anima corruit exsecraremur, tamque pertinaciter ab ejus lapsu resurgere conaremur, ut videlicet illum vitaremus ubi corpore labimur. Hoc contra eos dictum sit, qui desertores appellant illos, qui locum ubi peccandi libertas est, derelinquentes, tuti Deo famulari desiderant.

XIII. Sed ut ad filias Sion delicatas redeamus, quæ in Isaia propter mollitiem non filii, sed filiæ no-

minantur, et erecto collo compositoque gradu in- A cedere notantur: Durum est, inquiunt, quod jubetur, fragiles sumus, qui et paganorum irruptionibus, et multis aliis augustati pressuris, nequaquam valemus servare propositum : sed si fragiles sumus, humiles per hoc esse decet. Nam quid superbit terra et cinis? Si oppressi, comessationes et indumenta pretiosa inde suppetunt? An vestis, cui Deus nativum dedit colorem, non valet frigus arcere nisi tingatur? Aut sine concubitu non potest vivere homo? sed forte intolerabilem quis causatur ardorem. Et ubi est illud? *Non patietur vos tentari super id quod potestis?* (*I Cor.* x, 13). Respondeat sanctus Hieronymus excusationibus in peccatis. Dicit enim in epistola ad Demetriadem: Neque enim alia causa facit difficultatem bene vi- B dendi, quam longa consuetudo peccandi quæ nos ita tenet addictos, ut quamdam vim naturæ videatur habere. Miramur cum non nobis desidiosis, sine labore, quasi ab alio sanctitas conferatur, qui nullam boni consuetudinem fecimus. Malum namque vetus impugnat voluntatem novam ; quidquid primum in te institueris, hoc manebit. Quapropter usus inolevit ut pueri vel puellæ spiritalibus studiis manciparentur, priusquam sæcularibus blanditiis illicerentur. Sed proh dolor ! iniquitate jam superabundante, res in contrarium versa est: schola virtutum facta est amphitheatrum vitiorum. Ibi vitia discuntur magis, ubi dissuesci debuerant. Quid, quod tergiversamur, et naturæ fragilitatem opponimus Deo, quasi nesciat ille qua- C les non fecit, et oblitus nostræ humanæ fragilitatis imposuerit homini mandata quæ ferre non possit? O cæcam insaniam et profanam temeritatem ! Dupliciter quippe Deum videmur incusare. Neque enim justus qui posse dedit, impossibile aliquid imperare potest ; neque qui pius est, hominem condemnaret pro his quæ vitare non potest. Et quomodo staret quod ipse perhibet : *Jugum meum suave est?* (*Matth.* xi, 30). Hanc itaque justo iniquitatem, nec pio crudelitatem ascribamus.

XIV. Quid autem sit, quod plerique nec resistendo vitiis contraire possunt, Psalmista requisitus insinuat, nam quasi de sola matre vitiorum sollicitus ait : *Veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* D xxxv, 12). Et quod ipsa totius ruinæ causa et occasio sit subdendo manifestat, dicens ibi idem : *In superbia ceciderunt, qui operantur iniquitatem* (*Psal.* xxxv, 13). Qui igitur operatur iniquitatem foris, prius per superbiam corruit intus. Quo contra electi de Deo dicunt : *Qui docet nos super jumenta, et super volucres cœli erudit nos* (*Job* xxxv, 11), quia videlicet dum eo inspirante cogitant quid sunt, nec eos fragilitas carnis velut jumenta dejicit, nec in superbia spiritus quasi volucres elevat. Qui enim carne labitur in luxuriam, more jumenti prosternitur: qui mente extollitur, quasi alta petit ut avis. Si enim pie spiritus sub Domino premitur, ut supra dictum, illicite care super spiritum non elevatur. Quod si ille auctorem superbiendo contemnit, jure et a subdita carne contemnetur. Ergo virus libidinis de radice, et de merito nascitur elationis. Quod cum ita sit, tunc anima per originem culpæ more jumentorum in luxuriam cadit, cum superbiendo more volucrum ultra quod debuit elevat. Hinc est enim quod vel is qui stare videbatur cadit, vel is qui lapsus est, resurgere nequit. Hinc est itaque quod longa continentia repente solvitur, et plerumque virginitas in senili ætate vitiatur. Sic elatio nimirum debet fieri: ut qui se superbiendo ante oculos Dei extollunt, usque ad jumentorum similitudinem foris devolvantur. Qui ergo vitiis resistere cupit, sub potenti manu Dei humilietur.

XV. Annon in luxuriosis jumentorum similitudo est? Annon sic equus et mulus intellectu carent, qui sperant, vel potius sperare se fingunt, quod carnis concubitus ad sanitatem proficiat corporis? cum propheta dicat : *Sana me, Domine, et sanabor* (*Jer.* xvii, 14). *Domino sperans non infirmabor* (*Psal.* xxv, 1). Quod ita de sanitate mentis intelligitur, ut tamen de sanitate carnis non negetur. Et enim econtra nihil ita carnem debilitat ut luxuria, unde Hieronymus ait : Cito senescunt quæ justa viros sunt. Qui destinati apud gentiles erant vel ad bravium currere vel in theatro luctari : ne polluti per somnium viribus enervarentur, plumbeas laminas circa inguines adhibebant. Sed istis, ut propheta ait, fornicationis amor abstulit cor ; quippe qui nec hoc ipsum intelligunt per sacram Scripturam quod pagani noverant per experimentum. Christus namque jubet ut pro salute animæ tradatur corpus, econtra pro salute corporis tradunt animam. Cum quidem hoc magis detrimentum sit ipsius corporis. Nec mirum si is, qui diligit iniquitatem, odit animam suam ; aut si is, cujus deus venter est, et qui sequitur avaritiam, quæ est idolorum servitus, salutem carnis cum Dei contemptu tanquam idololatra requirit. Qui perverso ordine colunt carnem, quæ non prodest, quicunque et negligunt spiritum, qui vivificatur, revera vani et mendaces filii hominum, populus Gomorrhæ, ut ait Isaias, cultores vestium ; cum Deus per Ezechielem queratur, quod in superbia ornamentis ipsius utantur. Qui etiam, sicut Josephus Judæos ante excidium fecisse commemorat, vestimentis exoticis induuntur. Nam de his Hegesippus refert, qui tunc femineis utebantur, et mutilabant sibi barbas, atque suas facies more meretricum dealbabant. Hi vero priscum imitantes morem, et novellas quasdam species in habitu assumentes, eodem se spiritu libidinis afflatos esse docent; cum Deus comminetur quia visitabit super omnem qui indutus est veste peregrina.

XVI. Sed erubescamus aliquando vile subsellium libidinis esse: novemus nobis novale, ut ait propheta, quia tempus quærendi Dominum est, resistamus diabolo, et fugiet a nobis. Audiamus beatum Hieronymum, qui brevitatem hujus vitæ arguens dicit: Esto, vita nostra mille annis tendatur, ad

extremum totius ætatis diem veniamus. Cum ergo A ultima hora venerit, quid proderit continuatæ voluptatis fructus, quæ statim ut cessaverit videbitur non fuisse? Quid nunc apud inferos ardenti, vel quotidianæ deliciæ, vel byssus et purpura prosunt? Inquit propheta: *In quibus et quatuor impietatibus nonne adversabor*? sceleratum est male cogitare, juxta illud: *Væ qui cogitat inutile* (*Mich.* II, 1). Sed ignoscitur. Sceleratius vero, quod male cogitaveris, velle perficere. Sed et hoc ignoscitur. Jam sane sceleratissimum est, opere peccatum perpetrare. Tamen et huic tali benignus judex manum porrigit, et ad pœnitentiam exhortatur. Quod si peccator pœnitere noluerit, jam Dominus cogitur adversari, et pro magna pœna suæ peccatorem dimittere voluntati. Adam enim semel B peccavit, et mortuus est; videamus quid fecerit. Contra mandatum de fructu arboris edit. Tu ergo si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet tibi; summo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis et novellus erat, et nullius ante peccantis, et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero, quisquis ejus modi es post legem, post prophetas, post Evangelium, post apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgeri possit, ignoro. Achar apud Jericho de interdictis spoliis aliquid furatus est, et super omnem Israel talis ira incubuit, ut stare contra hostes suos nullatenus posset etiam furti nescius, donec anathema lapidaretur. Et hi qui res Ecclesiæ vel pauperum tantopere devastant, quales trium- C phos de paganis exspectant! Hos nimirum propter impudentem rapacitatem lupos vespertinos propheta appellat. Illum unum, qui apud Corinthios fornicatus fuerat, Apostolus inter fideles orare non patitur, ne impura vox ejus puras reliquorum voces divinis auribus, tanquam rauca, sordidaret. Et quomodo conventus ille suas preces Deo placere præsumit, inter quos, occulte vel publice simili reatu, non jam unus, sed multi fœdantur? Nam prædictus Apostolus dicit quod irritam quis faciens legem Moysi sine retractatione puniretur, sicut in illo contigit, qui Sabbato ligna colligebat. Et quanto magis, inquit, putatis mereri deteriora supplicia, qui Filium Dei conculcaverit? et item, voluntariæ post cognitionem veritatis peccantibus, jam non relin- D quitur hostia pro peccatis.

XVII. Neque enim hoc dicimus, ut eos si converti voluerint desperemus. Quia igitur divina misericordia præsto est, nostræ conversionis horam semper exspectat, quæ tantopere parata est ad recipiendum, quantum, o utinam! parati essemus ad convertendum. Sed et de his qui dicuntur non satis confidimus, quod illi furfures istorum verborum curent, qui candidissimum etiam sancti Evangelii panem fastidiunt. Dicimus tamen eo quod dolentibus quoddam consolationis genus est, si causas doloris sui delatrare permittuntur, eo quod scriptum est: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII, 10): id est vocem suam ab increpatione peccati. Dicimus ergo quod possumus, ut nos de pravorum perversitate saltem aliquid dolere monstremus. An non merito dolendum est, quod Christianitas, quæ quanto provectior est, tanto magis roborari debuit: sic econtra ab statu rectitudinis incurvatur, ut ejus religio cuncta defecisse videatur? Omnes enim festini et præcipites ad malum currimus, et ut Joannes in primo libro de compunctione dicit: Non per unum, sed per omnes actus nostros ad ignem gehennæ festinamus, et tantus divinorum præceptorum contemptus irrepsit, ut non solum per mala quælibet opera Deum offendere non metuamus: sed hoc ipsum quod de ejus mandatis facere videntur, magis pro vana gloria quam pro illo geramus . . . . . . . . . . . (66[8]) destrueret; nos econtra et factis, et vocibus et ipso gestu corporis, quo semper interioris hominis affectus per exteriorem produntur, ipsam reædificeamus. Ipsi quippe velut empta mancipia subjacemus, et cervices nostras ab ejus ludibriis per Dominicam crucem ereptas, ita nunc eidem subjugamus, ut illi de ipsis bonis operibus serviamus, adeo ut quod dicere pudet, ipsum illud sancti Evangelii verbum, quo dicitur: *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Matth.* XXIII, 12), cum quadam jactantia legamus. Siquidem beatus Augustinus in libro Confessionum perhibet quia pœnaliter peccat, qui in divinis responsoriis modulatione magis quam sensu verborum delectatur. Sanctus quoque Hieronymus in epistola ad Ephesios disserit, quod non sunt in Ecclesia guttur, et voces dulci ac theatrali modulatione colendæ, quia Deo non voce sed corde cantandum sit. Nos vero econtra modulatione magis humanas aures quam divinas pensamus: cum ad hoc institutus sit psallendi usus, ut sicut David citharizando nequam spiritum compescebat in Saul, ita cantores modulando quælibet diabolica desideria de cordibus audientium expellant.

XVIII. Supra dictum est quia de fragilitate causamur, et ob hoc quasi per condescensionem carnes ad esum præsumimus. Sed prædictus Hieronymus in libro contra Jovinianum perhibet quod esus carnium usque ad diluvium ignotus fuit. Postea vero dentibus murmurantium nervos, et virulentas carnes commemorat injectas, cum datione videlicet legis quam implere nullus potuit; quando et repudium ad duritiam cordis permissum est. Apostolus docet, quod Deus Pater in Christo Jesu recapitulare omnia proposuit, et ad principium retrahere: ut ipse in Apocalypsi: *Ego sum*, inquit, *alpha et omega* (*Apoc.* XXII, 13), id est initium et finis. Postquam ergo Christus venit in finem temporum, et omega revocavit ad alpha, et extremitatem retraxit ad principium. Postea nec repudium nobis dare permittitur, nec comedere carnes, dicente Apostolo: *Bonum est non comedere carnes nec bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21); sed de vino ad Timotheum scribens ait: *Modico vino utere*

(66[8]) Hic desunt aliquot verba.

*propter stomachum tuum* (*I Tim.* v, 23). Modicum videlicet, et propter stomachum : quoniam ipse Hieronymus ait in epistola ad Ephesios : *Sicut non possumus Deo et mammonæ servire* (*Matth.* vi, 24), *sic nequimus spiritu pariter impleri et vino* (*Ephes.* v, 18). Vinum ergo concedit, sed modicum. De carnibus nunquam tale reperies. In autem Moralium libro 30 dicitur quia plerique certaminis ordinem ignorantes, edomare gulam negligunt, et cætera vitia expugnare nituntur. Sed dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes per carnis concupiscentiam obruuntur. Hinc est quod non alius quilibet muros Jerusalem, sed princeps coquorum destruxit : quia venter, dum non restringitur, virtutes animæ perdit. Ea igitur sumenda sunt quæ naturæ necessitas quærit, non quæ voluptas gulæ suggerit, quia sicut item in Pastorali scribitur : Toties primi hominis lapsus iteratur, quoties quædam alimenta saluti animæ contraria per carnis concupiscentiam sumuntur.

XIX. Compositus vero incessus cum a religione, tum etiam ab honestate multum abhorret. Sicut enim os juxta vocem Domini ex cordis abundantia loquitur, sic exterioris hominis motus ex qualitate interioris formantur. Hinc enim scriptum est : *Amictus corporis, et risus dentium, et incessus hominis, enuntiant de eo* (*Eccli.* xix, 27). Naturæ quippe nil fucatum placet, sed potius quantum Auctori ejusdem naturæ displiceat, ipse testatur, dicens per Prophetam : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et erecto ambulaverunt collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit* (*Isa.* iii, 16, 17), et cætera usque illud: *Et erit pro suavi odore fetor, et pro zona funiculus, et pro crispante crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium* (*Isa.* iii, 24). Sanctus Ambrosius in libro Officiorum dicit de duobus clericis qui inordinate incedebant, quod tempore processionis retro se faciebat eos incedere, quia videlicet usum malum quem corrigere in eis non poterat, videre non patiebatur : quorum unus postea sicut ipse refert publice lapsus, atque de suo gradu dejectus est. Gregorius quoque Nazianzenus in secundo contra paganos libro ita de Juliano apostata refert : Mihi, inquit, olim ejusdem Juliani mores comperti sunt, dum hunc ab Athenis clarius agnovissem. Consideravi enim virum, et non frustra. Vates enim egregius est qui bene considerat. Erat igitur in eo inconstantia morum, incessus uberior, cervix inflexibilis, humeri jactabiles, oculi huc illucque discurrentes, pedes impatientes, nares spirantes contemptum, risus incontinens, et quasi subbulliens. Sed quid per universa discurro ? Hunc ante opera vidi et dixi : O quale malum nutrit respublica Romanorum ?

XX. Sane tria hæc vitia, per quæ maligno hosti maxime, et religionis professores, et insuper omne humanum genus succumbit, quam sint pavenda mortalibus non solum Veteris ac Novi Testamenti sententiæ, sed ipsa quoque manifestant exempla. Nam ille qui est principium viarum Dei, primus per superbiam corruit. Unde et Salvator, ne discipuli de accepta signorum potestate superbirent, prolapsum angelum eis ad memoriam revocat, dicens : *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem* (*Luc.* x, 18). De quo etiam beato Job Deus tam mira in quibus fuit, et quæ amisit insinuat, ut territo homini ostendat quid ipse, si superbiam, de elationis suæ culpa passurus sit, si feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis elevavit. Consideret ergo homo quid elatus in terra mereatur, si et prælatus angelis angelus prosternitur ? Unde et bene per prophetam dicit : *Inebriatus est in cælo gladius meus* (*Isa.* xxxiv, 5), ac si aperte diceret ; qua ira feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in cœlo juxta me condidi percutere pro elationis vitio non perperci. Per hanc ergo Satanas corruit, per hanc unumque hominum se spernentem sternit. Hæc si in corde recepta fuerit, non solum quibuslibet vitiis hominem tradit : sed de ipsis quoque virtutibus, quas forte egerit, sibi hanc servire facit, dum de his vanam gloriam quærit. Alios autem ex temporalibus rebus, alios ex spiritualibus tentat. Nam alius intumescit auro, alius eloquio, alius infimis rebus, alius cœlestibus. Una eademque res tamen ante Dei oculos agitur ; quamvis in diversorum cordibus diverso, ne cognosci valeat, amictu pallietur, nisi forte quia tunc periculosior est, cum de virtutibus pullulat, quoniam in eo qui sanctus creditur nullus hanc arguere præsumit. Ditioribus autem, vel divitiis, vel virtutibus ob hoc durius dominatur, quia apud illos eo majorem intumescendi materiam habet, quo in eis majori potestate, aut laudabiliori sanctitate fulcitur.

XXI. His vero indiciis deprehenditur, quem possederit, semper hunc ad inferendas contumelias facit præcipitem, ad sufferendas vero pigrum. Hinc in ea re quam sponte non appetit, nullis exhortationibus flecti patitur. Ad hoc autem quod latenter desiderat quærit per similitudinem ut cogatur, et ipse se ingerit, si contingat ut a nullo invitetur. Semper aliena opera despicit, semper sua miratur, singulariter se cuncta agere credit, et si nullus collaudaverit, ipse tamen suas laudes aut tacitus, aut etiam per ostentationis vocem clamat. In tristitia vero sive in lætitia pene semper modum excedit, clamosus in voce, in silentio nimius, verbis et habitu compositus, actione dissipatus. Humilitatis speciem interdum assumit ; sed vel oculorum nutu, vel sermone, qualis intus sit post paululum innotescit, qui sæpe magna gerit, si hæc juxta suum arbitrium agere permittatur. At contra humiles semper pavidi, semperque suspecti, hoc habent proprium ut semper opera sua parvipendant. Unde et in judicio cum ipse judex eos laudaverit dicens : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* xxv, 34), ipsi consuetam adhuc humilitatem retinentes respondebunt : *Domine, quando ista ve*

*illa fecimus* (*Matth.* xxv, 37)? Cum econtra superbi etiam Deo increpante excusare se nituntur. Humiles itaque cum humilitate, quasi sub quodam tegmine sese abscondent, et a divina nimia adversione contra superbiam principaliter pugnant, et quasi contra vehementes ictus oculum in suo corpore magis custodiunt, dum studiosius in se humilitatem tuentes semper se inter virtutes timent. Quia vero Redemptor noster corda regit humilium et ipse ad beatum Job dicit, quod Leviathan rex sit superborum, consideret quisque utrum humilitatem an superbiam habeat. Facile veluti quodam indicio reperiet, sub quo rege militat, quoniam omnino manifestissimum signum reproborum superbia est, et econtra humilitas electorum. Itaque superbia abominatio est, humilitas sacrificium. Nam de illa dicitur : *Abominabilis est apud Deum omnis qui exaltat cor suum* (*Deut.* xxii, 5). De ista vero : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 19). Quanto autem quique pauperiores sunt, tanto in illam abominationem rarius incurrunt, at vero istud sacrifium divites vix inveniunt.

XXII. De quinque modis gulæ quos ob prolixitatem omittimus, in libro Moralium xxix magna subtilitate disputatur. Hic tamen suggerendum videtur, ut quisque cogitet quale peccatum sit pro quo Adam cum omni stirpe sua de paradiso ejectus est : pro quo populus in deserto usque ad idolatriam venit, dicente Apostolo : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*I Cor.* x, 7). Et item de concupitis carnibus : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum* (*Psal.* LXXVII, 30), et quæ sequuntur. Pro quo et cum Madianitis mœchati sunt. Pro quo et Esau primogenita sua perdidit. Pro quo Sodoma ad fornicationis lapsum proruit. Deo testante, qui ait : *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis* (*Ezech.* xvi, 49). Cujus vitii culpam perfidiæ comparat Apostolus dicens, quod cultores ventris et inimici sint sanctæ crucis, et deus ipsorum sit venter eorum. Quem videlicet ventrem et escas Deum asserit destructorum dicens : *Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et has destruet* (*I Cor.* vi, 13). Et quid multis necesse est ! Ipse Creator et cognitor humanæ naturæ Christus, ut ostenderet ubi cuncta vitia pullulant, vel ubi recidi debeant, hoc solum veluti præcipue necessarium jubet. Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate. Quæ duo si reciduntur, cœtera facile superantur. Et certe quis absque parcimonia se præsumit inter electos haberi, cum ipse vas electionis Paulus ideo corpus suum castigat, ne reprobus fiat ? Nam et Job dicit, quia *sapientia non invenietur in terra suaviter viventium* (*Job.* xxviii, 13). Et ipsa Sapientia testatur, quia *neminem diligit Deus nisi eum qui cum ipsa habitat* (*Sap.* vii, 28). Ergo non se palpent, qui suaviter vivunt, ne forte si apud eos non inveniatur sapientia, non diligantur a Deo.

XXIII. At vero de luxuria suggestrice ejusdem gulæ quis aliquid loqui valeat, quod illi non despuantur, qui ejus flammis insaniunt ? quandoquidem hi nec patriarcharum, nec prophetarum, nec apostolorum, sed nec omnium sanctorum ab origine mundi de religione loquentium voces curant. Quin et ipsum filium virginis ita contemnunt, ut in atriis ejus ipso vidente fornicentur, et in ipsis diversoriis, quæ ad hoc devotione fidelium constructa sunt ut castitas in septis locis totius servaretur, ita fluxu libidinis redundant, ut non sit Mariæ locus ubi puerum Jesum reclinet. Nec mirum sane si mancipia libidinis non formident, quia sicut ait propheta : *Fornicatio aufert cor* (*Osee.* iv, 11). Non enim est timor Dei ante oculos eorum, quorum guttur est ut sepulcrum patens. Quibus tamen aliquid rationis adhuc inest, oporteret ut pondus tanti sceleris, vel ex rebus in sæculo gestis vel ex sanctorum dictis pensarent, de quibus pauca, si forte audire dignentur, commemoremus. Ut itaque Deus futuris hujus sæculi ætatibus ostenderet quod maxime per hoc vitium exacerbaretur, mox ut filii Seth filiabus Cain sese commiscuerunt, et se perhibuit pœnitere quod hominem fecisset, et omni creaturæ diluvium comminatus est. Nam licet Adam peccante terram maledixerit et Cain fratricidium jaculo maledictionis mulctaverit, non tamen dolore cordis, aut pœnitudine sicut hic tactus asseritur, neque generali exitio mundum perire decrevit, neque pro qualicunque alio scelere tanta animadversione sese ultus est, quam pro isto, cum illa famosissima conflagratione quinque civitates igne et sulphure etiam ante legem consumpsit. Cujus fama facti libris quoque gentilium celebratur. Nam et adhuc omnia quæ ibi gignuntur plena cineribus, teste Orosio, reperiuntur. Quare autem vel igne qui exurit, vel sulphure quod fetet, luxuria puniatur, in Dialogo sancti Gregorii plenius edocemur. Quo nimirum facto Deus omnes in futurum generationes erudire noluit, ut scirent quantopere fugiendum sit istud flagitium post fidei cognitionem, quod ille tanta animadversione punivit etiam ante legis prohibitionem. Sane cum ad gratiam reconciliationis genus humanum reducere decrevisset, mox Abrahæ quem fidei primordiis initiabat ad indicium recidendæ libidinis circumcidi præcepit; ita tunc demonstrans quia necesse est ut omnes qui ad eum pertinent, a vitiis et concupiscentiis mucrone crucis se circumcidant. Illum vero qui post redemptionis gratiam primus in reatu fornicationis deprehensus est Apostolus illico Satanæ tradidit, qui et alios, quos forte Satanas ob alia quælibet flagitia vexabat, eripere solitus erat. Propter hoc tamen scelus hunc eidem Satanæ mancipavit, qui utique vel novitate nuper susceptæ religionis, vel ignorantia necdum expertæ constrictionis poterat utcunque excusare.

XXIV. Verum ut aliquid sub argumento dicamus, quare justus judex Deus infantem legitimo matrimonio et absoluto tempore conceptum, etiam si priusquam peccare possit, moritur, cur æternaliter condemnet ? Sed dum proprio reatu minime punitur manifestum est illud fieri propter illud peccatum

quod fit hora conceptionis. Si ergo tanta est culpa in conjugali concubitu, ut infans pro illa sola puniri debeat, quanta in stupro est vel in pollutione, quæ ad solam libidinem explendam patratur? Merito igitur protestatur Apostolus, quia fornicatores et adulteros judicabit Deus. Liquet certe quod minores causæ per minores judices soleant judicari, sed cum aliquod tale negotium obrepsit, quod per se nullatenus expedire valeant, id ad principis notitiam referunt. Ut igitur quantus sit iste reatus monstraretur, ad solius Dei judicium referri perhibetur. Sub hoc sensu est intelligendum etiam illud, quod idem Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4). Nam cur se justificare non audeat, quamvis nihil mali post baptisma sibi conscius sit, manifestat subdens: *Qui autem judicat me Dominus est* (*Ibid.*); ac si diceret: Non æqualis, sed cujus iræ resistere nemo potest. Porro ad enormitatem tanti vitii demonstrandam, idem ipse Apostolus subdit: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI, 18). Cor namque nostrum, de quo Dominus peccata exire perhibet, intra corpus est. Hoc ergo non ob hoc dicit Apostolus, ut sola fornicatio intra corpus sit; sed ut ostenderet quia quantum gravior est aliis peccatis, tantum distat morbus interior ab ulceribus quæ in cute sunt. Nonne et hoc Deus approbat, qui fortitudinem diaboli in hoc vitio constare perhibuit dicens, ut supradictum est ad beatum Job: *Fortitudo ejus in lumbis ejus* (*Job.* XL, 11); hinc etiam est quod prædictus Apostolus contra cætera quidem vitia pugnare nos in cominus jubet, fornicationem vero fugere hortatur; nimirum suadens, ut si quis præliator frequenti hostium congressione victoriosus, si armatum talem incurrat aliquando, cui congredi nullatenus audens ab eo per fugam declinet: ita quilibet Christianus etiam si alia vitia superaverit, ab occasionibus tamen libidinis longe se faciat, ne si minimo digito ligetur totus tradatur.

XXV. Hæc fortissimum Samson sola vicit, hæc sanctissimum David non præteriit, sapientissimum Salomonem penitus suflocavit, cum, sicut scriptum est, potestatem sui corporis non haberet. Hæc Amon filium David in sororem præcipitavit. Quis ergo jam de virtutum charismate confidat? Si hæc lapides relinquat, de stipulis quid fiet? Quæ idcirco periculosior est, quia citius mentes enervat, quoniam magis delectat. Idcirco autem tam districte punitur, quia facile domari potest: quod videlicet ex hoc apparet, quia quantolibet ardore mœchus insaniat, ab aliquo tamen visus mox se refrenat, qui utique vel tantam reverentiam divinis obtutibus præstare debuerat. Sed insania vincitur, et Hieronymus in Joel dicit: In eo cordis oculos hæc eadem libido excæcans, ita sensum ejus inebriat, ut propter ignominiosam corporis partem pretiosam animam in serviles blanditias inclinet, et in præsenti turpem infamiam, in futuro autem damnationem perpetuam deliberet incurrere, dum insano pruritu vel puncto temporis abutatur. Neque enim inevitabili necessitate hominem constringit, ut alia vitia plerumque faciunt, sicut fames. Quod Salomon ostendit dicens: *Non grandis culpa est, cum quis furatur: furatur enim ut esurientem impleat animam, attamen reddit septuplum* (*Prov.* VI, 30). Qui autem adulter est, perdet animam suam, et opprobrium illius non delebitur. Quoniam talis quisque propter solam superbiam peccat. Nonnulli vero quædam bona faciunt, ut in hoc vitio impune volutentur. Quibus in sequentibus Salomon obviat, dicens de zelo Dei: *Non acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemplione dona plurima* (*Prov.* VI, 35). Hinc in Job: *Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit* (*Job.* XV, 31). Quoties post culpam eleemosynam tribuimus, quasi pro eadem culpa pretium damus, juxta illud: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Unde Daniel ad Nabuchodonosor: *Peccata*, inquit, *tua eleemosynis redime* (*Dan.* IV, 24). Et domnus Martinus perhibet antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari. Sed sicut in libro XXII Moralium disputatur: qui ita eleemosynam tribuit, ut culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitiis non compescit.

XXVI. Hoc ille eremita suo facto probat, qui cum multis virtutibus cum quomdam filio suo collega deseruisset, hæc illi per diabolum injecta cogitatio est, ut quandocunque libidine titillaretur, sic semen de tritu genitalis membri egerere deberet, tanquam flegma de naribus projiceret. Qui ob id et dæmonibus moriens vidente socio traditus est, cum quidem isdem socius reatum ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens, pene desperavit dicens: O quis poterit salvus esse, quando iste periit! Cui mox angelus astans dixit: Ne turberis, iste enim licet multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apostolus vocat immunditiam, cuncta fœdavit. De quo ait propheta: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I, 15) Si quidem tale aliquid nostro tempore contigit, quod ne sui novitate vilescat, considerandum est, quia ille facit novissima qui facit antiqua. Et poeta dicit:

Rursus ab antiquis veniunt miracula causis.

Quidam itaque presbyter (67) in pago Abricantino, nepos Joannis præpositi (68) de monte sancti Michaelis, de continentia desperaverat. Hic per novem vices Romam adiit, a beato scilicet Petro impunitatem sceleris, quasi propter frequentem loci

(67) *In pago Abricantino.* Gregorius Turon. *Abrincantinum* dixit lib. II. Miracul. S. Martini, cap. 36, quidam *Abrincantensem*, alii vero *Arboricensem*, *Arborelanum* et *Arbrincensem*. Gallice, *Avranches*.

(68) *De monte S. Michaelis.* Qui vulgo *in periculo maris* cognominatur, estque peregrationibus ab antiquo celebris. Chronicon S. Victoris ad muros Paris.: « In Septembri rex Francorum Philippus causa peregrinationis montem S. Michaelis in periculo maris visitavit. »

visitationem sperans promereri. Quamvis enim peccatum deserere nollet, tamen vehementer timebat : quoniam iste est mos pravorum, ut licet in culpa superbiant, licet prava foras audacter faciant, in corde tamen trepidare coguntur, ut ipse timor sit apertus testis damnationis. Unde Adam post culpam ad latibulum fugit, et timens multum timuit, quia Deo dure respondit. Hic ergo timens quasi religionis obsequium deferebat : sed ut Deus ostenderet, quod satisfactionem nisi pro his peccatis quæ deseruntur non recipit, cum rediret nona vice, et quasi securior concubitum repeteret, ita divino judicio miser interiit, ut cum semen funderet, animam pariter exhalaret, sicut infelix mulier perhibuit. Hoc quoque in Sichem expressum est, qui videlicet Dinam, quam corruperat, retinere maluit, ultionem stupri nec circumcisus evasit.

XXVII. Forte quæritur, cur ea quæ terrorem incutiunt, sine consolationis verbis continuentur. Sed de his nunc sermo est qui divinæ præceptioni resistentes timorem Domini dereliquerunt : languorem animæ incurrunt, nec tamen compuncti. Oportet enim ut in eis putredo vulneris prius timoris ferro secetur, ne jugiter defluente sanie peccati suavitas unguenti rejiciatur. Omnes enim Scripturæ comminationes contra peccatores jaculantur, sed quo usque resipiscant. Et econtra universæ ejusdem Scripturæ consolationes, ex ea hora qua forte resipuerint, eis blandiuntur. Ferrum namque, ut in epistola Joannis Augustinus ait, corium transforat, ut linum intrare possit. Et ita necesse est ut timor mentem transfigat, juxta illud : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII, 120), quatenus facto foramine, quasi per ferrum charitas, quæ permansura est, succedat. Porro mos pravorum est, ut nihil audire velint, per quod eorum terrena lætitia perturbetur, sed illos libenter auscultant qui placentia loquuntur. De quibus Apostolus : *Coacervabunt*, inquit, *magistros prurientes auribus* (*II Tim.* IV, 3). Et propheta ex eorum voce : *Loquimini nobis placentia* (*Isa.* XXX, 10). Sed Domino et magistris, et auditoribus terribiliter comminatur, dicens per prophetam : *Et qui beatificant, et qui beatificantur, erunt præcipitati* (*Isai.* IX, 16) ; diligentibus quippe legem pax multa, et econtra non est pax impiis, dicit Dominus. Quisquis ergo comminationibus Scripturarum, etiam auditu non vult terreri, quantomagis debet earumdem comminationum experientiam formidare ? Quisquis autem vult securus esse, audiat monentem Dominum : *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15), ut fiat illud : *Qui autem me audierit absque terrore quiescet* (*Prov.* I, 33). Econtra per Isaiam : *Quod si non audieritis me, gladius meus devorabit vos* (*Isa.* I, 20). Sane quam gratum sit Deo, si comminationem Scripturarum reverenter audiamus, vel quam injuriosum sit ei, si contemnamus, in facto Josiæ regis, et Joachim demonstrat. Quorum Josias audito legis volumine intremuit. Cui et illico Deus mandavit, dicens : *Pro eo quod audisti verba voluminis, et perterritum est cor tuum, et ego audivi, ait Dominus, idcirco colligam te in pace* (*IV Reg.* XXII, 18-20). Joachim vero qui non solum non timuit, sed etiam volumen Jeremiæ combussit, divinam invectionem promeruit, qua ei dictum est : *Non erit ex eo qui sedeat super solium David, sed cadaver ejus projicietur* (*Jer.* XXII, 30).

XXVIII. Et de hoc quidem quod vel per hæc tria vitia, vel per cætera quæ enumerare pudet, a Christo apostatare videntur, valde dolendum est : sed multo plus de hoc quod illud sacrosanctum mysterium Dominici videlicet corporis temerare præsumunt. Hoc enim beneficium majus est inter omnia bona, quæ hominibus concessa sunt, et hoc est quod Deus majori charitate mortalibus indulsit, quia in hoc mysterio salus mundi tota consistit. Et certe dum indigne tractatur, per hoc maxime divina quotidie majestas injuriatur. De hoc ergo dolendum est, de hoc omnimodis ingemiscendum, ut si emendare non possumus, vel dolendi affectum nobis inesse reclamando monstremus ne forte vox Christi nos arguat, dicens : *Sustinui qui semel contristaretur, et non fuit* (*Psal.* LXVIII, 21). Quod deque mysterium primordiis Ecclesiæ non tam frequenter ut nunc celebrabatur : tamen quanto rarius, tanto religiosius agebatur. Tempore namque priorum patrum illis injungebatur, ut Eusebii refert historia, sacrificandi officium, qui naturali simplicitate fulgebant, juxta illud : *Cum simplicibus sermocinatio Dei* (*Prov.* III, 32). Quod mysterium qui participare debebant, discalceatis pedibus accedebant ; propter illud quod Moysi et Josue præceptum est. Sanctus quoque Pachomius pistoribus præcepit, ut cum oblationes coquerent, salutaria meditarentur, nihil vane loquentes. Cum ergo hoc in monasterio Tabennense quadam vice violaretur, statim Pachomio divinitus revelatum est, qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc velut divini præcepti transgressionem emendari fecit. At nunc valde quidem, valde frequentius, sed quod nimis dolendum est, negligentius frequentatur. Quam scilicet negligentiam et ipsa ecclesiæ facies, et ipsa vasa altaris, sed et linteamina, seu quælibet cætera, quæ ad usum Dominicæ servitutis pertinent, manifeste demonstrant. Non necesse est singula singulatim prodere : satis patet quæ studiosius sacerdotes colunt quæ sua sunt, an quæ altaris. Sed nimirum cum charitas quæ est plenitudo legis penitus tota jam refrigescit quomodo in sacrificando continuatio tanta perseverat, nisi quia malignus hostis in hoc sacrificantibus contradicit, in qua magis eos gravari novit ? Neque enim Judam vetuit Eucharistiam sumere. Scivit enim quia sicut a devotis per illius mysterii perceptionem ejus fraus compescitur, sic in his qui eam indigni percipiunt licentius grassatur. Contra eos etenim qui exteriorem ecclesiæ cultum negligunt, Dominus per Malachiam queritur, dicens : *O vos sacerdotes, qui despicitis nomen meum, offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis. Mensa Domini polluta est* (*Malac.* I, 6, 7). Polluunt

sacerdotes panem, id est corpus Christi, ut Hieronymus exponit, qui indigni accedunt ad altare. Mensam vero despectam licet verbis non dicant, tamen cum exteriorem ei cultum non ornant, eam etiam laicis despectabilem faciunt, quoniam carnalium sensus deesse putant sanctimoniam divinæ virtutis, ubi deesse vident ornatum ambitionis. Unde et congruit eis quod item dicitur : *Vos recessitis de via, et scandalizastis plurimos : propter quod et ego dedi vos contemptibiles esse* (*Malac.* II, 8). Denique quod loca sancta vel ministri Ecclesiæ nunc in contemptu sunt, maxime ipsorum ministrorum culpa est. Quod ex his apparet, quoniam ipsi laici qui eos despiciunt, si quem forte repererint quem religiosum credunt, non mediocriter venerari solent. Qui enim ad altare sacrificare Deo volunt, ipsi prius per mortificationem vitiorum Dei sacrificium esse debent : alioquin magis temerarii, quam cultores ejusdem mysterii deputantur. Quod per Jeremiam ostenditur, per quem talibus exprobrat Deus dicens : *Holocotaumata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes* (*Jer.* VII, 21). Vestra, inquit, non mea, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis de verbo holocautomatum et victimarum, sed hoc præcepi eis dicens : *Audite vocem meam, et ambulate in via omni quam mandavi vobis* (*Jer.* VII, 23). Et Isaias : *Quis quæsivit hæc de manibus vestris, ne afferatis sacrificium frustra* (*Isa.* I, 12) ? Et deinde : *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I, 16). Et cætera. Quibus verbis ostenditur, quod ille ad sui perniciem sacrificat, qui prius in via mandatorum Dei non ambulat, et qui suæ cogitationis malum ab ejus oculis non aufert. Hinc David in psalmo pœnitentiæ dicit : *Si voluisses, sacrificium dedissem* (*Psal.* L, 18). Quale vero sacrificium prius offerre debeamus, ut deinceps altaris sacrificium recto ordine celebrare possimus, manifestat dicens : *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 19), ac si diceret : Altaris sacrificio non delectaris nisi prius sacrificio contriti cordis placatus fueris. Est ecclesia beatæ Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem, sicut domnus abbas Berno refert, ut ejusdem sanctæ Gualburgis reliquiæ super altare per aliquot dies manerent. Sed mox miracula cessaverunt. Tandem vero ipsa virgo cuidam ex infirmis apparens : Idcirco, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super altare Domini, ubi majestas divini mysterii debet solummodo celebrari. Quod cum ille custodibus referret tulerunt capsam, et protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo ob illius mysterii reverentiam, nec ipsa sua pignora sancti volunt propius vicinari, quid censendum est de immunditiis ?

XXIX. Est autem domus spiritalis unusquisque homo fidelis, quam videlicet domum sacerdotes prædicando mundare deberent a sordibus vitiorum. Sed hoc jam ita in negligentiam venit, ut vel ex toto taceant, vel pro muneribus judicent, vel orent. Unde per Michæam dicitur : *Sacerdotes ejus in muneribus judicant, et in mercede docent, et in pecunia divinant* (*Mich.* III, 11). Et Malachias : *Non servatis vias meas et accipitis faciem* (*Malac.* II, 9) ; qui multa jam contra sacerdotes dixerat. Sed ut Hieronymus exponit, idcirco de acceptione personæ ponitur ultimum, quia majus est peccatum. Unde Psalmista : *Cur facies peccatorum sumitis* (*Psal.* LXXXI, 2) ? Et Jacob hoc plenius peccatum arguit, quod qui fecerit audiat quid Deus per Malachiam talibus comminetur. Ait enim: *Nonne mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra, sed projiciam vos, et disperdam magistrum et discipulum, et maledicam benedictionibus vestris* ? (*Malac.* I, 10). Quod tunc fit, cum sacerdos pro tali præsumpserit offerre, qui peccare non cessat. Quod sic Hieronymus in hoc loco dicit, hoc solum esse remedium peccatori non facere quæ fecit. Hinc scriptum est : *Sacrificium salutare attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate* (*Eccli.* XXXV, 2), et deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia. Et supra : *Qui conservat verbum, multiplicat orationem* (*Eccli.* XXXV, 1). Contra fautores vero criminosorum propheta dicit : *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubitu* (*Ezech.* XIII, 18). Quod ille facit, qui alicui ad mundi amorem, quasi ad lectum declinanti, correptionis duritiam subtrahit ; et ut in errore molliter jaceat nulla hunc asperitatis contradictione pulsat. Sed hæc rectores, qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, a quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. In ea via, quæ a Tiberinensi monasterio ducit ad forum, et Ecclesia S. Petri quæ dicitur ad Salas : in cujus vicinio manebat ante hoc triennum quidam latro, qui duos itinerantes, quos hospitio susceperat, spoliare volens, nocte interficere tentavit ; sed illi prævalentes interfecerunt eum : cumque ad ecclesiam sepeliendus deferretur, sacerdos pro eo missam celebrare cœpit. Cum ergo ad verba consecrationis Dominica venire deberet, terribilis sonitus in tecto ecclesiæ percrebuit, et altare, sicut hucusque paret, usque ad radicem scissum est : sicque sacerdos cum omnibus ingenti pavore perculsus fugit, et pro apostata sacrificare cessavit. Hoc contra eos dictum sit, qui pro sceleratis ob gratiam eorum se oraturos pollicentur.

XXX. Sed quid hoc de exterioribus dicimus, cum plerique sic in semetipsis negligentes existant, ut foris in habitu immutentur, et intus per nonnulla gravia peccata a Christi corpore separentur ? Et tamen sacrificare non cessant. Dum enim quibusdam indumentis vel ex parte, vel ex toto laicalibus utuntur, illis merito comparandi sunt, qui in libro de Civitate Dei appellantur cynici : et non sancto Joseph, qui talarem tunicam legitur a patre percepisse. Quos et Jeremias deplorat, dicens : *Quomodo mutatus est color optimus* (*Thren.* IV). Color optimus est habitus prætendens religionem cunctis amabilem. Qui color tunc immutatur, cum quædam indumenta studio jactantiæ quæsita opinionem utentis apud laicos vilescere faciunt. *Qui*

*autem adhæret meretrici, unum corpus efficitur* (*I Cor.* vi, 16), et jam non membrum Christi, sed Antichristi est. De quo per Danielem dicitur, quia *erit in concupiscentiis feminarum* (*Dan.* xi, 37). Ut enim Paschasius in libro de corpore Domini dicit : Quisquis vel membra meretricis fit, hic utique elapsus de corpore Christi est, et idcirco non licet ei corpus Christi contingere. Nam qui debeant ipse Christus ostendit, dicens : *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* vi, 57). Ac si diceret : Nisi prius in me maneat, carnem meam manducare non potest, neque sanguinem meum bibere. Quid ergo manducat peccator, et quid bibit ? Non utique utiliter sibi carnem et sanguinem, sed judicium licet videatur cum cæteris altaris sacramenta percipere. Et quare ? Quia nos se probat prius utrum in corpore Christi sit, an non. Deinde quia non dijudicat, videlicet ut discernat corpus Domini : quid est quantum, quia sacramentum, qualisque virtus sacramenti, quia divinum ac spiritale est. Unde in primordio hujus celebritatis Christus judicium male accipientibus comminatur, dum continuo post buccelam de manu ejus perceptam diabolus. Judam pervasit : ubi mox ostenditur futurum in Ecclesia judicium. Si quis ergo lapsus de corpore Christi, factus membrum meretricis vel diaboli, præsumpserit hoc sacrosanctum corpus contingere, nec dubium quin ob id judicium excipiat, et cum Juda culpæ societur obnoxius, tam quia corruit, quam quia ex conscientia damnatus, ausus est sine pœnitentia et correctionis venia sancta mysteria temerare. Item ex eodem libro legimus, quia *Deus dedit filiis Israel panem de cœlo, habentem omne delectamentum, sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo* (*Sap.* xvi, 20), ut testatur Apostolus. Nam populus ille carnalis manna fastidivit, quia inibi non nisi carnalia quæsivit. Illi itaque mortui sunt, in quibus non beneplacitum fuit Deo. Quicunque vero inter eos spirituales fuerunt, mori non potuerunt, quia spiritaliter comederunt ; quia eis esca illa cœlestis saporem et delectamentum immortalitatis præbuit. Itaque similiter nunc in Ecclesia cibus iste quibusdam vita est, quibusdam vero supplicium. Unde, o homo, disce quia Deus spiritus est, et ideo intellige quia cibus iste non carnaliter, sed spiritaliter, et cogitandus et sumendus est, quia neque ab alio quam ab ipso Christo consecratur, neque ab alio quam ab ipso porrigitur. Et quidem sacerdos visibilis astat, per cujus manus consecrari et tribui videtur, sed Christus qui illum et consecrat et tribuit, cui et remedium cuique ad remedium tribuatur, divinitus discernit. Nam is qui cum Juda contemptu et vitio reus tenetur, cum Juda utique condemnatur : et qui cum Petro ac cæteris fideliter participatur, cum ipso utique et cæteris apostolis in corpore et anima consecratur. Hoc ergo judicium in natale calicis mox excipitur, ut doceatur quid contemptoribus immineat, si damnati a conscientia pedem a mensa Domini non retraxerint. Hinc Deus per Moysem : *Dic*, inquit, *ad filios Aaron, et ad posteros eorum : Omnis qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, in qua est immunditia, peribit coram Deo. Ego sum Dominus* (*Lev.* xxii, 3). Et certe illa nihil aliud erant quam umbra istorum. Si ergo ad umbram non licebat immundum accedere, quantominus ad ipsam Veritatem ? Ex qua in finem prohibitionis conclusit, dicens : *Ego Dominus.* Ac si dicat. Ego scrutans corda, ego ipse sacerdos, qui discerno qualis unusquisque accedat. Hinc Ambrosius in primo Officiorum : Castificabatur, inquit, populus per biduum, aut triduum, et lavabant vestimenta sua, et non aliter ad hostiam accedere permittebatur. Sed si in figura tanta populo observantia jubebatur, quanta in ipsa veritate sacerdotibus tenenda est ? Disce igitur, o sacerdos et levita, quid sit lavare vestimenta, ne inquinato corpore quo anima vestitur, majestatem tanti mysterii temerare præsumas. Hinc in Regum volumin dicitur : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo* (*I Reg.* ii, 25) ? Tunc enim de negligentia sacrificiorum licet tepide Heli filios suos corripiebat. Quod tale est ac si diceret : Qui Deum totius creaturæ conditorem contemnens indignus ad ejus injuriam communicare præsumit, quem intercessorem habebit ? Talis profecto nec Dei reveretur præsentiam, nec præsentiam formidat astantium angelorum.

XXXI. Nec ideo securitas subrepat, eo quod indigne sumentibus divina patientia ad tempus parcit, quia certe illi magis punientur, qui in præsenti correptione judicantur indigni. Si quidem in exordio Ecclesiæ necesse fuit, ut ad rem demonstrandam plerique transgressores corporali etiam pœna plecterentur. Unde Apostolus ad Corinthios : *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor.* xi, 30), somno videlicet mortis. Ab angelis quippe qui ad hoc positi sunt etiam nunc perimerentur ; sicut in prædicto libro Paschasius testatur, quicunque vel semel indigne communicant, nisi bonitas Christi, cujus judicio pendent omnia, gladium suspenderet, et temporalem mortem quibusdam ut pœniteant removeret. Alioquin nunc plagæ etiam et infirmitates nunquam tantum crebrescerent, si omnes illud mysterium sicut oportet perciperent. Resipiscentibus vero duplex in pœnitentia debet esse luctus, vel quia peccaverunt, vel quia cœleste donum ad judicium male præsumpserunt. Quod sane delictum nullo alio nisi Christo interveniente donabitur. Unde in lege ab his qui in sanctificatis delinquunt, aries per quem Christus intelligitur offerri jubetur : ut apud Deum Patrem Deus homo pontifex in æternum interpellare pro eo fideliter credatur. Atque ipsum per se moribus et vita quotidie re indictum operit. Alioquin qui in Deum peccat, quis orabit pro eo ? Quamvis enim quisque multum sit ex aliis peccatis indignus, tamen ex isto magis gravatur, si sancta contingit immundus. Quod exemplo Judæ monstratur, qui licet corde nutaverit, tamen

ante perceptionem illius mysterii cum apostolis erat, et a Domino monebatur. Post perceptionem vero traditus Satanæ continuo exivit foras. Ob hoc itaque quisquis illud indigne se percepisse meminit, duplicem, ut diximus, debet habere luctum, ut exacta pœnitentia possit denuo sancta participare. Namque pœnitentibus jussum est ut hædus tollatur cum agno, ut si quis post lavacrum ceciderit, et cum stantibus agnum comedere non potuerit, vel hædum comedat, qui semper pro pœnitentibus mactatur. Non quod Christus hædus sit, sed pro diversitate meritorum aut agnus, aut hædus unicuique fit. Hinc item jubetur, ut qui in primo mense, id est in ea gratia quam in baptismo percepit, Pascha facere non poterit; saltem in secundo mense illud faciat, id est in pœnitentia. quæ post naufragium secunda tabula est, hædum indulgentiæ percipiat.

XXXII. Hæc, et alia multo plura Paschasius ex dictis Patrum ad reverentiam sancti mysterii commendandam, atque majestatem ejus demonstrandam, conscripsit. Quæ si quis licet sciolus legerit, tanta credo discet, ut de hoc mysterio parum se eatenus cognovisse putet. Verum isto tempore quod nimis dolendum est, ita sacrosanctum istud mysterium in contemptu illudimus, tanquam non sit Pater qui honorem Filii sui Jesu quærat et judicet. Ita veritas prostrata est, ut sicut in Daniele dicitur, abominationem in templo Dei fieri videamus. Cæterum pro ejusdem mysterii reverentia commendanda quædam, si placet, exempla proferamus. Dicit sanctus Gregorius Turonensis in libris Miraculorum de quodam presbytero, cui in Dominica solemnitate propter suam personam concessum fuerat ut missam celebraret, qui statim ut ad communicandi horam pervenit, mox epilepsia comprehensus corruit spumans sacramque particulam ab ore projiciens, qui ipsa nocte, sicut plerique testati sunt, ebrius fuerat. Item ipse de quodam infami diacono, quia dum capsam cum corpore Domini deferret, de manibus elapsa est, et per aerem super altare reversa. Sanctus vero Hieronymus in vitas Patrum de beato Eulogio dicit, quoniam cum videret quosdam ex monachis volentes accedere ad communionem retinuit eos, dicens : « Tu habuisti hac nocte fornicationis desiderium ; tu vero dixisti, Nihil interest sive justus sive peccator ad sacramentum accedat, et alius dubitationem habuit in corde dicens : Quid enim me sanctificare communio potest ? Hos ergo singulos removebat a communione sacramenti, donec paululum per pœnitentiam et lacrymas purificarentur. Item idem refert de sancto Machario, quod eo tempore cum fratres ad suscipiendam eucharistiam accessissent, viderit in quorumdam manibus prævenientes Æthiopes carbones deponere, corpus autem Domini quod sacerdos dare videbatur redire ad altare : aliis vero angelum Domini cum manu sacerdotis sacram particulam dare fugientibus prædictis Æthiopibus. Item ipse de sancto Piamone perhibet, quia quodam tempore cum sacrificaret vidit angelum Dei stantem juxta altare, et quorumdam monachorum qui accedebant nomina scribendum in libro quem tenebat, et quorumdam non scribendum. Quos cum senior notasset, unumquemque seorsum disquisivit, et invenit in singulis mortale peccatum. Quos ad pœnitentiam exhortatos tandiu cum eis flevit, donec aliquando videret eos cum cæteris ascribi.

XXXIII. Inter omnia tamen peccata maxime discordia et luxuria gravant. Nam de discordia Dominus ipse ait : *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo* (*Matth.* v, 23, 24). De quo sicut S. Gregorius fatetur, pensandum est, quanta culpa sit discordia, propter quod illud munus respuitur, quo omnis alia culpa solvi consuevit. De luxuria vero per hoc apparet, quia nulli tam periculose hoc mysterium contingunt quam luxuriosi. Quod in discretione virtutum quibus participes ejus mysterii pollere debent, primo loco ponitur. Renes vestros accingetis, quorum scrutator est Deus, et ubi virtus Satanæ est. Quo contra Zacharias castitatem participantium admirans, atque ipsas hujus mysterii species designans, ait : *Et quid bonum est Dei, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines* (*Zach.* IX, 17)? Liquet autem plerosque veluti sues immundas ad hoc sine præjudicio reatus sui accedere, ista pedibus calcare. Verentur enim humanis coram obtutibus magis suam verecundiam portare, quam coram majestate divina et omnium sanctorum præsentia temeritatis offensam incurrere. Quibus profecto cordis induratio cum nec se corrigunt, nec Dei visitantur pietatis verbere, jam pœna peccati est et contemptus superbiæ. Si enim de Bethsamitis septuaginta seniores, et quinquaginta millia plebis percussi sunt, eo quod viderent arcam Dei, multo magis isti, nisi resipuerint, æternaliter plectendi sunt, sicut ipse testatur per Moysem : *Omnis qui accesserit ad ea quæ sanctificata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino* (*Levit.* XXII, 3). Quid ergo si pœna differtur, nonne hæc designata sunt in thesauris Dei ? Considerat enim novissima eorum, et reddet ultionem hostibus suis. Nec prætereundum quod quidam ita diabolicis illusionibus falluntur, ut credant quod quamvis in peccatis suis jaceant, illius tamen sacrosancti cibi ac potus perceptione purgentur : contra quos per prophetam dicitur : *Dilectus meus in domo mea operatus est male* (*Jer.* XI, 15). Nunquid carnes sanctæ mundabunt illum ? Et item alius de his qui plorant quidem, sed lacrymas suas pollutione maculant, ait : *Operiebatis lacrymis altare meum, sed non respiciam ad sacrificium, non accipiam placabile quid de manu vestra* (*Malac.* II, 13). Quisquis ergo in sordibus est, det honorem Deo, et non præsumat eo concepto ad ejus sacramentum impudenter accedere, donec ut dictum est, lavet per pœnitentiam maculas im-

munditiæ, si quoquo modo demum valeat tantæ reconciliari gratiæ licet offensæ.

XXXIV. Nec prætereundum quod quidam sibi male conscii, dum continere se negligunt, a sancto mysterio cessare malunt, et melius quidem est ut cessent, sed non vivunt, quia *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam* (*Joan.* VI, 54). Quid enim indignis officio cessare expediat non solum ratione auctoritatis divinæ, sed etiam exemplis plerumque monstratur. Ex quibus aliquid commemoremus. Testatus est mihi Bego canonicus sancti Martini de quodam sacerdote, qui cum die Dominico de venatu redierit, et missam celebrare præsumpserit, mox ut ad horam consecrationis ventum est, illas voces quas post canes emittere solebat, inclamare super sanctum altare cœpit. Sed et alius Leo nomine venandi consuetudinem habebat : qui tamen amens factus est, et per multa loca sanctorum deductus, tandem reperto sensu noster monachus factus est ; et ut ipse vidi, in tantum usque ad finem religiose conversatus est, ut frequenter cum solus oraret capillos sibi detrahere soleret. Quod etiam ille a sancto Benedicto curatus suo demonstrat interitu. Qui cum postposita ejus prohibitione sacrum hoc officium suscipere præsumpsisset, mox dæmoni traditus est et usque ad mortem vexatus. Nonnulli vero vanitatis studio dediti, auratis et accuratis vestibus et vasis pretiosi metalli ad hoc sanctum mysterium celebrandum delectantur. Qui bene quidem facerent, si corda sua pariter in divinis oculis ornarent, ut quidam Patrum ait, quia in hoc sancto opere, non vestimenta, sed corda mutanda sunt. Nam, ut beatus Hieronymus in epistola ad Rusticum protestatur, nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem autem vase vitreo portat, sicut sancti episcopi Cæsarius Arelatensis, et Eusebius Tolosanus, sed et Ambrosius Mediolanensis, qui pro redemptione captivorum suas ecclesias ita nudaverunt, ut ipsa initiata vasa, fracta videlicet pro eis venundarent : valde congruum æstimantes, ut quorum animæ per illud mysterium, quod in calice fit, ab æterna captivitate salvantur, eorum corpora, si necesse, sit a temporali captivitate distracto calice redimantur. Hi ergo bene immolant, qui avaritiam de templo ejiciunt. Qui autem pulchritudine vasorum vel vestium studet, ad solius Dei laudem id faciat. Meminisse tamen debet, quod propheta de ministrorum munditia magis sollicitus erat, qui non dixit : Mundate vasa Domini, sed, *mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11). Nonnulli vero, ut ne nostro ordine dicamus, quibus nec passum pedis, nec ipsam suam voluntatem in potestate sua habere permittitur, de propriis cistellis sumptuosum ad mysteria peragenda producunt apparatum, quem contra consuetudinem sanctionemque sanctorum Patrum de iniquo mammona acquirunt, et quasi ad ornatum ecclesiæ relicturi possident. Quorum unus ille per cujus occasionem (69). Vizeliacum nuper monasterium est in cineres redactum, cum, sicut audivimus, de can-

(69) *Vizeliacum monasterium.* Dicitur et *Vizeliacus* apud Petrum Venerabilem, *Veziliacus* in epist. Joannis Sarisber. et *Virzeliacus* in diplomate Paschalis II ad Altardum abbatem. « Fundatores autem illius, ut inquit idem Paschalis, exstiterunt Geraldus comes vir nobilissimus, et uxor ejus Bertha ; qui et ipsum pia devotione et testamenti confirmatione beato Petro apostolorum principi obtulerunt, » temporibus Caroli Calvi regis, non Caroli magni, sicut habet fragmentum vetus fundationis hujus cœnobii. Quod tamen, quia Nicolaus Camuzatius, vir de antiquitate bene meritus, illud mihi perhumaniter et ad utilitatem publicam communicavit, hic inseram integrum.

*Fundatio cœnobii Vezeliacensis ex velutissimo codice ms. imperfecto.*

« Temporibus Caroli Magni imperatoris et regis Francorum circa annum Domini 821, Girardus de Roussillon comes Nivernensis et Bertha ejus uxor, divini nominis succensi amore, de bonis suis a summo largitore collatis, monasterium in loco qui dicitur Vezeliacus in regno Burgundiæ, in honorem Domini nostri Jesu Christi. BB. Apostolorum Petri et Pauli, et B. Mariæ Magdalenes construxit. Et quia territorium quod dicitur de Vezeliaco, in quo construere dictum monasterium in votis habebat, erat de domanio regni Franciæ, cum dicto Carolo rege Franciæ et imperatore, permutavit cum territorio ad dictum Girardum pertinente vulgariter dicto Mons Regalis cum territorio de Vezeliaco, quod annuens prædictus imp. Girardus comes Nivernensis et ejus uxor Bertha monasterium et habitaculum ancillarum Dei sub Regula B. Benedicti viventium construxit, dotavit et fundavit. Quod cum omnibus rebus illius monasterii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, testamento subdidit. Quod testamentum confirmatum et ratum fuit ab invictissimo et gloriosissimo Carolo imperatore et rege Francorum, et diplomate suo in tutela et salvagardia istud monasterium et monachas ibidem Deo deservientes cum dependentiis posuit, et accepit. Dictus vero Girardus comes voluit et statuit suo ipsius testamento, ut quoties abbatissa ab humanis discederet, congregatio monialium ibidem Deo famulantium haberent concessam potestatem cum consilio sanctorum virorum, alteram bonæ vitæ et boni testimonii ex eo consortio atque collegio electam, cum approbatione summi pontificis, præficere. Deinde Ludovicus dictus Pius, filius Caroli Magni et imperio et regno Franciæ successor, hujusmodi fundationem et dotationem approbavit, et monasterium cum ancillis Deo servientibus in protectionem et salvagardiam accepit, et omnia quæ acta fuerant ab ipso Girardo comite et Bertha ejus uxore confirmavit. Quod similiter fecit Nicolaus papa primus nomine qui hujusmodi fundationem et donationem laudavit, anno Domini 858, sui pontificatus primo, et prædictum monasterium sub sedis apostolicæ tuitionem acceptavit, omniaque quæ per eumdem comitem et ejus uxorem in prædicta fundatione ordinata fuerant, confirmavit, et maxime statuit ut obeunte abbatissa non alia ibi ordinetur, nisi quam consensus monachorum secundum timorem Dei, et beati Benedicti, regularem institutionem elegerit, et apostolicæ sedis pontifex præviderit ordinandam, aut suggestione monacharum consenserit ordinatam. Aliaque privilegia, exemptiones, concessiones, et gratias abbatissæ et conventui prænominati monasterii contulit, concessit, et donavit postmodum Joannes octavus papa qui in cathedra Petri imperatore Ludovico secundo Pio, Carolo secundo Calvo, Ludovico tertio Balbo, et Carolo tertio Crasso Augustis sedit, privilegia per eumdem Nicolaum papam eidem monasterio concessa confirmavit : excepto duntaxat quod dictus Nicolaus sub nomine

dela quam ad cistellam suam aperiendam deportarat, ignis tecto irrepsit. Contra hanc stultam devotionem, imo avaritiam, Joannes dicit : *Nihil amplius quam quod vobis constitutum est, faciatis* (*Luc.* III, 13). Et certe nulla hoc regula jubet, sed magis nudam crucem esse clamat a nudo sequendam. Quibus bene congruit illud propheticum : *Venite in Bethel, et impie agite, et immolate de fermentato* (*Amos.* IV, 4). Cain sacrificium obtulerat Deo, sed quia fermento malitiæ respersum fuerat, idcirco non est gratum. His itaqaé quo pacto licet quasi ad ornatum ecclesiæ relinquere, quod non licet habere vel possidere? Immolat autem, sed de fermentato, qui aliquid offert quod Deus dedignatur. Hinc ipse per prophetam testatur quod odio habet rapinam in holocaustum. Hinc rex Saul reprobatus, eo quod sub immolandi specie reservavit de Amalech ea quæ jussus fuerat trucidare. Sed isti, ut quidam Patrum dicit, magis volunt habere suas cistellas, non recogitantes miseri quia perdunt suas animas.

XXXV. Hunc ergo religionis defectum diabolus, licet pater mendacii sit, vos miseros incursuros beatos Pachomio prædixit. Aliquando enim apparuit ei in habitu mulieris, excedens omnem humanam pulchritudinem, ita ut forma ejus ac compositio et visus exponi non possit. Quam esse phantasiam videns, preces fundebat ad Dominum, ut vi majestatis ejus evanesceret. Interim autem illa proprius astans ait ei : Quid superflue laboras? Potestatem accepi a Domino tentare quos volo. Et Pachomius ad eam : Quid vis, inquit, esse? et illa : Ego sum, ait, diaboli virtus, et caligine mortiferæ voluntatis mortales involvo ; sed suis vel tibi appropinquare propter Christum, qui humanatus est, non possum. Sed nunquid ita erit semper? veniet etenim tempus post obitum tuum, quando prout libuerit, inter eos quos nunc tuis orationibus munis debacchabor. Et Pachomius : Et quid scis si meliores erunt, qui illos corroborent? Nam tu præscire omnino nihil prævales quod est solius Dei. At illa : Plura tamen, ait futura ex præcedentibus cognosco. Et vir sanctus ad eam : Et quomodo, inquit? Illa vero ait : Omnis rei principium tendit ad augmentum, dehinc ad detrimentum devergit. Sic ergo et in hac vestra professione, ut conjicio, fiet. Nam inter vitia sua signis, et variis virtutibus roborata succrevit ; cum autem senescere cœperit, aut temporis diurnitate lacescens, aut negligentia teporis deficiens a propriis incrementis minuetur. Tunc igitur adversus hujusmodi potero prævalere. Quod ita fieri nostra satis effrenata pravitas ostendit. Pachomius vero post hæc de visione sollicitus instanter orabat, ut ei Dominus declararet quis status monachorum post se futurus esset. Qui per visionem ad se factam edoctus est, quod monasteria quidem multipliciter dilatarentur, et nonnulli pie et continenter viverent, sed plurimi negligerent, suamque salutem penitus perderent ; maxima vero per negligentes præpositos mala succrescerent, et bona defectum incurrerent. Quibus primatum tenentibus necesse est jurgia generari ; et quis præsit ambitiosa lite contendere, et reprobari bonos, ac malos eligi. Unde nec aliqua bonis viris resistendi fiducia suberit, sed omnia pene, quæ regulis divinis subnixa sunt, humanis commutabuntur illecebris. Tunc Pachomius exclamans ad Dominum ait : Heu me, quia frustra laboravi ! Si enim tam perversi futuri sunt qui fratribus præerunt, eorum subditi quales erunt? Et cum affectuosissime, sicut illuc scribitur, Dominum interpellaret, apparuit ei mirabili fulgore portans coronam spineam, eique inter cætera dixit : Confortare, Pachomi, quia posteritas tua usque in finem sæculi non deficiet. Et quisquis inter eos qui futuri sunt pie ac continenter vixerit, tamen dico tibi, requiem sortietur.

XXXVI. Sciendum sane, quia sicut quædam verba

ancillarum Dei, seu monialium, quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi et Saracenorum, tunc ordinabiliter manere nequibant, illa delegavit. Et dictus Joannes papa aptioris utilitatis gratia sub habitu monachorum esse congruenter decrevit, suasque litteras abbati et congregationi monachorum ipsius monasterii direxit. Præter ea ordinavit quod in numero congregationis modus adeo conservaretur, ut nec pluralitas penuriam, aut paucitas habitantium destitutionem loci inducere valeret. Insuper quod obeunte abbate nullus ibidem præficeretur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei et institutionem regulæ B. Benedicti eligeret, et apostolicæ sedis pontifex prævideret ordinandum, aut suggestione monachorum consensisset ordinatum. Postmodum Urbanus secundus, Innocentius quartus, Urbanus quartus, qui ortus fuit Trecis humili genere natus, sutorisque veteramentarii filius, cognomento Pantaleonis, ut hodie quoque in urbe Tricassina constans fama est. Qui pontifex nullum in patria grati animi reliquit testimonium præter templum S. Urbani, quod in urbe Trecensi, in qua natus erat, reædificari jussit, in solo paternarum ædium, relicto ibi tenui collegio XII canonicorum cum personatibus decano, thesaurario, et cantore, ex vivis lapidibus et politis construxit, multisque possessionibus dotavit, et animus illi erat, si diutius vixisset, plurimis aliis augere, et eam ecclesiam aliis exemptam soli sedi apostolicæ subesse voluit, suisque privilegiis declaravit. Aucherus Pantaleo papa Urbani nepos presbyter cardinalis titulo sanctæ Praxedis, quem patruus ad cardinalatum evexerat, hoc opus protexit, multisque ornamentis aureis et sericeis, imaginibus et vasis sacris aureis et argenteis, ac libris pretiosissimis auxit. Postea Eugenius, Clemens, Innocentius, Cælestinus, Adrianus, Pius, Urbanus, Martinus Romani pontifices, quam plurima privilegia, libertates, immunitates, concessiones, gratias, indulgentias et prærogativas eisdem abbati et conventui, locis et membris a dicto monasterio dependentibus, et eidem subjectis respective concesserunt et indulserunt. Habent ulterius abbas et conventus territorium divisum, et ab aliis separatum per cruces seu insignia et confinia certis limitibus limitatum et divisum, potestas Vezeliaci vulgariter dictum, in quo situantur et consistunt ecclesiæ parochiales : quæ quidem parochiales ecclesiæ, ac omnes et singuli, tam in prædicta urbe, quam infra fines et terminos prædictarum civitatum habitatores, sunt in spiritualibus subditi dicto abbati, et nulli alteri subsunt.

tam in Novo quam in Veteri Testamento reperiuntur, quæ hæretici male intelligentes ad exstruendum errorem suum retorquere nisi sunt: ita et in sancta regula fit, cum per quædam ejus verba renuitæ et refugæ ejus fortitudines suas excusare moliuntur. Regula, inquiunt, jubet, ut nihil habeat monachus quod abbas non dederit, aut permiserit; abbates vero nostri tales sunt ut nostra non curent, et ob id permittunt nos habere quæ indigemus: non igitur contra facimus, si quid ex eorum permissione habemus. Sed si rationi ac veritati consentire vellent, facile respondetur: scilicet quoniam primo quidem sciendum est, quia sicut in Moralium libro XXV disputatur, quod secundum merita subjectorum tribuuntur personæ regentium, et sic pro qualitate subditorum acta disponuntur illorum, ut sæpe qui videntur boni accepto regimine permutentur, ut Saul: et qui etiam boni videntur et sunt, pro malo grege delinquere permittantur. In hoc apparet quia vindictam populus suscipit. Hinc Psalmista: *Obscurentur oculi eorum ne videant* (*Psal.* LXVIII, 24). Ac si dicat, quia in via Dei per superbiam exorbitant. tales divino examine prælatos accipiant, qui veritatis lucem non habeant, quatenus hi qui illos velut corpus oculos male prævidentes sequuntur, per eorum ducatum offendant, et iniquitatis onere incurvati omnem statum rectitudinis perdant. Deinde vero et illud constat, quia nihil ultra permittere possunt, nisi quantum S. Benedictus ad sustentandam naturæ necessitatem permisit. Et ille cui dicimus: *Abba Pater* (*Rom.* VIII, 15), cum discipulos quasi agnos in medio luporum misit, permisit quidem pro temporis necessitate aliquid ferre, nec tamen aliud quam peram et sacculum. Noverint ergo isti, qui sub hac occasione cupiditati, gulæ, et libidini se mancipant, quia non proderunt eis excusationes in peccatis; sed fiet et prælatis et subditis hoc quod, ut supra diximus, per Malachiam Deus comminatur dicens: *Disperdam magistrum et discipulum, et maledicam benedictionibus vestris* (*Malac.* II, 2, 12). Benedicunt sacerdotes cum adulando Christi misericordiam reis promittunt: sed benedictionibus eorum Dominus maledicit, quia sicut alibi dicitur: *Qui beatificant et qui beatificantur erunt præcipitati* (*Isa.* IX, 26). Nam si ob negligentiam præpositorum solummodo, et non magis ob cupidinem suam propria haberent. non alios cibos, non alias vestes, quam regulariter constitutas præsumerent. Prælati denique si quid extra constitutionem Dei vel Patrum præceperint: mox præcipiendi auctoritatem amittunt, et tunc in ea re nullatenus obediendum est eis. Exemplo videlicet apostolorum, quibus Magister dixerat de Pharisæis et Scribis: *Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite* (*Matth.* XXIII, 3). Postea vero præcipientibus eis ne loquerentur in nomine Jesu, respondit Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Cæterum quam plures inter eos existunt, qui etiam sub malis præpositis bene vivunt, qui quamvis extra communem sanctæ regulæ vitam vel ordinem degere quasi captivi coguntur; Danielem tamen et tres pueros, qui in Babylone continenter vixerunt, imitantes, fornacem vitiorum feliciter evadunt. De ecclesiasticis viris, qui sæcularium facta mutantes velut a Babyloniis Hierosolymitæ captivantur, et de tribus vitiis per quæ status religionis maxime confunditur, plura jam, et forte verbosius quam oportet, posita sunt. Cæterum quod tuæ, venerabilis pater, lacrymæ testantur, ita jam defecit spiritus, et diminutæ sunt veritates, ut sicut Isaias illacrymat, facti videamur sicut a principio, quando Deus non dominabatur nostri. An non ita est? dum inter propinquos feralia succedunt odia? dum jurgia nascuntur infensa? dum usque ad sanguinem sævit inexplicabilis et cæca malitia? dum bonis invident pravi, liberalibus cupidi, quietissimis turbulenti, studiosis inertes, placidis implacabiles, tranquillis immites, modestis temerarii, sapientibus, stulti, simplicibus callidi, mittissimis quoque furiosi? Sed melius eorum insanias apostolica tuba redarguit. Nam cum novissimorum pericula temporum gentium Doctor exprimeret, intulit dicens: *Erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, timidi, voluptatum amatores magis quam Dei* (*II Tim.* III, 2-4). Hic beatissimus Paulus quod superius diffuse protulit mira brevitate collegit, ostendens eos ideo tales fore, quia voluptatum amatores existerent. quia vitiosissimis cupiditatibus se subjugarent. Hinc enim cuncta mala proveniunt. Dum Deus contemnitur, voluptates amantur. Hinc est quod, ut Sapientia dicit: *Omnia commista sunt apud eos: sanguis, homicidium, fictio, perjurium, tumultus honorum, Domini immemoratio* (*Sap.* XIV, 25). Hinc et Osee querimoniam faciens dicit: *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (*Osee* IV, 1, 2). Et populi, sicut hi qui contradicunt sacerdoti, de quibus una Apostoli sententia est, quoniam *non solum qui talia agunt, sed et qui consentiunt facientibus digni sunt morte* (*Rom.* I. 32).

XXXVII. Dicit Isaias: *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII, 7). Quisquis ergo de istis est, et non de illis, de quibus dicitur: *Colomba seducta, non habens cor* (*Osee* VII, 11), et quibus dicitur: *Quare non magis luctum habuistis?* (*I Cor.* V, 2). Lugendum est ei præsentis vitæ tempus, in quo sunt ita omnia confusa, ut veritatis quidem nec vestigium usquam videas, nequitiæ vero atque luxuriæ cuncta esse repleta prospicias, nec aliquid juste recteque servari: humiles et invalidos, atque pauperiores videas, a superbis potentibus divitibusque comprimi, affligi atque injuste lædi; honestum vero quemquam et quietum multis læsionibus perturbari: econtra unum

quemque pessimum potentia cumulari, terribilem fieri, et tumido successu in malis augeri, quibus nec judicum metus, nec reverentia sacræ auctoritatis prævalere potest, nec eorum perniciem ullatenus cohibere. Sed quid de judicibus dicimus? Nam et ipsi, qui ad hæc reprimenda constituti fuerant, graviores tempestates et perniciosiores in miseros exercent. Hæc autem iniqua atque injusta inæqualitas non solum in urbibus, sed et in agris: et non solum in terra, sed et in mari committitur et exercetur. Et primoribus quidem propheta dicit: *Nonne vestrum est judicium scire?* (*Mich.* III, 1). Et item alius dicit: *Forsitan stulti sunt et ignorantes viam Domini? Ibo igitur ad optimates: ipsi enim cognoverunt judicium Dei sui, et ecce hic magis confregerunt jugum. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus?* (*Jer.* V, 4, 5.) Visitabit certe, et sicut Malachias dicit, erit testis velox maleficis, adulteris, et perjuris, et calumniatoribus. Et, sicut Amos dicit, non erit eis fuga; sed si ascenderint ad cœlum, inde detrahet eos, et si celaverint se in profundum maris, ibi mandabit serpenti, et mordebit eos. Quisquis igitur considerat vel causam eorum, qui gratiam Dei in vacuum recipientes, et ad diabolicam servitutem redeuntes pereunt, vel miserias eorum, qui innumerabiliter afflicti, aut in murmurationem aut in desperationem excedentes, et temporalia et mansura damna incurrunt, satis est unde contristetur, et lugeat. Qui autem super his contristari possunt, Deum dupliciter qui super miserias filiorum Israel legitur doluisse, super perituram Hierusalem flevisse.

XXXVIII. Ob hoc autem iniquitas undatius ebullit, ut Isaias ait, quia veritas in oblivione erit, et longe justitia stat: quia, sicut jam diximus, tempora periculosa venerunt, et fine suo mundus urgetur. Qui finis cum ex ipso suo ordine pendeat, perversiores tamen quosque inventurus est, qui et illius ruinis digne comprimantur et ex illorum meritis versa vice ejusdem ordo rerum confundatur. Est quoque et alia ratio, quia pro eo quod homines post revelatam gratiam dilexerunt magis tenebras quam lucem, vocati sunt, ut ait propheta, et non responderunt, et quæ noluit Dominus elegerunt, et cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt, propter hoc tradet illos Deus in desideria cordis sui, sicut de quibusdam Apostolus dicit: *Ut impleant peccata sua semper, et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*I Thess.* II, 16). Et quia illuminati justa agere neglexerunt, juste cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur. Ad quod videlicet agendum, et immissiones per angelos malos juxta Psalmistam, Dominus semitam iræ suæ facit, ut cor prioribus meritis aggravatum juste permittat etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli. Unde in Apocalypsi dicitur: *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas* (*Apoc.* XX, 7). Quia videlicet vel ad utilitatem electorum, vel ad detrimentum reproborum tanto acrius quam antea fecisset, in totis viribus suis se in finem sæculi

A exercere permittitur, quanto soluta bestia violentior est quam ligata. Tunc enim fit tanto ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat namque quod juxta sit, ut licentiam nequissimæ libertatis amittat: et quanto brevitate temporis angustatur, tanto multiplicitate crudelitatis expanditur. Sicut de illo voce angelica dicitur ad Joannem: *Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (*Apoc.* XII, 12). Tunc ergo in magnæ iræ furorem se dilatat; ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruit. Tunc quidquid nequiter valuerit callidus exquirit. Hæc itaque tempora jam venisse, jamque malignum hostem B mysterium iniquitatis operari per hoc manifeste patet, quod omnis ordo religionis aut Christianitatis immutatus est, nec impietas jam erubescere saltem dignatur, sed iniquorum multiplicitate roborata caput ubique locorum extulisse videatur.

XXXIX. Qui autem sint quos suis ditionibus isdem hostis mancipat, per hoc ostenditur, quod rex esse super omnes filios superbiæ perhibetur. Superbia vero et multos in sæcularibus studiis, et multos in gradu religionis positos prosternit. De istis namque scriptum est: *Misit caudam suam draco, et traxit tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII, 4). Quod est extrema persuasione multos terrenis amoribus involvere, qui studio vitæ cœlestis videntur inhærere. Sane de illis alias: *Circumdabunt eum*, inquit, *salices torrentis* (*Job.* XL, 17). C Salices infructuosæ arbores sunt, sed torrente rigantur. Torrens hiemalibus pluviis intumescit, sed æstate siccatur. Per salices ergo sæculares quique significantur a bonis virtutum fructibus alieni. Per torrentem vero mortalis gloria, quæ caducis honoribus tanquam hiemalibus pluviis inflatur, sed vitæ hujus termino annulatur. Malignum itaque spiritum salices torrentis circumdant, quoniam hi, quos in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat, tanto illi arctius inhærent, quanto largius delectatio transitoriæ voluptatis eos infundit. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in foliis viridescunt; quia aliquando verba honestatis proferunt, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. D De quibus scriptum est: *Imitantur autem illum qui sunt ex parte ejus* (*Sap.* II, 25), videlicet semper superbiendo, nunquam resipiscendo. Item de his et illud: *Huic montes herbas ferunt* (*Job.* XL, 15). Per montes tumor superborum, per herbas fluxæ voluptates eorum exprimuntur. Ergo montes huic Beemoth herbas ferunt, quia semper in eis pœnam æternæ mortis esuriens, dum ipsi se eidem ad omne vitium sternunt, dum nullum malum aut cogitando aut operando prætereunt, quia semper in eis sua desideria recognoscit, quasi semper in montibus herbas invenit, quibus ore malitiæ ventrem tendat, quem tanto delectabilius quisque pascit quanto sordidius inquinatur.

XL. Sciendum vero quod in hac peregrinatione, ubi Babylonici et Hierosolymitæ mistim procurrunt, et reprobi frequenter superbire, et electi humiliari soleant. Sed superbis mentibus humilitas alta est. Et idcirco cum hanc specietenus conscendere nituntur, diu in ea morari nequaquam possunt, quoniam alienum est quod apprehendere quærunt, et quasi a clivosis itineribus mox relabuntur. Nam quousque hanc abjiciant, et ad consuetam elationem redeant, quas grave pondus in corde patiuntur. De istis ergo dicitur : Omni equidem tempore vitæ superbiunt impii, quia licet speciem humilitatis assumant, hoc tamen ad acquirendam inanem gloriam faciunt, et ita de ipsa ficta humilitate gloriantur, ut etiam inde superbiant, si contra superbiam subtiliter disputare norunt. Solent quippe et electi superbire, sed non omni tempore, quia priusquam vitam finiant, cor ab elatione ad humilitatem commutant. Superbisse enim, cecidisse est. Unde et per Psalmistam dicitur : *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV, 12). Pes, inquit, non pedes : liquet enim quod nullus uno pede diu graditur. Ob id ergo quolibet alio vitio tentari permittuntur, ut humilientur ; humiliati vero diaboli esse desinant, cui superbiendo militabant. Hinc per Sophoniam dicitur : *At tamen*, subaudis, licet ad horam superbias, *timebis me et accipies disciplinam* (*Soph.* III, 8).

XLI. Quod autem inter omnia mala gravius nocet, ita pessimus peccandi usus ipsa jam consuetudine roboratus est, ut pene nullus justo judicio peccatum discernere queat. Sed sicut Aaron filiis Israel deos quærentibus non restitit, sic omnes aut iniqui sunt, aut iniquitati cedunt. Quapropter illacrymans Isaias Deo dicit : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Sacerdos et propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino, nescierunt videntem*, id est Dominum, *et ignoraverunt judicium* (*Isa.* XXVIII, 7, 9), id est discernere pondus peccati. *Quin potius adulteris, quos arguere debuerant*, ut ibi dicitur, *sacerdotes applaudebant, et populus meus dilexit talia.* Contigit ergo nobis quod illis solet, sicut Joannes Chrysostomus dicit, qui vel phrenesin patiuntur, vel mente capti sunt, a quibus cum multa turpia et periculosa vel dicantur vel gerantur, nec pudoris tamen aliquid nec pœnitudinis capiunt ; quinimo et magnifici sibi ac sapientiores sanis videntur ac sapientibus. Ita ergo, et nos cum omnia quæ sanitati contraria sunt geramus, nec hoc ipsum quidem quod est insanius nobis cognoscimus. Et enim si in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia curam, quæ medicinæ competit, gerimus, nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt mitigentur, si utcunque fieri potest. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, participetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea cura nos A sollicitat. Sed hæc causa est quod omnis pariter morbus obtinuit, et tanquam si eveniat, multis sub uno languentibus præsto esse neminem sanum. Certum est quod omnis pariter corrumpat et absumat incuria, dum nemo est qui vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat. Ita et nobis accidit : dum enim nemo sanus est corde, sed omnes languemus a salute mentis, alii majore, alii minore peste, nemo utique est qui curet. Etenim si quis utcunque adesset, qui vel præcepta Christi, vel transgressiones nostras discerneret, nescio si ullos alios magis quam nos ipsos præceptis ejus contrarios judicaret.

XLII. Pro his et hujusmodi quæ in hujus vitæ nostræ statu, jam frigescente charitate, et abun- B dante iniquitate, geruntur, Dominus per Amos queritur dicens : *Nunquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel, ait Dominus?* (*Amos.* IX, 7.) Post dealbationem quæ fit in Selmon, ad nigredinem peccati redimus : *Nive*, inquit, *dealbabuntur in Selmon* (*Psal.* LXVII, 15). Et cum Scriptura dicat : *Verecundos et reverendos facite filios Israel ab omni immunditia ;* quo videlicet verbo generaliter omnis inquinatio vel occulta vel manifesta comprehenditur, quæ, ut Hieronymus dicit, nominare turpissimum est ; nos econtra in passione desiderii sicut gentes æstuamus, et omnes, ut ait Isaias, ad avaritiam declinamus a summo usque ad minimum, ut equus emissarius hinnientes, ut merito quasi degeneres a cœlesti Patre audiamus : *Nunquid vos non filii scelesti, semen mendax?* C (*Isa.* LVII, 4.) Et item ipse : *In indulgentia sua redemit eos, et illi ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum sanctum ejus, et conversus est eis in inimicum* (*Isa.* LXIII, 9, 10). Hinc quoque in persona ejus Jacob dicit : *Sine filiis factus sum.* Ecce qualis est hujus vitæ status, si tamen status dicendus est, qui tot casibus delictorum ad ruinam vergit, et quem tanta suæ pravitatis moles ad ima demergit. Pro his et hujusmodi, quæ tam multiplicia sunt, ut magis defleri, quam referri possint, lugendum est his qui consolationem Jesu exspectant. O quam bonum est, venerabilis pater, super talia contristari ! Quisquis enim ille est, angelus pacis vocabitur, juxta illud Isaiæ quod præmisimus jam : *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII, D 7). Et inter electos assignari meretur, sicut per Ezechielem dicitur : *Signa Tau in frontibus virorum lugentium* (*Ezech.* IX, 4). Tau littera speciem sanctæ crucis gerit. Videte ergo quam magnum bonum sit dolere pro malis, pro quo dolens quilibet schemate [stigmate] sanctæ crucis meretur insignari. Hæc igitur consolatio vos interim maneat, ut dum principes Sodomorum caput extollunt, dum filii Gomorrhæ luxuriant, hi qui justum Loth imitari meruerint videndo et audiendo mala, cum ipso crucientur, sub umbra alarum divinarum sperantes donec transeat iniquitas.

# LIBER TERTIUS.

Libello hoc utcunque expleto, tam nobis quam domno abbati satis, ut frustra credidi, me jam fecisse putabam : sed domnus abba jussionem legationis vestræ, quam semel suscepit, nimis, ut ita dicam, imperiose exigit. Nam licet promptuariolum cordis mei exhaustum jam pronuntiaverim, tamen sicut præcedentem libellum, ita quoque hunc sequentem aggredi coegit. Ea tamen occasione factum est, quod in præcedentibus duobus libellis de afflictorum conselatione pauca dicta sint, et ad consilium pontifici dandum, cujus mentem sicut Moysi malorum pravitas exacerbat, ego sane qui nec præcepto resistere, nec alia nisi ea quæ vos melius nostis, possum referre, facio quidem quod valeo : sed dum vestra vobis tam prolixe refero, fastidium generare pertimesco. Cui tamen ductus verborum forte displicuerit, comparet illum protelatis pravorum nequitiis, qui supra dorsa pusilli gregis Christi fabricantes prolongant iniquitatem suam, eisque potius indignentur qui *trahentes peccatum*, ut Isaias dicit, *in funiculis vanitatis* (*Isa.* v, 18), exigunt ut contra se tanta dicantur. Vos ergo prævidere debuistis cui et quid juberetis, dicta hæc veluti quoddam vas modo transfusum considerate, et superflua quæque tanquam guttulas vasi deformiter adhærentes lima discretionis recidite. Ut acidis frugibus quædam matura leguntur, ita in isto calamo, cum plurima, quæ merito reprobentur, forte inveneritis, pauca saltem utilitatis quiddam gerentia reperietis.

I. Inter illa mirifica quæ ad exprimendos ordines Ecclesiæ Deus ad beatum Job loquitur, quædam animalia figuraliter nominans, ibices quoque pariter interponit. Ibices autem quædam quadrupedia sunt et morantur in petris. Quæ videlicet ibices si quando de altis cacuminibus saxorum ruunt, sese in suis carnibus illæsas suscipiunt, ita ut jacturam sui casus non sentiant. Per ibices igitur quique boni viri et cauti designantur, qui in petris habitant ; quia secundum Patrum exempla vivere student. Qui et cornua habent, videlicet Scripturas duorum Testamentorum, de quibus est illud : *Cornua in manibus ejus* (*Habac.* III, 4). Hi velut ibices cum ceciderunt, non colliduntur : quia si quid eis ruinæ temporalis accesserit, scripturæ duorum Testamentorum quasi duorum cornuum exceptioni innitentes evadunt, et ne in perturbatione deficiant, Scripturarum solatio se sustentant. Sicut Paulus, qui in mundi hujus adversitate dejectus dicebat : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV, 4). Hæc ad legendi studium dicta sint, nunc ea, quæ animo præposita sunt, aggrediamur. Universam Christi familiam, id est omnem electorum collectionem, qui vel in clericali, vel in laicali ordine, aut in divitiis, aut paupertate degentes, eidem Christo, videlicet humili regi, humili corde militant, per Judam, id est per domum David, supra diximus designari. Per decem vero tribus, quæ licet de genere patriarcharum, sicut et tribus Juda, descenderint, tamen a Dei cultura discedentes vitulos in Samaria coluerunt, illos Christianos figurari qui mysteriis quidem fidei regenerantur, sed avaritiam, quæ est idolorum servitus, colentes, aut aliis quibuslibet desideriis male inhærentes, Deum, quem vocibus confitentur, factis negant : per Assyrios autem quaslibet gentes exprimi, qui Deum non coluerunt. Igitur et tunc illæ decem tribus ab alienigenis afflictæ fuerunt. Sic et modo perversi Christiani paganorum exterminio subjiciuntur, et sic domus Juda, quæ decem prædictas tribus in malis actibus frequenter secuta fuerat, tam ab ipsis decem tribubus, quam ab alienigenis vehementer legitur oppressa tunc fuisse. Sic et nunc boni quilibet Christiani, pro eo quod malos frequenter imitantur, et a paganis, et ab ipsis malis Christianis plerumque cruciantur. Per illos igitur quibus omnia in figura contingebant, hoc satis ostenditur, quod filios Ecclesiæ non solum a paganis, sed etiam ab ipsis suis contribulibus multa oporteat pati.

II. Hæc sane captivitas, quæ foris ingeritur, tanto levius toleranda est, quanto et animarum saluti probatur accommodata. Cæterum est alia vastatio, videlicet spiritalis, qua non rebus sed virtutibus spoliamur ; quæ tanto vehementior est, quanto et occultius perstringit. Quam scilicet vastationem illa captivitas specialiter designat, qua tribus Juda in Babylonem translata est. De illa namque scribitur, quia rex Babylonis regem Joachim captivavit, et de Juda principes et fabros et inclusores et sacerdotem primum, et sacerdotem secundum, et janitores, et eunuchum unum, et quinque viros qui steterunt coram rege, et Sophar qui probabat tirones. Rex igitur Babylonis Joachim rege captivato Mathaniam, qui interpretatur, *mimus*, pro eo instituit, et vocavit eum Sedeciam, quod est justus Domini : quia, ut Hieronymus ait in Ecclesiaste, diabolus, qui est rex confusionis, id agit, ut sapientes et religiosi viri quasi viles premantur, ne in populis appareant, quod est Joachim regem, ne appareat, absentasse, et hi qui servi sunt vitiorum per aliquod munus locum sanctitatis obtineant, quod est per Nabuchodonosor Mathaniam in Sedeciam verti. Hinc Salomon : *Vidi*, inquit, *servos in equis* (*Eccle.* x, 7). Hinc namque illa Simoniaca hæresis, quam princeps apostolorum in ipso auctore, et beatus Gregorius in sequacibus

ejus terribili anathemate multavit. Hic ergo Mathanias undecim annis regnavit, qui numerus pro eo quod denarium excedit, decalogi transgressionem signat. Itaque sub tali rege captivantur de Juda principes, quia videlicet his in Ecclesiæ principatu insidiante diabolo constitutis, ita in toto grege fraus ipsius diaboli debacchatur, ut principes, id est illos qui boni operis agilitate cæteros præire debuerant, per quodlibet vitium sibi substernat : et fabros captivat, id est illos qui spicula verborum in igne divini zeli conficere debuerant, atque alios ad spiritale certamen armare, talentum ingenii coegit in terrenis actibus implicare. Et inclusores, id est eos qui muros virtutum per aliquod vitium interruptos cæmento prædicationis resarcire debuerant, ab studio corrigendi cessare facit. Et sacerdotem primum, id est episcopos, et acerdotem secundum, id est alios inferioris gradus, qui tanto facilius in præceps ruunt, quanto eosdem episcopos, qui sibi ad imitandum prælati sunt, quasi licite sequuntur. Et janitores, id est eos, qui habentes clavem scientiæ reliquos introducere debuerant, ita subvertit, ut nec ipsi intrent, nec alios intrare sinant. Et eunuchum unum, id est abstinentes. Unus dicitur, ob singularem continentiam, et eunuchus ob professam castitatem : quos ita plerumque fallit, ut de ipsis virtutibus non Deo, sed hominibus placere gestiant. Tollit et quinque viros, qui steterant coram rege, id est illos, qui ad sanctum altaris ministerium deputati servientes quasi præsentiores Deo assistunt, quinque sensibus corporis servire facit. Et Sophar qui probabat tirones, id est magistros puerorum vel conversorum, quos ad hoc in suo discipulatu suscipiunt, ut eos in *dissipans* Domini erudiant. Sed e contra magistri aut per immaturam libertatem, aut etiam per malum exemplum, illos corrumpunt et dissipant. Unde et Sophar dissipans interpretatur. Hos igitur omnes rex Babylonis tunc historialiter de Juda captivavit, et quosdam interfecit, quosdam vero in Babylonem duxit, quia nunc rex confusionis diabolus multos qui in Ecclesia statum religionis fulcire debuerant, aut per se, aut per exempla carnalium a religione detorquet. Et sicut ille quosdam interfecit, sic iste irrevocabiliter nonnullos peccati gladio trucidat. Illi vero, quos captivavit, eos significant qui miseriis hujus vitæ tanquam in aliena patria subjiciuntur, ut resipiscant. Unde propheta talium cujuslibet pristinam repromittens justitiæ libertatem, dicit : *Usque ad Babylonem venies, et ibi liberaberis* (*Mich.* IV, 10).

III. Hæc vitiorum vastitas, ex cujus merito exterior accidit, jam sibi totum orbem subjugavit, ubique sævit, ubique grassatur : et tamen tanto minus omnes de hac se plangunt, quanto magis universi manus dominio ejus submiserint. Exteriorem vero cuncti fugiunt, quæ, ut dictum est, animarum saluti prodesse consuevit. Sed contra interiorem fuerat laborandum, et suffugium certatim quærendum. Sed quis medebitur his, qui sponte vulnerantur, qui libentius sequuntur Simonem magum, vel Ananiam, qui hæresiarchæ hujus malitiæ fuerunt, quam sanctos omnes qui ab exordio fidelium contra perversitatem istam semper pugnaverunt ? Malitiam dicimus, qua malignus hostis ita mentes carnalium inficit, ut ea quæ Dei sunt non pro Deo, sed pro lucro terreno, vel pro humanis laudibus gerant : imitantes Simonem magum, qui donum Sancti Spiritus ad hoc comparare voluit, ut aliis ad lucrum venderet : vel ea quæ pro Deo relinquere debent, cupidine lenocinante, sicut Ananias, repetant. Ne enim illa vastitas fideles occuparet, civitati suæ, quæ est Ecclesia, Deus Pater Filium pro muro dedit, juxta illud : *Salvator ponetur in ea murus :* et patriarchas et prophetas, sicut illic sequitur, *pro antemurali* (*Isa.* XXVI, 1), et apostolos, qui super muros ejus die ac nocte stantes non taceant. Et quid plura ? semper ab omnibus doctoribus propugnacula, et verborum spicula conficiuntur, quibus a cordibus fidelium ista malitia repellatur, qua gloriam hominum diligunt magis quam Dei. Sed tamen superabundat iniquitas. Quia vero nunc hora malorum est, et potestas tenebrarum, si prædictæ vastitati resistere nequimus, pro his saltem, quos captivat, doleamus, et ad ea quæ de exteriori captivitate dicenda sunt redeamus.

IV. Judex noster dulcis et rectus est, universæ viæ ejus misericordia et judicium, et idcirco in ipsa animadversione sua, quam justis pro peccatis infert, blandimentum misericordiæ dulcis intermiscet. Quod etiam in præfatis gentibus demonstratum est. Quando enim ab Israeliticis Juda captivabatur, missus est propheta, qui principem arguit, et omnes captivos relaxari fecit. Et cum idem Juda in Babyloniam duceretur, Ezechielem Deus cum eis proficisci fecit, qui afflictum populum consolaretur. Jeremiam autem cum reliquis qui in Hierusalem remanserant, stare voluit. Quos etiam in Ægyptum, licet super ejus interdictum descendentes, isdem Jeremias comitatus est. Sed et nunc inter quotidianas pressuras, quibus a paganis vel a malis Christianis cingimur, nonnullos quamvis paucos constat divinitus reservari, quorum aut exemplis, aut verbis, aut etiam precibus et afflicti consolentur, et afflictores reprimantur. Quod omnino mira dispensatione fit, ut peccata per illatam afflictionem puniantur, et peccatores per indultam consolationem ad spem referantur. O ineffabilia divinæ pietatis viscera! Deus culpas insequitur, et tamen peccatores protegit. Sic filios Israel, cum vellent post ejus offensionem contra hostes ascendere, per Moysen prohibuit, dicens : *Ne ascendatis, ne cadatis : non enim sum vobiscum* (*Exod.* XIX, 12). Iratum se indicat, et tamen ab interitu, quem merebantur, eos cavere monet. Sic plerumque parvulo suo delinquenti mater irascitur, increpat eum, et irata verberat, ac si non diligat. Sed si hunc in præceps ire conspexerit, manum tendit, et sic diligendo retinet, ac si irata non verberasset, Quapropter, venerabilis Pater, superest, ut vos.

quem articulo temporis hujus a Deo credimus reservatum, ad illud apostolicum studeatis, corripere videlicet inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, et ita patientem esse ad omnes. Beati Gregorii quosdam raptores æquanimiter toleretis: quibusdam vero sub studio servatæ charitatis obvietis. Sed ne de raritate bonorum fratrum causemini, mementote quia solus erat Ezechiel, solus et Jeremias, et tamen non cessabant loqui.

V. Ut autem pontifex pontificum innitatur exemplis, par est de quibusdam sanctis episcopis, quid pertulerint, aut qualiter se in augustiis egerint, parum referre. Ac primum de patre Augustino. Sub ejus namque tempore civitas Hipponia, cui præerat, per quatuordecim menses a barbaris obsessa est. Quia vero eisdem prædicandi facultas ei non erat, coepiscopos, et quoslibet alios qui tum forte ad urbem confugerant, ad tolerantiam instruebat, orans jugiter Deum quatenus aut civitatem liberaret, aut se de sæculo vocare dignaretur. Qui non post multum effectum suæ præcis adeptus est. Tertio siquidem obsidionis mense decubuit, qui inter cætera quibus exitum communiebat, septem psalmos pœnitentiales flendo decantabat. Ait enim post perceptum baptismum, et laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia non debere de corpore exire. Hic non solum clericos, sed etiam laicos ab omni juramento compescebat. Loquacitatem vero, et detractionem, quæ in conviviis abundare solet, ita comprimebat ut hos versus in sua mensa scriberet:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sui.

Veste vero ejus et calceamenta, vel lectualia, ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida aut speciosa nimium vel abjecta plurimum.

VI. Libet quoque verba B. Gregorii, vel querimonias ejus ad medium deferre. Nam quando ultimas Ezechielis partes aggressus est, nuntiatum ei fuerat quod Agistulfus [Agilulfus, *vel* Aigulfus] rex Langobardorum ad obsidendam Romam jam Padum transiens summopere festinaret. Ait enim: Nemo autem me reprehendat, si post hanc allocutionem cessavero, quia sicut omnes cernitis, tribulationes nostræ creverunt, undique circonfossi sumus, imminens periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus veniunt, alii capti, alii interempti nuntiantur. Et jam cogor ab expositione linguam retinere, quia tædet animam vitæ meæ. Jam in me nullus sacri eloquii studium requirat, quia versa est in luctum cithara mea. Et qui cogor quotidie amara bibere, quomodo possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi ut inter flagella, quæ ex nostris meritis patimur, gratias agamus? Qui, ut ostendatur quantum etiam inter suos ob domesticam curam angustaretur, dicamus quid in primis ejusdem prophetiæ homeliis, cum de speculatore loqueretur, ait: Quisquis, inquit, speculator ponitur, in altum debet stare, et subditorum opera transcendere, quatenus, tanto plus eis prodesse per providentiam possit, quanto terrenis rebus animum non supponit. Ac deinde: O quam mihi dura sunt ista quæ loquor, quia me ipsum loquendo ferio! sed dicam, dicam ut etiam per me sermo Dei sonet contra me. Cogor namque modo ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere, singulorum vitam actusque pensare, modo quædam civium negotia sustinere, modo irruentibus barbarorum gladiis timere, modo raptores quosdam æquanimiter perpeti, modo eis sub studio servatæ charitatis obviare. Quis ergo aut qualis speculator ego sum, qui adhuc tot rerum perturbationis depressus, in infirmitatis valle jaceo? Tacemus de illo famoso ac mirifico Moralium libro quem valde infirmus patravit.

B VII. Si ergo tantum ac talem virum tot flagella manebant, quippe quem etiam ipse Mauricius imperator, qui eum invitum ordinari fecerat, vehementer urgebat, quid mirum si pontifices nostri temporis affliguntur? Sane quia mentionem tanti patroni fecimus, dicendum paucis quantopere suo pudori suæque famæ consuluerit. Sic namque in illa Romana vita, cujus supra meminimus, scriptum habetur. Mox ut summum pontificium sortitus est, superstitiosum universalis vocabulum refutavit, primumque se servum servorum Dei in suis epistolis nominavit. et mediocribus indumentis ad suæ humilitatis indicium in pontificalibus utebatur. Etenim advertens se ideo summum pontificem a Deo constitutum, ut, juxta illud prophe-
C ticum, radicem vitiorum evelleret, virtutesque plantaret, omnes consuetudines quas contra apostolicam traditionem noviter pullulasse cognoverat, sub anathematis interminatione damnavit. Tum vero a suo cubiculo non solum juvenculos, sed et omne sæculares excludens, clericorum quosque vel monachorum prudentissimos sibi familiares consiliariosque delegit. Cum quibus die nocteque versatus, nihil monasticæ perfectionis, nihil pontificalis institutionis, licet super gentes et regna constitutus, amisit. Videbantur itaque passim cum eruditissimis clericis religiosi monachi adhærere pontifici, et in diversis professionibus uniformis videbatur honestas, tantaque censura mores ministrorum excolebat, ut eorum nullus barba-
D rum vel quid inconsuetum religioni sermone vel habitu preferre præsumeret, et qui forte sanctimonia vel sapientia caruisset, subsistendi coram pontifice fiduciam non haberet. Quo facto redarguitur illa quorumdam lascivia qui talibus cohabitare malunt, qui tam effrenata libertate vel loquendo leviter, vel agendo coram eis, quos magis vereri debuerant, potiuntur: ut ipsos etiam ab statu gravitatis emollitos ad suæ levitatis lenocinium incurvent, ita ut nec in memoria quidem sermo disciplinæ habeatur, contra illam superni inspectoris querimoniam, qua dicit: Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur: ita perstrepunt, ut si pauper, imo Christus in paupere clamaverit, vix audiri possit. Nonne tunc videbitur illud fieri quod Isaias illacrymat, dicens:

*Tibia et lyra in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis?* (*Isa.* v, 12). Prædictus vero papa Gregorius ita pauperibus serviebat, ut quaslibet ciborum species eis suo tempore ministraret. Ei quibus pauperibus dum unum in quodam recessu vespillones mortuum reperissent, Gregorius æstimans eum stipis inopia perisse, per aliquot dies a missarum celebratione quasi pœnitendo cessavit. Qui sui apostolatus gloriam ita omnino vilipendat, ut angelus ad quemdam eremitam, qui unum catum pro relevando secum habebat, tædio de eodem Gregorio testaretur, dicens: Majorem dilectionem habes tu in hoc tuo cato, quam Gregorius in omni imperio Romano. Tantæ autem humilitatis fuit, ut cum ei quidam peregrinus in solemni apparatu procedenti ad benedicendum prosternere vellet, ipse eidem peregrino prior de equo metaneam faceret. Crimina semel audita nullatenus indiscussa præteribat. Subdiaconum ordinari vetuit, nisi continentiam a conjugio profiteretur, nullumque altius progredi permisit, nisi cujus castitas in subdiaconatu probata fuisset.

VIII. Joannes Eleymonos mox ut ordinatus est, omnes dominos suos qui erant in Alexandria viritim jussit describi, quatenus eis sufficienter stipem pro numero daret. Cui ministri: Quinam sunt, inquiunt, o patriarcha, domini tui? At ille: Illi, inquit, quos vos mendicos appellatis. Qui etiam certo tempore per singulos dies in vestibulo domus residebat, ut quisquis vellet ad eum sine prohibitione causam suam referre posset. Dicebat enim quia sicut nos petitores nostros, sic Deus nos petentes exaudit. Quidam ex tributariis nepotem ejus turpiter lacessivit; qui cum de eo vindictam expeteret, ille pectus ejus deosculans dixit: Fili, si nepos meus es, me imitare; jussitque ut ei totius anni debitum relaxaretur. Eidem namque Joanni Misericordia in specie pulcherrimæ mulieris apparuit, qui de hinc eleemosynis tantopere deditus est, ut ob hoc Eleymonos; id est misericors, vocitetur. Sanctus Ambrosius nullo excessu fidem sic dicit gravari, quam si innocentem pauperem sacerdos arguat, et divitem reum excuset. Et qui non defendit inopem, si valet, similis est lædenti. Item: His, inquit, favemus a quibus vicem speramus; sed infirmis consulere magis convenit, pro quibus Christus renumerator est. Item in eodem: Grandis culpa est, si, te nesciente, fidelis egeat, quia hæc est lex naturæ ut alter alteri tanquam pars corporis partem conferat. Qui non tribuit fratri, nec feris comparandus est, quæ suis fetibus tribuunt. Nihil tam contra naturam quam lædere alterum tui causa, quod tamen si causa Dei est fides perpenderet. In tua causa silere tibi licet, in causa Dei dissimulare peccatum est non leve. Si quid autem vitii in fratre cognoveris, corripe; et si se lædi putet, etsi animum ejus correptio vulneret, tu tamen ne verearis; quia, ut scriptum est. *Meliora sunt amici vulnera quam adulantium oscula* (*Prov.* xxvii, 6). Licet ergo inferior sit amicus, tamen si poposcerit, ut objurget, audiatur quasi par et æqualis. De cubiculariis vero sic: Decorum, inquit, illud est, ut adjungamur probatissimis quibusque, et senioribus, quorum usus tutior est. Nihil enim pulchrius quam boni testimonii viros testes habere. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; et econtra inimici hominis domestici ejus. Quos videlicet ministros ita castificabat, ut nec verecundiora membra nec eorum usus his quibus a rusticis appellari solent nominibus nuncuparentur. Beatus quoque Paulinus, Nolanæ civitatis episcogus, cum a barbaris propter thesaurum insinuandum extimuisset tormentari, rogabat Dominum, dicens: O Domine, non crucier propter aurum, quia non diligo aurum. Hoc beatus Augustinus in libro de Civitate Dei fatetur. Hæc de sanctis pontificibus dicta sint, ut non recens quid vel novum nostri temporis episcopo videatur, si talia sive certe multo leviora pertulerit.

IX. Nec piget quædam de apologia sancti Gregorii Nazianzeni verba referre: Si quis, inquit, in rectore morbus vitiorum est, his qui ad obtemperandum ei præsto sunt multo facilius transfunditur, quam si aliquid virtutis in eo viderint. Quapropter necesse est, ut qui alios instituendos atque curandos præsumimus, ne inveniamur ipsi sine disciplina, et excatentes ulceribus vitiorum. Sed neque satis est malum non esse doctorem. Quod utique culpatur in his qui docentur, nisi et omnibus bonis actibus prædicti sint, nec vitam suam mensurent ex comparatione imperfectorum, si digna loco et gradu suo gerant, ut provectus eorum possit illicere cæteros ad studia virtutum, eorumque tam exemplo quam exhortatione vitia purgare, propositum ad meliora convertere, summumque eorum studium sit illos vincere, qui se carnaliter amant contra salutem suam dominicantes, et vitia sua quantum possunt celantes, odientes eos qui arguunt, et eorum sermonem contemnentes, et nunquam, quod pejus est, peccata sua publice defendentes: insuper etiam alios ne corrigantur excusantes, atque tuentes. Et equidem quando mali prælatos ipsos non lædant, quin etiam venerentur, quia tamen ei obviare pro justitia negligunt, interdum vero persequuntur eos. Quod insidiante diabolo fit, ut cum ipsi concutiuntur a vacillantium sustentatione pigrescant. Sed ut scriptum est, *qui Deum timet, nihil negligit* (*Eccle.* vii, 19), et ob id cujus mentem vera charitas possidet, si justitia quæ diligit in aliis feritur, ipse nihilhominus eadem percussione confoditur. Quod si et ipse appetitur, in dolore tribulationis suæ curam non deserit utilitatis alienæ. Nam quasi magnus quidam medicus percussus, qui cum ipse scissuras vulneris toleret, aliis medicamenta sanitatis proferat: ita et iste licet in se adversa sentiat, alia tamen necessaria docendo prævidet. Valde autem levius est aut docere cum

nihil toleres, aut tolerare cum docere non indigeas. Sed necesse est sancti viri sese ad utraque solerter extendant, sic nimirum utrobique circumspecti, quatenus et audaces ante se verborum jaculis confodiant, et debiles quasi positos post se scuto consolationis vel ab illorum impetu vel a murmurationis vulnere defendant. Sicut miles castrorum Dei Paulus, qui cum tanta ac talia pateretur, quæ nec ipse referre, nec nos enumerare sufficimus, disputabat tamen cum Græcis, et revincebat Judæos. Nam propter alterum horum dicit : Gravati sumus supra modum, ut tæderet nos vivere. Propter alterum vero. *si*, inquit, *ab bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor*. xv, 32). Qui tamen plus de infirmorum pusillanimitate, quam de proprio dolore sollicitus, aiebat : *Nemo moveatur in vinculis istis* (*I Thess*. 3). Et item : *Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis* (*Ephes*. III, 13). Utrumque Job egerat, qui dicere poterat : *Auris audiens beatificabat me* (*Job* XXIX, 11), quod utique ad prædicationem pertinet, eo quod liberaret pauperem vociferantem. Quod pertinet ad tuitionem. Quod autem prædicator etiamsi ipse a malis non impediatur, tamen pro aliorum causa debet eis obsistere, vox illa Dei demonstrat, quia sub typo prædicatorum de equo dicitur : *in occursum pergit armatis* (*Job* XXXIX, 21). Quapropter in quantum causa exigit, in quantum locus admittit, debet rector pro subditis suis semetipsum objicere. Nec timeat, si necesse est, eorum inimicitiis pro fraterna pace obviare, nec per audientium duritiam a corrigendi studio cessandum esse, ut docet Eliseus, qui in persona Christi contra Joas regem quasi contra negligentem præpositum irascitur, eo quod terram, id est peccatorem, cui dicitur : *Terra es* (*Gen*. III, 19), non amplius quam ter percusserit. Ait enim, quia si quinquies aut septies percussisset, plenam victoriam caperet ; quia si rector dicere poterit : *Annuntiavi justitiam tuam* (*Psal*. XXXIX, 10), quamvis ipsi contemnant, plena tamen mercede donabitur.

X. Non autem, ut jam diximus, recens videatur, quod mater Ecclesia, vel rectores ejus, aut familia non solum a paganis, sed etiam a suis filiis tanta nostro tempore patitur. Quandoquidem apud prædictos Patres, qui sapientia et virtutibus signisque fulgebant, tantopere persecutio grassata sit. Nam quisquis eis Patribus in fide et gradu succedit, necesse est ut quasi plebs ad speciem matris empta Patres suos eadem patiendo sequatur. Quod autem quisquis doctor sibi primum, tum subditis spiritaliter sollicitus sit, verbis Apostoli monstratur, qui de Thessalonicensibus ait : *Vos testes estis, et Deus, quoniam sancte et juste fuimus*, subaudi, apud vos, *et scitis qualiter unumquemque vestrum tanquam pater filios suos deprecantes vos et consolantes testificati, ut digne ambuletis Deo* (*I Thess*. II, 10, 12). Qui paulo ante præmiserat : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, et tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium, sed etiam animas nostras* (*Ibid*, 7, 8). Verum non sine quadam verecundia hujusmodi verba proferimus, quæ prolata tangere videntur. Sed si quid aut in relatis superius exemplis, aut in qualibet sententia durum ad imitandum vel mordaciter sonare videtur, illos tantummodo suggillat, qui ferre jugum Christi recusant. De nobis enim confidimus, quia non vultis imitari Nabal, cui, ut scriptum est, nemo valebat loqui, sed apostolum Petrum, qui cum esset princeps apostolorum, et a beato Paulo condiscipulo suo se reprehensibilem nominari publice didicisset, non indignaretur, sed eumdem Paulum nihilominus de sibi data publice sapientia laudasset. Dicamus igitur et hoc quod intortis moribus quorumdam minime concordat, et quod illos, qui sibi solliciti sunt, cautiores reddat. Scio enim nec corporis quidem maculas in sacerdotibus per legem prætermitti, sed perscrutari et requiri omnia, ne aliquod vitium sacerdos habeat, cui et mors comminatur si absque tintinnabulis, quod est sonus prædicationis, incesserit. Sed quisquis ille est, qui me tanquam præsumptorem forte succedentium nominaverit, reminiscendum ei est quod Moyses concilium Jethro non despexerit, qui etiam vexatus dicitur propter eos qui exacerbabant spiritum ejus. Quam scilicet vexationem multa magis quilibet prælatus incurret, si culpas delinquentium non redarguit. Hinc ad Ezechiel dicitur : *Fili hominis, noli exasperans esse* (*Ezech*. II, 8). Sicut enim mali Deum exacerbant mala quælibet agendo, sic et boni qui malis prælati sunt, bona reticendo. Nisi enim propheta, cum ad loquenda verba mittebatur, obediret, omnipotentem Dominum, sicut populus de perverso opere, sic de suo silentio exasperasset. Malis itaque culpa est perversa agere, bonis recta reticere. In hoc ergo cum malis etiam boni Deum simul exasperant, quia cum perversa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiam præstant. Nam plerique sic imprudentes sunt, ut vel malum non cognoscant, quod committunt, vel tanto minores culpas suas æstiment, quanto minor eas invectio castigat. Isti igitur si recta non audiunt, in suis pravitatibus jacentes, per ignorantiam securi sunt.

XI. Sunt autem plerique qui verba Dei nec aure corporis audire dignantur, quos malignus hostis ita possidet, ut eos nullo confessos prædicationis jaculo derelinquat : sicut a Deo ad beatum Job de eodem hoste dicitur : *Non fugabit eum vir sagittarius* (*Job* XLI, 19). Sagittæ sunt verba Domini, ut est illud : *Sagittæ tuæ acutæ* (*Psal*. XLIV, 6). Arcus vero qui ex cornu fit et corda, Vetus Testamentum propter rigoris duritiam, et Novum propter misericordiæ flexibilitatem significat : quia quisquis ab illo plene capitur, verba prædicantium jam audire dedignatur. Unde peccatis præcedentibus irascens Dominus, his quos justo judicio deserit per prophetam dicit : *Immittam in vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio* (*Jer*. VIII, 17) ; id est talibus dæmonibus

vos tradam, qui nulla prædicantium exhortatione quasi incantantium carminibus a vobis excutiantur.

XII. Alii subdole seducuntur, pro eo quod Dominus dicit : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47) ; putantes ignorantiam impunitatem esse peccati. Quibus hoc intimandum est, quia aliud est nescire, aliud est nolle : hoc namque tarditatis est, illud superbiæ. Tales igitur excusationem non habent, quia, si vellent, scire poterant. Contra quos nimirum in Job de Deo dicitur : *Qui in manu omnium signat, ut noverint singuli opera sua* (*Job* XXXVII, 7) ; homo quippe sic rationabilis est conditus, ut quod egerit ignorare non possit. Naturali enim lege scire compellitur, seu pravum seu rectum sit quod operatur. Nam a justo judice tunc pro factis suis aut punitur aut remuneratur, si non potuit scire quod fecit. Ipsi etenim qui erudiri contemnunt, sibi testes sunt, quia sciunt dicere quod agunt. Alioquin cur de quibusdam factis tanquam de bene gestis in ostentatione gloriantur ? et rursus cur in aliquibus suis actibus videri erubescunt ? unde quidam sapiens dicit : Cum sit timida nequitia conscientiæ dat testimonium condemnatio, quia dum timor conscientiam arguit, ipse sibi testimonium perhibet, quia sit malum esse quod sciri formidat. Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt. In peccatum enim quod committunt prius contra se judicium rationis inveniunt, et post ad districtionem æterni judicis perducuntur. Et hoc est forte quod per Psalmistam dicitur : *Abyssus abyssum invocat* (*Psal.* XLI, 8). Abysso enim abyssum invocare est de judicio ad judicium pervenire. Eant igitur prædicatores sancti, redarguant facta peccantium, auditores autem pravi contemnant verba istorum, defendant quantum voluerint pravitates suas, atque impudenter gestas impudentius defendendo multiplicent. Certe ipsi sibi in conscientia testes sunt, quia excusabiles non sunt.

XIII. Quidam vero non solum admonitionis verba contemnunt, sed etiam contra admonitores vehementer scandalizantur. Et quia scandalum valde periculosum est, idcirco boni viri frequenter malunt tacere, quam malos loquendo scandalizare. Qui tamen nec tacendo securi sunt propter illud : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 18). Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus ; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Quod veritatis magister suo facto probat, qui in quorumdam cordibus scandalum ne gigneretur, tributum quod non debuit dedit : et rursum generari scandalum contra veritatem in quorumdam cordibus videns, eos in suo scandalo remanere permiserit dicens : *Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum* (*Matth.* XV, 14). Hoc in libro VII Ezechielis. Item in libro X : *Ne timeas*, inquit, *quia Dominus exasperans est* (*Ezech.* II, 6) ; timeri enim homo debuerat, si ipse auctorem omnium ut homo timuisset. Qui enim ut supra diximus, Deum non timet, homo non est. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habuit, tanto minus timendus est, quanto hoc quod esse debuit non est. Debent autem in metu haberi isti qui membra sunt omnipotentis Dei, et si ipsi contristantur, Deus qui in ipsis habitat offenditur, et ipsi in terra reprehendere solent quod Deus redarguit e cœlo. Mali vero, ut diximus, timendi non sunt. Unde rursus eidem prophetæ dicitur : *Ne timeas eos*, et quia tales derogare solent, adjunctum est, *neque sermones eorum* (*Ibid.*), quia increduli et subversores sunt tecum. Qui tanto in suis derogationibus timendi non sunt, quanto non placere Deo probantur. Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Deo scimus. Nemo enim potest in una eademque re Deo simul et ejus hostibus gratus existere. Amicum ergo Dei se denegat, qui ejus inimico placet. Unde et sancti viri eos ad sua odia excitare non metuunt, quos Deum non diligere cognoscunt. Horum itaque derogatio vitæ nostræ probatio est, quia nisi aliquid boni haberemus, malis non displiceremus. Sciendum vero est, quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando autem etiam compescere, ne, dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentum corrumpant. Hinc est enim quod Joannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens : Is qui amat primatum gerere in eis diotrepes non recipit nos. Propter hoc si venero commoneam ejus opera quæ facit verbis malignis, garriens in nos. Quantum ergo ex nobis est, ut Hieronymus ad Galatas dicit, nullius inimicitiam commovere debemus. Quod si loquentes veritatem aliquos meruerimus inimicos, non tamen nos inimici sumus eorum, quoniam illi inimici sunt veritatis. Unde et ipsa Veritas dicit ad Abraham : *Inimicus ero inimicis tuis* (*Exod.* XXIII, 22). Quod utique non fieret si Abraham per culpam suam inimicitias eorum meruisset. Item ipse Hieronymus in eadem epistola ad Galatas : Si fieri potest ut pariter et Deo et hominibus placeamus, placendum est hominibus. Si autem aliter non placeamus hominibus nisi Deo displiceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus.

XIV. Sed dum hoc dicitur, illud nos vehementius contristet, quia mentes pravorum tanto obstinatius summa odiunt, quanto arctius infimis inhæserunt : quibus neque hoc sufficit ut ipsi pereant, sed adhuc, quod est deterius, cum quoslibet argui conspiciunt, corripientis increpationibus obviant, ne saltem alii corrigantur. Unde bene et de capite eorum dicitur : *Protegunt umbræ umbram ejus* (*Job* XL, 17). Umbræ quippe sunt diaboli omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore

imaginis speciem trahunt. Umbræ umbram protegunt, quia peccatores quique, in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem defendunt. Quod hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa, in qua et ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniat. Quos enim similis reatus sociat concordi pertinacia, etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se invicem defensione tueantur. Se igitur tegunt dum alios protegunt, quia suam vitam prævident impeti, unde alios considerant libera correptione confundi. Sicque fit ut summa criminum dum defenditur augeatur, et uniuscujusque nequitia eo sit ad perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur.

XV. Quicunque vero verba Dei audire nolunt ipso contemptu non esse ex parte Dei se produnt Sed quantumlibet calcitrent, admonendi tamen sunt, ne sanguis eorum de manu pastoris requiratur : *Si*, inquit, *tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus, ipse in iniquitate sua morietur : tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 19). Tunc enim, sicut in expositione hujus verbi dicitur, subjectus moritur sine te, quando in actione mortis contradictorem habuerit te. Nam morti, cui non contradixeris, adjungeris. Hoc ergo rector faciat, ne moriente subdito moriatur, malis videlicet actibus contradicat, ut scriptum est : *Discurre, festina, suscita amicum tuum* (*Prov.* VI, 3). Si vero speculatore tacente impius moritur, constat quidem quia dignus non fuit ut ad Deum sermo fieret : ille tamen eum occidit, qui hunc tacendo morti prodidit. Hinc enim beatus Gregorius subdit : Pensandum est quantum connexa sint peccata subditorum atque præpositorum. Quod enim nos digni pastores non sumus, ex vestra culpa est ; et quod vos ad iniquitatem defluitis, ex nostro hoc reatu est, quod obsistentes in culpa non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet non tacemus. Sed nos alienas mortes nostris peccatis addidimus, et tot occidimus, quot mori quotidie tacentes videmus. Nullum quippe, sicut isdem doctor perhibet, tale sacrificium Deo est, sicut est zelus animarum. Hoc zelo quia Phinees unum adulterum pugione transfixit, iram Dei protinus ab omni populo removit. Hunc quia Heli non habuit, tandem iram Dei contra se inexstinguibiliter accendit. Ut autem in hac difficultate audiendi, qua doctores contemnuntur, Deus eos consolaretur, cum Ezechielem prophetam ad filios Israel mitteret, sermoni suo frequenter interponit : *Si forte audiat*, et, *si forte quiescant* (*Ezech.* II, 7). In quo adverbio dubitativo notandum est, quia propheta et mittitur, et audientium duritia designatur : per quos videlicet innuitur, quia nec tacere debet is qui prædicandi officium suscepit, nec pro auditorum duritia constristari. Si enim ipse Deus verba

A sua difficile pronuntiat audiri, cur doctor contristetur si in admonitione sua contemnatur ?

XVI. Pravorum sane duritia nimis obcalluit. Sicut unicuique talium Deus per prophetam dicit : *Scio quia durus es tu, et nervus feriens cervix tua* (*Isa.* XLVIII, 4). Quod dum vos perpenditis, timeo molestum vobis fieri, quia tantum ad incitandum prædicandi officium exaggeramus : et idcirco vellem ut alius aliquis exitus in hac necessitate patuisset. Nam scio prophetam dixisse : *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXXVI, 2), id est, inter valde obstinatos, videlicet quia sicut salices fructum boni operis non ferunt, verba prædicationis reticemus. Hinc ipse ait : *Obmutui et silui a bonis, et humiliatus sum* (*Psal.* B XXXVIII, 3). Et Jeremias cum se minime audiri conspiceret, silentium appetit dicens : *Non recordabor ejus neque loquar ultra in nomine illius* (*Jer.* XX, 9). Sed veri prædicatores dum conspiciunt quod ipsis non corripientibus iniquorum facinora crescunt, vim quamdam in corde sustinent, donec in apertæ correptionis vocem erumpant. Unde et alter ex eisdem prophetis, cum propter incorrigibiles tacens diceret : *Silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 3) ; zelo charitatis illico exardescens subdidit : *Et dolor meus renovatus est* (*Ibid.*). Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Alter vero cum diceret : *Non loquar ultra nomine illius* (*Act.* IV, 17), mox eodem igne succensus adjunxit : *Et factus est ser*C *mo ejus in corde meo quasi ignis æstuans in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens* (*Jer.* XX, 9). Audivi enim contumelias multorum. Sic ergo zelus charitatis in sanctis viris dum reprimitur augetur qui nimirum ita sese consolantur, ut in voce erumpentes quod corrigere non valent saltem increpare non cessent. Superest tamen ut, sicut dicit Prosper, qui verba despiciunt, opera bona in doctore videant, quæ venerentur ; et si contigerit ut a potentioribus vel ab alienigenis contemnatur, sibi vel suis prædicator canat dicens, cum Josue : *Ego autem et domus mea sequimur Dominum* (*Josue* XXIV, 17). Nam et ipsos fideles plus per exempla quam per verba proficere certum est, et utraque sibi necessario conjungitur, ut quod loquendo quis prædicat faciendo confirmet.

D XVII. Apud eos autem qui verba prædicationis utcunque patiuntur audire, illud commemorandum est quod Deus ad prophetam dicit : *Si judicas eos, fili hominis, si judicas eos, iniquitates patrum suorum ostende eis* (*Ezech.* XX, 4). Et iterum : *Filii hominis, ad gentes apostatrices mitto te, ad filios Israel ; patres eorum prævaricati sunt pactum meum* (*Ezech.* II, 3), etc., quousque subjungit : *Si forte vel ipsi audiant hoc* (*Ibid.*, 5). Sane quod eos apostatrices appellat illis maxime congruit qui per monasticam professionem ad sæcularia desideria relabuntur. De quibus scriptum est : *Væ peccatori ingredienti duabus viis* (*Eccli.* II, 14). Apostata namque retrocedens interpretatur. Qui vero manum suam in aratro miserit, si retro respexerit, utique

apostatare convincitur, ut nullatenus regno Dei A aptus, ipso Deo testante, pronuntietur. Et in nona in Ezechielem homelia perhibetur, quia sicut apostata est qui de fide recedit a Deo, ita qui ad perversum opus post professam religionem redit ab omnipotente Deo, apostata absque ulla dubitatione deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. An non est apostasia, de habitu vel victu traditiones patrum contemnere, cum Deus terminos patrum transgredi interdixerit, despectaque victus qualitate vel quantitate per beatum Benedictum præfixa, sanguineas dapes cum filiis Israel desiderare? Manna et mensuram gomor despicientes et ollas carnium desiderantes corde reverti ad Ægyptum redarguuntur. An non est apostasia, humilem vestitum spernere et decorem vestimenti quærere, cum angelus apostata perfectus decore superbiens in tartarum ruerit? Et an ventrem colere non est apostasia, cum flens Paulus protestetur quod ligurgitones inimici sanctæ crucis sunt, et ventrem pro Deo habeant? Nobis, inquam, hæc apostasiæ verba conveniunt, quandoquidem religionis habitum per tot retro annorum curricula retentum lascivientes quique inter nos et petulantes in hac nostra ætate mutare ausi sunt.

XVIII. Quid isti in die judicii dicent, vel quales apparebunt, usque ad quos religio decurrit, et in quorum manibus collapsa est? De occultis suis ipsi viderint, de quibus dicere pudet. Hoc tamen unum constat, quoniam ob id exterius mutantur indumenta, quia interius mutata sunt corda. Dixerat Deus per Jeremiam : *Videte si factum est hujuscemodi, si mutavit gens deos suos, et certe non sunt dii. Populus vero meus mutavit gloriam suam* (*Jer.* II, 11). Et in sequentibus : *Confregisti jugum meum, et dixisti : Non serviam* (*Jer.* II, 20). Nonne et istis hoc convenit? Nam ut ita comparatum sit, omnes qui ad usum hujus vitæ quaslibet artes exercent, sic eas utique gerunt, sicut a magistris didicerunt, et illis utensilibus utuntur, quæ illi actui, cui intensi sunt, conveniunt, ut nautæ, sutores, vel fabri. At nos soli monachi instrumenta bonorum operum, quæ sanctus Benedictus ad percipiendam cœlestem vitam construxit, abjicimus, solique nostræ professionis desertores, lineas, quas Deus per magistros nobis ostendit, nunc ad dextram, nunc ad sinistram transgredimur, nec bonorum operum instrumentis, sicut a magistris tradita sunt, uti dignamur. Quamvis autem crudelitas cordis in talibus occalluit, quæ multo obstinatior atque ad corrigendum difficilior sit quam laicorum : tamen admonendi sunt et ipsi, quoniam quoad vixerint mutari in melius possunt. Sicut beatus Gregorius Venantium ex monacho patricium commonebat, dicens : Velis nolis, locuturus sum tibi, quia aut te cupio salvari, aut de tua morte me eripi. Culpam ergo tuam, et districtionem futuri Judicis dum vales exhorresce, ne illam tunc amaram sentias, cum nullis eam fletibus jam evadas. Pensa quid facturus est Deus de perverso opere, si quosdam in judicio suo reprobat de otioso sermone. Scis qua morte Ananias multatus est, qui pecunias quas Deo voverat partim subtraxit. Si igitur morte dignus fuit, qui nummos abstulit, pensa quibus dignus sit, qui seipsum per professionis suæ oblivionem Deo substraxit. Ecce facti tui tristitia adductus mœrens loquor, et fateor, supernam misericordiam admiror, eo quod te superbientem videt, et tolerat : effugere vitam conspicit, et tamen adhuc ad vitam reservat. Cum vero isdem Venantius in gravissimam ægritudinem incideret, Gregorius audiens Joanni episcopo rescripsit, dicens : Fraternitatis vestræ scripta suscepi, quæ mihi de dulcissimi filii mei domni Venantii ægritudine loquebantur, qua audita la- B crymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas magnam ei curam adhibeat, exhortando videlicet, rogando, terribile Dei judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut vel in extremo ad debitum propositum redeat, ne ei tantus in judicio reatus obsistat. Et considerandum quod hunc beatus Gregorius domnum pro blandimento vocat. Quod si nunc verba Dei vereri neglexerint, fiet eis illud beati Job quod de iniquo dicit : *Cum reddiderit ei Deus vicem, tunc sciet : videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet* (*Job* XXI, 19). Dissimulat impius retractare mala quæ fecit, sed tunc sciet quid fecit, cum de furore Omnipotentis bibere cœperit : tunc oculos intelligentiæ C reserabunt, quos nunc superbia claudit.

XIX. Proh dolor! postquam princeps hujus mundi foras abjectus est, per nos iterum intromissus, mysterium iniquitatis operatur in filiis diffidentiæ facientibus voluntates carnis, et in studiis suis seipsos abominabiles facientibus, præsertim cum princeps apostolorum præteritum tempus ad voluntatem eorum consummandam sufficere dicat : *Qui ambulaverunt*, inquit, *in luxuriis et vinolentiis* (*I Petr.* IV, 3), etc. Et cum doctor gentium nos contestaretur dicens : *Testificor in Domino Jesu, ut jam non ambuletis sicut gentes, quæ tradiderunt semetipsas impudicitiæ. Vos autem non sic didicistis Christum* (*Ephes.* IV, 17-20). Sed nos, ut video, in eadem luxuriæ confessione concurrentes, reddemus rationem, ut prædictus Petrus subjun- D git, ei qui paratus est judicare. Licet vero jam tempus advenerit, quo sufficientibus ad insinuanda Dei judicia præteritis miraculis peccatores raro feriri solent : de nostro tamen ordine nonnullos evidenti ultione plexos non ignoramus. Nam quidam apud Senones Hucbertus nomine duas sibi mulieres nocte vidit astantes, quas non eas, quæ venire solebant, videns, phantasias intellexit. Accurrunt qui aderant, sed nemo mulieres nisi ipse videbat : fugit ergo in ecclesiam, sed hanc quoque phantasticis mulieribus plenam reperit : inter quas una quasi regina sedens jussit illum apprehendi et verberari. Cum ille codicem sancti Evangelii arripiens volebat se signare, nec poterat, illa vero dicebat : Tarde est, jam mihi traditus es. Sonantibus signis

vicini accurrunt. Ille collapsus in terram verberabatur, proinde vociferans dicebat quid videret, quid sentiret. Cum hoc diu fieret, et phantasiæ discessissent, hi qui foris erant discedentem turbam mulierum per pontem egredi conspexerunt ; ille post paululum obiit. Hoc abba Gorlantius refert. Quisquis ergo dulcedine meretricis et amplexu delectatur, hujus amaritudinem absinthii animo proponat.

XX. Heduensis cœnobii præpositus quamcunque occasionem reperire poterat, carnibus inhianter vescebatur. Quod scilicet vitium cum nullatenus fratres emendare possent, ipse cum quadam vice carnes comedere vellet, offa, qua os impleverat, strangulatus obiit. Alius quoque de cœnobio Durensi progressus ad quamdam villam, petiit ab hospite suo carnes. Cum ille respondisset : Ecce jam coquuntur ; Accelera, inquit, in spito aliquid coquere citius. At ille parabat carnes in spito, sed monachus æstuans partem de spito præcidit, et super carbones jactavit : quam videlicet torridam cineribus excussit, et ori ingessit, sed mox cum præsenti voracitate vitam finivit. Quidam de Cormarrino (70), quem ego et levitates ejus ipse noveram, cum lætissimus sero se cubitum collocasset, tempore nocturni officii defunctus repertus est. Quod et abbati Iammoni contigisse vel ipsi vos scitis. Sed et alius quidem sancti Martini canonicus domini Oberti archiclavis, camerarius scilicet, a dæmone arreptus tandiu vexatus est quousque spiritum exhalavit.

XXI. Duæ sanctimoniales de monasterio puellarum, quod juxta nostrum Balma situm est, ante hoc triennium ad secularem vitam regressæ sunt. Quarum junior intumescente brachio vitam post paululum finivit. Major vero cuidam scelesto se conjunxit, et partum ita monstruosum peperit ut longius collum haberet quam sit una ulna. Sed cum se iterum prostituisset, concepit quidem, sed edere partum non potuit quousque dirupto ventre interiit. Fuerant enim usque ad tempus illud quo exierant bene conversatæ. Ad hoc autem egredi permissæ sunt, ut de rebus parentum, qui forte nuper obierant, aliquid monasterio reportarent. Sed hac occasione sæculum pergustantes oblitæ sunt Deum. Ex quo apparet quam periculosa sit peccandi licentia. Quod et Alipius amicus sancti Augustini lapsu suo probat, qui cum hortaretur a quibusdam amicis theatrum adire, detestatus est videre hujusmodi lusum tamquam profanum. At illi hunc manibus trahebant. Ille claudens oculos, nec contrahentibus reniti valens, jurabat non se ibi quidquam visurum. Sed cum subito cachinnus in theatro increpuisset, oblitus est, et oculos aperuit. Cum illico ita cor ejus illectum est, ut vix post multum tempus ab hujusmodi ludo posset ab Augustino remorari. Quis-

A quis ergo non vult uri, exsilientem igniculum non sinat super cutem suam, licet paululum, remorari. Nec prætereundum est, quod in prædito cænobio cuidam puellæ morienti malignus hostis apparuit, quæ vehementer intremiscens, recordata est quod unam aculam sine licentia habere, quam de loco, ubi hanc esse dixit, sorores detulerunt, sed dæmon non recessit. Illa vero aliquid proprium se adhuc habere cognoscens pro quo malignus hostis instaret, tandem recordata. Tum, ait, filium sericum ad spondam habeo, quo vix reperto et allato, mox diabolus recessit, et puella quasi subridens migravit. Ista forsitan parva et indigna relatu judicabuntur ; sed si Deus, qui, ut dictum est, facit magna et inscrutabilia, ista nostro tempore B facere dignatus est, quam magnipendimus, qui nec talibus digni fueramus ?

XXII. Si somnio fides adhibenda est, visionem quam Guido monachus de Solemniaco vidit non piget referre. Namque videbatur illi quod Ganzilnum, qui paulo ante migraverat in ecclesia, et blavinea cuculla vestitus in feretro custodiebatur, ante quemdam abbatem veneranda canitie prostratum conspiceret veniam postulantem ; sed prædictus abbas dedignabatur propter blavineam cucullam, qua indutus erat, dicens, quia non cognosceret eum, nec veniam illi esset daturus, quousque regularem vestem acciperet. Tunc vero prædictus Ganzlinus surrexit, et ad eumdem Guidonem tremens et valde confusus cucurrit. C Nec nos discredimus. Nam ipse Ganzlinus cum fratribus cellæ Dolensis nuper fuerat, a quibus ea voluntate rediit, ut vestem protinus mutaret, nihilque proprium exinde haberet. Credendum est igitur, quia Deus, qui judicat fines terræ, id est ultima hominis opera, hunc pro bona voluntate in qua obiit, ad indulgentiam recepisset, talique indicio ad incitandum alios monstrare voluisset. Ista vero signa de proximo retulimus, ut qui prisca non formidant, vel recentia pertimescant. Nam illi quos per carnem strangulatos, et hi quos per luxuriam dæmoni traditos diximus, ob hoc in præsenti puniti sunt, ut qui pœnam, quæ eos sequitur, considerare negligunt, vel de ea qua perempti sunt compungantur. Nam quis D absque metu audiat quod dæmon per unam acum et unum filum puellæ obitum calumniabatur, nisi forte is cui propheta dicit : *Columba seducta, non habens cor ?* (*Ose.* VII, 11.) Et unde dicitur, quia non timuerunt, nec homines fuerunt ? Si enim Ananias et Saphira propter avaritiam percussi sunt, cum ita persecutiones et innumeræ necessitates novellam Christianitatem cingebant, qua pœna plectendi sunt, qui dictu et exempla antiquorum noverunt, et absque ingenti necessitate plusquam constitutum est usurpavere ?

(70) *Quidam de Cormarrino.* Cœnobio nempe pagi Turonensis in honore sancti Pauli constructo, quod scriptor Chronici Lemovicensis *Cormaricense* vocat, aitque fundatum ab Iterio quodam sancti Martini monacho sub annum 782, his verbis : « Fundatum est hoc tempore Cormaricense cœnobium sub Iterio abbate, qui a beati Martini Turonensis Ecclesia tam exordium quam incrementum subsequens habuit. » Vocaturque vulgo *Cormery*.

De vestitus autem qualitate vel immutatione ipsi sæculares contra monachos indignantur, quia semper illa superbia detestabilior est, quæ ibi se ostendit, ubi major humilitas regnare debuerat. Eis igitur, qui in humilitatis habitu jactantiam coloris quærunt, illud propheticum congruit : *Frons mulieris meretricis facta est tibi* (*Jer.* III, 3). Quibus nimirum satius fuerat, ut voluntatem Dei magis quam suam facientes, Eliæ et Joannis imitarentur exemplum, potius quam divitis, qui purpura indutus et bysso a Christo redarguitur, et Herodis qui in veste fulgenti ab angelo legitur percussus interiisse.

XXIII. Occasione illius verbi, quo Deus ad prophetam loquens filios Irael apostatrices gentes vocat, occasionem sumpsimus, qua contra nos miseros, non monachos ut falso nominatur, sed sarabaitas (71), id est renuitas, qui jugum regularis disciplinæ renuimus ista diceremus. Sed quid fiet cum jam nec patriarcharum exempla, nec prophetarum mysteria, nec apostolorum spicula nec quorumlibet sanctorum Patrum verba, quin etiam nec sancti Evangelii tonitrua cordis nostri duritiem emollire valeant ? Ita omni religio in contempu est, ita cuique libitus dominatur, ut illud poeticum nobis convenire videatur :

Cætera sunt curæ, Deus est oblivio solus.

Hoc tamen quod propheta post illud verbum superius dictum Deus subjunxit, si forte et deinde vel ipsi audiant, magnopere pensandum est quantam vim habeat. Si forte etenim dubitativum adverbium est, quod id videlicet verbum Dei idcirco sermoni suo interserit, ut paucos esse significet qui correptionem ejus recepturi sunt. Sed et prædicatores suos consolatur, et exhortatur ; ut cum meminerint quod ipse Deus in suis sermonibus se contemnendum insinuet, et tamen ad contemptores suos loqui non cessat, non contristentur, iidem sancti prædicatores dum contemnuntur, sed nec omnino a correptionis officio ullatenus cessent. Nam et hoc quod addit vel ipse, magnum pondus habet, eisque nimirum congruit qui prædecessores suos recolunt punitos ; qui tamen eos imitari non desinunt, et evestigio tribulationes sicut ipsi patiuntur, vel ipsi, inquit, id est qui prædecessorum suorum exemplum in adjutorium correptionis habere poterant, qui et afflicti, obsessi, conclusi, omnia quæ in hoc mundo habuerunt bona perdiderunt, urbes erutas, eversa castra, depopulatos agros, suffossas ecclesias vident : et tamen eosdem prædecessores suos ad iniquitates sequuntur, nec ab eorum elatione mutantur, aut recedunt, propter quam eos toties plecti conspexerunt.

XXIV. Potentiores quidem tanto cautius alloquendi sunt, quanto et laxiorem vitam ducere permittuntur, et ipsi sua potentia veluti quadam superbiendi materia ne se humilient incitentur. His ergo verba Gregorii Nazianzeni, quæ in Jeremia loquitur ita proferantur. Ad vos mihi sermo convertitur. Quid ergo dicetis? putasne patiemini, ut non secundum personam, sed veraciter agam vobiscum? An libenter accipietis quod lex Christi sacerdotali vos subjicit potestati? Dedit enim nobis potestatem multo perfectiorem tribunalibus vestris. Aut nunquid justum est, ut a terreno cœlestia superentur ? ergo patienter quæso, accipite, libertatem nostram. Scito te, quisquis es, ovem gregis esse mei a Christo mihi summo pastore annumeratam, et a sancto Spiritu consignatam. Scito te inter sacra altaria cum veneratione subjici manibus sacerdotis. Scito beatæ Trinitati cultum fidemque debere. Nolumus inæquales quidem videri, ut abjectos videlicet doceamus, et vestræ potentiæ credamus, aut erga illos et non erga vos utamur libertate, quam nobis Christus in Ecclesia dedit : alioquin illis potius consulere, vos vero descipere ac negligere videremur. Quorum itaque majorem curam habere dignum est? tanto, inquam, majorem, quanto ad multorum perniciem pertinet. si quid a vobis erratur, et rursus multorum saluti consulitur, in quibus justitiam tenueritis et clementiam. Tu, o homo, qui, licet aliis prælatus sis, æqualis tamen natura tibi est cum illis ; memento igitur quantum Deo debitor sis, qui tibi super æquales tribuit potestatem. Noli attendere quid potes agere, sed quid debes. Ipsius enim dispositione gladium portas, non ut ferias, sed ut communeris, quem utinam impollutum restituas commendatori Christo, qui idcirco potestatem divinitus tribuit, ut quos sanctæ Ecclesiæ auctoritas propter propriam virtutem ab oppressione pauperum frenare non sufficit, per istorum opitulationem comminuat. Hinc Deus ad Job : *Nunquid valet rhinoceros servire tibi, aut confringet glebas vallium post te?* (*Job* XXXIX, 9.) Subaudi : sicut post me, quia non hominis, sed Dei virtus est, ut potens quilibet ad cœlestis disciplinæ provectum potentiæ suæ culmen humiliet, et exerceat, oppressoresque humilium quasi glebas refrenet. Sed quid fiet ? Nam juxta Isaiam, qui a malo recedit prædæ patet. Principes socii furum diligunt munera, pupillo et viduæ non judicant, quibus per Sapientiam dicitur : *O vos qui placetis vobis in turbis, data est vobis potestas a Deo, qui interrogabit opera et cogitationes vestras, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet* (*Sap.* VI, 3-6). Exiguo enim conceditur misericordia, et fortioribus fortior instat cruciatus.

XXV. Ne igitur, o principes, comminationes istæ vos maneant, si potentes estis humiliamini sub potenti manu Dei; mementote qualia vitia vicinius potentiam comitentur. Solent enim potentes superbire, de temporalibus gaudere, et ut sit quod abundanter

(71) *Non monachos, sed sarabaitas, id est renuitas.* Monachorum quatuor genera : cœnobitæ, anachoretæ, sarabaitæ, gyrovagi, sicut notat S. Benedictus cap. 1 Regulæ, ubi et quinam sarabaitæ forent explicat.

expendant, vel habeant, solent aliena concupiscere. Contra superbiam namque Scriptura dicit : *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* x, 9). Contra temporale gaudium dicitur: *Risus dolore miscebitur* (*Prov.* xiv, 13). Nam quomodo innocens erit cupidus, quoniam videlicet cupiditatem Apostolus sanctus etiam idolis comparat, dicens; *Avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Ephes.* v, 5): et sanctus Gregorius de hac disputans perhibet, quia quisquis avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum adhuc liber non est? Jubentur quoque non sperare in incerto divitiarum, sed in Deum bene facere, facile tribuere. Et ut suis tantum, et non alienis utantur, dicit eis Joannes Baptista: *Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* iii, 14).

XXVI. Illis vero qui rapinis pauperum pascuntur severius obviandum est. Nam et illi qui pauperes quidem non affligunt, sed tamen afflictoribus eorum resistere non curent, vehementer utique peccant. Isti ergo noverint quia solatium sui adjutorii Deo subtrahunt, dum pauperes ejus non defendunt. Sicut enim in suis gravatur, ita et in ipsis refovetur. Unde scriptum est: *Et in servis suis consolabitur* (*II Mac.* vii, 6); *et ipse qui non est mecum adversum me est* (*Matth.* xii, 30). Et Paulus: *Adjutores Dei sumus* (*I Cor* iii, 9). Et propheta : *Non ascendistis ex adverso neque opposuistis murum pro Hierusalem* (*Ezech.* xiii, 5). Raptores vero cogitent quia dum pauperes lædunt, usque ad Dei ipsius læsionem manus extendunt. Vox enim ipsius est: *Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Cum ergo affligunt pauperes, utique Deum affligunt, sicut ipse testatur dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* xxii, 7). Cœlum jam ascenderat, et adhuc Sauli persecutio hic sua membra tangebat. Sicut enim per bonos loquitur, dicente eodem Paulo : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* xiii, 3). Sic ipse in afflictione humilium laceratur, dicente Malachia: *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me, maledicti estis gens tota qui configitis me* (*Malac.* iii, 9). Et non solum qui affligunt, sed etiam si nimis sua qui ditiores sunt vendiderunt, utique peccant. Unde et Amos: *Audite qui conteritis pauperem, qui dicitis; possideamus egenos, et quisquilias frumenti vendamus. Juravit Dominus, si oblitus fuero usque ad finem, et convertam omnia cantica vestra in planctum, et novissima in diem amarum* (*Amos* viii, 4, 5, 6, 10). Item ipse: *Væ qui opulenti estis optimates, capita populorum, ingredientes pompatice, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris, bibentes vinum in phialis* (*Amos* vi, 1, 2), quia videlicet dedignantur bibere in rusticanis vasis, et quod sequitur : *Juravit Dominus in manu sua, detestor ego superbiam* (*Ibid.* 8). Et Micheas: *Nonne verba mea bona sunt, et cum eo qui recte graditur, et e contrario populus meus in adversarium consurrexit? Viduas ejecistis de domo et a parvulis tulistis laudem meam* (*Mich.* ii, 7, 9). Et item : *Audite, principes, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, abscondam faciem meam a vobis, sicut male egistis* (*Mich.* iii, 9, 4). Et ut ostenderet se esse qui in servis suis omnia adversa pateretur, ad beatum Job ait : *Nunquid impetus aquarum operiet te?* (*Job* xxxviii, 34). Subaudi, ut me, quoniam iniqui per prædicationem sanctorum loquentem quidem audiunt, sed non intelligunt, et per aflictos patientem vident, sed non considerant. Quapropter audiant consilium sancti Jacobi dicentis: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ supervenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tinea comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum vobis in testimonium erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis* (*Jac.* v, 1-3). Alioquin cum hæc illorum umbratilis delectatio et transitoria pauperum pervolaverit afflictio, fiet utrisque illud Isaiæ: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis, ecce servi mei bibent, et vos sitietis, ecce servi mei lætabuntur et vos confundemini* (*Isa.* lxv, 13), et quid multa? omnis totius Scripturæ comminatio jaculatur in eos, nisi resipuerint.

XXVII. Non ergo lætentur, et dividant spolia, remordeantur illius verbi memoria, quo dicitur: *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* (*Isa.* xxxiii, 1.) et quod in Job perhibetur, *aufertur violentus absque manu* (*Job* xxxiv, 26). Videt enim raptor quos rapit, sed eos qui in morte illum rapturi sunt non videt, aufertur itaque absque manu qui violentus manu fuit, quia subito exitu urgente, invisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat, et raptores suos non videt, et tamen ad exitum impellitur. Nunc enim dum quisque violentus quos voluerit opprimit, dum omne quod nequiter concupiscit, exercere permittitur, fit sæpe ut in majore cordis cæcitate prosiliat, et quia non statim percutitur, quia pœna ejus in posterum differtur, nequitiam suam aut a Deo videri non putet, aut hanc et non displicere credat. Unde et eamdem nequitiam corrigere negligit, pro qua non statim ultionem incurrit. Sed superiori verbo de Deo subjungitur: *Oculi ejus super vias hominum, et omnes vias eorum considerat* (*Job* xxxiv, 21). Tunc enim Deus non considerare nequitiam credebatur, quando violentus iste omne malum quod poterat inulte perpetrabat, et magna ejus patientia quasi quædam negligentia putabatur. Sed eat nunc, et ad quamlibet violentiam præsumendo prorumpat, voluntatem suarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentum oppressione satietur, et quia necdum percutitur, vias suas a Domino aut non videri existimet, aut, quod pejus est, approbari. Veniet profecto, veniet æterna et repentina percussio, et tunc cognoscet cuncta a Deo prospici, quando se improviso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna sua oculos aperit quos diu tenuit clausos in culpa. Tunc considerare omnia verum judicem sentit, quando malorum suorum meritum jam evadere sentiendo non possit. Tamen quemlibet

raptorem, ut in Examerum dicitur, bene silurus ille piscis significat, qui cum jugiter alios pisces devoret, ipse tamen capitur et voratur. Sed raptores utinam quæ eos supplicia maneant, vel utcunque addiscerent. Homo ille cui dictum est : *Stulte, nocte repetant animam tuam abs te : quæ præparasti cujus erunt ?* (*Luc.* XII, 20) non condemnatus quod aliena rapuerit, sed quod in multitudine divitiarum suarum gloriatus sit. Sed neque ille purpuratus propter rapinam interiit, sed quia eleemosynam non fecit. Quales ergo sunt Christiani raptores, vel quid merentur qui fratres suos occidunt, pro quibus animas ponere jubentur? Occident, inquam, dum affligunt, quoniam non solum qui rapit, sed qui mercenarium defraudat, par homicidæ perhibetur.

XXVIII. Cum omnis esset mundus in maligno positus, persuasum est tamen hominibus timere Deum, et non solum non diligere mundum, sed et contemnere, ut pro amore sequentis vitæ semetipsos ad quælibet tormenta tradiderint ; nunc vero cum universa ad eruditionem Christianorum pertinent et verbis et exemplis dilucidata sunt, tamen ista simul omnia contemnuntur, ut Judæorum perversitatem nostris moribus inesse demonstremus. Nam erga illos adeo divinæ providentiæ cura intendit, ut præ cæteris mortalibus nova quædam et magnifica vitæ instituta procurata sint. Omnis quippe, ut ita dicam, natura ad ministerium eruditionis eorum servit, qui videlicet post omnia divinæ virtutis insignia, post tantam gloriam sibi datam, quam hucusque mundus omnis miratur, caput vituli adoraverunt, postea habentes templum et illa quibus quotidiana sacrificia consummabant, habentes etiam prophetas alios defunctos, alios superstites, qui eos et de actibus præsentibus informarent, et de antiquis Dei beneficiis commonerent, quæ in Ægypto fecerat cum eis, quæ in deserto, quæ etiam in terra repromissionis, cum ingressi sunt : tamen in his omnibus nihil non solum non profecerunt, sed etiam in ipso templo idola coluerunt, et nunc de gente in gentem, nunc de regno ad populum alterum transmigrantes sine lege, sine Deo, sine sacrificio relicti sunt. Nos quoque genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quibus manifestatum est magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum in gloria : qui gustavimus, ut ait idem Apostolus, cœleste donum, et illuminati sumus, habentes quoque tantam impositam nubem testium, videlicet universa Veteris ac Novi Testamenti instituta, cum deberemus deponere omne pondus et circumstans nos peccatum, et per patientiam ad propositum currere certamen, rursus ad egena elementa devolvimur, et ventos, ut ait propheta, quasi dracones attraximus, rursus Christum crucifigentes et ostentui habentes. Quapropter omnimodis timendum est, ne fiat in nobis illud quod terribiliter Apostolus de talibus ibi commemorat. Dicendum est hujusmodi illud Job : *Scitote esse judicium* (*Job* XIX, 29). Et item : *Statim ut se moverit, turbabit vos, et terror illius irruet super vos* (*Job* XIII, 11). Et item : *Quid facietis cum se moverit ad judicandum Deus?* (*Job* XXXI, 14).

XXIX. Hi sane, quos præsens gloria et vita nimis delectat, quorum voce propheta dicit : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (*I Cor.* XV, 32), dicere solent : Cur Deus divitias hujus vitæ creavit, si eis ad libitum uti non debemus ? Sed sufficere deberet illa vis eloqui, quo dicitur : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II, 15), *et si quis amicus ejus voluerit esse inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV, 4). Et item : *Qui festinat ditari, non erit innocens* (*Prov.* XXVIII, 22). Quod in Esau expressum est, qui lentis edulium præoccupare gestiens, primogenita quæ erat suo tempore percepturus amisit. Hæc ergo, et multa hujusmodi sufficere deberent, quia non potest solvi Scriptura ; si tamen hoc humano metitur exemplo, sciendum quia postquam a paradisi gaudiis decidemus, spiritualia, ut sunt, cogitare nullo modo valemus. Unde factum est, ut carnales quique nulla jam noverint, nisi ea quæ corporeis oculis palpando, ut ita dixerim, cognosci valent : nec se jam ad summam curam erigere, sed in infimis consentiunt libenter jacere. Quorum mentis excæcatio in tantum densata est, ut iidem, cum illa invisibilia sentire per experimentum rei non valent, jam dubitent utrumne sit aliquid quod oculis corporeis non videtur, nisi quibusdam visibilibus exemplis eadem visibilia quodammodo monstrarentur, juxta illud exemplum quod beatus Gregorius in Dialogo ponit de matre, quæ forte prægnans cæco carcere damnata sit, et ibi pariat, et nutriat : quæ si filios jam intelligenti rerum mundalium species narrare voluerit, ille qui nihil nisi tenebras vidit, audire quidem potest quæ mater dixerit, sed ipsas ut sunt species sine experimento intelligere nequaquam potest. Ne ergo nostra cæcitas nos ab intellectu principali omnimodis excludat, placuit divinæ providentiæ quædam in hoc mundo creare, quæ quinque sensibus corporeis placida videantur. Videlicet quædam placent colore, quædam odore, quædam sapore, quædam sono, quædam levi tactu : ut sicut venatores viso vestigio bestiæ jam qualis illa bestia sit experimento vestigii cognoscunt, ita nos quæ in hoc mundo delectant videntes, intelligamus quanta sint cœlestia, si tanti momenti videntur esse terrestria, et illa velut jam nota concupiscentes, ista retro faciamus sicut venatores vestigium post bestiam festinantes. Alioquin sicut senatores frustrantur, si vestigium tantum admirantes, bestiam non quæsierint : sic officiperdi nos erimus, si caducis nimium inhæserimus. Hæc ergo omnia quæ in mundo delectant, vestigia quædam sunt cœlestium bonorum. Non ergo istis inhiemus, sed experimento illorum bonorum, quibus merito inhiandum est. Nunquid

idcirco se debet in aquam quis mittere, quia sitim indiguit ex ea refocillare? Aut ob hoc ignis est amplexandus, quia vel ad coquendum, vel ad frigus arcendum probatur accommodus? Raptores igitur, qui pauperes in rebus temporaliter affligunt, videntur sibi stultitiæ vestigium eligere, illos vero, licet nolentes, ad quærenda cœlestia salubriter impellere.

XXX. Qua vero dementia pro transitoriis rebus et Deum offendere, et proximum gravare, et mensuram bonam perdere non trepidant, ea quoque dementia tanto se meliores putant, quanto in eisdem rebus, per quas pejores sunt, bonis et piis fratribus excellere videntur; et putant se tanto plus habere, quanto plus viderint posse, et cum ipsi multorum vitiorum sint servi, gaudent quibusque fratribus se posse dominari. Sed si adeo sunt animales, ut nihil, juxta Apostolum, spiritaliter intelligere possint, vel æqualitatem naturæ considerare deberent. Nobilitatem quippe mundanam non natura, sed ambitio præstitit. Ad unitatem quippe commendandam, Eva de ipso Adam formata est, et Adam licet major, tamen extra paradisum, illa in paradisum. Unde scriptum est: *Nemo ex regibus aliud habuit nativitatis initium, et unus est omnibus introitus ad vitam, et similis exitus* (*Sap.* VII, 5). Et certe, ut ait Hieronymus, omnes per divinam gratiam æquales efficimur, quos nativitas secunda regeneravit: per quam tam nobilis quam ignobilis Dei filius efficitur, et terrena nobilitas splendore cœlestis gloriæ obumbratur. An pauperiores sordidius generantur, cum et David plangit se in peccatis conceptum? An nitidius regenerantur nobiles, cum juxta Jacobum pauperes elegit Deus, divites in fide? Job æqualitatem pensabat, qui non contempsit subire judicium cum servo suo, licet rex. Et domnus Martinus, qui ita servo suo versa vice serviebat, ut ejus calceamenta detergeret. Esau, quem Dominus odio habuit, cum quadringentis viris gradiebatur. Jacob, quem elegit, in baculo suo Jordanem transiit. Omnes libros antiquitatum considera, potentiores semper invenies pejores. Nam, ut hoc inferam, sudoribus pauperum præparatur unde potentiores saginantur. Vestes illæ, et histriata tentoria, sed et exotici cibi num pauperiorum manibus preparantur? Si qua vero pulchritudo in eis est, aut suavitas, artifices laudandi sunt, ut Boetius dicit, et non hi qui eis utuntur: qui cum emendicata ab exterioribus rebus veritate decorari gestiunt, propriam sibi non sufficere produnt. Unde Hieronymus: Offendere timet odore proprio qui placere quærit alieno. Sed hi qui amplexantur ventos, et confidunt in nihili, meminisse debent quia, juxta Job, divitias quas devoraverunt evoment, et de ventre eorum extrahet eas Deus, et si duxerint in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendent. In puncto videlicet, quia sicut stylus dum ponitur elevatur, sic iniquus dives præsens gaudium dum tangit amittit. Nam quantislibet annis feliciter vixerit, cum ad finem venerit, ita tempus illud longum consumitur, ac si breve fuisset.

XXXI. Ut autem interim de sequentibus pœnis taceamus, nonne pro ipso defectu contemnenda magis fuerat præsentis vitæ gloria? fuerunt ante nos et potentes, et superbi, et voluptuosi. Sed quid illis profuit immoderata lætitia, vestes et odoramenta diversæ voluptatis, et rerum opulentia? ubi illa nunc sunt, vel ubi ipsi? accedamus ad eorum sepulcra, et quid ibi videbimus? fetidas vermium reliquias. Probabimus verum esse quod de impiis dicitur: *Transiet ut nocturna visio* (*Job* XX, 8). Ut enim qui in pœna qualibet positi prosperitatem, quam vigilantes desiderant, forte somniantes habere se vident, cum expergefacti fuerunt, vanum fuisse quod somniaverunt, nec sibi prodesse cognoscunt: sic amator et conquisitor hujus vitæ, cum ab ea discedit, nihil fuisse quod transire licet delectando potuit, et nudatus, et desertus, et annulatus addiscit. Sed utinam omnis pompa mortalium usque ad cineres et vermes solummodo evenisset! sed cogitemus horrendum judicis tribunal, ardentem fluvium, vermes qui non morientur, ignes gehennæ, fletus et stridorem dentium, et præ oculis habeamus quasi jam ad hæc ventum sit, pertimescamus quasi jam præsens, quod etsi tardet, futurum est tamen. Adhuc autem super his quæ diximus est multo gravius malum excludi a perennibus bonis, quæ præparata sunt sanctis. Omnes enim superat cruciatus, removeri ab illa gloria, quam habueris in potestate fruendi, maxime a conspectu Christi foras ejici, cum viderimus alios etiam, cum quibus hanc vitam ducimus, intromitti. Crede mihi, ut in increpatione lapsi dicitur, hoc est quod gehennam superat, quod omnibus pœnis gravius torquet. Demus, si placet, ad fruendum deliciis centum annos, et si mavis, decies tantum. Sed quæ erit ex his compensatio ad æternitatem? Sed qui in eis passibiliter inhærent delirare nos credunt. Attamen ignorare non possunt, quia deliciæ quidem velut umbra pertranseunt, et velociter fugiunt, pœnæ vero perpetuo manent. Quod si æquale tempus et idem spatium esset, pene esset aliquis ita stultus, et ita demens, ut eligeret pro uno die deliciarum unum diem pœnarum, cum soleat dolor unius horæ, et quilibet corporis cruciatus, in oblivionem mittere omne præteritum tempus voluptate transactum. Hoc enim providit Deus, ut hæc vita laboris quidem esset, sed tamen ipsa brevis vita, ut labores cito finiantur, meritorum præmia sine fine durent, ut qui Deum timet, sicut scriptum est, cito sit securus; temerarii vero voluptates, quas ei præponunt, velociter amittant, et mercedem, quam oportet, æternaliter incurrant. Non igitur eligamus inter fallaces voluptates quasi unius horæ delectabile somnium videre, ne nos contingat inter veras miserias æternos cruciatus subire.

XXXII. Insinuandum igitur eis est ut caute considerent quid sit homo, et ante qualem judicem stabit. Intueantur illius potentiam, pensent suam infirmitatem, enumerent mala proprii operis, et contra

hoc exaggerent bona illius largitatis. Considerent A quam districte mala, quam subtiliter bona discutiat, quam districtus contra hæc utraque veniet. Versetur in mente quantus ille sit tanti judicii adventus, quæ tunc illa sit hominum angelorumque frequentia, quanta illa sit verecundia in conspectu totius humani generis, omniumque angelorum et archangelorum confundi; quanta vi contra reprobos ardentia pugnent elementa, et ipse judex, cui supernæ virtutes obsequuntur, quanta si universæ magnitudinis cordium secreta illuminet, et omnes culpas ante omnium oculos reduxerit. Postremo quam terribilis illa sententia prodeat, qua reprobi damnabuntur, et quæ sint gehennæ pœnæ cum gravi amaritudinis obscuritate pensent, qui post confusionem cruciatus maneat, cum reatus ani- B mum immortaliter morientem et gehenna carnem indeficientem consummaverit deficientem. Inter hæc mens ad se respiciat, et illinc destrictionem justitiæ, hinc meritum ponat culpæ, et periturum se homo absque aliqua ambiguitate pernoscat, si remota pietate judicetur. Convertatur ad pœnitentiam, ut pro certis culpis pietas ei adsit, quæ per lamenta præsentia eruere ab æterna pœna consuevit, et quæ vitam nostram sic ad se conversam judicat, ut tamen culpas apud misericordem excuset. Libeat flere salubriter quod deflenda jucunditate commissum est. Licet enim conscientia dudum sit polluta, lacrymis tamen baptizata renovatur. Hinc scriptum est: *Dominus judicabit fines terræ* (*Psal.* IX, 9), quia nimirum anteactam vi- C tam Dominus non judicat, quando posteriora peccatoris opera respectu supernæ pietatis illustrat. Hinc Moyses: *Primogenita asini mutabis ove* (*Exod.* XXXIV, 20), id est, immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem converte. Hinc rursus dicitur: *Et lumen ejus super terminos terræ* (*Job* XXXVII), quia videlicet peccator, qui merito terra appellatur, si post prava opera ad justa convertitur, ab actionum suarum tenebris divino lumine separatur. Hinc Dominus ad afflictum Job: *Nunquid in novissimis abyssi deambulasti?* (*Job* XXXVIII, 16). Abyssus est humana mens fluctibus vitiorum tenebrosa, quæ dum semetipsam comprehendere non valet, sese velut obscura abyssus latet. In novissimis abyssi deambulare, est nequis- D simorum hominum mentes mira misericordia juxta terminum convertere, pressos sceleribus visitare, jam desperatos permutare. Ad hanc namque David atque Petrus lapsis referuntur, ut quorum dictis peccare prohibemur, eorum exemplis si peccaverimus ad spem veniæ respiremus. Nam quis de venia jam si pœniteat desperet, quando Petrus ipsum Simonem Magum ad pœnitentiam hortatur?

XXXIII. Illud præterea nullatenus animo abscedat, quod sive patiantur verbum inimici pacis et correptionis, sive non patiantur audire, pro eis ad exemplum Salvatoris nostri vel beati Pauli certatim orandum est. Idem namque Paulus noverat quod ipsum ejus cruorem sitiebant, cum eis nulla industria salutem persuadere posset. Hoc unum et solum quod poterat præstare nitebatur, nam lacrymabatur et orationis opem adhibebat, *Fratres*, inquiens, *voluntas cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis ad salutem* (*Rom.* X, 1). Non itaque nos prætereat, quod inimicos exemplo ejus diligere debeamus, et si non simus tales, ut juxta Apostolum rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscipiamus, vel simus tales qui persequentibus nos benedicamus. Quod quidem duram superbis videtur. Christus dicit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Stephanus dicit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59). Paulus ait: *Optabam anathema esse ego ipse a Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem* (*Rom.* IX, 3). Moyses dicit: *Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, et me dele de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 31, 32). David enim ait: *Vertatur manus tua super me et super domum patris mei* (*II Reg.* XXIV, 17). Samuel ait: *Mihi absit peccare intermittendo pro vobis Deum orare* (*I Reg.* XII, 23). Quam igitur veniam mereri poterimus, si tantorum servorum de Veteri atque Novo Testamento, et præsertim ipsius Domini non imitamur exemplum. Ut enim in prima homelia de cruce et latrone Joannes asserit, melius orare pro inimicis est, quam pro amicis. Unde Dominus: *Si diligitis*, inquit, *eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?* (*Matth.* V, 46). Si ergo pro solis amicis oraverimus, nondum publicanos vincimus. Quando pro inimicis oramus, Deum in quantum possibile est imitantur. Hinc beatus Gregorius ait, quia divinis auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Hoc tamen quod dicimus prælatis maxime gerendum est, qui et divina præcepta plenius et melius sciunt, et teneras ac indociles subditorum mentes portare quasi nutricii vel patres debent. In hoc enim quod pro alienis peccata interveniunt, sicut in ultima Ezechielis parte homelia nona perhibetur, sua ante Dei oculos plenius detegunt, quia ea ipsa charitate justificant se, qua mira pietate pro aliena iniquitate se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse doctoribus pro conversis peccatoribus lacrymas fundere quando et ipse qui omnia creavit homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit.

XXXIV. Quoddam nuper gestum miraculum mente exciderat; quod an prædones redarguendos inserere placet. Est ecclesia S. Aventini in Arverno super fluvium, qui vocatur Alerius. Cum juxta hanc negotiatores cum porcis transeuntes vidissent sibi equites appropriare quosdam, timentes eos in curam ecclesiæ diverterunt, unus ex equitibus dixit ad eos: Educite porcos. Cumque illi nollent, coegit eos, promittens aliquem porcum se daturum. Tunc quidam viro ex suis porcos ad minandum commendavit, et tractum abire cœpit. Ille vero qui porcos minabat aliquantulum progressus subito corruit, et coxam sibi fregit. Verum ille qui porcos minare jusserat, vulpem viæ contiguam

forte conspexit, post quam videlicet equo dimisso currere cœpit. Cum subito lapsus ita subtus equum depressus est, ut illa pars sellæ quæ proeminet caput ejus penitus truncaret. Negotiatores, qui flendo sequebantur, receptis porcis fugerunt. Illi vero qui raptor exstiterat, non placebat vecordia sua. Hoc ego ab ipsius consobrino didici. Hæc de afflictoribus pauperum dicta sunt. Nunc in existente illo vestro quæ possumus proferemus, quasi videlicet obliti quod multa jam superius ad eorum solatium dixerimus. Quibus hoc primitus intimandum est quod non fortuitu, sed divina dispositione vel prospera vel adversa, et cunctis et singulis disponuntur. Hinc enim scriptum est, ut supra diximus : Nihil in terris sine causa fit : hinc per Amos dicitur : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit* (*Amos* III, 6). Et per Isaiam : *Quis dedit Jacob in direptionem*? (*Isa.* XLII, 24.) et Israel vastantibus : *Nonne Dominus ipse cui peccavimus* ? (*Ibid.*) Nam de bonis, quibus utilitatis causa datur adversitas, prædictus Amos dicit : *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super omnes iniquitates vestras* (*Amos* III, 2). De pravis autem quibus Jeremias calicem furoris propinat, dicens : *Hæc dicit Dominus, bibentes bibetis, quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affigere vos, quasi innocentes immunes eritis ? non eritis immunes* (*Jer.* XXV, 28). Hæc igitur considerantes murmurationis excessum inter quaslibet angustias temperabimus, sicut rex David cum diceret : *Obmutui, et non aperui os meum*, sed quare ? *quoniam tu fecisti* (*Psal.* XXXVIII, 10).

XXXV. Occulto igitur judicio fit, ut tam apud bonos quam apud malos et prospera et adversa varie, sicut supra dictum est, alternent. Usitatius tamen hic et bonis male est, et malis bene. Quod videlicet idcirco forte occulto judicio fit, quia et boni quæ deliquerunt hic recipiunt, ut ab æterna damnatione plenius liberentur, et mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde et ardenti in inferno diviti dicitur : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI, 25). At cum malis hic male est, et bonis bene, incertum valde est utrum boni idcirco bona accipiant, ut provocati ad aliquid melius crescant : an justo latentique judicio hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a præmiis vitæ sequentis inanescant. Et utrum malos idcirco adversa feriant, ut ab æternis suppliciis corrigentia defendant : an hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda eos ad ultima gehennæ tormenta perducat. Sancti ergo viri magis in hoc mundo prospera quam adversa formidant. Sciunt enim, quod adversa dum premunt, ad cœlestia concupiscenda, quo plena requies est, mente eos impellunt. Si vero prospera suppetunt, pavida suspicione turbantur, timentes ne exterioribus remunerati ab intimis repellantur. Et idcirco eadem prospera tanto majori aspernatione refugiunt, A quanto plenius sciunt quod eorum dulcedo in despectum supernæ dulcedinis blandiatur, et quod sic sua soleant occupatione mentem ad exteriora diminuere, ut quomodo permutetur ignorent. At contra sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, transitoria appetunt, æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt nec dolorem pro his, quæ admiserunt, sentiunt, nec habere consilium recuperandi curant. Cumque superna non considerent, nequaquam ad veritatis lumen, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt, nequaquam ad contemplationem æternæ patriæ desiderii aciem tendunt, sed semetipsos in his, ad quæ projecti sunt, deserentes, vice patriæ diligunt exsilium, quod patiuntur. Et inde est quod miseram hujus vitæ felicitatem B intantum affectent, ut cum qualibet Dei offensione vel proximorum læsione hanc adipisci malint, quam abjecti esse in domo Dei. Si vero propter bonos ne hic in continua prosperitate positi remunerentur, sive propter malos ut hic emendentur, seu certe qualibet alia secreti judicii causa nobis adversitas veniat, unum superest, ut juxta quod Jacobum hortatur, omne gaudium existimemus, cum varias in tentationes inciderimus. Sed enim, ut Paulus dicit : *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii* (*Hebr.* XII, 11), sed mœroris. Et idcirco frequenter ita res in contrarium vertitur, ut imperiti quilibet pro afflictione, qua meliorari debuerant, pejores fiant. Nam et in desperationem cadunt, putantes se a Deo C derelictos, aut murmurationem dum non recogitant, quia justo judicio tribulantur.

XXXVI. Ne igitur in hæc duo, desperationem videlicet, aut murmurationem incurrant, e contra duo maxime afflictis consideranda sunt, videlicet misericordia et judicium. Unde Psalmista : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1) ; et item : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Quæ duo Conditor et judex noster miro modo tam erga reprobos quam erga electos exercet. Electis namque misericordiam in posterum exhibet, hic tamen eos per judicium duris afflictionibus premit. Reprobos autem hic per misericordiam tolerat, et plerumque bonis temporalibus, quæ desiderant, ad votum quidem fulciri permittit : sed eos ab æternis bonis, quæ libero arbitrio contemnunt, per judicium excludit. Et prosperis quidem aut adversis communiter, ut supra dictum est, tam mali quam boni plerumque fruuntur, sed aliter illi, aliter isti. Nam illi prosperis extolluntur, adversis franguntur. Isti prosperis sustentantur, adversis erudiuntur. Quod quidam sapiens ostendens ait : *Necessaria vitæ hominum aqua, ignis, et ferrum, lac, et panis, et mel* (*Eccli.* XXXIX, 31), etc. Quædam propter adversa, quædam ponens propter prospera. De quibus etiam subjungit : *Hæc omnia sanctis in bona, impiis et peccatoribus in mala convertentur* (*Ibid.*, 33). Ad hanc dispensationem intelligendam, qua divinitus aut misericordiam aut judicium Deus exercet, Jacobus apostolus sapientiam esse necesssa-

riam docet, qui cum de justorum afflictione loqueretur, subjunxit, dicens : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo* (*Jac.* i, 5). Ergo magna sapientia est hanc dispensationem intelligere, et econtra periculosa stultitia nescire. Unde et uxor beati Job quæ ei excessum murmurationis suadebat, quasi una de stultis mulieribus locuta esse redarguitur, et filiis Israel, qui sub tribulationibus in deserto querelabantur, Moyses dicit : *Popule stulte et insipiens* (*Deut.* xxxii, 6). Concilium quippe Dei, est electos suos per temporales afflictiones ad æternum refrigerium introducere. De quo Apostolus dicit : *Non enim subterfugi quin annuntiarem consilium Dei vobis* (*Act.* xx, 27). Pro quo, videlicet consilio manifestando, caput nostrum oportuit pati, et ita intrare in gloriam suam, ut ostenderet, quod omnia membra ejusdem capitis oporteret, ut scriptum est, per multas tribulationes intrare in regnum. Ad hoc consilium, id est, ad hanc dispensationem insinuandam, qua necesse est a tempore baptismatis usque ad finem in angustiis vivamus, filii Israel dilati sunt, ut non statim transito mari Rubro terram repromissionis intrarent, sed per quadraginta annos in eremo demorati, nonnullis sunt afflictionibus afflicti. Qui tamen super manna, quod ad mensuram gomor per Moysen accipere jussi sunt, nauseantes murmurabant, et de hac dispensatione nihil intelligentes aut curantes, ollas carnium desiderabant. Quapropter ut de eis dicitur, non intellexerunt mirabilia Dei, sed cito defecerunt, et non sustinuerunt consilium ejus. Quia vero prædicti exempli sese occasio præbuit, quod in animo serpit in vocem rursus erumpit, videlicet de nobis miseris monachis, vel potius Sarabaitis, qui infrenes ad omne regularis disciplinæ jugum recalcitramus. Nos, inquam, de hujus mundi Ægypto per professam religionem educti, per stadium præsentis vitæ quasi per eremum sub mortificatione crucis excurrentes ad supernæ promissionis requiem festinare debuimus. Sed, proh dolor! ridiculum et angelis et hominibus spectaculum præbentes, in arrepti propositi stadio lentescimus ; et sicut illi despicientes gomor et manna, et ollas carnium desiderantes corde reversi sunt ad Ægyptum, sic et nos, et mensuram, et qualitatem victus a Deo per beatum Benedictum præfixam fastidientes, et sanguineas dapes velut barbari desiderantes, ad apostasiam hujus mundi relabimur consilium non sustinentes.

XXXVII. At vero neque judiciorum, neque misericordiarum profunditas ad liquidum penetrari potest. *Judicia*, inquit, *Domini abyssus multa* (*Psal.* xv, 7); et item : *Quis intelligit misericordias Domini?* (*Psal.* cvi, 43). Attamen intelligere necesse est, quia justum est quod patimur, ut inter quaslibet angustias non murmuremus, sed dicamus : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* cxviii, 137). Et item quod alius propheta dicit: *Increpationem Domini sustinebo quia peccavi* (*Mich.* vii, 9). Intelligamus quoque quia, juxta illud Job, *qui afflictus fuerit, erit in gloria* (*Job* xxii, 29). Et dicamus : *Bonum mihi quia humiliasti me* (*Psal.* cxviii, 71). Nam si æquitas judicii consideretur, murmuratio cessabit, qui valde injustum est, ut reus judicem incuset, cum digna factis æque receperit. Nos enim, ut beato Job improbatur, multum minora exigimur quam meretur iniquitas nostra. Quod et ipse, quamvis ore judicis incomparabiliter laudatus sit, de se fatetur, dicens : *Cum expleverit in me voluntatem suam, adhuc multa alia præsto sunt ei* (*Job* xxiii, 14). Ac si diceret: Cum sublatis omnibus tam rebus quam filiis, cum et consumpta vermibus carne, me usque ad sterquilinium humiliaverit, adhuc multa in me corrigenda visus ejus deprehendit, pro quibus si parcere nollet, juste tormentum exaggerare posset. Qui etiam postquam tanta ac talia patienter pertulit, quæ omnia sæcula stupescunt, nequaquam de victoria gloriatur, sed dicit: *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam* (*Job* xlii, 6). Si autem misericordia quoque perpendatur, qua benignus judex per temporales augustias reos suos ab æterno verbere abscondit, non putabimus nos derelictos, ut quidam facere solent, in prosperis quidem Deum benedicentes, juxta illud: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei* (*Psal.* xlviii, 19); sed in adversis deficientes juxta illud: *In miseriis non sustinent* (*Psal.* cxxxix, 11). Et: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccl.* ii, 16). Sed magis amabimus judicem, qui idcirco reos suos transitoria pœna quasi virgis flagellat, ut eos a gehenna vel a suspendio furcarum absolvat. Ut enim supradictum est, tanto patientius æger ferramentum medici tolerat, quanto putridum esse conspicit quod secat, et quantum per ipsam sectionem salutis medelam sperat. Deus quippe internus est medicus, et peccatorum a nobis contagia secat, quæ inesse medullitus reprobat. Abscidit virus putredinis ferro tribulationis, et quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finem procurat. Quod autem creatura Creatoris judicium discutere nec debeat nec possit, Apostolus ostendit, qui cum de profunditate divinorum judiciorum diceret : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, etc., addidit ; *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* (*Rom.* xi, 33). Homo quippe ab humo vocatur. Respondere ergo Deo non posse convincitur qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo sumptus est, superna judicia discutere idoneus non est. Quia igitur hæc investigare non sufficimus, restat ut sub ejus dispositionibus humiliter taceamus, ne forte si causa districtionis ejus discutiatur, amplius discussa provocetur. Vitari namque vis superni consilii nequaquam potest, sed ejus pondera sibi magna virtute levigat, qui se sub ejus nutibus frenat, et hæc subjecto cordis humero volens portat.

XXXVIII. Murmurationis malum sive desperationis per hoc insidiante diabolo maxime subrepit, quod mali prosperantur, et boni comprimuntur. Ex hoc enim fit, ut vel Deum non curare de bene gestis infirmus animus suspicetur, sicut uxor beati Tobiæ afflicti quæ ei dicit manifeste : *Vana facta est spes tua* (*Tob.* ii, 22), etc. Et Gedeon : *Si Dominus no-*

*biscum, cur apprehenderunt nos omnia hæc, vel* A *judicium ejus non esse justum?* (*Judic.* VI, 13). Neque enim ista mediocris quæstio est, cur malis bene est, et bonis male: quando quidem sancti prophetæ querimoniam de hoc ex persona infirmorum facere videntur. Dicit Jeremias: *Quare via impiorum prosperatur? prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum* (*Jer.* XII, 1). Et David: *Mei autem pene moti sunt pedes, quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII, 23). Et Malachias talibus resistens: *Laborare*, inquit, *fecistis Dominum in sermonibus vestris. Et dixistis; In quo? in eo cum diceretis: Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent* (*Malac.* II, 17). Et Job: *Cur impii vivunt?* (*Job.* XXI) multa quæ sequuntur hujusmodi. Quod B et Salomon insinuans: *Hoc est*, ait, *pessimum inter omnia quæ sub cœlo sunt, quia eadem cunctis eveniunt justo et impio* (*Eccl.* IX, 3), etc. Unde et corda filiorum hominum replentur malitia et contemptu. Scit enim diabolus hunc ordinem rerum, quod videlicet quidam per afflictiones pervenire soleant, aut ad murmurationem, aut ad desperationem. Et ideo cum prædictum Job ad tentandum expetisset, omnem substantiam ejus pessumdedit, sed et omne corpus ejus afflixit: non quod eum pauperem aut ægrum facere desideraret, sed ut per molestias exterius illatas ejus conscientiam fatigare posset, animique virtute nudata ut impie aliquid de divinitate sentiret. Ad hoc enim et nuntios callide direxit, ut unus prius diceret: *Sabæi* C *fecerunt tres turmas, et tulerunt omnia et tunc ignis Dei cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque consumptis* (*Job.* I, 15). Quasi diceret: Pensa quia frustra tot Deum hostiis placare voluisti, cujus iram toleras, quem te in humanis adversitatibus consolaturum sperabas: quatenus dum se foris ab hominibus lædi, et intus a Deo destitui consideraret, in contumeliam tanto audacius, quanto et desperatius erupisset. Adeo namque diabolus id posse fieri præsumebat, ut non solum de quolibet aliquo, sed etiam de ipso Job, cujus similis tunc non erat, ad Deum diceret: *Tange cuncta quæ possidet, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi* (*Job.* I, 11). Verum sic isdem Job contra utraque munitus perstitit. Nam contra murmurationem æquitatem judicis ad memoriam reducit, dicens: *Scio* D *quia si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere unum pro mille* (*Job.* IX, 3); et item: *Non respondebo si quidpiam justi habuero, sed meum judicem deprecabor* (*Ibid.* IX, 15). Contra desperationem vero holocaustorum compassionis, castitatis, humilitatisque, vel multorum talium reminiscebatur, ita ut diceret: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*I Joan.* III, 21). De malorum vero prosperitate non movebatur, quoniam finem eorum considerabat cum diceret: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt* (*Job.* XXI, 13). Sic ergo, et, nunc quilibet mente infirmi cum vident sceleratos quosque ætis successibus prosperari, innocentes vero frequenter luctu et penuria premi, sciunt quia, ut supradictum est, nihil in terra sine causa fit; quia etsi Deus causas flagelli, quo boni opprimuntur, et prosperitates, quibus mali fulciuntur, Deus non aperit, eo tamen justas esse indicat, quo eas ipse, qui summe justus est, fieri jubet. Nihil enim Deo placet nisi justum; pati autem nulla nisi quæ Deo placuerint possumus. Justa sunt igitur cuncta, quæ patimur, quia eo ordinante nobis eveniunt, qui injuste velle nihil potest. Ergo divina judicia, per quæ bonis adversitas evenit, et malis prosperitas, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda. Non igitur discutias, cur ita vel non ita fit: ad finem utriusque respice. David enim in disquirendo laborabat, quousque intellexit in novissimis eorum, et vidit quod illi qui superbia tenentur, ejiciuntur dum elevantur, et subito in desolatione erunt. Hi vero qui justificant cor suum et flagellantur, tota die facti sunt, nunc quidem ut jumentum, sed erunt semper cum Domino. Licet igitur multipliciter affliciaris, non desperes opera bona, si qua sunt, Deo displicuisse; quoniam, ut scriptum est, cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer, et meridianus fulgor consurget tibi in vesperum.

XXXIX. Nonnulli res humanas Deum curare non æstimant, quoniam fortuitis casibus fieri videntur, auxilium vero divinum sibi adesse diffidunt, maxime cum preces eorum non exaudiuntur. Sed in Job dicitur: *Supra omnes cœlos ipse considerat, et super gentes, et super omnes homines* (*Job.* XXXVII, 3). Hinc in Moralium libro XXV, æque Deus omnia respicit, æque cuncta disponit, ubique præsens nec localiter tenetur, nec varia curando variatur. Sic ergo divina judicia intenduntur super unam animam, sicut super unam urbem; et sicut super unam gentem, sic super universam generis humani multitudinem, sic summa regit ut etiam extrema non deserat, nec universo deest cum disponit unum, nec uni cum disponit universum. Non ergo negligit humanos actus; quippe quos hic frequenter aut punit, aut remunerat; sed, ut dictum est, ipse considerat qualiter eos vel nunc, vel in posterum determinat. Qui si nunc omne peccatum manifesta pœna plecteret, nihil ultimo judicio servare putaretur: rursus si nullum nunc peccatum puniret, nulla esse divina providentia crederetur. Afflicti vero dum clamant si tardius exaudiuntur, dum clamor eorum quasi negligitur, spes infirmatur, et supernum adjutorium deesse creditur, quoniam tardius impetratur. Quo contra scriptum est: *Neque enim frustra exaudiet Deus* (*Job.* XXXV, 13). Non frustra, inquit, sed utiliter. Plerique exaudiuntur ad votum, sed non ad salutem, ut Satanas quando beatum Job expetiit. Ad hæc alii non ad votum, sed ad salutem, ut beatus Apostolus. Hinc Psalmista: *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies* (*Psal.* XXI, 3); et deinde: *Et nocte, et non ad insipientiam mihi* (*Ibid.*). In nocte clamat, cujus exauditio protelatur. Spes enim, quæ differtur, occidit animam. Ac si ergo

diceretur: Quasi deseris me dum clamantem ad votum non exaudis, sed dum hoc quod insipienter postulo dissimulas, melius me exaudis, quoniam opportuniora procuras. Contra hoc autem quod ea quæ patimur Deus non considerare putatur, cum Scriptura diceret: *Neque enim frustra audit Deus*, subjungitur, *et Omnipotens singulorum causas intuetur* (*Job.* XXXV, 13). Quia videlicet preces audit, quas audire dissimulat, et quod quisque patitur non ignorat. Qui vero pondere percussionis vel murmurare vel desperare cogitur, auctorem misericordiæ et naturæ suæ Deum consideret. Hinc enim rex David angustiis pressus ad spem sese recolligebat, dicens: *Obmutui, et non aperui os meum; quoniam tu fecisti* (*Psal.* XXXVIII, 10). Consideravit enim, quod qui benigne eum, qui non erat, condidit, hunc profecto conditum non nisi juste percussit. Hinc Moyses, cum murmurantes reprimeret, dixit: *Generatio prava, hæccine reddis Domino?* subjungens: *Nunquid non ipse et pater tuus, qui creavit te?* etc. (*Deut.* XXXII, 5, 6.) Ac si diceret: Qui vos benigne condidit, nec sine causa cruciari nec perire neglecte permittit. Et item voce desperantis in Job, *et non dixit*: *Ubi est qui fecit me?* (*Job.* XXXV, 10.) Nam, ut in tertio Moralium volumine dicitur, cuncta quæ hominibus fiunt, occulto Dei consilio veniunt, et ipse disponit quantum unumquemque aut prosperitas aut adversitas sequatur; nec electos aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Quisquis inter pressuras desperatione frangitur, eum, a quo factus est, minime contemplatur. Nam, ut dictum est, quid quod non erat fecit, factum sine gubernatione nullatenus deserit. Hinc Ambrosius: Si quis operator negligat operis sui curam, et deserat ac destituat, et quod ipse condendum putavit, non putet quod fecerit, summa inclementia est. Sed cum ista nos desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si bona Dei ad memoriam revocat, si mala quæ bonis ejus reddidit non excuset, si perpendit quid ab eo juste meruit quod accepit. Si igitur vel accepta a Deo bona, vel mala a se gesta afflictus consideret, nec pœnas quas patitur accusabit, nec a speranda misericordia lassescet, quæ etiam fuerat si nulla beneficia præcessissent. Alioquin quomodo stabit illud: *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* XXXIII, 19), ut beatus Martinus indubitanter affirmat, qui captus a latronibus cum nil facie mutaretur, et requisitus an timeret, respondit nunquam se tam securum fuisse, quia sciret misericordiam Domini maxime in tentationibus adesse. Beatus quoque Antonius cum a malignis spiritibus ita affectus esset, ut nec vel illorum plagæ, vel illius constantia digne considerari posset, tandem portentis illis evanescentibus infusa cœlitus luce recreatus dixit: Jesu, ubi eras hucusque? et mox ad eum: Antoni, hic eram, sed exspectabam videre patientiam tuam.

XL. Ut autem de protelatione precum adhuc aliquid dicatur, cum afflicti clamant, ex se quidem sæpe merentur audiri, sed tamen eorum preces ob meritum differuntur opprimentium, ut scriptum est: *Clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum* (*Job.* XXXV, 9); ac si diceret: Reatus persecutorum prohibet ne afflicti exaudiantur. Justus quippe et misericors Deus et suos permittit temporaliter opprimi, et violentorum nequitiam immaniter augeri, et dum justorum vita purgatione teritur, illorum nequitia compleatur. Plerumque enim fideles in tribulatione deprehensi supernum solatium etiam temporaliter in tribulatione percipiunt, ut dum illos omnipotens Deus facto aliquo miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescit, ut inde adversarios in æternum redimat unde suos temporaliter salvat. Unde Propheta ait: *Propter inimicos meos eripe me* (*Psal.* LXVIII, 19). Quasi diceret: Propter me quidem eripi de temporali tribulatione non appeto, sed tamen eripi propter inimicos concupisco, et dum me salvari mirabiliter viderint, ipso miraculi visu a sua duritia convertantur. Nam qui invisibilium fide non tenentur, moveri nonnunquam visibilibus miraculis solent. Sed idcirco super afflictos divina virtus plerumque non agitur, quoniam, ut supra dictum est, afflictores eorum illuminari non merentur. Sive igitur propter adversarios nostros, sive propter patientiæ nostræ probationem tribulatio protendatur, a speranda misericordia non lassemur, quia tunc probabitur desiderium bonorum cum aliqua adversitate eis resistitur. Probati vero melius exaudiuntur, quam videlicet probationem atque exauditionem inter angustias fieri Psalmista docet, dicens: *Exaudivi te in abscondito tempestatis* (*Psal.* LXXX, 8), id est, inter fluctus afflictionum probavi te apud aquam contradictionis. Cæterum, ut beatus Hieronymus in epistola ad Ephesios secunda perhibet, juxta imbecillitatem homines postulant, quæ eis conducibilia videntur. At vero quantum ad rei ipsius pertinet veritatem, plus Deum tribuere constat quam rogatur, et preces nostras vinci affectibus, quia secundum id quod oportet orare nescimus, et sæpe contra nos petimus æstimantes esse pro nobis.

XLI. Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis quibus non excrucientur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. In his autem bonis prosperis vel adversis, quæ nunc, ut diximus, mistim procurrunt, patientia Dei vel severitas hac dispensatione disponitur. In prosperis namque patientia fovet bonos, et ad pœnitentiam invitat malos: in adversis vero severitas ad patientiam erudit bonos. Interest autem plurimum qualis sit usus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum rerum quæ dicuntur adversæ. Nam bonus nec temporalibus bonis extollitur, nec

malis frangitur : malus autem idcirco adversitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Interest ergo plurimum qualis sit affligitur. Sicut enim si unguentum et cœnum pari pulsu exagitentur, hoc suaviter fragrat, illud fetidum exhalat ; ita manet dissimilitudo passorum etiam in similitudinem passionum. Et sicut sub igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tritura frumenta purgantur, paleæ comminuuntur, ita communis quælibet tribulatio bonos purificat, malos exterminat. Boni namque Deum laudant, se accusant mali, murmurant, et turbato regni statu quælibet flagitia quanto licentius, tanto frequentius effrenatiusque patrare solent. De bonis, qui peccata sua flagellis cognoscunt, et emundant, scriptum est : *Si fuerint in catenis et vinciantur funibus paupertatis, judicabit eis opera eorum, ut revertantur ab iniquitate* (*Job* xxxvi, 8). Qui jubentis Dei verba non audiunt, verberibus ferientis admoventur, ut ad bonam vitam vel pœnæ trahant quos præmia non mutant : *In cano et freno*, inquit, *maxillas eorum constringe* (*Psal.* xxxi, 9). De malis vero qui non emendantur, illic sequitur : *Si non audierint, transibunt per gladium, et non consumentur stultitia* (*Job* xxxvi, 12), id est, tribulantur quidem, sed quia non mutat Æthiops pellem suam, fiet quod superius in eodem Job de eis dicitur, *morientur, sed non in sapientia* (*Job* iv, 21). Gravis quippe stultitia in eis est, quos iniquitas sic obligat, ut eos a culpa nec pœna compescat : qui dum correptionis flagella contemnunt, necesse est ut tanto illic gravius judicentur, quanto hic majoris providentiæ gratiam calcant.

XLII. Bonorum sane vel malorum diversitas sacræ Scripturæ verbis notatur, cum utrisque sub nominibus matrum suarum, Babylonis videlicet, et Hierusalem fatetur. De istis namque dicitur : *Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te* (*Jer.* vi, 8). Et contra de illis : *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jer.* li, 9). De istis : *Castigabo te in judicio, ne tibi videaris innoxia* (*Jer.* xlvi, 28). De illis : *Multo labore sudatum est, et non exivit rubigo ejus ex ea* (*Ezech.* xxiv, 12). De istis : *Excoquam ad purum scoriam tuam* (*Isa.* i, 25). De illis : *Versi sunt mihi in scoriam, et in plumbum* (*Jer.* xxii, 18). De istis : *Super nivem dealbabuntur* (*Psal.* l, 9). De illis : *Non mutabit Æthiops pellem suam* (*Jer.* xiii, 23). De istis : *Sæpiam viam tuam spinis, et non apprehendes amatores tuos* (*Osee* ii, 6). De illis : *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* lxxx, 13). De istis : *Timebis me, et accipies disciplinam* (*Psal.* ii, 11, 12). De illis : *Aversi estis aversione contentiosa* (*III Reg.* ix, 6). De istis qui veri David filii per adoptionem facti sunt, pro magno munere voce patris promittitur : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, et justitias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* lxxxviii, 31-34). De illis : *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint* (*Osee* iv, 14). Ista respondere tribulationibus, et conclamare cogitur : *Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei* (*Isa.* xlix, 14). Sed Deus consolatur eam dicens : *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (*Ibid.* 15). Illa dicit : *Sedeo regina, et vidua non sum* (*Apoc.* xviii, 7), sed ei vox divina dicit : *Quo pulchrior es descende* (*Ezech.* xxxii, 19). Et item : *Sede in pulvere, non est solium filiæ Chaldæorum* (*Isa.* xlvii, 1). Sunt et alia quamplurima hujusmodi, in quibus omnibus liquido patet, quod hæc, sicut in vita beati Martini legitur, sanctis omnibus, atque omnibus aliis ad percipiendum sint communia ; sed his tolerandis præcipuam semper justorum fuisse virtutem. Dixeramus aliquid nos ad afflictorum consolationem relaturos. Sed forte quis dicet : In his verbis quæ consolatio est ? Sed si more sanctorum, et non secundum forensem et hebetem carnalium opinionem consolari quærimus, mira quidem, sed veraci assertione fatemur, quia non solum hæc verba, quibus ostendere nitimur, ut dulcis et rectus Dominus, misericorditer et juste suos affligit, sed ipsa quoque tribulatio debeat pro consolatione haberi. An non est consolatio nosse, quod Deo disponente pateris, qui nos non nisi juste percutit? An non et ipsa tribulatio consolabatur Paulum, cum diceret : *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus* ? (*Rom.* v, 3). Et item de se, cum nequaquam pro illa sua ineffabili tribulatione nollet exsultare : *Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus* (*II Cor.* xii, 5). Et Job hinc apertius : *Hæc mihi sit consolatione affligens me dolore non parcat* (*Job* vi, 10). Mos namque medicinalis est, ut sæpe fervorem viscerum in pruriginem cutis trahat, et plerumque inde curat interius unde exterius sauciat. Ita nonnunquam divinæ dispensationis medicamine agitur, ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, et flagellorum sectionibus repellatur ea, quæ occupare mentem poterat, interior putredo vitiorum. Caro enim nostra priusquam resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo mœrore afficitur, in tentationibus effrenatur. Sive igitur pro peccatis jam patratis ad hoc in præsenti plectimur ne in futuro puniamur ; sive ad hoc affligimur ne in futurum scelera suppliciis digna in reliquum perpetremus, satis est unde ipsas tribulationes gaudenter amplectamur, vel judici nostro et medico in omnibus gratias agamus. Non enim parvi momenti est quod Apostolus non solum nos in tribulatione gaudere jubet, sed omne gaudium existimare, cum in tribulationes varias inciderimus. Quis autem nescit, quod multo sit melius duris servitio hominibus subjici, quam blandientibus dæmonum spiritibus objici ? et tamen cum alto Dei judicio jugo humanæ conditionis atterimur, in querelam prosilimus nimirum quia minus attendi-

mus. Quod si nos nulla conditio servitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus pejus libera desserviret. Hæc igitur quæ toleramus, ideo gravia credimus, quia considerare negligimus a quanto hoste per flagellum liberamur. Hinc Deus ad beatum Job : *Memento* inquit, *belli, ultra addas loqui* (*Job* XL, 27). Ac si hunc rei consideratione moneat, et a murmuratione compescat dicens : Si gladium adversarii consideras, tanto te ad disciplinam patris, qui te externis cruciatibus ab interna passione liberat, exhibe tacitum, quanto te ad ejusdem hostis bella prospexeris infirmum. Alta quippe dispensatio judiciorum Dei mira potentia prævidet, quoniam si quieti ac liberi famuli ejus persisterent, tentationes adversarii ferre non valentes, mentis vulneribus prostrati jacerent. Ob id igitur licet bene merentes sæpe vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibusdam impositis oneribus gravas, vel laboriosis occupationibus implicat.

XLIII. His itaque verbis id suasum sit quod molestias quaslibet idcirco divina dispensatione patimur, quatenus aut præterita peccata in nobis puniantur, aut futura prohibeantur. His autem duobus consideratis, non murmuravimus, intelligentes quod benignus Judex ab æterna pœna, quam merebamur, nos per momentaneam excusare velit, nec ullo modo vos derelictos putabimus, quippe cum ex ipsa flagelli experientia Dei providentiam ita nobis impendi cognoverimus, ut per hoc ipsum spes inesse possit, quod diligat quibus curam ne peccent adhibere dignatur, juxta illud : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19); siquidem omnes dum quibuslibet mentis et corporis molestiis afficimur, earumdem molestiarum causas nosse optamus, quatenus in eo quod dolemus, ex ipsa rerum accidentium notitia quoddam consolationis genus habeamus. Sed non est necesse jam ut singulis, in eo quod quisque tolerat, Deus respondeat, quia sacram Scripturam condidit, in qua unusquisque, si requirat, causam suam inveniet. Ut enim unum e pluribus proferamus, Paulus infirmitate carnis tentatus audivit : *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9). In Scriptura ergo sacra idcirco affligitur Paulus sigillatim, ne singuli nostrorum, qui non audiunt hanc consolationem, audire eam privatim quæreremus. Hinc in Job : *Semel loquitur et secundo idipsum non repetit* (*Job* XXXIII, 14); nec ad omnia respondebit. Quasi diceret : Deus singulorum cordibus privatim non respondet, cum fortasse causas angustiæ suæ singuli scire quærunt, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionibus satisfaciat. Non itaque jam nostris cogitationibus aut afflictionibus per voces prophetarum, aut per angelorum officia Deus respondet, quoniam vis Scripturæ quidquid singulis potest evenire, comprehendit. Non enim dicit figmentum figulo : Cur me fecisti sic ? Sed est quod dicat servus et creatura, quod dixit filius et Creator : *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII, 42).

A Sciendum tamen, quia sicut beatus Hieronymus in libro de Psalmis disputat : Si unum corpus est Christus et Ecclesia, et si sint duo in carne una, necesse est ut modo pariter in passione una, et cum transierint, sint in requie una. Nam si passiones in solo capite, quod est Christus, quare membrum ejus Paulus dicit : *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*II Cor.* IX, 12). Universæ enim passiones Christi, qui passus est in capite, id est in se, et patitur in membris, id est in nobis, ab unoquoque nostrum ferendæ sunt, et hoc quod patimur quasi ad communem reipublicæ functionem pro possibilitate virium nostrarum quasi canonem passionum inferentes exsolvimus quod debemus. Alioquin si extra disciplinam fue-
B rimus, cujus, ut ait Apostolus, parti ipes erimus ? Adulteri ergo, et non filii : et si disciplina caremus, consequens est ut hæreditate careamus. In nobismetipsis namque debemus tranformare quod legimus, ut cum per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierit vita concurrat.

XLIV. Quamvis itaque nesciamus pro qua culpa feriamur, et quamvis nil mali si fieri posset nobis conscii fuerimus, tamen correptionem nostram nec injustam nec superfluam credere fas est, nec omnino tristandum quia de beato legitur Tobia, quod non sit contristatus pro cæcicatis plaga, etiam cum ab infantia Deum timuerit. Ergo sit aliquis ita justus, ut pro cæteris culpis nequaquam indigeat flagellari. Sed huic quoque illud conside-
C randum est, quod ipso humanæ vitæ usu quotidie veterascimus, et exterioris hominis impulsu ab interioribus per lubricam cogitationem eximus. Nam sicut ex nihilo conditi sumus, per nos ipsos, nisi manu artificis nostri teneamur, semper ad nihilum tendimus. Tenet autem nos illa creatrix manus, cum vel ad amorem compungendo vivificat, vel ad timorem flagellando restaurat. Quod nisi fecerit repentino lapsu, mens tota veterascit etiam quæ longo virtutis usu innovata videbatur. Nonne scriptum est : *Visitatio tua custodivit spiritum meum ?* (*Job* X, 12). Visitatio, inquit : citius enim spiritus virtute nudatur, nisi aut per flagella, aut per compunctionis visitationem ab ipsius virtutis largitore custodiatur. Nec mirum si spiritus
D amaritudine, quæ carni contraria est custodiatur, quando quidem sibi invicem adversantur. Ut enim illa molli delectatione pascitur, sic iste amaritudine vegetatur : et sicut illam dura sauciant, sic istum mollia necant. Et inde in perpetuum spiritus interit, unde suaviter ad tempus caro vivit. Cujus curam nexus præponderat, sic hic ab auctore disciplinæ destituitur. Jam vero carnalibus intenti, nec ipsa nostra destitutione ullatenus damna sentimus. Quo enim longe nos Couditor deserit, eo mens nostra in sensibilibus obdurescit, fitque miserabili modo tanto securior, quanto pejor. Valde enim difficile est ut aliquis vel quæ jam commisit, vel defectum, ad quem subinde mens ejus vergit, in prosperitate cognoscat. Quapropter ille qui fidelibus ex pietate pater fieri dignatus est, videns quod apud

filios, quos ad regni cœlestis hæreditatem vocat, periculosa negligentia subrepat, non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. Si quis ergo justus videtur, memoretur illius sententiæ jam supradictæ : *Justus si fuero, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria* (*Job* x, 15). Est autem et alia ratio, pro qua perfectiones, ut in primo libro de Civitate Dei disputatur, jure cum infirmioribus vel etiam pravis temporalitater flagellantur, quia videlicet non eos corripiunt, metuentes ne eorum gratiam offendat, aut ne bonæ famæ dispendium per illorum derogationes incurrant. Hanc ergo vitam cum eis amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem transgressoribus amari esse negligunt. Quæ culpa maxime prælatos vel reverendos quoslibet viros involvit, qui ad hoc in Ecclesia divinitus constituuntur, et gravi reatu tenentur. Nec ideo tamen ab hujusmodi culpa penitus alienus est, qui licet præpositus non sit, si in eis tamen, quibus vitæ necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit, et negligit, devitans eorum offensiones, propter illa quibus in hac vita non indebitis utitur, sed plus quam debuit delectatur. Flagellantur ergo simul non quia agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vita quam contemnere deberent, ut illi, si corrigi vellent, consequerentur cum eis æternam. Sane qui propterea non objurgat, quia vel aptius tempus exspectat, vel metuit ne increpati deteriores fiant, et invalidos pejus noceant, hoc non est negligentia vel cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Nam ut in Moralium libro xx dicitur, sancti viri cum vident quosdam sua verba despicere, dum eos divinitus intelligunt deseri, gementes conticescunt. Unde est illud : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Psal.* CXXXVI, 4). Scriptum est: *Noli arguere derisorem, ne oderit te* (*Prov.* IX, 8). Tacent ergo viri sancti, non ut eorum odium timeatur, sed ne illi odiendo pejores fiant.

XLV. Ut autem de negligentioribus dicamus, nos tanto magis flagellari indigemus, quanto et multa in nobis sunt æternis ignibus digna, et quanto ad alia committenda procliviores sumus. Quippe inter ipsas angustias multipliciter superbire solemus. Hæc autem gemina nostræ afflictionis utilitas in primo homine demonstratur, qui dum inter paradisi delicias justitiam servare negligeret, Deus hunc foras expulsum per molestas emendavit, et conjugem, quæ pariter in percepto honore gloriata atque deteriorata fuerat, utili servitute meliorem effecit. Sic et nos libertate superbos, deliciis impinguatos, et erga divinam reverentiam fastidiosos, injuriis tradit, molestiis opprimit, ut anima crebris acta suppliciis, cacumen superbiæ derelinquat, laboribusque ac molestiis innitens, ad hoc quod delectata perdidit reparetur. Ob hoc enim, juxta Augustinum, contra Eden positus est, videlicet contra sedem deliciarum, ut significaret quod caro peccati in laboribus, qui deliciis sunt contrarii, esset erudienda. Cum ergo Deus videt nos supernorum bonorum oblivisci, caducis inhiare, secutura supplicia aut parum aut nihil formidare, quos gratuita bonitate respicere dignatur, eas utique flagello interveniente corripit, et respiciens terram facit eam tremere. Dehinc vero crescente flagello amaritudinem et districtionem æterni examinis cogimur considerare, et ad cor reducti de satisfactione cogitare. Tum vero lingua reatum loquitur, et nox quod animus parvipendebat, sponte confitetur, ut illi fratres Joseph, quos illi non ludendo, sed argumentando sic adeo constringebat, ut attriti confiterentur : Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum. Hinc beatus Job : *Loquar*, ait, *in tribulatione spiritus mei* (*Job* VII, 11). Quidquid spiritus loquitur in divinis auribus, locutio est: quam locutionem tribulatio commonet, ut vos ad confessionem erumpat. Confessionem vero indulgentia sequitur, juxta illud: *Dixi, confitebor, et tu remisisti* (*Psal.* XXXI, 5). Et cum in proprio reatu David diceret, *peccavi* (*Psal.* L, 6) ; et Mathan illico respondit : *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris* (*II Reg.* XII, 13), sicut in Moralium libro XXXII perhibetur. Qui se peccatorem intelligit, jam ex aliqua parte justus esse inchoat, atque id quod non justus fecerat ex eo quod est justus accusat. Nam licet ex merito peccati percutiatur, tamen si hoc ipsum judicium quod contra se agitur justum credit, et non murmurat, sed ampletitur illud, divinæ voluntati in sua percussione conjungitur : et idcirco ab injustitia sua jam eo correptus est, quo se vel juste percussum gaudet, vel voluntati judicis concordat in pœna, is discrepavit in culpa. Magna igitur afflictionis utilitas, per quam confessio reatus elicitur, quæ indulgentiam promeretur.

XLVI. Contra frequenter sunt filii Israel pro peccatis afflicti, et ad Deum redire compulsi. Nam ut de cæteris vicibus taceatur, aliquando cum Deum relinquerent, et idolis servirent, Syriæ, Sidonis, Moab, et Philistin, traditi sunt in manus illarum gentium ac per decem et octo annos vehementer afflicti. Qui tandem clamantes ad Deum dixerunt : Peccavimus tibi. Quibus inter alia respondit Dominus : *Non addam ut ultra vos liberem, ite et invocate deos, quos colitis, et ipsi vos liberent* (*Judic.* x, 13, 14). At illi : *Peccavimus*, inquiunt, *redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos* (*Ibid.*, 15). Mox ibi sequitur : *Doluit Dominus super miserias eorum, et liberavit eos, quia hæc in figura contingebant illis* (*Ibid.*, 16). Dicamus et nos econtra Domino, cum aliquâ tribulatione cingimur : Fac nobis in præsenti quidquid tibi placuerit, tantum in futuro liberes nos. Quia vero filiorum Israel meminimus, adhuc aliquid magnificentius ad misericordiam Dei commendandam ac tribulationis utilitatem insinuendam, de eis audiamus quid per Ezechielem Dominus dicit : *Irritaverunt me domus Israel in deserto, et dixi ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos* (*Ezech.* XX, 13), et quæ de hoc exsequitur. Quæ verba, ut beatus Hieronymus in libro IV expositionis tractans dicit, quæritur quo-

modo perfecerit eis quorum cadavera in solitudine corruerunt, et excepto Jesu Nave et Caleph, terram repromissionis nullus ingressus est. Ex quo intelligemus vivere eos, nec æternis suppliciis reservatos, nec de libro viventium esse deletos, nec ante faciem Domini consumptos. Si enim ex eo quod in terram repromissionis introducti non sunt, periisse credantur, ergo et Moyses periit, qui in terram illam introductus non est. Alioquin preces ejusdem Moysi quomodo essent exauditæ, qui cum oraret ut dimitteret eis Deus peccatum suum, audire meruit : *Faciam secundum verbum tuum* (*Exod.* VIII, 10). Sciamus igitur Dei scientiam in filios vel famulos non perditionem esse, sed emendationem. Hucusque Hieronymus. Hinc per eumdem prophetam dicitur : *Viro ego, dicit Dominus, non fiet cogitatio mentis vestræ dicentium : Colamus ligna, et lapides, quia in manu forti et brachio extento, et in furore regnabo super vos, et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis secundis* (*Ezech.* XX, 32, 33, 37). Quæ ergo major utilitas, quam ut per infusum furorem prohibeantur colere lapides, et ligna, et inducantur in vinculis secundis et amicitiæ Dei ?

XLVII. Mirum quomodo pro conservanda morum probitate necessariam esse exteriorem disciplinam Scipio, licet paganus, intellexerat, qui Carthaginem Romanis infestam ob hoc nolebat dirui, quo posset ab eisdem Romanis teneri. Sciebat enim infirmis animis periculosam esse securitatem, et terrorem tanquam pupillis necessarium esse tutorem. Quod reipsa probatum est. Deleta quippe Carthagine tanta mox de prosperitate mala exorta sunt, ut et seditiones, et civilia bella et sanguinis effusiones, et rapinæ tam crudeliter fierent, ut Romanus populus pejus a suis civibus, quam a Carthaginensibus hostibus vastaretur. Hanc animorum labem, quæ de secundis rebus nascitur, hanc prosperitatis et honestatis eversionem isdem Scipio evenire metuebat : quando instabat ne theatrum Romæ construeretur. Sciebat enim cives facile per civitatem posse corrumpi, et idcirco ludendi occasionem volebat inhiberi. Ergo si ille sic, nobis quid agendum est, qui revelata jam gratia speculamur quæ æterna sunt, qui vivere jubemur ex fide, qui diligentibus Deum omnia novimus in bonum cooperari, qui scimus nil fortuitis casibus geri, sed cuncta divinitus ordinari. Si horrescit caro disciplinam, persuadeat constantiam. Sic enim cum morbos pellere cupimus, tristes quidem amarum poculum sumimus, sed certi de subsequenti salute gaudemus. Quia enim ad salutem pervenire corpus aliter non valet, in potu bibit etiam quod tædet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. Quod enim per flagellum et præterita peccata purgentur, et futura prohibeantur, Salomon ostendit, dicens : *Livor vulneris abstergit, mala et plagæ in secretioribus ventris* (*Prov.* XX, 30). Ventris nomine mens significatur, quia sicut venter cibis extenditur, ita mens pravis cogitationibus sublevata dilatatur. Plagæ vero in secretioribus ventris augustiæ sunt, quæ de exteriori afflictione generantur. Abstergentur igitur mala, et livor vulneris et plagæ in secretioribus ventris, quia disciplina exterior culpas diluit, et extensam pravis cogitationibus mentem compunctio vel amaritudo æternæ percussionis transfigit. Sanctus Hieronynus in epistola ad Rusticum, refert quemdam adolescentem in cœnobio fuisse, qui nulla abstinentiæ vel operis magnitudine flammam poterat carnis exstinguere, quem pater monasterii servavit hac arte. Cuidam de senioribus imperavit, ut hunc ex industria crebris injuriis fatigaret, quem anno jam taliter expleto Pater pristinas cogitationes interrogat. At ille : Vivere, inquit, mihi non licet, et fornicari liberet. Hic itaque lascivia mergi poterat, si loco tribulationis non ligaretur.

XLVIII. Et quid plura ? quod nonnunquam periculosa prosperitas sit, sacra Scriptura et verbis et exemplis frequenter inculcat, ut illud : *Prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I, 32). Et item : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit* (*Deut.* XXXII, 15). Exempla vero multa sunt, sed ut de reprobis taceamus, quantum ipsis electis, quibus omnia cooperantur in bonum, nocere soleat, Rex David ad medium deductus ostendat. Hic namque, sicut in Pastorali dicitur, Conditionis judicio pene cunctis actibus placens, mox ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte viri crudeliter rigidus, quia in appetitu feminæ enerviter fuit fluxus, et qui malis ante noverat pie parcere, in bonorum quoque nece post didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehensum præsumptorem noluit, et post cum damno desudantis exercitus etiam devotum militem exstinxit : quem profecto ab electorum numero culpa longius traheret, nisi hunc ad veniam flegella revocassent. Noverant sancti viri quam periculosa prosperitas sit, qui adversitatem, cum forte deerat, precibus implorabant, ut prædictus David cum diceret : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV, 2). Item alius : *Ingrediatur putredo in ossibus meis* (*Habac.* III, 16). Et alius : *In flagello positus, qui cæpit ipse me conterat* (*Job* VI, 9). Item alius : *Argue me, Domine, sed non in furore tuo* (*Psal.* VI, 2). Item alius : *Domine*, inquit, *tu propitius fuisti eis* (*Psal.* XCVIII, 8). Unde eis propitius fuerit manifestat cum dicit : *Ulciscens in omnes adinventiones eorum* (*Ibid.*), id est, puniens in præsenti quidquid per humanam fragilitatem peccaverunt. Nos ergo flagellis cincti quamvis ex parte carnis contristemur, tamen spiritu lætemur, afflictionis utilitatem contemplantes. Alioquin ipsa natura nos instruat, quod debeamus hanc vitam in mœrore expendere, et in sequenti gaudium sperare. An non innuitur hoc cum parvulus quisque in hanc lucem nascens primam vocem emittit plorans ; ridere vero, ut beatus Augustinus in libro Confessionum perhibet, dormiendo discit, ut quia

per somnium mors, et per risum lætitia solet signari; dum infans ingrediens mundum plorat, dormiens autem ridet, hoc per ipsam naturæ legem demonstratur, quod ut scriptum est : *Homo nascitur ad laborem* (*Job* v, 7), etc. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI, 2). Et item : *Timenti Dominum bene erit in extremis* (*Eccli.* I, 13). Peccator quilibet in præsenti felicitate extollitur, sed ut scriptum est : *In novissimo arctabuntur gressus ejus* (*Job* XVIII, 7). Sed timenti Dominum in novissimis bene erit, quoniam, ut item dicitur : *Os justorum implebitur risu* (*Job* VIII, 21), *et gaudium illorum nemo tollet ab eis* (*Joan.* XVI, 22). *Quod in præsenti est*, inquit Apostolus, *momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV, 17). Solus Zoroastres ante ploratum risisse fertur, pessimo siquidem prodigio. Siquidem ipse fuit magicæ artis inventor. Cæterum, ut ait beatus Hieronymus, juxta miserias hujus temporis, juxta sævientes ubique gladios, satis dives est qui pane non indiget, nimiumque potens ille, qui servire non cogitur.

XLIX. Quisquis præsentem gloriam diligit, sicut ejus præceptione reficitur, sic amissione procul dubio sauciatur. At contra, quisquis degustat gaudium quod intus permanet, leve protinus æstimat omne quod foris dolet. Hinc scriptum est : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII, 21). Qui igitur exteriora appetit, cum hæc apud eum qualibet occasione turbantur, aut cum nolenti etiam subtrahuntur, cæca cogitatio subrepit, et calamitas, quæ momentaneam lætitiam, licet mox transitura, concutit, quasi infinita defletur. Qui ergo non vult externis doloribus affici, studeat spe cœlestium ab infimis elevari. Sed quia tales nos non sumus, qui vel contemplatione cœlestium terrena contemnamus, vel gaudio manipulorum, qui de semine tribulationis metuntur, temporales angustias saltim experiri velimus ; idcirco nos Deus, veluti quidam providus pater, puerum et lascivientem filium per minas afflictionis ad meliora et saluti viciniora compellit. Quod bene Israelitico populo Moyse vocante, et Pharaone rege sæviente signatum est. Tunc namque Moyses ad vocandum missus est, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus, ut Israelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes alius dum vocaret quasi traheret, alius quasi cum sæviret impelleret, plebs in servitio turpiter provocata bonis vel malis impulsa moveretur. Hoc quotidie agitur dum prædicatis cœlestibus præmiis sævire in electis reprobi permittuntur, ut si ad repromissionis terram exire negligimus, pressuris saltem sævientibus impellamur. Hæc itaque causa est, quod ab injustis justi sinuntur affligi, scilicet ut dum futura audiunt bona quæ cupiunt, patiantur etiam mala præsentia atque perhorrescant, atque ad facilioremexitum, dum amor provocat, cruciatus impellat. Solent nonnulli viatores, cum amœna prata in itinere forte conspiciunt, moras innectere, et pulchritudine delectati ad devia declinare. Vita nostra præsens via est, qua ad paradisum tendimus. Hac ergo præsenti requie velut itineris amœnitate pasti, quia magis diu pergere quam citius pervenire delectat, secreto Dei consilio frequenti perturbatione atterimur, ne viam pro patria diligentes obliviscamur quo tendere debemus ; et ob hoc, sicut in vicesimo tertio Moralium libro dicitur, in cujuslibet ordinis loco vel in cujuslibet secreti recessu maneamus. Vivere sine tentationibus ullo pacto non valemus. Non ergo negligentiam putes quod affligimur. Quod vero nos consolationis gratiam longanimiter sustinemus, mali in pejus proficiunt, neque hoc otiosum credas. Illi enim dum ad semetipsos considerandos non redeunt, dum nullus disciplinæ murus obviat, nulla judicum potestas adest, quæ restringat, nulla futuri judicii pœna prospicitur, quæ terreat. Mala temporalia quidem clauso oculo cordis securi perpetrant, bonos autem rebus exspoliant, aut etiam perimunt. Sed districto certe judicio cum eis agitur, ut tanto acrius æterna damnatione feriantur, quanto nunc quod male concupiscunt effrenatius agere permittuntur. Cum afflictis vero misericorditer fit, ut hic eorum culpæ purgentur, quos reproborum nequitia trituræ more quasi grana a paleis terendo separat, dum per ea quæ violenter ingerit, festinare eos ad superna compellit.

L. Quia vero granorum atque trituræ meminimus, videtur ut de usu quoque segetis adhuc quod ducimus astruendum aliquid assumamus : *Dei*, inquit Apostolus, *agricultura estis* (*I Cor.* III, 9). Quod si ita est, ergo de hac exemplum sumamus. Frumentum quippe in segete sola tangitur, illud pluvias percipit, hæc veritatis eloquio pinguescit. Illud ventis concutitur, hæc tentationibus exercetur. Illud sæculi crescentes paleas portat, hæc nequam vitam sceleratorum portat. Illud tritura premitur, paleis exuitur, hæc cœlesti disciplina flagellatur, ut a societate carnalium corde separetur. Illud relictis paleis ad horreum refertur, hæc foris remanentibus reprobis in Domini sui gaudium intromittitur. Unde electo populo in Job dicitur : *Ingredieris in abundantia sepulcrum sicut acervus in tempore suo* (*Job* V, 26). Tempus reproborum in hac vita est, electorum in sequenti, sicut eorum Caput dicit : *Tempus meum nondum advenit* (*Joan.* VII, 6). De illis vero : *Tempus autem vestrum semper est paratum* (*Ibid.*). Sepulcrum ergo in tempore suo, sicut frumenti acervus, justus quilibet in tempore suo infertur, quoniam ille futuram requiem percipit, qui prius hic velut in tempore alieno pressuras disciplinæ corrigendus sentit. Aristæ vero vel paleæ per hoc falsos fratres significant, quod in eadem spica velut in una fide cum granis crescunt. Quæ nunc superiores sunt, quia bonis frequenter prævalent ; erectæ sunt, et ab invicem divisæ, quia mali superbiunt, et inter eos semper jurgia sunt. Attamen super grana mutuo se

tangunt, quia in oppressione bonorum sibi concordant. Hispidæ sunt, et fragiles quia ad corripientem quasi tangentem intractabiles existunt, vitiis vero mox cedunt. Mira autem dispensatione fit ut dum hic nos post perceptionem cœlestis gratiæ pro peccatis nostris affligunt, quasi messem post pluvias in herbis male pullulantem, ut in grano fecundior exuberet, gelu restringit, ut a fluxu voluptatis coerceant, et in fructu mercedis æternæ fecundiores reddant. Eant ergo nunc satellites diaboli, et in spica Dominicæ messis altiorem locum quasi aristæ teneant: Certe quia in horrea nec ultimum retinebunt, sint et nunc hispidi, et excusationis spinulas contra malum redarguentis opponant. Veniet profecto judex qui personam non accipit quem jugiter in suis pusillis affligunt. Veniet virga ferrea, qua gentes regit, qua aristas comminuet, et paleis ad ignem traditis grana sibi recondet.

LI. Multa jam contra murmurationem vel desperationem prolata sunt, et idcirco dum nota replicantes vestra vobis ingerimus, timemus ne in flumen frustra jactare stillam arguamur, concite quod restat explicemus. Itaque sciendum quod non solum præcepto, sed et pluribus exemplis ad tolerantiam multipliciter informamur. Universitas quippe electorum, quam, ut Isaias vaticinatur, puer parvulus, id est humilis Jesus, ad supernæ stationis caulas flagellando, quasi minis agendo, per arctam viam ducit, dum hic vivit adversa perpetitur. Quos ergo specialiter proferemus, cum omnis electorum multitudo exemplum sit? De quibus Apostolus, ut jam dixeramus: *Habentes*, inquit, *tantam impositam nubem testium per patientiam curramus* (*Hebr.* XII, 1). De qua nube Jacobus: *Exemplum*, ait, *excipite, fratres, exitus mali et longanimitatis, laboris et patientiæ, quæ locuti sunt prophetæ in nomine Domini* (*Jac.* V, 10). Ac si diceret: ut ea quæ vobis contingunt patientius toleretis: Videte quod illi qui tam sancti erant, ut per eos Deus loqueretur, durum exitium habuerunt. Quicunque enim Deo chariores exstiterunt, semper duriora senserunt. Libet tamen duos, unum de Veteri Testamento, alium de Novo ad medium deferre: Job scilicet et Joannem, quos quidem cum incomparabiliter laudatos, et tamen tam crudelia passos fuisse revolverimus, quid de reliquis æstimandum sit aptum advertimus. Job itaque, de quo dictum est: *Non est similis ei in terra* (*Job* I, 8), cum tot rerum damna sustineret, dum tot funeribus pignorum percussus doleret, cum tot vulnera toleraret, non in terra munda, sed in sterquilinio sedisse describitur. Quod idcirco fit, ut ex fetore loci commoneretur quia festive corpus ejus ad fetorem rediret. Ad radendam quoque saniem non digitos, non vestem adhibuit, sed testam: quo facto monstraretur quomodo corpus suum sanum despexerit, quod etiam percussum neglexit. Sed ecce, dum beati Job vulnera cruciatusque considero, repente mentis oculos ad Joannem reduco, et non sine gravissima admiratione

A perpendo quod ille prophetiæ spiritu intra matris uterum repletus, atque, ut ita dixerim, priusquam nasceretur renatus, ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierum major nemo surrexit, ille sic propheta, ut plus etiam sit quam propheta, ab iniquis in carcere mittitur, et vir tantæ severitatis pro risu turpium moritur. Quid est ergo, quod Job Dei testimonio præfertur, et tamen piagis usque ad sterquilinium sternitur? Quid est, quod Joannes Dei voce laudatur, et tamen pro temulentis verbis in saltationis præmium moritur? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc mundo despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit? nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, B quia videt quomodo eos remuneret in summis; et foras usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo unusquisque colligat quid illic sint passuri quos reprobat, si hic patiuntur sic quos amat; aut quomodo ferientur, qui in judicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso judice teste laudantur.

LII. Inter omnia vero nostræ consolationis genera, singulariter illud præcedit, quod benignum Conditorem nostrum nobis ita condescendere sua benignitate, ut ita dicam, benignitas adegit, ut cum omnia quæ peccatori homini salutaria sunt, indulgeret, cuncta pariter quæ eidem homini pro peccato debentur, ex sola compassione sustineret. C Non enim indigebat homo solummodo redimi, sed etiam qualiter post redemptionem ei vivendum sit edoceri. Venit igitur ad fugitivum suum, ut retineret nostris visibus sese ingessit, qui si nihil amplius fecisset, et in hoc tamen, quod in terris visus est, multum se humiliaret. Nam quia omnes, qui de Adæ stirpe progeniti studebant prospera vitæ præsentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi; ille contra novus homo veniens, novamque vitam tenens, fugit quod omnes appetunt, et appetiit quod omnes fugiunt. Quia vero duæ vitæ sunt, præsens et futura, quarum unam noveramus, alteram nesciebamus; et hic humanum genus huic soli quam noverat intendebat, hanc nobis cognitam ideo suscepit, ut illam, quæ erat incognita demonstraret. Ut autem hanc D contemptibilem esse, et illam appetibilem ostenderet, in ista neque prosperari neque diu stare voluit, sed ad illam patiendo migravit, et dicit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Exemplo suo nos docens quod hæc vita nostra non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Itaque propter illud singulare præsidium, quod nos fuso sanguine redemit, illud præstantissimum judicetur, quod nos tantopere ad pœnitentiam roboravit. Ad quod videlicet inculcandum, et ea sprevit quæ magna mala imperiti putant, præsertim cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret. Hoc ergo consideremus, quod et peccatorum nos punctionibus salvans spinis caput supponere non recusavit, quod æterna nos dulcedine

inebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit. Quod qui pro nobis Patrem, quamvis esset divinitate æqualis, adoravit, sub irrisione adoratus tacuit, quod vitam mortuis præparans usque ad mortem ipsa vita pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut a Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis, ut hunc ad amissam beatitudinem revocaret? Unde propheta: *Alienum opus ejus, ut faceret opus suum* (*Isa.* XXVIII, 21). Opus enim ejus est salvare quod creavit, flagellari autem opus est hominis peccatoris, non ejus qui peccatum non fecit. Suscepit igitur alienum opus, id est flagella, quatenus ita salvaret creaturam suam, quod est opus ejus.

LIII. Excitati ergo tot vocibus præceptorum, adjuti tot comparationibus exemplorum, amemus Dei judicium: certi quod in humilibus amaritudo præsentis angustiæ exstinguit supplicia permanentis iræ. Nos ergo quamvis flagellis cincti, quamvis pro parte carnis contristemur, tamen in spiritu lætemur, utilitatem afflictionis contemplantes. Et orandum quidem pro afflictoribus est. Attamen si non resipuerunt, cum, juxta Isaiam, deprædationem consummaverint, præda dæmonum erunt. Et sicut in Septuaginta legitur, afflictos etiam de illorum interitu vox divina consolatur dicens: *Væ qui vos miseros faciunt, quia reprobabuntur.* Item in eodem propheta: *Ad punctum et in modico dereliqui te, paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione sed in miserationibus multis misertus sum tui* (*Isa.* LIV, 7, 8, 11), *et tuli de manu tua calicem soporis et indignationis meæ, et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverint. Tu autem non adjicies, ut bibas illum ultra* (*Isa* LI, 22). Et item: *Egrediemini, et satietis, et calcabitis impios, cum fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum* (*Malac.* IV. 3). Nam ut quidam piissimus Pater, cui dilectus filius occissus sit, si forte occisorem et gladium repererit, occisorem cum eodem gladio trucidat, ipsum vero gladium, cum quo filius perierat, particulatim comminuit: ita amator hominum Christus a suis quidem absterget omnem lacymam, tortorem autem illuc projiciet, ubi sit fletus et stridor dentium; afflictorum vero malleum ita conteret, ut hunc a suis penitus auferat et tantum pondus ejus in illos retorqueat. Unde et afflictæ familiæ blandiens per prophetam dicit: *Sicut juravi Noe, ut ultra non inducerem aquas diluvii, sic et tibi, ut non increpem te amplius* (*Isa.* LIV, 9). At vero qui adversum filium matris suæ ponit scandalum, comminatur dicens: *Arguam te et statuam*, subaudis, ea quæ fecisti *ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 21). Ista cum viderit Deum deorum in Sion, portans in exsultatione manipulos quos in lacrymis seminavit, lætabunda clamabit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19). De afflictoribus vero sub specie Babylonis matris eorum dicitur: *Quantum exaltavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII, 7). Non itaque glorietur fumus si exaltatur, id est, inimici Domini si prævalent quia fumus ascendendo facit ut non sit. Et istorum voce dicitur: *Elevans allisisti me* (*Psal.* CI, 12). Pusillo autem gregi suo dicit Spiritus sanctus: *Fili, noli deficere a disciplina Domini* (*Prov.* III, 11), etc. Et item per Apostolum: *Quis enim est, quem non corripit pater?* (*Hebr.* XII, 7). Et in eodem: *Patres carnales habuimus, et reverebamur eruditores eos, non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* (*Hebr.* XII, 9) Quapropter paterna flagella delectabiliter, ut ita dicam, non mordeant, suaviter excrucient, hilariter contristent, quoniam si compatimur et conregnabimus. Paterna vero flagella dixerim, quia licet magnum sit cuiquam vocari servum Dei, tamen afflicti, ut ait Hieronymus, non vocantur servi, nec amici quidem, quod majus est, sed, quod præstantissimun est, filii vocantur, et etiam dilecti: *Flagellat*, inquit, *omnem filium quem recepit* (*Hebr.* XII, 6); et quod sequitur, ut in Job perhibetur, *Beatus vir qui corripitur a Domino* (*Job* V, 17). Licet enim convenire simul non queant beatitudo et dolor, tamen quia salutis argumentum est, vi doloris correptus recte dicitur beatus, quoniam per hoc quod exterius affligitur interius vivit. Ut igitur in octavo Moralium libro beatus Gregorius astruit, spes ista vos maneat, quoniam quantum in necessitatibus præsentis temporis de libertate in Dei filiis nihil apparet, tantum in futura libertatis gloria nihil in eisdem Dei famulis de servitute parebit.

# SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS II

# DE VITA SANCTI GERALDI

## AURILIACENSIS COMITIS

## LIBRI QUATUOR

(Ex Bibliotheca Clunianensi, edente D. Marrier, pag. 65).

### AUCTORIS EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Affectu recolendo pro suis meritis (72) domno Aymoni abbati, conservus fratrum Odo perpetuam salutem in Christo.

Libellum, venerabilis pater, quem de conversatione et miraculis beati hominis Geraldi, me, qualitercunque possim, dictare tam imperiose nuper suaseras, jam, licet tremens, aggredior. Nam, etsi faciendo præsumptionem, quasi meis viribus excedens, timeo; et non faciendo, contumaciam, quasi inobediens, pertimesco. De obedientia vero et A bonitate Christi confisus, aggrediens, te quæso, ut ejusdem Christi clementiam implores, quatenus pro amore ipsius famuli sui Geraldi, relationem sic modificare dignetur, ut homini, quem glorificare disposuit, non sit ex toto indigna, nec mihi transgressionis causa. Ad quam videlicet transgressionem evadendam, nonnulla, de quibus tu forte causaberis, prætereo; sola illa quæ mihi sunt vulgata, cum et tu coram adesses certis auctoribus contexens. Vale.

## PRÆFATIO.

Plerique dubitare solent, utrum vera sint quæ de beato Geraldo referuntur. Inter quos nonnulli penitus non verum, sed phantasticum putant. Alii quoque velut excusationes in peccatis quærentes, indiscrete hunc extollunt, dicentes videlicet quia Geraldus potens et dives fuit, et cum deliciis vixit, et utique sanctus est. Qui nimirum suam voluptuosam vitam ejus nituntur exemplo excusare. His ergo nobis visum et aliquantulum, prout possu- B mus respondendum. Nam et nos dudum audita miraculorum fama, nihilominus de his dubitabamus, ob hoc maxime quod in quibusdam locis nescio per quos rumores solent vulgares conventus noviter fieri, paulatimque velut res vana cessari. Sed cum causa insisteret (73), ut Tutelensis cœnobii fraternitatem inviseremus, ad sepulcrum ipsius intendere libuit. Tunc vero accitis quatuor ex his, quos ipse nutrierat, Hugone videlicet monacho, Hildeberto sa-

(72) *Domno Aymoni abbati.* Sancti Martialis Lemovicensis, quo suadente sanctus Odo librum de conversatione et miraculis beati Geraldi, comitis Auriliacensis scribere agressus est. Sic enim chronologia Lemovicensium abbatum : « Octavus abbas Aymo præfuit annis VI, obiit Non. Maii, Hic amicitiam habuit cum sancto Odone Cluniacensi abbate, cui jussit edere Vitam sancti Geraldi. » Turpio sive Turpinus episcopus Lemovicensis, cujus frater fuit, et quem summo amore excoluit, *Aimonum* appellat in testamento restaurationis monasterii sancti Augustini Nec propterea minus verum est quod habent etiam Gesta pontificum Lemovicensium, in Turpione, scilicet quod « Odo Turpione rogante Vitam sancti Geraldi composuit, et librum *De Contemptu mundi.* » Nam, ut inquit ipse sanctus Odo, « et domnus Turpio episcopus, et dilectissimus ac venerabilis abbas Aymo, cum aliis quamplaribus multa vi precum coegerunt illud ut hæc aggrederetur. »

(73) *Ut Tutelensis cænobii fraternitatem.* Monuimus jam sanctum Odonem abbatiæ Tutelensis in Lemovicino curam gessisse. Docet Martyrologium Lemovicence his verbis :« Odo secundus abbas Cluniacensis primo fuit abbas Tutelensis Lemovicensis diœcesis. » Nunc satis sit addere, *Tutelarum*, quas et *Tullum*, vetustæ sancti Martialis vitæ scriptor, appellat monasterium a Joanne XXII papa in episcopalem sedem erectum fuisse. Gallice *Tulle.*

cerdote, Witardo quoque, et alio Hildeberto nobilibus laicis, sed et aliis quampluribus, de moribus et qualitate vitæ ejus hactenus disquisivimus: nunc simul, nunc semotim, quid singuli dicerent, vel si in dicendo sibi concordarent, certatim inspeximus, tacite expendentes, si talis vita ejus esset, cui forte miracula convenissent. Comperto autem quam religiose vixerit, et quod nunc Deus in sua gratia pluribus indiciis esse monstraverit, jam de ejus sanctitate dubitare nequivimus. Magis miramur; quod in hac nostra ætate, cum jam charitas pene tota refrigescit, instante antichristi tempore, sanctorum miracula cessare debeat. Sed nimirum suæ promissionis est memor, quia per Jeremiam dicit: *Non desinam benefacere populo meo* (*Jer.* xxxii, 40). De hoc autem ejus benefacto testatur B Apostolus, dicens quia Deus in nullo sæculo sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens corda hominum lætitia implet. Si ergo divinæ benignitati ejus placet, ut qui fecit cum patribus mirabilia, nostris quoque glorificetur temporibus, increduli nequaquam esse debemus. Quod autem et in isto tempore, et per modernum hominem hæc divina dispensatio gerit, hoc nimirum esse videtur, quia jam cuncta sanctorum retro facta vel dicta, quasi mortuus a corde recesserunt. Et cum vir iste Domini, sicut in diebus Noe repertus est, qui secundum legem vixerit, hunc ipsum Deus ad testimonium intuentibus ingerit, ut videntes quod juste et pie vixerit, ad ejus imitationem, tanquam de proximo resplendentem acies cordis evigilet. C Nec observantia mandatorum Dei gravis aut impossibilis æstimetur, quoniam quidem hæc a laico et potente homine observata videtur. Nihil autem mentis ignaviam deterius nutrit, quam hoc quod boni vel mali operis retributio, quæ post hanc vitam restat, in præsenti non recogitatur. Quo contra monet nos Scriptura, ut in omnibus operibus nostris memoremus novissima nostra. Deus igitur famulum suum, quem in cœlis remunerat, etiam in terris, coram suis contemptoribus exaltat: ut per hoc quod foris agitur, interius Dei contemptores videant, quia vanus non est qui servit Deo, sed sicut ipse testatur, qui glorificant eum, glorificabit eos, et qui contemnunt eum, erunt ignobiles. Quoniam vero hunc Dei hominem in exemplo potentibus datum credimus, viderint ipsi qualiter eum, sicut e vicino, et de suo ordine sibi prælatum imitentur: ne forte sicut regina Austri Judæos, sic iste in judicio condemnet eos. Nos autem de ejus actibus occasionem sumentes, aliquid ad eosdem potentes commonendos, ubi se opportunitas præbuerit, sicut rogastis, annectimus. Siquidem et domnus Turpio episcopus, et dilectissimus mihi ac venerabilis abbas Aymo, cum aliis quampluribus multa vi precum me coegerunt, ut hæc aggrederer. Cum quidem veram inertiæ prætendissem excusationem, male se dixerunt, ut hæc aggressi potius stylo proderentur. At ego perpendens quod humili quoque homini pomposa relatio minus congruat, fidem vero dictis testium adhibui. Qui signa quidem quæ vulgus magni pendet, non multa retulerunt, sed disciplinatum vivendi modum, et opera misericordiæ quæ Deo magis placent, non pauca. Nam Rex in judicio multis qui prophetaverunt, et multis qui digna fecerunt, dicet: *Nescio vos* (*Matth.* xxv, 12). Qui vero justitiam operantur, in qua Geraldus quam maxime excrevit, audituri sunt: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* xxv, 34). Et revera qualia sunt gesta per quæ Job, David, et Tobias, et alii quamplures beatificantur, non ista quæ Geraldus egisse comprobatur. His ergo ita consideratis, credere mihi persuasum est, quod Geraldus sanctorum consortio dignus sit, per quem etiam cœlestis remunerator miracula dignetur operari. Sed hanc apologeticam præfationem texentes, diu locuti; jam ad initium loquendi in Christi nomine veniamus.

# LIBER PRIMUS.

I. Vir igitur Domini Geraldus ea parte Galliarum, quæ ab antiquis Celtica vocatur, oriundus fuit; territorio videlicet, quod est Arvernensi atque Caturcenci, nec non etiam Albiensi conterminum (74), oppido vel villa Aureliaco, patre Geraldo, matre vero Adaltrude progenitus. Carnis nobilitate tam excellenter illustris, ut inter Gallicanas familias ejus prosapia, D tam rebus, quam probitate morum, generosior videretur. Fertur enim quod parentes illius modestiam atque religionem veluti quadam hæreditaria dote sibi tenuerint. Cujus rei duo testes ex eadem stirpe emergentes existunt, ad hoc astruendum satis idonei: sanctus videlicet (75) Cæsarius Arelatensis episcopus (76) et beatus Aredius abbas. Et quia Dominus in gene-

(74) *Oppido vel villa Aureliaco, Castrum Aureliacense* dixit infra cap. 34 hujus lib. I, et cap. 4, lib. II, *Aureliacum insigne prædium.* Geraldus ipse comes *Aureliacum,* Gerbertus *Aurilacum.* Vulgo nos *Aurillac.*

(75) *Cæsarius Arelatensis episcopus.* « Hic, ut inquit Cyprianus ejus discipulus, territorii Cabilonensis fertur fuisse indigena. Cujus parentes fortuna egregia æque ac prosapia, quod est illustre, et præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis civibus suis fide et moribus floruerunt. » Juvenis adhuc Lerinense monasterium ingressus, ex monacho postmodum ibi factus est abbas; et inde tandem post S. Eonium ad Arelatensis Ecclesiæ pontificium assumptus. Habuit et sororem nomine Cæsariam, quam sanctam virginem Deo dicavit, ac cœnobio virginum Arelati a se constructo præfecit. Sed qualiter ex ejus stirpe S. Geraldus Aureliacensis comes emergere potuerit, uti notat sanctus Odo, mihi certe nondum liquet.

(76) *Et beatus Aredius abbas, Lemovicinæ urbis incola,* sicut ait Gregorius Turon. lib. x, Histor.

ratione justa, generatio vero Geraldi quærentium est Dominicum : consequens est ut generatio rectorum benedicatur. Sane quantum locupletes idem fuerint, vel prædia mancipiis referta testantur, quæ circumquaque diffusa eidem Geraldo jure successionis obvenerunt. Sed decus mentis quod ex parentibus hauserat, in ipso multipliciter auctum refulsit. Quadam enim gratia genitores ejus clariores sunt, qui prolem tam felicem gignere meruerunt.

II. Pater quippe ipsius in ipso conjugio sese castificari tantopere studebat, ut semoto frequenter a conjuge toro, solus accubitaret, velut ad tempus, juxta Apostolum, orationi vacans. Quadam vero nocte monitus in somnis perhibetur, quatenus uxorem cognosceret, quia filium generaturus esset. Aiunt enim quod ei missum sit, ut illum nomine suo Geraldum vocaret. Dictum quoque quoniam futurus magni meriti foret. Excitus autem congratulabatur visioni. Dehinc iterum soporatus videbatur illi, ut de pollice pedis ejus dextri quædam virgula nasceretur, quæ paulatim in magnam arborem succrescebat, ac subinde frondibus diffusis universim [sensim] spatiabatur. Tum ille quasi operarios vocans, jubebat furcarum vel perticarum adminicula supponi. Et cum illa vehementer grandesceret, nullum tamen pondus in pollice sentiebat (77). Siquidem somniorum visiones non semper sunt inanes. Et si somno fides adhibenda est, videtur hæc visio rerum effectui convenire futurarum. Cognovit itaque uxorem, quæ juxta condictum visionis puerum concepit. Sed fortasse de hoc quasi de somnio dubitari potest. Aliud tum virtutis indicium evidenter secutum est.

III. Genitrix ejus cum esset vicina partui, nono videlicet die priusquam nasceretur, contigit ut cum suo viro vigilanti vigilans ipsa jaceret. Et dum nescio quid vicissim sermocinarentur, infans emisit vocem quam ambo audierunt. Cumque attoniti, quidnam esset obstupescerent, neque ignorare poterant, quod illa vox in alvo matris sonuerit, vocat pater cubiculariam, et quonam ille vagitus increpuerit, adhibito lumine jubet disquiri. Cum illa nullum omnino infantem adesse, qui vocem illam ediderit similiter attonita prostestaretur, infans iterum secundo sonuit. Et post modicum intervallum, sonuit etiam tertio, videlicet sicut recens natus vagire solet. Ter igitur in ventre matris auditus est, quod profecto tam mirum est, quam et contra naturæ modum constat accidisse. Et quia non casu, sed disponente rerum ordinatore Deo factum est, forte vox illa jam præsagabat [præsagiebat], quod in hujus mortalitatis clausura vitales actus erat habiturus. Nam sicut partus in alvo matris degens, vivit quidem, sed nullum sensum habet, sic omne genus humanum in hac vita post reatum primi hominis, velut inter angustias uteri clausum tenetur, ubi licet per fidem in spe gloriæ filiorum Dei vivat, tamen nihil spirituale [sensuale] sicut est videre, neque efficaciam sensuum qualem primus homo ante peccatum habuit, vel sancti post hanc vitam accipiunt, nullatenus nisi languide, et ægre exercet. Geraldus igitur in matris utero bene sonuit, quoniam ultra communem aliorum vigorem in fide sanctæ Trinitatis exercens, felicem famam, qua erat orbem repleturus, per illam voculam significavit.

IV. (78) Natus vero, et ablactatus, cum ad illam ætatulam pervenisset in qua solet in parvulos morum qualitas explorari, quædam placens indoles in eos subrutilabat, per quam diligenter inspicientes, virum hunc virtutis futurum esse conjiciebat. Nam in prima ætate, ut sæpe videmus, incitamentis corruptæ naturæ, solent parvuli irasci, et invidere, et velle ulcisci, vel alia hujusmodi attentare. At in

Franc. cap. XXIX, « non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuis. » Abbas autem Attani Cœnobii, quod ipse fundavit, et ex cujus nomine vulgo nunc adhuc Saint-Yriex dicitur. Karissimæ nobilis matronæ præceptum ex tabulario S. Martini Turonensis depromptum, ejus generationem a Childeberto rege Francorum usque ad tempora sua sic enarrat. « In nomine Domini nostri Jesu Christi. Narratio generationis Aredii eximii abbatis incipit ita. Suldeca nobilis femina regis Childeberti et Mathildis [Nanthildis] reginæ filia genuit Astidium Lemovicensem episcopum, qui Treveris ortus, favente Deo, in Lemovica urbe episcopus postea sublimatus est. Ipse denique Astidius habuit conjugem benignam nomine Teclam ante suum episcopatum, cujus fuit germana dives Frontunia, cujus fuerunt Nataliaci prædia. Astidius igitur et Tecla uxor ejus genuerunt Liverium, Adtecum, Dulcitium, Adtecam et Austilianam. Liverius vero genuit Sperium et Pientiam. Adtecus genuit Eustachium, Ruricium et Peladiam. Dulcicius autem genuit Ambrosium, Severum sanctissimum, quem veneratur Biturica plebs super Ligeris ripam, et Ravennatem Basolum. Adteca genuit Clarum, et Ispanum Martyrem. Pientia autem genuit Perogoricum [Petrogoricum], Leoncium. Ambrosius vero genuit Julium, Industrium, et Eusebiam. Eusebia vero genuit Savinam, Salicam. Savina genuit Optatum Biturigensem venerabilem archiepiscopum. Optatus igitur genuit Pomponiam Godefredi Flandrensis uxorem, et Ocilium Suessionensem nobilissimum præsulem. Peladia vero genuit Cartheriam, et Eulaliam, et Mummulum. Cartheria autem genuit Pelagiam sanctissimam, et Savinam Aredii abbatis amitam, Pelagia ergo regis Theodeberti neptis, et vir ejus Jocundus Lemovicorum princeps nobilissimus genuerunt Aredium virum eruditum ; regis supradicti cancellarium, et Eustachium fratrem ejus, Germanam, et Consortiam. Consortia autem genuit Astidium, Pientiam, et Basiliam. Pientia genuit Ocilum. Basilia uxor Dodonis Bituricæ principis genuit Pugiam et Karissimam. »

Sed nec inde quis potest discere sanctum Geraldum comitem Aureliacensem isto supramemorato Aredio nobilissimo procreatum fuisse, sicut hic sanctus Odo noster asserit.

(77) *Siquidem somniorum visiones*. Citat hunc locum Petrus Venerabilis, libro secundo Miraculorum, capite 25, hoc modo : « Nam ut sanctus Pater noster Odo in Vita sancti viri Geraldi scripsit, somniorum visiones non semper sunt inanes. »

(78) *Natus vero*. Anno scilicet Christi 856, qui fuit Abbonis abbatis sancti Martialis Lemovicensis secundi quintus, uti notat Ademarus et ipse Lemovicensis monachus in Commemorat. abb. Lemovic. basilicæ sancti Martialis : « Secundus, inquit, abbas Abbo præfuit annis XI, cujus anno V sanctus Geraldus Aureliacensis natus est. »

puero Geraldo dulcedo quædam animi cum vere- A cundia, quæ multum honestat adolescentiam, ipsos infantiles actus decorabat. Qui divina providente gratia studiis litterarum applicatus est, ea tantum parentum voluntate, ut decurso psalterio, mox sæcularibus exercitiis, sicut nobilibus pueris mos est, erudiretur. Scilicet ut Molossos ageret, arcista fieret, cappos et accipitres competenti jactu emittere consuesceret. Sed ne inani studio deditus, tempus ad discendum litteras congruum in vacuo transiret, divino nutu dispositum est, ut diutius ægrotaret. Tali equidem infirmitatis languore, ut a sæculari exercitio retraheretur, sed ad discendi studium non impediretur. Siquidem minutis jugiter pustulis ita replebatur, ut per longum tempus protractæ, jam non putarentur posse B sanari. Qua de causa genitor ejus cum matre decernit, ut litterarum studiis arctius applicaretur, Quo videlicet, si usibus sæculi minus esset aptus, ad ecclesiasticum officium redderetur accommodus. Hac igitur occasione factum est, ut non modo cantum disceret, quin etiam et grammaticam prælibaret. Quod ei postea multum profuit, cum acies ingenii per illud exercitium elimata, ad omne quod vellet, acutior redderetur. Inerat autem illi vivax mentis sagacitas, et ad discendum quæ vellet satis prompta.

V. Transmissa pueritia cum jam adolesceret membrorum robur nocivum corporis consumpsit humorem. Tam velox autem factus est, ut equorum terga facili saltu transvolaret. Et quia viribus C corporis fortiter agiliscebat, armatam militiam assuescere quærebatur. Sed jam dulce scripturarum adolescentis animum subarraverat, ad cujus studium affectuosius anhelabat. Ob hoc licet militaribus emineret officiis, delectatione tamen litterarum illectus ; in illis voluntaria pigritia lentulus, in hujus sedulitate erat assuetus. Credo jam sentiscebat quia, juxta Scripturæ testimonium, *melior est sapientia quam vires* (*Sap.* VI, 1), et nihil est locupletius illa. Et quoniam facile videtur ab his qui diligunt eam, mentem ejusdem adolescentis præoccupabat, ut ei se prior ostenderet, ut esset dulcis allocutio cogitationis ejus. Nullo igitur impedimento Geraldus poterat occupari, quin ad amorem discendi recurreret. Unde fa- D ctum est, ut propemodum pleniter Scripturarum seriem disceret, atque multos clericorum quantumlibet sciolos in ejus cognitione præiret.

VI. Decedentibus autem parentibus cum ejus dominio potestas omnis deveniret, non ut solent adolescentes, qui in matura dominatione superbiunt, Geraldus intumuit, nec incœptam cordis modestiam immutavit. Dominandi potestas grandescebat, sed mens humilis nequaquam insolescebat. Pro disponendis vero atque tuendis rebus, quas, ut diximus, hæreditario jure sibi vindicaverat, occupari cogebatur, et ab illa cordis dulcedine, quam aliquatenus jam prægustaverat, ad amaritudines terreni negotii foras exire. Hoc sui cordis secretum deserere ægre ferebat, mox tamen ut possibile erat, ad illud recurrebat. Sed dum ab alto contemplationis quasi ruere per terrenam occupationem videretur, sicut ibici mos est, ut ruens in suis cornibus se recipiat, ne moriatur ; ita ad amorem divinum, vel Scripturæ sanctæ meditationem recurrens, internæ mortis ruinam evadebat : illo nimirum Davidico spiritu jam, ut reor afflatus, quo ille fervens non dabat somnum oculis, donec actionibus diurnis exoccupatus, locum Domino in seipso inveniret, in quo sub lingua sua secretim exultans, quam dulcis est Dominus degustaret. Forte juxta illud Job rivos olei huic petra Christus fundebat, ne aquæ multæ possent extinguere in eo lucernam charitatis. Et ad istam cordis refectionem defixus quidem inhiabat, sed domesticis tamen, et familiaribus exigebatur, ut otia contereret, et aliorum sese utilitatibus impenderet.

VII. Mordaces igitur curas propter querimonias reclamantium invitus admittebat. Causabantur enim sui querelosa voce dicentes : Cur potens vir ab infimis personis quæ res suas populabantur, violentias pateretur ; addentes, quia dum explorarent quod ille se nollet ulcisci, quidquid illius juris esset mordacius devastarent : Sanctius et honestius esse, ut jus armatæ militiæ recognosceret, in hostes ferrum stringeret, violentorum audaciam frenaret ; satius esse temerarios vi bellica premi, quam pagenses et inermes ab eisdem injuste opprimi. Quod Geraldus audiens, non assultu, sed ratione cohortatus, ad miserandum et subveniendum flectebatur. Totumque se divinæ dispositioni ac misericordiæ committens, tractabat qualiter pupillos et viduas juxta apostolicum præceptum visitaret, ut se ab hoc sæculo immaculatum custodiret.

VIII. Igitur ad insolentiam violentorum reprimendam se jam exercebat, id imprimis certatim observans, ut hostibus pacem, facillimamque reconciliationem promitteret. Quod utique studebat, ut vel in bono malum vinceret, vel si illi dissiderent, jam ante Dei oculos suæ parti justitia plenius favisset. Et aliquando quidem mulcebat eos, et in pacem reducebat Cum vero inexplebilis malitia quorumdam pacificum hominem irrideret ; jam tunc cordis acrimoniam exerens, conterebat molas iniqui, ut de dentibus eorum, juxta illud Job, auferret prædam. Non tamen, ut plerisque moris est, ulciscendi libidine percitus, aut vulgaris amore laudis illectus, sed pauperum dilectione, qui seipsos tueri nequibant infervens. Agebat autem hoc ne forte si inerti patientia torpuisset, præceptum de cura pauperum neglexisse videretur. Jubet enim eripi pauperem, et de manu peccatoris egenum liberari. Jure igitur non dabat cornu peccatori. Aliquoties autem cum inevitabilis ei præliandi necessitas incumberet, suis imperiosa voce præcepit, mucronibus gladiorum retroactis, hastas inantea dirigentes pugnarent. Ridiculum hoc hostibus foret, nisi Geraldus vi divina roboratus,

mox eisdem hostibus intolerabilis esset. Quod etiam suis valde videbatur ineptum ni experimento probassent, quod Geraldus, quem pietas in ipso præliandi articulo vincebat invincibilis semper esset. Cum ergo viderent quod novo præliandi genere mista pietate triumpharet, irrisionem vertebant in admirationem. Etiam victoriæ securi, servabant alacres quod jubebat. Non enim auditum est aliquando quod vel eum, vel milites ejus, qui sub illius fidelitate pugnaverunt, eventus victoriæ fefellisset. Sed et hoc certum constat, quod nec ipse quemlibet unquam vulneraverit, nec prorsus ab aliquo vulneratus est. Christus namque erat, ut scriptum est, in latere ejus, qui cordis ejus oculum inspiciens, pervidebat quod pro ejus amore B tam beneficius erat, ut non hostes ipsos vellet appetere, sed solam in eis audaciam dementare. Nemo sane moveatur, quod homo justus usum præliandi, qui incongruus religioni videtur, aliquando habuerit. Quisquis ille est, si justa lance causam discreverit, ne in hac quidem parte gloriam Geraldi probabit obfuscandam. Nonnulli namque Patrum cum et sanctissimi et patientissimi fuerint justitiæ tamen causa exigente viriliter in adversariis arma corripiebant : ut Abraham, qui pro eruendo nepote ingentem hostium multitudinem fudit. Et rex David, qui etiam contra filium legiones direxit. Geraldus non aliena pervadendo, sed sua, quin potius suorum jura tuendo confligebat. Non nesciens rhinocerotem, id est, quemlibet potentem, loro religatum, ut glebas vallium, id est, C humilium oppressores confringat. *Neque*, ut ait Apostolus, *judex sine causa gladium portat*; *vindex enim Dei est* (*Rom.* XIII, 4). Licuit igitur laico homini in ordine pugnatorum posito gladium portare, ut inerme vulgus velut innocuum pecus a lupis, ut scriptum est, vespertinis defensaret. Et quos ecclesiastica censura subigere nequit, aut bellico jure, aut vi judiciaria compesceret. Non igitur obscurat ejus gloriam, quod pro causa Dei pugnavit, pro quo pugnat orbis terrarum contra insensatos; quin potius ad laudem ejus proficit, quod semper sine fraude vel insidiarum interventu palam vicerit, et tamen ita protectus a Deo sit, ut gladium suum, sicut supra diximus, nunquam humano sanguine cruentaverit. Porro autem, qui D exemplo ejus adversus inimicos arma sumpserit, ejus quoque exemplo non propriam commoditatem, sed communem quærat. Videas namque nonnullos qui pro amore laudis aut lucri, sese periculis audenter objiciunt, mala mundi pro mundo libenter sustinent : cujus dum amaritudines occurrunt ejus gaudia, ut ita dixerim, quærentes perdunt. Sed istorum alia res est. Opus vero Geraldi lucidum est, quoniam de simplicitate cordis metitur.

IX. Exploraverat antiquus deceptor mores adolescentis, et nescio quid divinum in eo commentatus, in invidiam exardescebat, et ob id quantis poterat tentationum fraudibus hunc obruere satagebat. Sed ille jam didicerat ad gremium divinæ pietatis orando confugere, et illius commenta per Christi gratiam refutare. Hostis autem inexplebiliter invidus, cum experimento probasset, quod in eo per delectationem carnis regnare nequivisset, bellorum, ut supra diximus, turbines ei per improbos concitabat, ut arcem pietatis per illos in corde ejus oppugnaret, ad quam per seipsum irrumpere nequaquam valebat. Contra castitatem vero, ut ad ejus juveniora redeamus, quam isdem virgunculus certatim diligebat, versutissimus hostis acerrime succendebatur. Novum namque et inusitatum illi erat, quod aliquis juvenculus naufragium pudoris tutus evasisset. Libidinem igitur, quæ ad decipiendum genus hominum, vel maxima, vel prima est ejus virtus, instanter illi suggerebat. Quam cum ille penitus refutaret, torquebatur hostis; quod nec ad fores quidem cordis illius hanc intromittere posset. Veternosam ob hoc repetit fraudem, et ad instrumentum deceptionis, quo vel Adam, vel posteri ejus maxime decipi solent, ad mulierem dico, recurrit. Quamdam enim juvenculam ejus oculis, ut fertur, ingessit. Qui dum in ea colorem nitidulæ cutis incautus attendere mox in delectatione illius mollescere cœpit. O si protinus intellectu conspexisset quid sub cute latebat! quia nimirum nihil carnis pulchrum est, nisi fucus pellis. Avertit ille oculos, sed species per ipsos cordi impressa remansit. Itaque angebatur, illiciebatur, et cæco igni adurebatur. Tandem victus mittit ad matrem puellæ, qui se nuntiat nocte venturum. Secutus ille nuntium, violenter ad interitum animæ festinabat. Interim vero, sicut solent captivi inter vincula, pristinæ libertatis gementes memorari, suspirat Geraldus, et consuetam divinæ dilectionis dulcedinem recolebat. Et licet ægro affectu, rogabat Deum, ne se illa tentatio penitus absorberet. Venitur ad condictum, intrat hospitium puella, quia frigus erat, stetit in facie juxta focum : Geraldum vero jam divina gratia respexerat. Cui tam deformis eadem puella mox visa est, ut non crederet eam esse quam viderat, donec pater ejus ipsam esse assereret. At ille intelligens id non sine divino nutu fieri, quod eadem juvencula non eamdem venustatem in ejus oculis haberet, mox ad Christi misericordiam se recollegit, et profunde suspirans concitus equum ascendit, et nil cunctatus, gratias agens Deo, raptim abire properavit. Nimius algor frigoris tunc forte ingruerat, cui se tota nocte torreri permisit, ut scilicet parvæ delectationis teporem glacialis asperitas puniret. Jubet autem protinus patri, ut hanc nuptui traderet. Quam et libertate donavit, et quoddam prædiolum jure testamentario concessit. Fortassis autem fragilitatem suam suspectus, ejus accelerari nuptias fecit. Quapropter eleemosynæ causa, et dote libertatis donavit, ne illius matrimonium tardaretur. Verum tu cedrus Paradisi futurus quomodo sic agitari potuisti? Certe ut disceres qualis ex teipso esses. Nam et ille tuus patronus, apostolorum videlicet princeps, cui postea et teipsum, et omnia tua commisisti, non se satis cogno-

sceret, nisi tentationis articulus obrepsisset. Nunc vero tu expertus qualis homo per se, qualis per Dei gratiam sit, compati supplicum tuorum fragilitati ne dedigneris. Noverimus autem quia non est inconsuetum sanctis tentari. Insertis enim corruptæ naturæ vitiis nascuntur, scilicet ut sicubi certent, certantes vincant, vincentes coronentur. Interest autem quis delectationem vitii recipiens succumbat, aut quis eidem repugnans vincat ac delectatione virtutum potius mentem occupans, venenum pravæ delectationis, quod ad horam forte insumpserit, antidoto piæ supplicationis a se repellat. At adolescens hic periculi experimento discretior, sicut aliquis in lubrico post impactionem pedis, cautius incedebat, satis cavens et cordi ejus nihil oculi nuntiarent, unde mors ad ejus animam per fenestras eorum subintraret.

X. Cæterum dulcis Dominus ac rectus, qui servum suum Geraldum a stupro, pietatis dulcedine servavit, punire eum pro concupiscentia, rectitudinis censura non omisit. Elapso quippe non multorum dierum tempore, per unum et eo amplius annum glaucomate cæcicatis reum suum contrivit, ut oculi qui illicita viderant, nec licita quidem ad tempus videre possent. Cum quidem nec in palpebris, nec in prunulis ejus, perpera quælibet appareret. Noverant familiares cæcitatem, et hanc extraneis perspicaces pupillæ summo studio dissimulabant. Ille vero sub manu ferientis Domini sese humilians, tanquam ad ejus flagella paratus tacebat. Medicinam sane corpoream nec refutabat, neque urgenter quærebat, præstolans patienter quando vel qualiter Dominus suus expleta feriendi voluntate verbera submovere voluisset. Noverat enim quod omnis filius flagellatur. Internus vero arbiter etiam minimas in electis suis maculas nunc purgat, ne sit in eis quod postmodum oculos ejus offendat. Et ob id flagellum hoc eidem intulit, quo mens juvenilis et de præterito purgaretur, et in futuro defæcatior servaretur. Cum ergo Deus explesset in eo voluntatem suam, flagellum dimovit, et lucem ejus oculis reparavit.

XI. Jam vero ille, quasi excoctis per afflictionem sensibus, vitam satis honestam ducebat, et medioximum discretionis callem in neutra parte pronior agebat. Scilicet ut sæculari negotio sua munia non fraudaret, nec a religionis cultu terrena se occupatione tricaret : honestiores viros sibi familiarius adjungebat, et clericos melioris famæ, cum quibus domi vel foris divinum officium, aut simul, aut viritim exercebat. Venerat Dominica dies, et ille necesse habebat ad quoddam placitum (79) ex condictu venire, quo scilicet nobiles quidam viri conventuri erant. Quos ne tardius veniens demorari videretur, manicare (80) studuit, et priusquam illucesceret proficisci. Cavebat quippe in hoc turgidum fastum, ne se cuiquam tardum aut difficilem præstaret, ut moris est nunc quibusdam, qui velut de thalamo procedentes, prius ebrietati se mancipant quam amicis præstent, contra illud Scripturæ dicentis : *Væ terræ cujus principes mane comedunt (Isai* v, 11). Atqui Geraldus non ita. Valde enim indigne ducebat, ut qui multis prælatus erat et dominus, vitiorum dominationi fieret servus. Jejunus ibat ad placitum ne mersa sobrietate rationis judicio caruisset. Inquirebat autem quid Christi, quid pacis, quod commune bonum præferret. Post nocturnas autem laudes si quolibet proficiscendum erat, misssarum subsequebatur solemnitas : ita divinæ clementiæ se suosque committens abibat. Prædicta sane Dominica, quoniam necesse fuerat ante auroram proficiscere [proficisci], missam præterierat : quam scilicet expleto placito cum speraret audire, nusquam possibile fuit. Mœstus igitur admodum discurrebat, quærens ubi aliqua spes reperiendi fuisset. Cum vero nequidquam, advocat clericos qui tum forte aderant, et cum his omnes psalmistanos milites, dicens : Mea proprie culpa est, quod hæc sancta dies in vanum nobis transiet. Sed est quod ad laudem Dei faciamus, ne diem sanctam inaniter expendisse videamur. Dixerat hæc, et psalterium a capite, nil mortale sonans, cum eisdem percucurrit. Ex hoc jam sibi consuetudinem statuit ut psalterium bene quotidie recitaret. Quo videlicet decurso, velut spiritaliter epulatus, gaudere videbatur, ut solet aliquis ambitione exsatiata lætari.

XII. Manupretium videtur, si de corporis ejus habitudine quædam proferamus. Nam licet caro non prosit, licet fallax gratia sit pulchritudo, tamen quia libidinis atque superbiæ fomes esse quibusdam solet, laudandum est in hoc viro quod et venustus fuit, et se nec libidinis cœno fœdavit. Geraldus igitur staturæ mediocris, et totus, ut dicitur, euphormis, id est bene formatus. Et cum unumquodque membrum sua pulchritudo compsisset, collum tamen ita candidulum, et quasi ad normam vivendi decusatum habebat, ut vix aliud tam gratiosum vidisse te putares. Elegantiam sane corporis venustas animi decorabat. Unde in frontispicio ejus cordis habitudo subrutilabat. Hoc et scriptura testatur, dicens quod risus dentium, et occursus faciei, qualitatem interioris hominis demonstrat. Gustaverat jam quoniam dulcis est Dominus, et sponsi cœlestis quoniam suavis amplexus ; et idcirco pulchram animæ speciem non patiebatur in oculis ejusdem sponsi delectatione carnis illecebrari. Sole-

(79) *Ad quoddam placitum.* Id est judicium, aut conventum judicii causa. Synod. Turon. III, can. 35 : « Pro quolibet placito vel judicio a qualibet persona munera exigere. » Et lib. III, Capitul., c. 84 : « Unusquisque comitum placitum suum habeat, et justitias faciat. » Unde et placitare, apud Goffredum Vindocin. epist. 24, lib. II, quod synod. Arelat. IV, c. 16, « causationes disceptationesque exercere, » dixit. Nostri, *plaid* et *plaider*.

(80) *Manicare. Manne,* equi apud Horatium et alios veteres. Inde *manicare,* equo vehi, equitem agere, equitare.

bant sui collum ejus lætantes deosculari, nec tamen indignabatur illis, quoniam superbia, quæ semper intrectabilis est, sedem sibi vindicare non poterat. Erat præterea corporis pernicitate multum velox, et virium robore validus. Quod idcirco fit commemorandum ut appareat quoniam laudabilis est qui, materiam superbiendi habens, sese in humilitate depressserit. E contra, quoniam vituperabiles, qui parum vel nil horum habentes intumescunt. Postquam vero mentalibus se studiis plenius applicavit, illa corporis agilitas prorsus emarcuit. Tum præterea gratissimus erat alloquio communi, et in tractandis ac disponendis rebus acumine consilii profundus. Et quanquam scurrilitatis verba caveret, seria tamen ita proferebat, ut etiam suis in hoc placeret. Nec in proferendis minis erat nimis dicax, nec in reservandis injuriis tenax. Sed neque ad beneficia quælibet danda facilis, neque ad hæc [nec ab his] quæ dederat auferenda mutabilis. Quod vero affirmative diceret, hoc indubitanter explebat, nisi forte peccatum esse dignosceret.

XIII. Studebat autem ita sobrietati, ut non solum se, sed etiam suos a temulentia custodiret. Nam convivæ ejus, neque voraces erant, neque bibaces. Neque enim vel hospites unquam ad bibendum cogebat, neque numerosius quam omnes cæteri convivæ, potum hauribat. Itaque sic temperabat convivium, ut ab eo nec temulenti surgerent, nec subtristes. Et cum hospites ad quorum humanitatem se totum impendebat, reficere nonnunquam mane fecisset, ipse tamen non ante horam diei tertiam, vel in jejunio ante nonam reficiebat. Illud Scripturæ præceptum observabat beatus princeps, qui in tempore suo comedit ad reficiendum et non ad luxuriam. Quid enim ille convenientius observaret quam ebrietatem, quæ præter hoc quod mors animæ est, et a regno Dei, teste Apostolo, sicut homicidium, excludit, etiam corpori multum noxia probatur. Inde enim virium debilitas, inde membrorum tremor, inde sensuum enervitas, inde senectus intempestiva conqueritur. Visus, loquela, vultus dehonestatus, et omne religionis decus depravatur. Nemo quippe valet simul vino et Spiritu sancto repleri, et nullo pacto Jerusalem ab igne fornicationis valet tueri, si principem coquorum Nabuzardan ab ejus obsidione noluerit arcere.

XIV. Semper sedilia pauperibus coram se parabantur, et aliquoties mensæ apponebantur eis, ut per seipsum videret quid vel quantum ad refectionem eis daretur. Nec certus recipiendi numerus tenebatur, sed cum forte plures adessent, quorum personæ duntaxat aptæ ad recipiendum viderentur, plures ad eum introducebantur. Nullus vero unquam ab ostio sine datu eleemosynæ excludebatur. Ministri procurabant, ut ad manum semper haberet fercula, quæ ipse eis daret. Potus quoque afferebatur, quem inspectum ac prægustatum transmittebat, ut ipsi primo biberent, quibus ei sui panis medieta- A tem dabat. In his utique Christum se suscipere credens, et ipsum reverenter in his honorans, hunc ad se per ipsos intromittebat, cujus refrigerium est, juxta prophetam, reficere lassum. Quam susceptionem mercedis male sibimet illi imminuunt, qui licet foras eleemosyna transmittant, pauperes tamen ad se non introducunt. Nam Christum, qui dicit: *Hospes eram, et collegistis me* (Matth. xxv, 35), ita a suis domibus excludere videntur. Ut autem Pharisæorum justitiam, juxta præceptum Domini, præiret, nonam partem de redditibus agrorum reponi seorsum faciebat. Inde in quibusdam suis domibus pauperes alebantur: hinc eis indumenta vel calceamenta præbebantur. Obviantibus sibi nummos, quos ad hoc ipse ferebat, aut per se, aut per credulum ministrum clam jugiter ministrabat. Aliquoties cum pro aliquo homine nummi erogarentur, ipse cum indignentibus accipiebat, gaudens et exoptans pauperibus assimilari; quos tamen statim dabat, multam divini officii functionem pro accepto munusculo recompensans.

XV. Refectionis tempore, ingens illi reverentia servabatur. Non ibi loquacitas aut scurrilitas prævalebat, sed vel necessarii, vel honesti sermones, vel certe divini eloquii dicebantur. Per omne enim tempus semel in die prandebat, nisi forte æstivis diebus, cum prosius aliquid, aut crudum eœnaret. Ad ejus mensam primo diutius legebatur; sed ut sæcularibus condescenderet, lectionem interdum C suspendens, quærebat a clericis quid in ea diceretur: ab ipsis tamen quos posse noverat respondere. Siquidem nobiles clericos nutriebat, quibus et morum honestas, et eruditio sensus certatim adhibebatur. Pubescentibus enim austeriorem se præbebat, dicens quod illius ætatis tempus valde sit periculosum, quando quilibet adolescens maternæ vocis similitudinem, vel faciei deponens, paternam incipit assumere vocem vel vultum: et qui se tunc servare studeret, facile dehinc carnis incentiva superaret. Cum ergo illi quos de lectione requirebat, illum rogarent ut ipse potius loqueretur, tandem solebat proferre quod ei non pomposa dissertatio, sed docta simplicitas ministrabat. Interim vero cum e vestigio non D deessent, qui facetias quasdam, ut assolet, aut jocularitates moverent, non eas mordaci indignatione, sed quasi itidem jocando compescebat. Nunquam tamen vanitatem coram se protrahi sinebat. Noverat enim quod omnibus in commune Christianis jubeatur ut unusquisque cum silentio suum panem manducet In refectionis autem fine lectionem semper lector iterabat. Ita Geraldus vel de Deo loquens, vel Deo sibi per lectionem loquente, maximum refectionis tempus expendebat. Viderint illi hoc ejus exemplum qui, contra redargutionem prophetæ, citharam et lyram ludendo habent in conviviis suis. Gaudent lusibus, et exsultant ad vocem organi. Opus Domini non respiciunt, quoniam inter voces perstrepentium nec saltem clamorem pauperis audiunt. Quid enim? Verum

est quod Christus veritas dixit, quod scilicet, *ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII, 34). Isti qui semper de sæcularibus, et vel parum, vel raro de Deo loquuntur, palam est quid amplius ament, vel quid in cordibus eorum abundet. Qui utinam sicut Geraldus novissima providerent, et sive manducarent, sive biderent, omnia, juxta præceptum Apostoli, ad laudem Dei facerent. Tribus feriis in hebdomada, et omni tempore quod abstinentiæ dicatum est, a carnibus abstinebat. Si tamen in eisdem feriis festivitas annualis evenisset, abstinentiam ita solvebat, ut in qualibet absoluta feria ad vicem illius quam solverat, itidem abstineret; cum et unum pauperem extra solitos obtentu illius festivitatis reficeret. Sin vero jejunium die Dominica evenisset, nequaquam illud solvebat, nec sub hac occasione præteribat, sed præcedenti sabbato solemnitatem jejunii persolvebat. Sin vero talis ejus sancto homini videretur incongruus, noverit ille quem hoc forte movet, quod omnia munda sint mundis, id est, sine concupiscentiæ vitio comedentibus. Et qui non qualitatem cibi, sed necessitatem, vel appetitum quo sumitur, internus judex attendit. Quod Elias propheta et Esau suo probant exemplo. Licuit igitur homini laico, præsertim tam justo, licitis uti; quod non licet eis quibus id sua professio contradicit. Nam illa paradisi arbor non idcirco mortem intulit, quod mala esset sed quod super interdictum fuit præsumpta.

XVI. Porro vestibus laneis, aut lineis, non isto modo quo nunc a filiis Belial præsumptum et excogitatum est, qui utique sine jugo sunt, sed antiquo more semper usus est, ita duntaxat contextis, ut nec affectata pompa redolerent, nec plebeia rusticitate notarentur. Sericinis vero vel pretiosis, nec obtentu quidem cujuslibet festivitatis, nec alicujus præsentia marchionis, plus solito se comere studuit. Reminiculum illud quo solet ensis renibus astringi, per viginti annos, si tandiu durare posset, non mutare aut renovare curabat. Quid dicam de balteo vel ambitiosis cinctoriis, aut fibula, de equorum phaleris, quandoquidem ille non solum portare aurum, sed nec habere quidem pateretur? Non enim putavit aurum robur suum, neque in multitudinem divitiarum, sed in Deo gloriatus est. Ut religionis solent etiam professores, qui ad excolendum corporis cultum, inverecundo et infatigabili studio sollicitantur: id toto nisu affectantes, ut reverentiam, quam sibi moribus tollunt, vestis pretiosæ saltem obtentu ab intuentibus emendicent. Quibus utique expediret ut ad cultum animæ, quæ jugiter pulchrescere poterat, potius vacarent.

XVII. Erat autem pauperibus et injuriam passis liber ad eum semper accessus, nec ad causam suam ei commendandam deferre munusculum aliquod indigebant. Plus quippe oculis ejus unusquisque suam necessitatem plenius allegabat, quanto illum arctius indigentem vidisset. Jam vero benignitas ejus non solum vicinis, sed etiam longinquis regionibus resonabat. Et quia noverant omnes quam beneficus erga omnes esset, multi per eum suas necessitates expediebant. Nec dedignabatur aut per se aut per suos pauperum negotiis interesse, et, ut potis erat, suffragium præbere. Sæpe enim cum inter discordes dura grassari bella cognovisset, die qua ventilanda erat causa, faciebat pro eis missas celebrari. Et quibus non occurrebat humanitus subvenire, divinum illis imprecabatur auxilium. Neque hoc patiebatur, ut quilibet senior beneficia a suo vasso pro qualibet animi commotione posset auferre; sed, deducta ad medium causa, partim prece, parti imperio, commotionem exasperati animi reprimebat. Rectitudinis ejus vigorem hac una re tantum putares acclivem. Quoties pauper apud potentiorem forte obnoxius teneretur, instabat, ut imbecilliorem ita sustentaret, quatenus fortiorem sine læsione fregisset. Cæterum, veraciter justitiam esuriens, hanc non solum in suis, sed etiam in extraneis lædi non patiebatur.

XVIII. Justitiæ sitis, ut esuries, ordinatim in eo flagrabat. Non enim aut simplicitas aut benignitas asperitatem zeli deserebat, aut asperitas zeli simplicitatis benignitatem. Nimirum ut de Job dicitur, quod simplex erat et rectus, et iste vir, quamvis pauperibus multum consuleret, tamen ad puniendum reos non usquequaque dormitavit: videlicet non ignorans quibusdam divinitus esse datum, ut crimen, quod impunitum remanere non potest, temporali supplicio luant. Unde et rex David moriens Joab et Semei jubet puniri. Quamdam silvam latrones occupaverant, qui rapinas cædes transeuntibus atque vicinis inferebant. Quod Geraldus audiens, ad capiendum eos protinus direxit. Ac tum forte rusticanus quidam ad eos metu cogente venerat. Milites vero qui eos comprehenderunt, timentes ne forte domnus Geraldus aut eos dimisisset, aut cur eos impunitos sibi ostenderent inculpasset, oculos omnium protinus avulserunt. Qua occasione factum est ut ille rusticanus una cæcaretur. Qui dehinc in Tolosanum pagum recessit. Longo post tempore, cum de eo domnus Geraldus audisset quia latronum socius non fuerit, valde constristatus est, requirens vel si viveret, vel quo isset. Comperto autem quod ad Tolosanam provinciam discessisset, centum solidos, ut aiunt, ei transmisit, jubens portitori ut ejus vice veniam ab eo postularet.

XIX. Itidem quam clementer consolaretur afflictos, aut quantum sæpe misereretur obnoxiis, hoc liqueat exemplo. Quemdam presbyterum ita vicini sui crescente litigio contriverant, ut ejus oculos eruerent. Quem scilicet senior verbis multum consolatus est, suadens illi patientiam. Sed ne verborum consolatio exilis videretur, quamdam sui juris ecclesiam, facto solemniter testamento, eidem contradidit. Aliquantulum tempus fluxerat, et unus ex his qui presbytero vim intulerant, (81)

(81) *Ab officialibus comprehensus est.* Sic infra cap. 41. « De hoc (prædiolo nempe Taladiciaco) officiales permiserunt invito et nolenti, ut illud cuidam Bernardo ad custodiendum commendaret. »

ab officialibus comprehensus est, et in carcere clausus. Quod et seniori tanquam inde gavisuro protinus nuntiatum est. Qui statim quasi desiderio puniendi festinans, tetendit ad carceris locum. Aliæ vero causæ emerserant, quas necesse erat in crastinum expediri. Sub hac ergo occasione jubet reum usque tunc demorari. Sero autem cum officiales ad sua dissessissent, præcepit clam custodi, quatenus eum cibo ac potu reficeret. Et quia discalceatus erat, datis calceamentis aufugere permisisset. In crastinum vero (82) mallensibus undique ad seniorem confluentibus jubet reum adduci. Quidam vero quos custos carceris pro seipso paraverat, trementes indicant reum aufugisse. At ille volens factum celare, quasi minabatur custodi. Sed mox itidem : Bene, inquit, actum est, quoniam presbyter jam eis noxam indulserat.

XX. Item duo vinculati, quos apud eum reatus ingens obnoxiaverat, eidem fuerant præsentati. Instabant vero accusatores, ut suspendio eos juberet protinus interire. Ille vero dissimulabat, quoniam eos palam liberare nolebat. Sic enim in quolibet pietatis opere se modificabat, ut ipsa ejus pietas non nimia videri posset. Respiciens ergo accusatores : Si inquit, ut dicitis, mori debent, prius juxta vulgarem sententiam reficiamus eos. Tunc cibum et potum jussit eis afferri, et ad comedendum disligari. Cumque refecti fuissent, dedit eis cultellum suum, dicens : Ite et vos ipsi, afferte vimen, quo suspendi debeatis. Non longe autem erat silva, quæ stirpibus densata succreverat. Quam illi intrantes, et quasi vimen quærentes, paulatim remotiora penetrantes, subito disparuerant, et ita mortis articulum evaserunt. Hi vero qui aderant, assensum ejus intelligentes, eos perscrutari inter fruteta non audebant. Quantum vero ex æqualitate personarum conjici potest, personas illas reorum qui se in malum destinaverat, aut damnis coercebat, aut charactere adustionis inurebat. Illas autem personas, quæ non per consuetam malitiam, sed qualibet, malum aliquod perpetrassent, indemens dimittebat. Nunquam tamen auditum est ut se præsente quilibet aut morte punitus sit, aut truncatus membris.

XXI. Sane de pluribus gestis ejus pauca quædam et singula commemoramus, quæ ad ostendendum quosdam pietatis actus nobis videlicet compertos, sufficere possunt. Ob hoc etiam et minima quælibet inserimus, per quæ grande ejus valeat studium demonstrari, ut est videlicet illud : Dum per aggerem publicum aliquando graderetur, in agello viæ contiguo quædam rusticana mulier aratrum ducebat. Quam requirit cur opus virile mulier agere præsumpsisset. Respondit virum suum diutius jam languere, tempus sationis præterire, se solam esse, nullumque qui sibi subveniat habere. Cum quidem ille calamitatem ejus miseratus, tantos ei nummos dari jubet, quanti dies sationis superesse videbantur, quatenus per singulos dies agricolam sibi conduceret, et ipsa dehinc a virili opere cessaret. Omne fucatum, ut ait Ambrosius, refugit natura, et auctor ejus Deus quod contra illam est abhorret. Hæc ergo res per se quidem exigua est, sed affectus recti hominis naturæ legibus conveniens eam grandescere facit.

XXII. Cum itidem alias viam carperet, haud eminus cicer quidam rusticanus metebat, Cum juvenes, qui seniorem præibant, inde sumentes manditarent, hæc ille conspicatus, emisit equum et ad hominem concitus venit, quærens si cicer pueri abstulissent. At ille : Ego, inquit, domine, gratis dedi. Et senior : Bene, inquit, faciat tibi Deus.

XXIII. Tale est quod alia vice, cum ministri ejus convivium sub umbra cerasorum pararent, ramusculos baccis jam maturis dependentes, quos antequam ille veniret, iidem ministri confregerant, a reclamante rusticano argenti pretio comparavit. Forte dicet aliquis quod hæc relatu indigna sunt : sed nos timorati hominis mentem per hæc exigua demonstramus, ut ex obliquo intelligatur quoniam qui modica non spernebat, paulatim decidere in majora non poterat. An non affectus viduæ per duo minuta comprobatus a Domino est?

XXIV. Erga ipsos vero qui juris ejus erant, tam beneficus, tamque erat pacificus ut mirum considerantibus esset. Nam frequenter improperabant et quod mollis esset et timidus, qui se lædi ab infimis personis, tanquam impotens, permissiset. Nec facillime tamen, sicut domini solent irasci, contra improperantes vel leviter indignabatur. Aliquando enim non paucos ex ruricolis obvios habuit, qui (83), derelictis coloniis suis, in aliam provinciam transmigrabant.

(82) *Mallensibus undique ad seniorem confluentibus.* Mallus, placitum majus, ubi majores causæ a comitibus et senioribus terminari solitæ Edictum Cariciacense Caroli Calvi, anno 864 : « Et ipse sic mallum suum teneat, ut barigildi ejus et advocati, qui in aliis comitatibus rationes habent, ad suum mallum occurrere possint. » Inde, *admallare*, ante judicem venire litigandi causa. Marculfus lib. I Formularum, cap. 21 : « Eo quod propter simplicitatem suam, causas suas minime possit prosequi, vel admallare. » Et *mallenses*, in judicium vocati pro negotiis prosequendis ac disceptandis.

(83) *Derelictis coloniis suis.* Colonia est domuncula cum agri tanto quantum colonus unus cum servis suis colere potest. Flodoardus lib. IX. Hist. Rem., cap. 19, de Ebone archiepiscopo loquens : « Colonias nonnullas Ecclesiæ, descriptis per strenuos viros colonis, eorumque servitiis ordinavit. » Et Glaber Rodulfus lib. III, Hist. Franc., cap. 5 : « Quod etiam cœnobium, Cluniacense videlicet, in primo non amplius quam quin decimterræ colonias dicitur dotem accepisse. » Dicitur etiam colonica passim apud veteres. Chronicum S. Benigni, cum servis qui de prædictis mansis septem colonicas tenebant. » Synodus Valentina sub Lothario imp., c. 9 : « Unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis dotis gratia eis conferant. » « Et antiquior his omnibus charta dotationis ecclesiæ Vivariensis : « Ego Venantius episcopus sedis Vivariensis dotavi ecclesiam in Luciatense in honore S. Mariæ, et S. Martini Bessiaco, dotavi eas colonicas LXX, et cum servis suis, et dimisi eas Deo et sancto Vincentio. »

Quos cum recognovisset, et quonam cum sua supellectile tenderent, inquisisset. responderunt quod injuriati fuissent ab eo, cum ipse beneficiaverat eos. Milites vero qui obambulabant principi, suadebant ut eos verberari juberet, et ad domunculas, unde discesserant, redire compelleret. Sed ille noluit. Quippe qui noverat suum, et illorum Dominum esse unum in cœlis, et qui magis consueverat, juxta Apostolum, remittere minas, qui potentiæ suæ manum non levare super pupillum soleret. Ergo permisit eos abire, quo sibi commodius putarent, et dedit licentiam conversandi. Hoc vero, quod non sine mea verecundia quemdam nuper garrientem audivi, scilicet quod (84) debitum wadii nequaquam debitori relaxare solitus erat, omnino falsum est, sicut illi testantur qui sæpe viderunt, quod non solum augmentum wadii, sed etiam (85) capitale debitum relaxabat.

XXV. Siquidem sui pagenses, vel clerici, qui illum sicut patrem affectuose diligebant, frequenter ei tortulas ceræ deferebant, quas ille veluti grandia munera, multas gratias referens accipiebat. Nec tamen ex eadem cera quidquam ad suum usum ardere permittebat, sed coram altari, vel sanctis pignoribus, quæ perinde secum deferri faciebat, totam in luminaribus succendi præcipiebat. Cubiculari vero cum forte cera aliunde ad ejus obsequium præparata deesset, betulinas cortices, vel abiegnas tædas ante eum, et in ministeriis suis præparabant. Sed cum ille tanto studio cavebat, ne muneribus quæ sibi gratis dabantur privati uterentur, quomodo consequens esset, ut exactiones wadiorum sine indulgentia exegisset? Quin potius, quæ sibi jure debebantur, frequenter ultro debitoribus relaxabat. Minas quoque, juxta Apostoli præceptum, servis remittebat. Nam et fraudem interdum patiebatur, et rapinam bonorum suorum, ut dicit idem Apostolus, suscipiebat.

XXVI. Sed ut hoc exemplo comprobetur: fur aliquando tentorium ejus noctu ingressus est: cum quidem cereus de more coram lecto illius arderet, ac tum forte senior vigilabat. Solebat enim in stratu suo, dilectione Christi atque dulcedine pasci, per studium orationis. At vero fur ille curioso visu cuncta percurrens, explorabat si quid forte videret quod asportare valeret. Pulvillum forte respicit, quod sericam tecam habebat. Tetendit manum et ipsum sibi trahebat. Tum senior: Quis, inquit, es tu? Extimuit latro, et stupidus hæsitabat. Tum ille: Fac, ait, quod facis, et caute discede, ne forte aliquis sentiat. Ita latroni persuasit, ut licenter cum

A furto discederet. Quis aliud præter Geraldum hoc ita faceret? Certe mihi videtur, quod id magis admiratione dignum sit, quam si furem rigescere in saxi duritiam fecisset.

XXVII. Quantopere autem illud cavere studuerit quod Apostolus jubet: *Ne circumvenias in negotio fratrem tuum* (*I Thess.* IV, 6), itidem præsenti patebit exemplo. Cum aliquando ab urbe Roma rediens, Papiam præteriret, haud procul castrametatus est. Quod Venetii, vel alii quamplures illico cognoscentes, ad eum protinus exierunt Jam enim per omne illud iter satis nobilissimus erat, et religionis atque largitatis causa apud omnes famosus. Cum ergo negotiatores, ut eis mos est, inter papiliones (86) cursitarent, et si quispiam

B vellet aliquid emere, disquisissent, honestiores quidam ad senioris tentorium pervenerunt, et ministros interrogabant, si forte domnus comes (sic enim omnes appellabant eum) vel pallia, vel pigmentorum species emi juberet. Tum vero ipse vocans eos ad se: Quod, inquit, placuit, Romæ licitatus sum; sed plane velim dicatis utrum bene negotiatus sim. Tunc jubet empta pallia coram afferri. Erat autem unum ex his pretiosissimum. Quod Venetius intuens, quærit quidnam pro eo datum sit. Cumque summam pretii cognovisset: Vere, inquit, si Constantinopoli esset, etiam plus ibi valeret. Quo audito senior extimuit, quasi grande facinus exhorrescens. Cum vero dehinc quosdam Romeos sibi notos obviam reperisset,

C tot solidos eis commendavit, quot Venetius ultra datum pretium dixerat pallium valere, dans indicium ubi venditorem pallii reperissent. Verum cum in aliis peccati speciebus soleant homines compungi, atque de emendatione meditari, aut raro, aut certe, nec raro videas, qui præter Geraldum in ista peccandi specie se doleat deliquisse. Sed nimirum ille noverat, quia Deus per omne peccatum offenditur, et eum quem toto corde diligebat, offendere nec in minimis volebat.

XXVIII. At vero non immemor quia Christianorum justitia debet justitiam Pharisæorum supergredi, cum universæ fruges ejus rectissime decimarentur, nonas etiam jubebat seorsum recondi, quæ in diversis pauperum necessitatibus

D dispensarentur. Inde cum necessitas exegisset, supervenientibus diverso tempore pauperibus vestimenta emebantur. Præterea nummos indesinenter secum ferebat, quos obviantibus egenis latenter, quantum poterat, vel per se, vel per quemlibet causæ istius conscium dabat. Et cum illi reditus agrorum ac vinearum satis abundarent, nunquam tamen auditum est, quod villici ejus

(84) *Debitum wadii*. Lib. III, Capitul., capite 19: « Liber qui se loco wadii in alterius potestate commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in loco wadii susceperit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum dimittat, perdens simul debitum, propter quod eum pro wadio suscepit. » Inde *debitum rewadiatum*, lib. IV, cap. 58, et cap. 70 ejusd. libri *heribannum rewadiare*.

(85) *Capitale debitum*. Sic *capitalis dominus* qui et *principalis*, sive superior. Chartularium rerum ad Majus Monasterium in Vindocino spectantium, ex bibliotheca præsidis illustrissini J. A. Thuani, charta 175: « Auctorisaverunt etiam hoc capitales domini ejusdem terræ. » Et ante charta 121: « Sed et Salomon de Lavarzino hujus terræ principalis dominus existens huic emptioni corroborandæ manum extremam imposuit. »

(86) *Inter papiliones*. Inter tentoria. Gallice, *pavillons* et *tentes*.

aliquid accommodassent ; sed neque ipse prædium aliquando comparavit, præter unum agellum, qui suæ cuidam possessioni forte insitus erat : cum soleant divites quique in hoc vehementer inardescere, terribilem prophetæ comminationem obliti, qua dicit : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis* (*Isai.* v, 8). Geraldus namque, juxta præceptum Evangelii, contentus erat stipendiis suis. Et sicut ille neminem concutiebat, neque calumniam faciebat, sic et rerum dispositor Dominus, ea quæ juris illius erant, ab impiis et pervasoribus tuta servabat. Etenim tanta prædiorum loca per diversas provincias sub ditione sua tenebat, ut ipsis locis, quibus plenus erat, veraciter locuples diceretur. Nec tamen multitudo locorum extollebat eum, quoniam nihil, ut Psalmista dicit, a Domino volebat supra terram. Qui nimirum hæc omnia adjiciebat illi, quia regnum Dei, quod primum est, ipse quærebat ab eo. Tantum utique, Deo largiente, succreverat, tamque protectus, et tam immunis persisterat, ut ei convenire videatur illud Job : *Tu vallasti eum, et possessio ejus crevit in terra* (*Job* I, 10).

XXIX. Sane ut pateat qualiter in bono malum vincere consueverat, juxta apostolicum præceptum, hoc ejus factum sub exemplo commemoretur. Cum dehinc ad portum Placentinum venisset, quidam clericus, qui portui præerat, supervenit. Nam, sicut illic mos est, lucrosum nimis naulum a Romeis exspectabat. Qui nescio qua causa felle commotus, verba indignationis rotabat, ita ut episcopum (87) Rotenensis provinciæ, sed et alios nobiles viros injuriosis exprobrationibus lacessiret. Forte vir Domini de contra stans, seditionem moveri metuens, conviatores compescuit, ne dure quidquam respondissent. Clericum vero blando sermone fregit, et quædam munuscula ei dedit. At ille videns quam facili sermone et episcopum et cæteros a respondendis injuriis compescuisset, se autem quam leniter ad mentem reduxisset, quæsivit ab eo quisnam esset. Cum ille se Aquitanum et mediocrem personam esse responderet, clericus eum tam vultu quam eloquio considerans, ad ejus gratiam se totum inflexit, et quidquid de naulo debebatur, cunctis de illius comitatu remisit, et tam ipsius quam aliorum flascones et utres vino implevit. Habebat enim isdem senior A divinitus hoc donum, ut tam ipse quam sermo ejus gratiosus esset. Et non solum quibuslibet aliis personis, sed etiam ipsis magnatibus. Quin et regibus semper charus, et reverendus erat.

XXX. Merito quippe diligebatur ab omnibus, quoniam ipse cunctos diligebat. Referamus plane quid de quodam fugitivo, quasi de amico fecerit. Nam in eodem itinere fugitivum eumdem reperit, qui ante aliquot annos ab ejus municipio discesserat. Qui apud illas personas cum quibus habitabat, magnus etiam et locuples habebatur. Hunc itaque ministri domni Geraldi reperientes, ad eum trementem et pavidum adduxerunt. At ille seorsum inquisivit ab eo qualiter se ageret. Et cum didicisset ab eo, quod in eodem loco non parum B honorabilis haberetur : Nec ego, inquit, te dehonestabo. Tunc præcepit suis, ne quis proderet qualis in sua regione fuisset. Tum vero videntibus vicinis suis, ei quædam munuscula tribuit, et in eloquio vel convivio satis eminenter honoravit, et eum in pace dimisit. Quis hoc præter Geraldum faceret? Sed hoc ille fecit, qui non avaritiæ servus erat, sed misericordiæ se totum dicaverat.

XXXI. Item in eodem itinere, quidam vir de parte Bituricensi, non longe a Roma sibi coxam fregerat. Qui relictus a suis, cum conjuge solus remansit. Quem Bonifacius quidam ex militibus domni Geraldi casu reperit, et necessitatem illius audiens, ad eumdem domnum Geraldum hunc adducens : En, inquit, domine mi, juxta tuum de- C siderium reperi, quod tibi placiturum præsento : ecce homo indigens solatio. Quem dehinc vir Domini in tuitione sua gaudens suscepit, et usque Brivatensem (88) vicum sufficienter sustentatum deduxit. Tunc insuper ei decem solidos præbuit, quibus subsidium usque ad suos habere posset. Hæc et hujusmodi facta testantur miserendi affectum, quem ei divina inspiratio largiter inspirabat.

XXXII. Verum noverimus, quia necesse est, ut messis triticea cum lolio crescat, et granum frumenti palea superior interim premat : et ob hoc oportuit ut justum Abel malitiosus Cain ad patientiam exercuisset. Geraldus quoque, sicut Job, fratrer draconum et socius struthionum fuisse monstretur, frequenter a quibusdam provinciarum lacessitus est. D Nam reipublicæ statu jam nimis turbato (89) rega-

(87) *Rotenensis provinciæ.* In Aquitania prima, sub archiepiscopatu Bituricensi, *Ruthenos* Cæsar et Gregorius Turonensis dixerunt. Nos hodie *Rodez.*

(88) *Usque Brivatensem vicum.* In Arvernia, qui sancti Juliani martyris reliquiis celebris, Sidonio, in Propemptico ad libellum, Gregorio lib. x. Histor., cap. 29, et vetusto Vitæ sancti Odilonis scriptori *Brivas,* vulgo *Brioude.* Meminit et idem Gregorius alterius Brivæ in Lemovicino, quam ad distinctionem Arvernensis *Brivam Curretiam* appellat lib. v, cap. 10, his verbis : « Qui conjunctus cum supradictis ducibus Lemovicinum accedens, Brivam Curretiam vicum, in quo sanctus Martinus nostri, ut aiunt, Martini dicipulus, requiescit, advenit. » Gallis, *Brives la Gaillarde,* sed corrupte. Dicendum enim, *Brive de Corrèze,* a Curretia fluvio, qui ipsam alluit.

(89) *Regales vassos.* Id est servientes, fideles, qui servitium ad fidelitatem debent, et præstare tenentur regi. Aymoinus lib. v, cap. 35 : « Abbates etiam, et regni primores ac vassi regii, se illi commendaverunt, et sacramento secundum morem fidem promiserunt. » Nomen vetus Gallicum, et quod adhuc Franci retinent in verbo *vassaux.* Unde et *vassaticum* apud Greg., Theodulphum et alios *vasselage.* Quilibet autem senior, comes, dux, rex, vassos sive vassalos suos habebat. Idem Odo : « Nec hoc patiebatur, ut quilibet senior beneficium a suo vasso pro qualibet animi commotione posset auferre. » Leg. Alaman. tit. 36, c. 4 : « qualiscunque persona sit, aut vassus ducis, aut comitis. » Et Leg. Bajuvar., c. 2, tit. 15 : « Sive regis vassus, sive ducis, omnes ad placitum veniant. » Vassos dominicos generali voce dixit Walafridus Strabo : « Capellani, inquit, mino-

les vassos insolentia marchionum sibi subjugave- A rat. Jam itaque multarum causarum experimentis probatum fuerat, quod, ut scriptum est, omnipotens erat contra hostes Geraldi. Quibus videlicet ita insuperabilis videbatur, ut malum, quod ei perstruere molirentur, in ipsos potius redundaret, ut scriptum est: *Qui fodit foveam proximo suo, ipse prior incidet in ea* (Prov. XXVI, 27) (90). Wilelmus plane dux Aquitanorum, vir bonus, et per multa laudabilis, cum tandem vehementer invaluisset, non minis quidem, sed precibus agebat, ut Geraldus a regia militia discedens, sese eidem commendaret. Sed ille favore comitis nuper usurpato, nequaquam consensit (91). Nepotem tamen suum nomine Rainaldum eidem cum ingenti militum numero commendavit. Sed et isdem Wilelmus nullatenus illi indignatus est, quippe non immemor (92), quia pater suus Bernardus ipsum adhuc adolescentem eidem domno Geraldo amoris causa commendavit. Et ideo dulci admodum contubernio, ingenti veneratione semper eum excolebat. Cum vero causa instabat, ad ejus colloquium veniebat. Nonnunquam autem gratiosi hominis Wilelmus suavitate delectatus, vi precum exigebat, ut secum diutius commoraretur. Et frequenter in agendis progressus, longius secum ire faciebat.

XXXIII. Factum est quadam vice, cum ita res exigeret, ut in quamdam regionem qua hostiliter ierat, longum tempus cum eo expendisset. Interim vero omne stipendium, quod (93) in sagmariis Geraldi delatum fuerat, paulatim defecit. Porro exer- C citus ad prædam versus, tanquam hostes Wilelmi persequens, totam regionem illam depopulabatur. Qua causa incolæ sibi timentes, facultatibus expositis, fugiebant, nec invenire poterat qui ministris ejus stipem vendidisset. Cum ergo nihil ad emendum reperissent, nec de præda quidquam eis tangere licuisset, non modicam in illa expeditione penuriam sustinuit. Neque enim ab his qui prædabantur, quidquam suscipere patiebatur, ne forte cum eis participans socius peccati existeret. Sustinuit autem et amici comitatum, nec afflictus deseruit. Ridebant hoc nonnulli quod aliis de præda lascivientibus ipse cum suis indigeret. Multi quidem quibus erat sanior intellectus, illum beatificabant, altius gementes quod ad hunc imitandum idonei non essent. Denique ex hoc et deinceps, cognomentum hoc promeruit, ut ab omnibus in commune Geraldus ille Bonus appellaretur.

XXXI. Tanti autem apud eumdem Wilelmum habitus est (94), ut ei sororem suam in conjugio dare vellet, Ermengardi matre quamprimum id cupiente, quæ virum hunc pio diligebat affectu. Sed Christus virginis filius castitatis amorem illi dudum inculcaverat, quam ab ineunte ætate ita complexus est, ut nec intuitu quidem tam excellentis copulæ pateretur ab ea divelli. Quantopere enim carnis obscœnitatem exhorruerit, per hoc animadverti potest, quod nocturnam illusionem sine mœrore nullatenus incurrebat. Quoties namque illud humanitatis infortunium dormienti contigisset, consecretalis cubicularius afferebat ei seorsum, in competenti videlicet

res ita sunt, sicut hi quos vassos dominicos Gallica consuetudine nominamus. » Et lib. III Capitular., c. 73, *De vassis dominicis.* Iidem *vasal.* et *vassali*, Lib. II Capitul., cap. 24: « Vassi et vasalli nobis simulantes » Et lib. III, c. 73. » De vassis dominicis qui adhuc intra casam serviunt, et tamen beneficia habere noscuntur, statutum est ut quicunque ex eis cum domno imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat: sed cum comite, cujus pagenses sunt ire permittat.» *Drudi* quoque a voce Germanica *drow*, hoc est fide, sicut notat Claudius Falcetus lib. IX Antiquit. Franc. cap. 15. Capitulo quæ præsules Rhemensis atque Rothomagensis diœceseos Ludovico regi miserunt an. 818: « Et sine solatio et comitatu drudorum atque vassorum nuda ac desolata exibit. » Item *lassi* Saxonibus, ut exponunt Witaldus, et Hucbaldus Elnonensis abbas in Vita B. Lebuini: «Sunt enim, inquit iste, qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi vocantur, quod Latina sonat lingua, nobiles, ingenui atque serviles. »

(90) *Willelmus plane dux Aquitanorum.* Cognomento Pius, qui et Arverniæ comes, Abboni lib. II Obsid. Paris. *Claromontensis.* Vide Frodoardum ad annum 824, et quæ diximus supra.

(91) *Nepotem suum nomine Rainaldum.* S. Geraldus in testamento: « Decatucerias curte medietatem ad ipsum locum, scilicet Aurelhacum, dono, et medietatem Rainaldo nepoti meo, » etc. Frater fuit Benedicti Tolosæ vicecomitis, ut docet ipse Odo lib. II, cap. 28, his verbis: « Raimundum noveratis comitem, filium videlicet Odonis. Hic nepotem domni Geraldi nomine Benedictum, Tolosæ videlicet vicecomitem, dolo captum tenebat. Rainaldus vero frater ipsius, sese obsidem dedens fratrem recepit. »

(92) *Quia pater suus Bernardus.* Comes et marchio Nivernensis, uti jam monuimus. Imo fortassis et marchio Gothiæ, de quo Aymonius lib. V, cap. 37, sive, ut Nithardus appellat lib. II, dux Septimaniæ. « Nam, inquit, de prælio Fontanetico loquens, Bernardus dux Septimaniæ, victoriam ut Caroli esse didicit, filium Wilelmun ad illum direxit, et si honores quos in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se ille commendaret, præcepit.» Hoc autem ut aliquo modo credam, duabus potissimum adducor rationibus. Una propter honores quos in Burgundia Bernardum Wilelmi patrem habuisse testatur hic Nitardus. Nam et Martinus Polonus Willelmum Pium Cluniaci fundatorem, Burgundiæ principem appellat. Altera, quod et ipsum Willelmum Gothiam rexisse cum Aquitania scribit Joannes Italus, lib. I Vitæ sancti Odonis, D his verbis: Qua de causa omnibus charus erat, præcipueque apud Willelmum comitem robustissimum, qui eo tempore Aquitaniam Gothiamque suo jure tenebat. »

(93) *In sagmariis Geraldi.* Infra lib. II, capite 18: « Fur quidam duos ex ejus sagmariis subripuit. » Et præceptum Caroli Calvi de libertatibus abbatiæ sancti Dionysii: « Nec non de omnibus carris et sagmariis. » Gallice, *sommiers* et *chevaux de charge.*

(94) *Ut ei sororem suam in conjugio.* Ademarus Chabanensis, vel, ut alii vocant, Engolismensis, sive Lemovicencis potius, de Willelmo duce loquens: Qui cum sororem suam in matrimonio desideraret conjungere sancto Geraldo nullatenus quivit, quia cælibem vitam semper ducens. cum semper ad copulam suaderetur amore filiorum, respondebat sanctus Geraldus: Utile est, inquit, mori sine filiis quam relinquere malos hæredes. »

loco, vestes mutatorias, ad hoc semper paratas, A et tomentum, et vas aquæ. Quo illo intrante, non enim patiebatur se nudum videri, mox ille minister clauso ostio recedebat. Ita cultor internæ puritatis corporis iniquinationem refugiebat ut ipsam solam, quæ dormienti acciderat, non solum balneis, quin etiam lacrymis abluerit. Stultum forte videbatur hoc ejus factum, sed illis plane quorum cœnosa mens vitiorum sordes exhalat. Qui cum se vel naturaliter, vel voluntarie sordident, immunditias tamen suas abluere per se dedignantur. At vero Geraldus scriptum noverat: *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov*, IV, 23). Et item: *Qui modica spernit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX, 1). Velim sane perpendas quanti habendum sit, quod inter mundanas opes, et in fastigio terreno positus, B castitatem servavit. Quid magnificentius faceret? Nihil amplius aut excellentius requiras. Nam sicut beatus Martinus perhibet, nihil, virginitati est comparandum.

XXXV (95). Unde et Ademarus comes vehementer instabat, ut eum suæ ditioni subdidisset, quod nullo equidem pacto extorquere potuit. Non solum quippe eidem Ademaro, Sed nec Wilelmo quidem duci, qui tunc majore rerum affluentia potiebatur, se commendare assensus est, Credo Mardocheum vir iste meditabatur, qui superbo Aman se submittere, honoremque regibus a Deo collatum præbere contempsit. Verum cum in amicitia Willelmi devictus pacem habere videretur, ut homini in Christo viventi persecutio non deesset, prædictum comitem C Ademarum illi Satanas instigavit. Quem profecto multis et variis tentationibus appetitum sibi subjugare non potuit. Aliquando quippe contigit ut in prato cum paucis militibus mansitaret nocte, cum equidem Ademarus misso exploratore pro certo rescivit et ubi et cum quantis esset. Gavisus plurimum quod occasionem opportunam ad eum comprehendendum reperisset, armatorum cuneum collegit, et ad locum aciem direxit. Porro Geraldus in parte ipsius prati decumbens, ut fertur, cum suis omnibus dormiebat. Sed ille qui custodit Israel, nequaquam innocenti viro dormitabat. Si quidem, ut de Jeremia propheta scribitur, quia Dominus celavit eum: ita et hunc divinitus abscondit, ut cum omne pratum per gyrum discurris- D sent, et per medium regyrassent, nequaquam eum reperire potuerint. Tum vero Ademarus adnisu frustrato, dolens impietatem suam esse delusam, recessit. Justus vero, ut scriptum est, mundis manibus addidit fortitudinem laudis in Domino.

XXXVI. Quoniam itidem ejus castellum satellites Ademari comitis occupaverunt. Quo Geraldus audito, paucos milites, qui tunc sibi forte aderant, secum duxit, et ad oppidum festinavit. Ademarus vero cum valida exercitus manu, oppidi pervasores subsequi parabat. Sed cum non longe essent, quod ab obsidendum castrum Geraldus præcurrerat, volantem exercitum retinuit, dicens: Explorandum nobis est quanam Geraldus pugnatorum multitudine valletur, qui nos ad obsidendum oppidum ausus est prævenire. Neque enim se in hoc periculo præcipitasset, nisi quorumlibet rusticorum auxilio septus esset. Dixerat hæc, et pernices equites ad hoc explorandum direxit. Nox vero tum ingruerat: nec cunctati exploratores festinant, et quænam sint castra Geraldi sollicite rimantur. Ut autem in nocte solet fieri, lapides albicantes eminus sub incerto visu conspicati, obsidentium tentoria putaverunt. Qui protinus exsangues et perterriti ad Ademarum recurrunt, ac ingentum castrorum multitudinem se vidisse fatentur. Redierant enim per quamdam matronam, cui idipsum retulerunt, per quam et hoc ipsum, quod illis exploratoribus visum fuerat, postea viro Dei innotuit. Ademarus itaque cum exercitu suo divino nutu labefactatus, ad sua remeavit. In crastinum vero pervasores castelli, cognito quod Ademarus eisdem minime adesset, pacem a Geraldo requirunt, poscentes ut eosdem sine ignominia recedere permisisset. Et id quidem vir Dei Geraldus illico indulsit, Sed milites animo concitati ægre ferebant, si vel armis non spoliarentur. Invaluit tamen pietas Geraldi, et illos stare cogit, hostibus vero per angiportum fugientibus auditum permisit. Quin etiam duos de suis armatos constituit, qui hinc inde stantes procurarent, ne aliquis de supellectili exeuntium quidquam rapere præsumpsisset. Ita Geraldus exturbatis absque sanguine hostibus triumphavit. Ita Christus more suo gloriosius militem suum ipsa adversitate nobilitavit.

XXXVII. Godefredus ille Torennensis comes (96),

(95) *Unde Aderamus comes.* Pictaviensis nempe qui fuit filius Emenonis Engolismæ comitis. Auctor Historiæ comitum Engolismensium: Emeno reliquit filium parvum, nomine Ademarum qui processu temporum Pictavis comes effectus est.» effectus autem ab Odone rege post Ranulfi mortem. Idem auctor paulo post: «Aderamus filius Emenonis, Sancia sorore Bernardi copulata sibi in conjugio, Alduino et Guillelmo familiarissimus fuit, qui honores illorum ac si frater diligebat. Qui a rege Odone vocatus ad palatium, provectus est Pictavis comes. » Unde et initium discordiarum ejus cum sancto Geraldo manasse suspicor. Monachus enim qui scripsit Historiam Aquitaniæ, cujus fragmentum habemus in edit. Pitheana, postquam et ipse Ademarum ab Odone rege ad Pictaviensem comitatum provectum fuisse narravit, immediate, subjungit: « Regressusque a palatio Geraldus clam subductum filium Ranulfi a Pictavis Willelmo duci Aquitaniæ comiti Arvernis credidit nutriendum, cujus propinquus erat. »

(96) *Godefredus ille Torennensis comes.* Torenna, sive Turenna, Lemovicini territorii urbs, de qua ipse Odo, infra cap. 40: « Testatur hoc præsens Adalbertus, ille videlicet monachus, qui apud Lemovicas Verbum Dei solet populo prædicare. Thesaurum quippe sancti Martialis Torennæ custodiebat.» De hoc autem Torennæ comite Godefredo nullibi quemquam alium memini locutum fuisse, nisi forsitan Gosfridus ille est, cujus filii, ut legitur apud Aymoinum lib. V, cap. 36: « Castellum et honores filii Odonis quondam comitis invaserunt anno 878, quo, et Immo frater Bernardi marchionis Ebroicensem civitatem usurpans multas deprædationes cir-

quadam vice, collecto militum agmine, festinabat ut hunc virum Dei bellando lacessiret, aut quæ erant juris illius devastaret. Contigit autem, ut ipso gladio quo se armaverat, ita vulneraretur, ut arreptum iter nequaquam explere posset. Qui tandem intelligens quod ob injuriam viri Dei vulneratus sit, a malitia sua cessavit, merito sibi illud Mosaicum convenire conspiciens : *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos* (*Exod.* XIV, 25).

XXXVIII. Oppidum nihilominus, quod monasterio superimminet, frater prædicti Ademari clanculo irrepsit. Sed quia jam experimentis aliorum didicerat quod Geraldus, Deo pro se pugnante, semper hostibus prævaleret, non ausus est ibidem remorari. Tamen ablatis omnibus quæ asportari poterant, concitus aufugit. Nec multum vero post, quibusdam honestis viris sese ob illius facinoris causam objurgantibus cuncta reddidit, et ad virum Dei veniens, indulgentiam pro sua temeritate postulavit. Jam enim apud omnes, qui se noverant, tantam reverentiam obtinebat, ut quisquis eum læsisset, quasi sacrilegium fecisset, non sibi in prosperum cedere certus esset. Sane quamvis filii tenebrarum et per ista quæ commemoravimus, et per alia multa filium lucis inquietarent; ille tamen ubicunque poterat, pauperes tueri non omittebat. His enim qui se lædebant, tam facile ignoscebat, ut putares quod ille magis ignoscere quam illi vellent reconciliari. Durior illi causa pro pauperibus semper erat, quam anima ejus illis compatiebatur, faciliusque suam negligere causam poterat quam illorum. Ut enim peritissimus quidam medicus, qui forte vulneratus jacet, aliorum vulneribus mederi studeat : sic iste dum læderetur, tamen impotes tueri non omittebat.

XXXIX. Suis siquidem inimicis ita insuperabilis erat, ut malum in eos potius redundaret, quod ei perstruere molirentur. Quod ex quibusdam superius relatis, et ex præsenti probatur exemplo (97). Frater Ademari comitis Adalelmus, præter illam injuriam quam eidem domno Geraldo fecerat, cum Aureliacense castrum pervaserat, quam videlicet injuriam ipse libenter ei indulserat, adhuc tamen ejus malitia furebatur, et ad læsionem sancti viri pertinaciter instigabatur. Collecto itaque satellitum cuneo, castrum, quod tunc forte domnus Geraldus missarum solemniis intererat, irrumpere tentavit. Sed illi quidem qui forinsecus erant, illum in præceps gradientem eminus conspicati, portam repente clauserunt. Facto autem strepitu in castro vociferantium, milites qui ad missam cum seniore erant, exsilire volebant. Quos ille sermonibus fregit, et donec opus Dei compleretur, nequaquam exire permisit. Interim vero satellites Adalelmi ambitum castelli pervagantes, septem equos tantum repererunt, quos et abegerunt. Et confestim incassum se irrupisse videntes, pudore acti, remeare cœperunt. Fertur autem quod vir Domini, retentis militibus, supra portam sumpto psalterio concitus ascenderit, et nescio quid e psalmis Domino decantaverit. Porro tyrannus, qui mœrere cor justi fecerat, lætatus nequaquam redire permissus est. Mira dicturus sum, et pene incredibilia, nisi hæc a teste satis idoneo perhiberentur. Nam de caballis eorum ferme sexaginta sub brevi spatio temporis exstincti sunt. Adelelmus autem post quartum decimum diem, tam terribiliter obiit, ut omne ubi jaceret, turbo vehemens discooperiret. Testatur hoc præsens Adalbertus [Madalbertus], ille videlicet monachus qui apud Lemovicas verbum Dei solet populo prædicare. Thesaurum quippe sancti Martialis Torennæ custodiebat, qui pridem ob metum paganæ gentis illic fuerat deportatus. Ablatores autem illi videntes quod acciderat, homini Dei suos equos remiserunt.

XL. Nonnunquam invitus cogebatur potentiæ suæ vires exerere, et pravorum cervicem vi bellica curvare, sicut videlicet actum est de quodam pessimo homine, qui vocabatur Arlaldus. Is namque tenebat quoddam oppidulum, quod dicitur ad sanctum Serenum, ex quo scilicet, quasi lupus vespertinus egrediens, irruptiones faciebat in familiam domni Geraldi. Cum quidem ille sicut pacificus loquebatur ei qui oderat pacem, quin etiam quædam munuscula tribuebat ei, et arma militaribus apta, quatenus ferinos ejus mores per beneficia deliniret. Sed stultus homo ac brutus, hoc non pietati, sed ignoviæ deputans, audacius in prædicta familia grassabatur. Tandem ergo Geraldus considerans quod stulti hominis vesania sine flagello frenari non poterat, collecto militum agmine, tetendit ad castellum. Atque incredibili victoriæ proventu, bestiam illam sine cujuslibet interfectione de suo cubiculo protraxit. Cumque ante ipsum plenus confusione staret, non contumeliose, sed ratiocinando quantum oportuit eum alloquitur. Cum ille tremens verba humillima ac deprecatoria respondisset, vir Domini ad eum : En, inquit, expertus es quod tuis viribus adversum me consistere nequeas : cave igitur furere, cave ultra malitiam exercere, ne gravius ipsa in caput tuum

cumcirca in illis regionibus exercuit. Quamobrem, veniens Ludovicus usque Turonos, satagentibus quibusdam consiliariis suis, et amicis Gozfridi, venit ad eum iste Gozfridus adducens secum filios suos : ea conditione ut castellum et honores quos invaserant Ludovico regi redderent, et postea per concessionem ejus haberent. Nunc Gozfridus partem de Britonibus ad regis fidelitatem convertit. » Ut se res habeant, hodie Torenna vicecomitatus tantum honore gaudet, appellaturque vulgo *la vicomte de Turenne*.

(97) *Frater prædicti Ademari*. Adalelmus sive Adelelmus, qui postmodum in Auriliacense castrum irrupit. Ipse sanctus Odo cap. sequenti : « Frater Ademari comitis Adalelmus, præter illam injuriam, quam eidem domno Geraldo fecerat, cum Auriliacense castrum pervaserat, adhuc tamen, ejus malitia furebatur. » Sed hoc non tulit impune. Nam, ut inquit idem sanctus Odo, « post quartumdecimum diem tam terribiliter obiit, ut omne ubi jaceret turbo vehemens discooperiret. »

redundet. Et teipsum, inquit, ita dimittam ut neque obsidem, neque aliquod juramentum a te suscipere curem. Sed neque de tua supellectile saltem pro compensatione prædæ, quam exercere solitus es, quidquam anferre permittam. Ita coercitum dimisit hominem, et ille satis deinceps cavit, ne Geraldi familiam lædere præsumpsisset.

XLI. Jam, ut supra dixeramus, cessabant ejus adversarii divino metu consternati. Nam licet ad exemplum Job, frater fuerit draconum et socius struthionum, bestiæ tamen agri pacificæ erant illi. Nam cum alodus ejus esset postomia, et deinceps latifundia ipsius ita sibi succederent, ut usque ad montem magnum Greonem, posset in eundo et redeundo, semper in propriis mansitare capellis, tamen non indigebat ut aliquam villam cuilibet potenti ad custodiendum commendasset, nisi unum solum prædiolum quod dicitur Taladiciacus. Erat enim semotim inter pessimos vicinos longe a cæteris disparatum. De hoc officiales permiserunt invito et nolenti, quatenus illud cuidam Bernardo ad custodiendum commendaret. Quod equidem ille cum quadam hilaritate patenter ferebat, dicens : Bene mihi contigit ut discam quia bonum est confidere in Domino, quam in homine. Quod scilicet ob hoc libuit commemorare, ut hinc pateat, quia quoties Deus aliquid ad ejus probationem fieri permisit, ille non ad tristitiam, sed ad humilitatem id retulerit. Per quod etiam demonstratur, quod vir iste ex fide vixerit, qui cuncta divinæ dispositioni subjacere cognoverit, et quod in terris nihil sine causa, ut scriptum est, fieri non ignoraverit.

XLII. En quædam de exterioribus gestis ejus, et communi conversatione digessimus, per quæ videlicet facillime patet, quod vir iste justitiæ cultor fuerit, et juxta apostolicum præceptum, sobrie, et pie, et juste conversatus est, Cum igitur in justificationibus Domini sine querela se exercuerit, incredibile non debet videri, si ipse Dominus misericordiam suam cum eo magnificat. Quapropter suademus eis, quibus incredibile videtur omne quod nunc fama de eodem sancto viro dispergit, ut cautius ac diligentius causam ejus retractent. Nam si hoc obstare videtur, quod in sæculo potens fuit, considerandum est quod major et laudabilior virtus sit materiam superbiendi habuisse, et tamen potentiæ culmen humiliter compressisse. Potestas enim non est nisi a Deo. Qui, juxta scriptum, potentes non abjicit, cum ipse sit potens. Quamvis igitur sæculari gloria fastigiatus fuerit, non debet incredibile videri, si Deus illum glorificat, qui hunc in observantiam mandatorum ejus glorificavit. Annon potentes fuerunt et bellicosi rex David, Ezechias, et Josias ? Modernis quoque temporibus de nonnullis auditum est, sicut de (98) rege Anglorum Oswaldo, quos Deus per signa glorificat, qui scilicet in observantiam mandatorum ejus illum glorificare studuerunt. Denique in singulis hujus vitæ ætatibus multa gerit divina dignatio, quæ ad incitamentum conculcatæ et oblitæ religionis proficiant. Unde dicit Apostolus quia Deus nullum tempus sine sui testimonio relinquit. Quod etiam per ingratos aliquando fit, sicut equidem sub Moyse multa signa cum illis patrata sunt, de quibus scriptum est, quoniam non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo. Et nonnulla vix credibilia veraces et idonei testes asserunt, sicut beatus Hieronymus de quodam quondam violento et latrone, qui postea conversus ad Christum, solem ad explendum, iter suum diu stare fecit, ac deinde clauso ostio ad discipulos corporaliter intravit. Si ergo Deus, qui cum patribus mirabilia fecit, etiam nostris temporibus ad ressuscitandum conculcatæ religionis affectum, per hominem, qui sicut in diebus Noe, justus repertus est, signa dignatur operari, incredibile non debet videri. Sed ipse potius est glorificandus, qui nullum tempus sine testimonio bonitatis suæ relinquens, suæ promissionis memor, non desinit benefacere populo suo. De gestis autem ejusdem viri, quæ egit, postquam cultui divinæ servitutis, ex toto se cohæsit, quæ dicenda sunt, sequenti libello reservantes, hic istum in Dei nomine terminemus.

(98) *De rege Anglorum Oswaldo.* Quem Penda paganus Merciorum rex gravi prælio et occidit, et occisum summa cum immanitate decerpsit. Christianissimum et Deo dilectum vocat Beda, qui et prodit miracula claruisse ubi cecidit, et plura de illo scribit lib. II Hist. Eccl. Angl., cap. ult.; lib. III, cap. 1, 6, 9-13, et lib. IV, cap. 14.

---

# PRÆFATIO IN LIBRUM SECUNDUM.

His qui de meritis domni Geraldi temere disputant satisfacere potest considerata et inspecta qualitas vitæ ejus. Nam quasi in tribunali quodam residentes, decernunt utrum sanctus debeat esse annon, cum hoc divino judicio subjaceat, quo etiam per reprobos ad utilitatem bonorum signa plerumque fiunt. His ergo satisfaciat attestatio miraculorum, quæ per eum, vel dum viveret, vel post ejus obitum Christus operari dignatur. Porro his qui gloriantur, dicentes, quod Geraldus potens fuit, et sanctus est, suademus ne sibi de hoc applaudant, quia nisi pauperes spiritu fuerint, et sicut ille, suam potentiam religione condierint, casa eorum parva esse non poterit. Imo comparatione ejus revincentur, potuisse quidem juste similiter vivere, sed noluisse; manducones vero et bibaces, et de quibusdam religionis

professoribus dicam, qui sibi excusationes in peccatis fingentes, inter pocula fateri solent quia Geraldus carnibus vescebatur,et sanctus est,sua professio manifeste revincit. Nam laico homini multa licent quæ monacho non licent. Damnatus est Adam, non quod in paradiso mala arbor esset, sed ideo quod interdicto præsumpsit. Geraldus quippe licenter suo ordini concessis utebatur, quoniam et ab illicitis abstinebat, et cum pauperibus vescebatur. Noverat enim vinum ad sobrietatem creatum. Nam et Elias carne pastus est, et dignus fuit in paradiso transferri. Per concupiscentiam tamen, quæ nonnullos instigat. Esau primogenita sua lentis edulio perdidit. Igitur alia res est Geraldi, alia istorum. At vero illi qui delirant, quod nec martyr, nec confessor valeat dici, sciant quod utrumque dici possit, non solum ille, A sed etiam omnis, qui ut vitiis resistendo crucem portat, vel bona gerendo Deum glorificat. Deus equidem factis confitetur, testante Joanne : *In hoc scimus quia cognoscimus eum* (*I Joan.* II, 3), si mandata ejus observamus; factis quoque negatur, sicut Apostolus ait de quibusdam : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Cum igitur confessor a confitendo vocetur, Deus autem factis aut negatur aut confitetur : Geraldus tanto rectius confessor dici potest, quanto justioribus factis Deum est confessus. Qui vero Judaizantes signa quærunt, quid faciunt de Joanne Baptista, qui post nativitatem suam nullum signum legitur edidisse? Nam de isto licet miracula non omnimodis desint, id unum respondemus, B quia dum non speravit in pecunia et thesauris, fecit, ut scriptum est, mirabilia in vita sua.

# LIBER SECUNDUS.

I. Athleta cœlestis militiæ dudum in palestra mundanæ conversationis agonizans, cuneos vitiorum viriliter debellavit. Tum vero verbum vitæ continens in medio nationis pravæ, quasi quædam lucerna refulgebat. Et quoniam oportebat ut in abscondito tempestatis probaretur, malignus hostis hanc lucernam quantis poterat fraudibus, tam per se quam per satellites suos effocare tentabat. Sed nimirum sicut flamma flatibus agitata solet validius accendi, sic divini amoris igniculus, qui in pectore Geraldi a puero incaluit, nullo tentationis imbre valebat exstingui. Quin potius, maturescente jam ætate, quibuslibet vitiis paulatim compressis, quotidie seipso robustior virtutibus succrescebat. Jam in corde suo quasdam ascensiones disponebat, jam super altitudines terræ, juxta illud propheticum, eminebat. Cerneres auroram sanctitatis ejus in diem festum clarescere, cerneres lilium inter spinas crevisse, et quo vicinior maturitate fiebat, eo repansos virtutum flores diffusius expandisse. Ergo sicut in rerum vertice situs, in illa beatitudine superna mentis affectum defixerat. Et quoniam per cœleste desiderium intima lux illum irradiabat, mundanæ concupiscentiæ tenebras dijudicare valebat. An non tenebras dixerim terrenam concupiscentiam, per quam mundi amatores cæcantur, ut diligant vanitatem? Sed Geraldus didicerat pretiosum separare a vili, et valde indignum ducebat terram lingere, qui vocatum se noverat ad cœnam cœlestis Agni. Super eos magis dolebat, qui per amicitiam mundi inimici Dei constituuntur. Et postquam gustaverat quam dulcis est Dominus, dedignabatur aquas furtivas, quæ dulciores sunt, allambere. Plangebat eos potius qui, juxta beatum Job, cum clamore currunt rodere radicem juniperi, id est cupiditatem punctionibus plenam. Mundialem itaque potentiam, quæ sibi affatim suppetebat, mentis despectu calcaverat. Sed tamen, ut astuti est, cuncta ad utilitatem suam referre, cogitabat qualiter ea quæ temporaliter possidebat, ita disponeret, ut ei perpetualiter profuissent.

C II. Igitur Gausbertum (99), vererabilem et laude dignum plane episcopum, cum aliis quibusdam honestis viris evocavit, et qua mentis cogitatione incitaretur, familiariter indicavit. Etenim domnus iste Gausbertus viro Dei charissimus erat, et pro communi sanctitate, mutuum sibi invicem contubernium præstabant. Exponit itaque præsentis vitæ sibi inesse fastidium, et reglionis habitum desiderare; Romam proficisci velle, et prædia sua beato Petro apostolorum principi jure testamentario delegare. Cumque de hoc diu tractatum esset, vir Domini Gausbetus altiori consilio causam inspiciens, tandem suasit in sæculari habitu sese specie tenus, pro communi salute provincialium retineret, res vero sicut D vellet, beato Petro dicaret. At ille ne suæ definitioni pertinacius inhærens, inobedienter egisse videretur, assensus est. Memor tamen Apostoli dicentis, quia Judæus qui confitens interpretatur, majus et melius in abscondito fiat, quam in palam, ita attonsus est ut hoc hominibus lateret, superno autem inspectori manifestum esset. Barbam sibi equidem cum novacula mutilavit, quam ad modum coronæ, per caput suum ducens, de capillis quoque partem recidebat. Ut autem hoc penitus celaretur, quosdam ex cubiculariis, qui id noverant, sacramento constrinxit, ut quandiu viveret, nulla hoc ratione prodidissent. Denique per hoc sui factum, videtur duplicem sibi re-

(99) *Igitur Gausbertum episcopum.* Rothenensem, credo, qui et ipsum Geraldum antea Romam usque comitatus fuerat, uti notat sanctus Odo noster cap. 29, lib. I.

munerationem conquisisse. Hinc etenim Dominica dilectione flagrans, conversionis opus Deo exhibuit; illinc amore proximorum plenus, se pro illorum utilitate in habitu, quem nollet, invitum stare coegit. Nam quale genus conversationis Deo poterat gratiosus exhibere, quam istud, in quo neque commune solatium negligeret, nec sibi quidquam de conversationis perfectione minueret? Quæ nimirum conversatio tanto pretiosor exstitit, quanto et multis utilior, et soli Deo cognita fuit? Qui, ut scriptum est, consilium ejus direxit, ut quamvis Liæ eum connubium subire fecerit, Rachelis tamen cupitis amplexibus non privaret.

III. Ad celandam plane sui tonsuram facile reperit argumentum. Barbam quippe veluti onerosam recidebat, et quoniam ab occipitio capilli defluxerant; celabat in vertice coronam, quam, et tiaram jugiter ferens cooperiebat. Vestimentis autem (100) pelliceis super vestibus lineis utebatur, quia genus istud indumenti solent clerici vicissim et laici in usum habere. Duas tamen pelliceas nunquam simul habebat. Sed cum novam necesse esset afferri, jubebat protinus vetustam dari. Ensis plane, cum equitaret, a quolibet solebat ante eum ferri, quem tamen ipse nunquam sua manu tangebat. Siquidem de balteo vel cinguli apparatu jamdudum crucem auream præceperat fabricari. Sedere autem super phaleratum equum nunquam solebat. In his et hujusmodi satis apparebat quantopere mediocritati studens, suæ potentiæ cumulum despexerat.

IV. Postquam itaque divino cultui sese mancipavit per omnia, ut sua quoque Domino consecraret, Romam prefectus est, et Aureliacum (101) insigne prædium beato Petro apostolorum principi (102), facto solemniter testamento, delegavit, cum tantis videli-

(100) *Vestimentis autem pelliceis.* Pellium sive pelliciarum usus clerisis olim et laicis communis, imo maxime monachis. Auctor anonymus Vitæ sancti Hugonis abbatis Cluniacensis: « Festinavit pelliceam suam exui, et infirmum vestivit. » Liber statutorum et consuetudinem abbatiæ Regulæ, fol. 3 : « Similiter omnes pelliparii debent Priori bonam pelliciam unoquoque anno. » Et statuta congreg. Clun. a Petro Venerabili edita, cap. 17 : « Statutum est ut nullus fratrum Cluniacensium, cattinis, sive aliis, quibus uti solebat, peregrinis pellibus induatur, nec prorsus quibuslibet, exceptis arietinis, sive agninis, atque caprinis pellibus. » Adeundus idem Petrus, epistola 28, lib. I, ubi hunc pelliciarum et diversarum pellium usum Cluniacensibus adversus Cistercienses defendit.

(101) *Aureliacum B. Petro.* Aureliacense cœnobium a sancto Geraldo fundatum et ædificatum testatur imprimis auctor Vitæ sancti Genulfi, cap. 17: « Sanctus quoque Geraldus, vir magnæ sanctitatis ac præclaræ nobilitatis, ipsis temporibus claruit, qui Aureliacum monasterium construxit. » Et fragmentum Historiæ Francorum : « Sanctus Giraldus Aureliacum fundavit monasterium. » Fundavit, autem in honore sancti Petri apostoli et sancti Clementis, uti vel ex Odone solo disci potest. Unde Lemovicensis Chronici scriptor, et qui gesta sancti Martialis abbatum collegit, *monasterium sancti Petri* dixerunt, quod paulo post Gerbertus et ipse Aureliacensis monachus, *beati Geraldi limina*, epistola 61, ad Geraldum Aureliacensem abbatem ; et Ademarus, qui monachus apud Lemovices fuit, *Aureliacensem ecclesiam sancti Geraldi*, vocavere.

(102) *Facto solemniter testamento.* Sancti Geraldi testamentum de dotatione cœnobii hujus a se fundati dignum quod hoc loco subjiciatur, tum quia brevius est, tum quia vir doctissimis Joannes Savaro, præses et decus Arvernorum, illud nobis, ut publici juris fieret, humaniter ac benigne suppeditavit. Sic igitur habet.

*Testamentum sancti Geraldi.*

« Mundi termino appropinquante, ruinis crebrescentibus, jam certa signa manifestantur, quia his advenientibus vere mundus arguetur. Et si aliquid de rebus nostris locis sanctorum conferimus, retributorem nobis esse Dominum confidimus, qui dicit : Date eleemosynam. Ob hoc igitur, ego Geraldus considerans casum fragilitatis humanæ, et pertimescens ultimum trementem diem judicii, propterea cedo ad loca sanctorum et eorum servientium, et in substantia pauperum, et parentibus meis atque fidelibus ; hoc est in primis ad locum [quem] pro Deo et sancti Petri condonatum habeo, qui vocatur Aurelhacus monasterium, hoc est quod a die præsenti ipsi monachi possident, et medietatem de ipsa curte, et ipsum castellum cum baccalaria dominicaria, et duos mansos in Grandemonte, et in fabricas manso, ubi stabilis visus fuit manere Rainaldus, teneat dum vivit; post obitum illius ordini Aurelhaco remaneat. Mediam curtem æqualiter dividant Rainaldus et monachi, et post obitum illius omnia ad Aurelhacum succedant. Decatucerias curte medietatem ad ipsum locum supra nominatum dono, et medietatem Rainaldo nepoti meo dono dum vivit, postea ad Aurelhacum remaneat. Villam meam ad illos Ermos monachi habeant. Villa mea Fraxininas monachi medietatem, et Rainaldus medietatem, post obitum illius ad Aurelhacum remaneat. Curtogillo Rainaldus habeat dum vivit, postea ad Aurelhacum remaneat. Glaurgo ecclesiam monachi possideant. Curte mea Roacina Rainaldus dum vivit teneat, post obitum illius ad Aurelhacum remaneat. De hoc quod in Goliaco visus sum habere, monachi medietatem, Rainaldus medietatem dum vivit, post obitum illius ad Aurelhacum remaneat. Boresia dono a Malfredo [Amalfredo] filio Galamon dum vivit, post illius obitum ad Aurelhacum remaneat. Similiter Marconi manso, quem Adoaldo emi, dum vivit, teneat, post illius obitum ad Aurelhacum remaneat. Quantumcunque ad ipsas causas supra nominatas aspicit aut aspicere videtur quæsitum vel adinquirendum, cum ipsis mancipiis ibidem manentibus, et eorum consanguineis de foris his causis jam dictis degentibus, et cum omnibus pertinentiis et appenditiis et adjacentiis eorum, et ad integrum donum, et sancti Petri et sancti Clementis et eorum servientibus dono ad jure proprium habendi, tenendi et usufructuarium recipiendi ; ea ratione ut, dum vivo possideam, et post obitum nostrum Rainaldus nepos meus habeat potestatem de hoc supra nominato monasterio ad abbates mittendi, tollendi sint, causas monachorum inquirendi ante reges, et comites, et eorum vicarios, sive in diversis plagis monachorum, et eorum familiis tuitione tenendi. Et accessio ista a me facta, omnique tempore firma ac stabilis permaneat cum omni firmitate, et manibus hominum roborata stipulatione quoque annexa ; facta cessione ista in mense Septembrio, sub die Jovis, anno XVII quod Carolus rex sumpsit imperium, et signatum Geraldus, qui donatione ista scribere vel affirmare rogavit, signatum Fataldi, signatum Vigoni, signatum Vicarni, signatum Bladino, signatum Tugiranni. »

Sed non esse hoc primum fundationis Aureliacensis monasterii testamentum, imo dotis ejus palmæ simplicem accessionem, indicant apertissime

cet appenditiis, quæ monachis, quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent. Ardebat namque mens illius cœnobialem illic habitationem stabilire, quo cœnobitæ cum sui ordinis abbate communem ducerent vitam (103). Censum quoque delegavit, qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur. Itaque, ut animo ferventi conceperat, juxta condictum profectus est, et quod decreverat, Deo prosperante, peregit. Reversus autem lapidicinos et (104) mactiones undecunque jussit aggregari, et ad construendam in honore beati Petri ecclesiam fundamentum præcepit aperiri. Sed Satanas, omnium bonorum invidus, nescio qua arte providentiam fefellit magistrorum. Fundamentum namque infirmiter locaverunt, et cum jam in expensa grandis nummorum summa esset profligata, parietesque nihilominus in altum porrecti, quadraminum compages subito dissutæ corruerunt. Nec tamen vir iste nimis ob hoc contristatus est. *Non enim*, ut scriptum est, *contristat justum quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII, 21). Vere confisus quoniam licet opus illud sub hac occasione retardaretur, merces tamen perditi operis nequaquam periret. Videns quod Dei judicio permissum sit ut hæc jactura fieret, hoc tamen usitatum pene in omni actione semper est, ut quidquid placidius Deo exhibetur, difficilius peragatur. Et certe in rerum natura quod citius augmentum capit, citius ad defectum vergit : quod vero difficulter, diuturnius persistit.

V. Quadragesimale tempus advenerat, cum in construendis ædificiis aer jam clementior arridebat. Geraldus quodam mane, consuetis orationibus expletis, exiit ab oppido quod eidem loco imminet. Paululum jam progressus, cœpit visibus huc illucque porrectis considerare ubinam posset aptius ecclesiæ fabrica fundari. Tandem elegit locum divina dispositione jam præscitum. Jubet igitur artifices rursus adesse, studium recalere, opus intermissum aperiri, cœpto operi sagaciter instare, ecclesiam competenti granditudine, et arcuato schemate fabri-

A care, quam pater ejus dudum in honore sancti Clementis construxerat. Nam, ut prædixeramus, isdem pater ejus religiosus fuit, utpote qui de prosapia religiosorum descenderat.

VI. Dum vero domus fabricam continuaret, animo semper volvebat qualiter posset reperire monachos qui bene morati essent, et locum sub regulari proposito incolere potuissent. Sed cum reperiendi raritas difficultatem intulisset, anxiabatur ille, et quidnam faceret (105) nesciebat. Tum vero nobiles quosdam pueros ad Vabrense cœnobium direxit. Nam tunc regularis observantiæ fervor incalescebat, ut scilicet apud fraternitatem illam sub norma regulari iidem pueri imbuerentur. E quibus nunc usque superest unus, qui eodem beato Geraldo quæ describimus, visa narrat, et manu scribit. Porro cum iidem pueri reverti juberentur, quia magistri defuerunt, mox puellari mollitia resoluti, rigorem disciplinæ neglexerunt. Et ita contigit, ut res ad effectum non veniret : unum tamen eorum necessitate ductus cæteris præfecit. Sed cum ille dissolute viveret, vir Domini vehementer afficiebatur, quia illum corrigere non valebat, neque alium habere, quem loco illius subrogare posset. Cum ergo vel illum, vel complices ejus, corruptæ vitæ tramitem incedere vidisset, illud Davidicum, profunde suspirans, dicebat. *O Domine, dissipa consilium Achitophel* (*II Reg.* XV, 34).

C VII. Nonnunquam vero in vocem plangoris erumpens super homines quos ad malum proclives videbat, pertæsus ingemiscebat, quasi querimoniam faciens, quod iidem homines pro amore mundi perirent, quod pietas deficeret, quod iniquitas inundaret, quod pene jam universi amitterent a corde innocentiam, ab ore veritatem. Nolebat autem jurgiis eorum se immiscere, sed orabat ut Deus omnipotens pacificaret omnes, præcipiens missarum solemnia celebrari, illud Ezechiæ frequentius iterans : *O Domine, fiat tantum pax et veritas in diebus meis* (*Isai.* XXXIX, 8) ; et illud : *O quantum deficit sanctus! o*

tam ipsius testamenti principium et finis, quam quod census ad urnam beati Petri annuatim delegati, sicut sequitur in Odone, nulla fit in eo mentio.

(103) *Censum quoque delegavit, qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur.* Sic Willelmus Pius Cluniacenses suos X solidorum censum apostolicæ sedi quinto quoque anno pendere constituit, tutelæ nomine. « Per quinquennium autem, inquit in testamento fundationis, Romæ ad limina apostolorum, ad luminaria ipsorum concinnanda, decem solidos præfati monachi persolvant, habeantque tuitionem ipsorum apostolorum atque Romanum pontificem defensorem. » Sic et constructor monasterii Vindocinensis XII solidos de moneta patriæ beato Petro reddi, per annos singulos voluit, uti Goffridus Vindocinensis et ipse abbas declarat, epistola 9 libri primi, his verbis : « Tempore prædecessorum nostrorum Romana Ecclesia vel debitum censum, duodecim scilicet solidos, per annum vix inde habere potuit. » Ubi hac de re plura Jacobus Sirmundus eruditissime

D adnotavit. Sed non omittendum quod idem beatus Odo noster scribit infra cap. 17 de censu Romam ab hoc sancto Geraldo, secundo quoque anno deferri solito, cum ait : Hanc sibi legem præfixerat, ut secundo semper anno ad sepulcrum apostolorum recurreret, decemque solidos ad proprium collum dependentes, tanquam supplex servus, domino suo quasi censum deferret. »

(104) *Mactiones.* Verbum Gallicum et quod etiam hodie retinemus, *maçons.*

(105) *Ad Vabrense cœnobium.* Ordinis sancti Benedicti dependans a cœnobio sancti Victoris Massiliensis, quod tandem Joannes XXII in episcopatum erexit, et Gregorius XIII monachos habitum solitum in canonicalem mutare permisit. Est autem *Vabrincum* Ruthenorum oppidum, Gregorio Turonensi *Vabrense castrum* lib. IX Hist. Franc. cap. 9, et Bernardo Guidonis *Vabrium* in his de Joanne XXII verbis : « Item in episcopatu Ruthenensi episcopatum alium ordinavit, sedemque ejus posuit in abbatia de Vabrio, eamdem in novam erigens civitatem. » Vulgo, *Vabres.*

*quantum diminutæ sunt veritates a filiis hominum !* (*Psal.* XI, 2.)

VIII. Desiderium sane quo ad cœlestia flagrans terrena despexerat ita se posse consolari sperabat, si socios ejusdem sui desiderii reperisset. Proinde diu noctuque mens illius æstuabat, et de congregandis monachis affectum oblivisci non poterat, sæpius cum domesticis et familiaribus inde colloquens. Tanto enim in id affectu agebatur, ut nonnunquam exclamaret : O si quis mihi daret ut sub tali pacto religiosos monachos invenirem ! quo ego illis cuncta, quæ possideo dedissem, et deinceps mendicando vitam hanc exegissem ! Ad hoc enim pactum ineundum nihil prorsus morarer. Cum itidem aliquando familiares ei respondissent, dicentes : Nonne plures monachi in his regionibus reperiuntur, e quibus ad votum congregare potestis? At ille fortem nimis sententiam proferens : Si, inquit, monachi perfecti sunt, beatis angelis assimilantur : sin vero ad sæculare desiderium revertuntur, apostaticis angelis, qui suum domicilium non servaverunt, per suam utique apostasiam, jure comparantur. Fateor enim vobis, quoniam incomparabiliter melior est bonus laicus quam sui propositi transgressor monachus. Cumque ei subjunxissent : Quid ergo tanta beneficia, non solum vicinis, sed etiam longinquis cœnobitis præstare consuevistis ? At ille consueta humilitate facta sua despiciens : Ego, inquit, nihil facio. Si tamen, ut dicitis, aliquid facerem, certus sum quia verus est promissor qui calicem aquæ frigidæ pro suo nomine datum remunerare promisit. Viderint ipsi quales in oculis Dei sunt. Certe verum est, quia qui recepit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Porro in his, et hujusmodi verbis ejus apparet, quod vitæ præsentis delectationem fastidiret, quod cœlesti desiderio flagraret, quod omnia sua relinquere vellet, si non defuissent quibus ea rationabiliter tradidisset. Verum est illud vulgare proverbium, quia voluntas pro opere computatur. Unde et ille qui fratrem odit, homicida esse perhibetur. Et Joannes Evangelista passionis calicem bibit, cum tamen in pace quievit. Si ergo voluntas pro opere computatur, nequaquam Geraldus abrenuntiatorum mercede privatur.

IX. Invidus itaque tenebatur in sæculo Et quamvis deessent socii cum quibus eidem sæculo abrenuntiaret, mirum tamen in modum in Dei opere totum se occupabat. Tantopere enim lectionibus audiendis, et vicissim orationibus, nunc cum aliis, nunc semotim erat intentus, ut mirum sit quomodo vel tantum studium in his habere potuerit, vel tantam A psalmorum summam semper explere voluerit. Præsertim cum alias occupationes interdum expedisset. Non enim erat obstinatus, ut causis necessariis se nimium obsentaret : sed his pro opportunitate paululum intentus, mox ad degustatam psalmodiæ dulcedinem sese concitus recolligebat. Quam reverenter sane in ecclesia staret, non satis referri potest, sed putares illum quasi divinum aliquid contemplari, atque illud propheticum attonito vultu imitari. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII, 1). Nam ut hoc sub exemplo pateat, festivus dies Dominicæ Ascensionis advenerat, cum quidem ille Sollemniaco (106) monasterio, ut est juris solemnis, celebraturus accucurrit. Non enim patiebatur, tantæ festi- B vitatis officium, nisi festive [infestive] recenseri, neque, ut plerisque mos est, cursum celebrando decurtari. Cum igitur illuc venissent monachi, sicut tantæ ac tali personæ conveniebat, ei sedile et reclinatorium ornamentis constratum paraverunt. Ad quod cum ille post gyrata oratoria divertisset, fratres solemnizare cœperunt officium, ut moris est, in longum protelantes. Senior vero donec impletum esset, ita suspensus in contemplatione stetit, ut nec sederet, nec vel paululum in antipodium recubaret, ipsa corporis immobilitate mentis devotionem et constantiam demonstrans. At nos non ita, qui faciem Dei, velut in abscondito orantes, pomposa voce magis, quam simplici corde divinas laudes proferimus. Et C cum debeat voci mentis intelligentia convenire, nos facimus currere vocem post levitatem mentis. Geraldus vero apostolicum illud recogitans : *Deo autem manifesti sumus* (*II Cor.* V, 11), sic se agebat, tanquam in conspectu judicis cuncta cernentis.

X. Ut autem divina dignatio coram hominibus eum glorificaret : qui Deum in exsequendis mandatis ejus coram discolis glorificabat, licet instante jam tempore Antichristi miracula sanctorum cessare debeant, memor tamen suæ promissionis, qua dicitur : *Qui glorificant me, glorificabo eos* (*I Reg.* II, 30), hunc famulum suum per quamdam curationis gratiam glorificare dignatus est. Quod genus curationis tale fuit, ut quamvis per humi- D litatem imponere manum infirmis refugeret, eis tamen frequenter et absens, et nolens subveniret. Aquam nempe, de qua manus abluere solitus erat, infirmi solebant furari, et plerique sanabantur. Quod licet ut magis credibile videatur, personas quasdam commemorari placet. Nam rusticanus quidam juxta Sollemniacum monasterium habebat filium cæcum, qui diutius ingemiscens, quod eum cæcitas et paupertas pariter

(106) *Sollemniaco monasterio.* In pago Lemovicensi, cujus fundator sanctus Eligius ex Dagoberti regis aurifabro præsul Noviomensis. Hic enim, sicut scribit Aymoinus lib. IV, cap. 41 : « Dum in palatio gratam Deo et hominibus ageret vitam, rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemovicino sitam, Sollemniacum cognominatam, in qua et monasterium construxit, et congregationem Deo servientium monachorum statuit. » Verum illud infestis paganorum per Aquitaniam excursionibus vastatum, postea Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, reparavit, imo a fundamentis ædificavit, uti memorat auctor incertus, sed coætaneus, qui Vitam ejus scripsit.

opprimeret, monitus est per visum quatenus ad domnum Geraldum pergeret, et aqua, unde manus ejus ablutæ fuissent, oculos filii sui superfudisset. Credidit homo visioni, et quid somniaverat veniens indicavit. Quo senior audito, mente consternatus intremuit, ac præsumere id refugiens, dixit illusionem fuisse, quæ et illum deciperet, et illum decipere vellet, ut inconcessa tentaret : errare hominem inani spe talia postulantem. Ingemuit pater, quem filii cæcitas anxiabat, et intelligens quod vir Domini causa humilitatis nequaquam acquiesceret, abire se similans, ab uno de servitoribus aquam impetravit. Qui domum rediens, exstincta filii lumina, nomen Christi invocans, abluit, et ille lumen recepit. Quod factum aliud quoddam opus secutum est.

XI. Quidam puerulus apud Aureliacum claudus morabatur, qui fabro cuidam commendatus est, ut artem disceret, qua victitare valuisset. Cum interim somno commonitus est, ut aquam similiter expetisset, faber vero qui hanc impetrare debebat, sciens quod in hac re vir Domini nimis austerus esset, aquam non est ausus palam expetere, sed eam per ministros clam impetravit. Qui nimirum, ut inofficiosa membra de eadem aqua respersit, mox illa divina virtus in proprium officium reparavit. Quod videlicet factum cum fama paulatim spargeret, ad notitiam senioris tantumdem pervenit. At ille rei novitate perculsus, dicebat quod non suo merito, sed fide illorum qui aquam illam fabro dedissent, quod ei certatim celatum est ; cumque datorem reperire non posset, vehementi interminatione commotus est, ne quispiam tale deinceps unquam præsumeret, asserens quia, si servus faceret, membris truncaretur ; si vero liber, postea suus non esset. Nihil enim amplius timebat quam laudes. Et cum inimicis suis esset beneficus, laudatoribus tamen videbatur austerus.

XII. Apud Postomium (107) sui juris insignem alodum, quædam mulier cæca de aqua manus illius lumen recepit. Quod apud omnes quidem divulgatum est, sed illi summo studio celabatur, maxime propter quemdam de servitoribus, qui aquam dederat mulieri. Non enim parvipendere sui poterant internecionem, quam pro hac re dudum comminatus fuerat, scientes quod impune non cederet, si datorem deprehendisset.

XIII. Item in capella quæ est juxta villam quæ dicitur Crucicula, demorabatur ; cum equidem alia mulier, quæ ex ancillis ejus erat, de aqua manus nihilominus illuminata est. Quo videlicet ille cognito, illum, qui aquam dederat, nomine Rabboldum, urgenter investigavit, et reperit, et mox a se rejecit. Post aliquantum vero tempus, quidam nobilis vir, nomine Ebbo, seniorem ratiocinando convenit, dicens, quia forte contra volun-
A tatem Dei faceret, dum sub obtentu indiscretæ humilitatis, indultam cœlitus gratiam neglexisset, et eos, quibus prodesse poterat, in angustia dimisisset : satius esse gratiam, quæ forte propter illos ei data fuerat, impendere eis quæ necessitas exigit supplicantibus præstare : elationem non esse formidandam, cum laudis ille cupidus non esset neque præsumptionem quidem, quoniam qui reposcerent opem, sese divinitus admonitos commemorassent : maxime, cum jam experimento probatum esset, quia beneficium sanitatis, quod a se quæsitum fuerat, ad effectum, licet ipso nesciente, jam non semel venisset. Et ille quidem hoc rationabiliter prosequebatur. Geraldus vero suspirans flebat, atque dicens, quia timeret quod diabolica
B fraus potius esset, quæ sub occasione decipere vellet ; et si quid aliquando boni fecisset, mercede ipsius boni privare perstruxisset. Tandem itaque vel precibus, vel ratione victus, abjectum recepit, et mulieri duodecim nummos dari jussit.

XIV. Sciens vero quod status mentis hac alternatione melius custoditur, si interdum lectioni post orationem quisque intenderit ; recitari coram se verba divina, ut supra diximus, faciebat. Unde et usum assumpsit, ut ad prandium ejus legeretur, nec omitteret hoc lector, etiamsi hospites adessent. Pro condescensione vero lectorem jubebat interdum subsistere, et ab his qui forte scirent, sensum lectionis inquirere. Cum quidem illi, quos interro-
C gabat, precari solerent, ut ipse potius loqueretur, tandem diserte et scienter sicuti doctus, respondebat : ita tamen ut nec clericis verecundiam inferret. Discedentibus autem post refectionem quibusque ad sua, legebantur itidem coram eo ea maxime verba, quæ superfuerant lectionibus in ecclesia recitatis. Dum vero lectioni intenderet, nullus eum facile pro causa qualibet interpellare præsumebat. Nam juxta illud Job, subditus erat tremendus, et lux vultus ejus non cadebat in terram. De sermonibus et confabulatione ejus mira commemoratio est. In his enim quæ læto animo loquebatur, valde gratissimus erat. Quæ autem increpative proferebat, quasi stimuli videbantur, u pene plus quam verba timerentur. In dando au-
D tem aliquid, multum erat morosus. At postquam semel dedisset, non auferebat. Si malæ opinionis sacerdotem audisset, non tamen missæ officium ab illo despiciebat, quia sciret illud sacrum mysterium non posse per hominem peccatorem deteriorari. Et cum in discernendis aliorum factis vel acutus pro merito causarum, vel dulcis esset, sua tamen opera vilipendebat. Quæ nimirum tanto superno inspectori pretiosius commendabat, quanto hæc apud se vilius æstimabat.

XV. Quoniam vero cœleste desiderium undatius, ut ita dicam, insumebat, os ejus ex abundantia cordis ita replebatur, ut pene jam in eodem ore

(107) *Apud Postomium sui juris alodum.* Postomiam dixit supra lib. I cap. ultimo : « Cum alodus, inquit, ejus esset Postomia, et deinceps latifundia ipsius ita sibi succederent, ut usque ad montem magnum Creonem posset in eundo et redeundo semper in propriis mansitare capellis. »

semper lex Domini resonaret. Nam sacra quædam verba sibi notaverat, quæ corporalibus officiis convenire videbantur. Ut est illud, mane priusquam loqui inciperet, dicebat : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3), et cætera hujusmodi quæ ad singulos coaptabat, videlicet cum expergisceret, cum de lecto surgeret, cum caligas indueret, cum indumentum vel cinctorium sumeret, sive certe cum iter, vel aliud quidlibet inciperet, ita ut secundum Apostoli dictum, omnia in nomine Domini facere videretur. Nonnunquam sane cum contigisset eum cum paucis, vel solum sedere, nescio quid diu tacens meditabatur, et lacrymis suffusus suspirium ab imo pectore, totum se concutiens, trahebat, ut facile quisquam posset advertere, quia mens ejus alio pendebat, et in præsenti consolationem non haberet. Tale erat ejus colloquium, tale silentium, ut os ejus annuntiaret laudem Domini, et meditatio cordis illius in conspectu ejus esset.

XVI. Noverant autem sui, quod religionis habitum toto nisu cupiebat. Sed cum esset providus, considerans quia professores sublimis propositi, dum sæculi amore corrumpuntur, gravius ab alto ruunt, satius æstimavit sic stare, quam absque probatis cooperatoribus rem tam arduam attentare. Si igitur votum illius inspicias, monasticæ professionis fidem Christo per devotionem servavit. Et laus valde eminens est, in habitu sæculari, religionis proposito deservire : sicut e contra nimis ignominiosum est, sub ejusdem religionis indumento sæculum quæsisse. Cum ergo vir iste non haberet fratres, ut præfati sumus, cum quibus bene et jocunditer habitaret in unum, vitæ hujus incolatum tædiose ferebat. Et sicut olim columba Noe, cum foris non invenisset ubi requiesceret, ad arcam, et ad ipsum Noe redibat : sic iste vir inter hujus sæculi fluctus, ad secretum cordis recurrens, in Christi delectatione quiescebat. Non, enim sicut corvus ille, morticino corporeæ delectationis inhæserat : quia renuebat anima ejus gloria præsentis vitæ consolari, sed memor Dei sui, delectabatur ; et ad secretum cordis, quasi ad arcam, recurrens, sub lingua sua exsultabat. Namque iniquitatem non sinebat diutius in corde suo aspicere, metuens ne forte eum Dominus exaudire nollet. Quin potius peccata, sine quibus humana conditio esse nequit, quæ nobis leviora, illi vero videbantur gravia, ita semper præ oculis studebat agnoscere, ut remissionem impietatis cordis non ambigeret a Deo clementer percipere. Ob quod rex ejus et Dominus, viam ipsius in conspectu suo misericorditer dirigebat, et orationi vocis ejus benigniter intendebat. Tanto autem studio procurabatur ut semper juxta ecclesiam hospitaretur, ut per multorum annorum curricula præter oratorium nulla nocte maneret, excepta una, quæ natale Innocentium itineris contigit causa. Copia vero clericorum semper eum comitabatur, cum quibus in divino opere jugiter insudabat. Omnis autem apparatus ecclesiasticus ministerio necessario cum eo perinde ferebatur, cum quo divinæ servitutis opus ingenti cura et reverentia, festivis diebus maxime gerebatur. Nocturno tempore cunctos in oratorio diutius prævenire solebat ; quo expleto, solus remanere solitus erat. Et tunc temporis tanto dulcius, quanto et secretius, internæ dulcedinis saporem degustabat. Quandoque autem lætus et alacer, vel ad stratum pro tempore, vel ad suos egrediebatur. Talem quippe vivendi modum conversatione sibi præfixerat, ut quisque sanum sapiens miraretur, quod in illo tanta cœlestis gratia confluxisset. Hunc etiam conversandi modum in exteriori conversatione tenebat, ut ministri ejus notum haberent, qualiter in singulis anni temporibus conversaturus esset.

XVII. Consuetudinem sibi fecerat (108) ut Romam frequentius adiret. Fertur autem quod illic sæpenumero profectus sit. Assertores tamen nostri de septem vicibus certi sunt. Nam, quia vis humanæ naturæ est, ut semper lumen velit aspicere, vir iste, cum esset spiritalis, illi duo mundi luminaria, Petrum scilicet et Paulum, spiritaliter ambiebat spectare. Et quoniam ipsos necdum volebat intueri, loculos eorum et templa sæpius invisens, res suas eidem beato Petro delegavit. Hanc sibi legem præfixerat, ut secundo semper anno ad sepulcrum eorum recurreret, decemque solidos ad proprium collum dependentes, tanquam supplex servus, Domino suo quasi censum deferret. At vero quis digne explicet quam devote illud explebat ? Tam beneficus erga indigentes erat, ut pene nullum pauperem, qui illic catervatim abundabant, ejus largitas præteriret, ita se fidenter exaudiri confidens, si ipse clamantes pauperes audiret. Nam et contiguis viæ monasteriis multa largiebatur. Ita vero fama tantæ ejus benignitatis passim et ubique personuerat. Unde et monachi, et peregrini, necnon et egeni, qui et hospites ejus tempore quo Romei transire solent, sollicite requirebant, si comes Geraldus veniret, vel quando veniret. Ipsi quippe Marruci, rigentes videlicet Alpium incolæ, nihil quæstuosius æstimabant, quam ut suppelectilem Geraldi per (109) juga montis Jovina transveherent.

XVIII. Carpebat quoque quadam vice hoc iter. Cum venisset autem ad civitatem nomine Astam, fur

(108) *Ut Romam frequentius adiret.* Reges ipsi Francorum, et quicunque in Francia primi, Romam olim peregrinationis ac orationis causa properare soliti. Auctor Vitæ Ludovici Pii : « Incidit ei desiderium dominam quondam orbis videre Romam, principisque apostolorum atque doctoris gentium adire limina, seque suamque prolem ei commendare. Quæ res Deo prosperante pro voto cessit. » Rigordus in Philippo Augusto : « Visitatis apostolorum liminibus Romam transiens in Franciam rediit. » Et Anonymus qui gesta Philippi III scripsit : « Venit Romam. Ibi apostolis reverenter honoratis, adiit urbem Viterbii. »

(109) *Juga montis Jovina.* Petrus Damianus *in* Vita sancti Odilonis, cap. 15, *Jovini montis prærupta* vocavit. Nos vulgo *mont Joux.*

quidam duos ex ejus sagmariis subripuit. Veniens A autem ad quemdam rivulum, cogere eos non potuit ut transirent, donec ab hominibus domni Geraldi comprehensus est. Receptis namque sagmariis, nil furem læsit.

XIX. Quadam vice, cum illud iter excurreret, quemdam monachum nomine Aribertum ducebat secum, magnæ scilicet abstinentiæ virum. Hoc namque erat illi dulce contubernium, ut quoties religiosæ vitæ quempiam reperisset, in illo semper affectuosius delectabat. Factum est aliquando, ut deesset pulmentarium, quo abstemius ille cum pane vesceretur. Senior vero studiose requirit, an consuetum illi cibum ministri paravissent. Respondentibus illis quod nihil præter panem haberent, anxiabatur ille, dicens: O quid nobis B hodie contigit? Nos omnes plenam refectionem habemus, et iste Dei servus in attenuatione erit. Erat autem dies abstinentiæ solutus. Tempus abluendi manus jam venerat et Samuel, qui hoc præsens narrat, ad afferendam aquam cucurrit, cum forte reperit pisciculum in littore expositum, et palpitantem, qui ipso vidente de aqua exsilierat. Quo apprehenso lætus ad seniorem cucurrit: En, inquiens, Deus piscem hunc vobis transmittit; nam juxta aquam eumdem expositum reperi. At ille, Deo gratias respondit. Et interim dum coqueretur, tentorium ingressus genua flectit, et cum lacrymis aliquantisper oravit. Talis enim illi mos perpetuo inerat, ut nihil Christo præponeret verum potius per singula quæque sibi scilicet accidentia illi gratias devote referrret. Qui cum ab oratione surrexisset, lætus admodum omnibus constitit. Tum vero consedentibus ad mensam, comedit ille abstemius usque satis, et cum adhuc pars quædam de pisce superesset, urgebat eum senior, dicens, ut quid, frater, modicum piscem, nihil aliud habiturus, comedere moraris? Cum ille jam satiatum assereret, prægustavit senior, si forte bonus esset. Et optimi saporis eum esse reperiens, manducavit et ipse quantum satis fuit, et omnibus qui aderant particulas pro benedictione dedit. Cuncti gratias Deo retulerunt, munus divinum et in pisce reperto, et in hoc quod superabundaverat, cognoscentes. Fuerat enim semipedalis mensuræ.

XX. Itidem cum Romam pergeret, et ad civitatem Tusciæ, quæ Luca vocatur, pervenisset, quædam se mulier ei obviam ingessit, dicens: Visu commonitam se esse, quatenus filium ejus illuminaret. Quod cum ille audisset, exprobavit mulierem, et emisso mulo quem sedebat, concitus aufugit. Porro mulier quærebat a quibus poterat, qualiter a Dei homine speratum beneficium impetrare posset. Cum forte quispiam de ministris ad mulierem dixit, quod de aqua manus ejus jam virtutes factæ fuissent. At vero senior pro muliere sollicitior factus, quoties manus abluisset, mox aquam ante se fundi in terram faciebat. Mulier vero semper eum secuta est donec ille jam fundi aquam minime curaret. Qua mulier tandem, ipso nesciente, impetrata, oculos cæci filii diluit, et ipse protinus ad lumen rediit. Cum ergo vir Domini ab urbe remeasset, videntem filium prædicta mulier eidem præsentavit. Et cum hoc factum omnes magnificarent, ille tacens et lacrymans ibat, nec illo audiente, quisquam de hoc vel hujusmodi quidquam referre audebat.

XXI. Mirum quiddam, et forte incredibile dicam. Sed tamen duobus testibus id asserentibus credens, qui referunt, quod isdem vir Domini per illam viam ab Italia rediret qua Lugdunum a civitate Taurinensi venitur. Transierat jam Alpes, et quædam loca nimis, ut fertur, inaquosa, itineris necessitate, subibant. Contigit autem ut et vinum in utribus deficeret. Et quia regio illa jamdudum a Sarracenis deserta est, cum aqua desset nec vinum reperiri poterat, nimia siti cœperunt æstuare. Certabant autem si possibile esset illud spatium itineris velocius pertransire, sed pedites atque sagmarii deficiebant. Unde necesse fuit seniori, ut juberet eos paululum remorari. Mœsti homines super gramina jacebant, sagmarii vagantes passim, cogente siti, pascua perlustrabant. Tunc unus ex clericis perrexit, ut ad onerandum sagmarios reduceret, nec illam pausam placebat prolongari. Clericus ergo reperit fossulam liquore plenam: miratus est, et quidnam sit explorare volens, inclinavit se: cum interim liquor ille saporem vini reflavit. Tum vero lætabundus ad seniorem recurrit, et nescio quid, veluti vinum, se reperisse nuntiavit. At ille: Quid, inquit, insanis? Utinam aquam reperisses! Nam istic unde vinum? Clericulus vero sumpto vasculo, de prædicto liquore quiddam hausit, et coram attulit. Id sane quod allatum est, tam colorem vini quam et saporem præferebat. Tum senior jussit capellanis, ut crucem et capsellas reliquiarum sumerent, et super fossulam prædicti liquoris exorcismum aquæ benedictæ facerent. Ac dehinc in Christi nomine jubet, ut gustando quid esset explorarent. Vinum itaque reperientes, cum ingenti admiratione et gaudio vir Domini cum D illis omnibus gratias Deo egit, et priusquam ipse biberet, omnibus dare præcepit, non tamen inde quidquam (110) in flasconibus efferri permisit. Quod juxta fidem illorum, qui hoc vidisse asserunt, dictum sit. Tamen ea quæ nunc ad sepulcrum ejus fiunt, credi de eo quæ audiuntur, vel hæc, vel illa suadent.

XXII. Hoc autem iter vir sanctus frequenter carpebat. Non enim jam vel palatia regum, vel prætoria marchionum, non certe conventicula principum adire volebat: sed cœli consules, Petrum scilicet et Paulum, frequentius, ut supradictum est, invisere gestiebat. Alia nihilominus loca sanctorum (111) se-

(110) *In flasconibus* Inde *flacons*. Vetus vox Gallica.

(111) *Sepulcrum sanctissimi domni Martini*. Frequentes etiam veterum omnis ordinis et dignitatis ad memoriam sive sepulcrum S. Martini Turonensis episcopi concursus et devotiones. Auctor Vitæ Caroli

pulchrum videlicet sanctissimi domi Martini (112), necnon et beati Martialis, alacri devotione perlustrabat. Credo contemplabatur in spiritu, qualiter illa beatorum agmina, in superni Capitolii curia lætantur. Quibus itaque post paululum sociandus, gaudium Domini sui jam aliquatenus prægustabat.

XXIII. Scirposus ager habetur ultra Sutriam, juxta burgum videlicet qui vocatur sancti Martini, quo Romei castrametari solent. Cum ergo inibi tentoria ministri paravissent, tunc forte senior seorsum stabat, ad quem secus quidam se deduci fecit. Quem suppliciter exorans, nihilominus rogabat, quatenus aquam suis manibus tactam eidem tribuere dignaretur. Qui jussit illum ibidem stare, atque tacere. De hinc tentorium ingressus coram sanctis pignoribus aliquantulum oravit. Intendebant singuli ministrorum ad opus quod erat eis gerendum. Illis ergo alias occupatis, videns quod secretum fieri posset, quemdam vocavit, qui latenter eum adduceret. Tunc manus diligenter abluit, et in recenti aqua digitos intinxit, atque de sanctis pignoribus signavit. De qua sæcus ut orbata lumina superfudit, mox videre meruit. Cujus vocem vir Domini a clamore compressit, et ipse majestati divinæ gratias cum illo egit; quem et de suo quodam vestimento, videlicet curcinbaldo indutum, latenter extra tentoria deduci fecit.

XXIV. Item dum ab urbe rediret, venit Sabbato ad quamdam Ecclesiam, juxta locum scilicet, ubi sulphurei videntur acervi. Cum autem vellet populus in crastinum proficisci, retinuit eos, dicens quod ob reverentiam Dominici diei, saltem usque ad nonam demorarentur. Nec illa demoratio fuit etiam sine beneficio temporali, missarum namque officio solemniter expleto, cum jam post cibum iter aggrederentur, venit quidam sedens caballum, qui in eundo perditus fuerat, quem domnus Geraldus sine cessoris injuria recipi jussit. Antequam vero ad Abricolam pervenissent, cæcus quidam juxta viam sedens, quærebat a transeuntibus si aliquis in eadem turba veniret, qui Geraldus vocaretur. Cum forte quidam de nostris fratribus tunc adhuc canonicus, in collecta domni Geraldi gradiebatur, qui devotionis causa pedester incedens, ad prædictum jam cæcum lassus pervenit. Quem cum ille de domno Geraldo inquireret, eum se vestigio secuturum respondit. Sed quæ, inquit, causa est, quod eum tam sollicite requiris? At ille: Novem, inquit, anni sunt, ex quo cæcitatis augustia premor; hac autem nocte monitus in sumno sum, ut huc venirem, et Geraldum sancti Petri peregrinum quærerem, ut manus ablueret postularem; cæcatos vero oculos illa aqua perfunderem. Quo ille clericus audito, substitit, cum interim vir Domini Geraldus supervenit. Porro mos erat illi, ut cooperto capite solus equitaret, quo psalmodiæ liberius vacaret. Cum ergo supervenisset, clericus cæco silenter: En, inquit, adest. At ille rogabat, ut paululum stare dignaretur. Et subjunxit quid per somnium vidisset. Cum quidem senior erubescens, et mutatione vultus id quod audierat exsecrans, abire cœpit. Cæcus vero tremenda quædam adjuramenta proferens, rogabat ut staret, misero subveniret, et sperata beneficia non negaret. Illi autem qui aderant, hoc idem simpliciter exorabant. B At ille parum deliberans, memor, ut credo, quia, juxta Apostolum, datam sibi gratiam negligere non deberet, consuetum sibi verbum respondit, dicens: Subvenite, sancti Dei, et stetit. Et quia sicut in illis colliculis assolet, rivulus præterfluebat. Aqua protinus allata est. Tum ille descendit, et lavit manus dicens: Fiat voluntas Dei. Et concitus abire cœpit. Cæcus vero nil cunctatus aquam sibi ingessit, nec fefellit eum virtutis eventus. Tam repente enim visum recepit, ut statim post eum curreret, dicens: O sancte Geralde, o sancte Geralde, Deo gratias, en video! Ille vero mulum calcaribus urgebat, ne voces laudanium audiret, et Abricolam transivit, neque dehinc perendie potuit a conviatoribus attingi. Siquidem animadverti potest, C quod manus illæ per quas ista sanitatis virtus conferebatur, munditia fulserint, et in eis macula non adhæserit, sed eas ab omni munere excusserit. Quo contra nimis infelices sunt illi quorum dextera repleta est muneribus. Quoniam, ut scriptum est, ignis devorat eos qui munera libenter accipiunt.

XXV. Sed et alia nonnulla itineris referuntur de eo, quæ nos ob prolixitatem studiose transilimus. Sed unum pro eo quod virtus alterius generis est, adhuc subnectamus. Cum aliquando Romam pergeret, jam in Italia positus, quamdam in aera vocem audivit clamantem se, atque discessum suum ei insinuantem. Videbatur autem illi quod esset cujusdam hominis nomine Girbaldi, quem in patria reli- D querat. Itaque vocavit quosdam ex suis, requirens utrum de Girbaldo aliquid scirent. At illi responderunt, quod eum languentem dimiserant. Jubet igitur tempus adnotari, psalmorumque obsequia pro eo celebrari. Rediens vero, et de prædicto homine re-

Magni: « Inde per littus Oceani Rothomagum civitatem profectus, Sequanæ amne transmisso, Turonos ad sanctum Martinum orationis causa perrexit. » Frodoardus ad an. 938: « Revertitur Turonum Rodolphus ad sanctum Martinum orationis gratia. » Gesta consulum Andegavensium in Fulcone Bono: « Contigit quodam tempore regem Franciæ apud Turonem civitatem cum turma nobilium virorum in vigilia festi æstivalis sancti Martini adfore. Adfuit autem tunc inter alios proconsulares et personatos viros præfatus consul, sicut stella radians, forma præclarus, statura procerus.» Et Hebernus Majoris monasterii abbas in lib. Miraculorum sancti Martini, cap. 11: « Marchisius, de Monteferrato, Bonefacius nomine, bone devotionis consuetudinem fecerat, ut annis singulis ad diem festum beati Martini in tumulum ejus sacrosanctum expeteret. Non enim itineris longitudo est asperitas, non interjacentium hostium insidiæ, non bellorum frequens incursio, non denique ulla poterant impedire negotia, quam ad sancti suffragia promerenda occurreret.

(112) *Necnon et beatus Martialis.* Primi Lemovicensium episcopi, de quo nos alias.

quirens, reperit quod illa die migraverit, qua ille vocem in aera audivit.

XXVI. Expleto autem sanctæ suæ devotionis itinere, jam secretiora loca frequentare delectabat, quasi vocem illam Psalmistæ secutus, qua dicit : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV. 8). Ibi enim a sæcularium frequentia, vel causarum strepitu quiescere volebat, ut liberius divinæ servituti vacaret. Cum itaque sub hoc obtentu apud capellam quæ dicitur Catuserias demoraretur, festivitas Joannis et Pauli supervenit. Quædam autem rusticana mulier hortulum ingressa, nescio quid operabatur, cum repente grandis gutta sanguinis super manum illius apparuit, quæ mox intumescere cœpit. Tremefacta mulier ad Dei hominem ejulans cucurrit, et ostendens manum, misereri sibi rogabat. At ille protinus clericos adesse, missamque pro ea celebrari jubet, dehinc aquam exorcizari, et de eadem aqua guttam sanguinis ablui ; cum tamen ipse humilitatis causa seorsum stabat, ne forte virtutis illius signum ei deputaretur. Ut autem manus mulieris abluta est, illico sanguis et tumor disparuit, et illa sana recessit.

XXVII. Sane quia locus ille, sicut eum velle dixeramus, remotior est, et secretus, frequenter inibi mansitabat. Cum igitur quadam vice Assumptionem sanctæ Dei genitricis Mariæ apud eamdem ecclesiam celebrasset, missarum solemniis jam expletis, foras ad suos exiit. Mos quippe ei fuerat, ut post longas ac juges preces, ad commune eloquium sese impertiret, ut quisquis dicendi causam haberet, loquendi quoque possibilitatem obtineret. Cum ergo ad suos exisset, quidam, qui præparandis cibis præerat, ad eum dixit : Tristamur, Domine, quoniam ad vestram refectionem reperire in hac solemnitate non possumus, nisi carnes salitas. At ille : Ne sit, inquit, vobis curæ, quia si Dei genitrici placeret, neque hoc nobis in ejus festo deesset. Dixerat, et de rupe, quæ eidem loco imminet, cervus sese præcipitavit. Quem ministri gaudentes pariter et mirantes tulerunt, et inde, sicut tunc cervorum caro temporina est, delicatum edulium seniori paraverunt. Neque enim incredibile debet videri, quod ei divina largitas cibum ex improvisu concesserit, cum ille ad Dei gloriam, juxta Apostolum, faciens, bucellam suam cum pauperibus comedebat. Qui nunquam, sicut alumni ejus præsentes attestantur, aurem suam a clamore pauperis avertebat. Qui videlicet sanctus juxta illud Psalmistæ : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL, 2), cum voces clamantium audisset, profundum suspirare, et verba compatientis respondere solebat.

XXVIII. Raimundum noveratis comitem, filium videlicet Odonis. Hic nepotem domni Geraldi nomine Benedictum, Tolosæ videlicet vicecomitem dolo captum tenebat. Rainaldus vero frater ipsius sese obsidem dedens, fratrem recepit. At domnus Geraldus audiens quod ille seipsum pro fratre obligasset, valde movebatur ad subveniendum nepoti. Raimundus autem protelabat causam reddendi, etiam satagens Benedictum denuo capere, et ambos tenere. Jam septem menses fluxerant, et vir Domini Geraldus in ereptione nepotis nihil proficere poterat. Quadam vero die cum sorore sua Avigerna de hac re quasi querimoniam faciens : Quid tu, inquit, cessas Christum pro filio tuo deprecari ? certe aut nos in fide dubitamus, aut, quod verius est, exaudiri digni, non sumus. Et hæc dicens, resolvebatur in lacrymis. Quo quidem tempore, medullitus, ut ita dicam, sese Domino in precibus mancipavit. Et adhuc Rodulfum abbatem semel ad Raimundum direxit, qui necdum quidem proficere quidquam valens, haud longe ad meatum reversus est. Nocte vero insecuta prædicto Raimundo per somnium videbatur, quod vir Domini Geraldus ante ejus lectum staret, eumque manu pulsaverit. Quid, inquiens, tu non audis me toties deprecantem ? Certe scias, quoniam si ultra tenueris obsidem, nequaquam tibi cedet in prosperum. Post hæc verba Raimundus expergefactus est, et considerans visionem, intremuit : vocavitque suos, et quid somniaverit indicavit. Nam et quidam ex ipsis per quem maxime usque tunc adversatus fuerat, nescio qua causa similiter exterritus persuadebat, ut petitionem domni Geraldi concitus faceret : alioquin moriendum illis esse commemorat. Raimundus confestim ad hospitium Rodulfi abbatis transmisit, eumque redire jussit. Quo redeunte qualiter vir Domini se per visum terruerat, palam enarravit : obsidem illico reddidit, et ut gratiam domni Geraldi sibi Rodulfus reconciliasset, humiliter postulavit. Ita Geraldus per divinum auxilium prævalebat, et secundum illud Scripturæ, gloriosos terræ humiliabat.

XXIX. Quodam itidem tempore, cum ad colloquium ejusdem Raimundi comitis properaret, fluvio, qui Avarionus dicitur, appropinquans, mentio incidit quod illa die piscem ad esum non haberet. Hi vero qui seniori obambulabant, cum de hoc sermocinarentur, viderunt piscem qui capito vocatur, contra se natare. Unus autem, qui hoc ipsum refert, extendit dragulum, et vulneravit piscem. Qui accepto vulnere paululum retroactus ripam ad quam antea tendebat, iterum repetiit, moratus quousque eum unus extensa manu comprehendit. Erat enim non parvæ magnitudinis. Itaque vir Domini gratias Deo referens, cæteros, qui hoc ut miraculum extollebant, compescere studebat, quasi id fortuitu contigisset. Et forte aliquis fateri potest, quod istud casu contingere possit ; credo tamen non recolet, piscem aliquando vidisse, qui in spatioso flumine, ut Avarionus est, ripam super homines ultro irrupisset.

XXX. Siquidem pro miraculo jure censetur, quod vel piscis quondam de aqua exsiliit, vel cervus ex improviso de rupe cecidit : hoc etiam quod in flumine piscis ad capiendum sese ingessit. Sed valde plus mirum est, quod ad esum ejusdem hominis Dei cœlitus est alia vice allatus. Non longe enim a

Friaco monasterio vicus est in honore S. Gregorii sacratus, cui scilicet presbyter quidam nomine Geraldus præerat, qui eidem viro Dei Geraldo valde pro sua sanctitate charus et familiaris erat, qui etiam ante vitæ suæ terminum sese pro amore divino reclausit. Ad hunc ergo jam dictus vir Domini Geraldus aliquando divertit, quem post orationem deosculans, dixit : Quid nobis, Geralde frater, ad refectionem daturus es? En apud te prandere venimus. Dicebat enim hoc pro familiari contubernio, quod apud illum isdem sacerdos habebat. At ille gaudens : Si, inquit, Domine, tuæ pietati placet, non abibis jejunus. Verumtamen non habeo quid apponam nisi panem et vinum, sed inquiram si forte caseum, vel ova reperero. Tum senior : Ne te, inquit, fatiges, quoniam abstinentiæ dies est, et bonum erit, si vel, quia desunt epulæ, parcius sub hac occasione comederimus. Cum ergo presbyter ad præparandum discurreret, conclavum ingressus, vidit piscem in ferculo. Tunc stupefactus clam interrogavit ministrum, quisnam piscem illum attulerit. At ille nescire se dixit, asserens quod nullus ibi fuerit, qui piscem illum afferret. Presbyter ergo exiens ad seniorem supplicat ut in conclavi intrare dignaretur. Quo sequente, piscem ostendit : Ille attonitus et admiratus, gratias Deo cum sacerdote referebat. Quem tamen, et ipsius ministrum juramento constrinxit, ne id, dum ille viveret, alicui prodidissent. Sed eadem res pluribus paulatim innotuit, quoniam divina dispensatio, quæ sanctos quosque glorificat, eos etiam contra suum velle nonnunquam manifestat. Vere Dominus adhuc suæ promissionis est memor, et inquirentes eum non deficient omni bono. Cæterum incredibile non debet hoc videri, dum frequenter legamus, quod Deus ad supplementum servis suis aut potum, aut cibum divinitus ministrare dignatus sit.

XXXI. Pagus non longe ab Aureliaco Marculiscus vocatur, juxta quem lapis quidam naturaliter rotundus insidet. Cum aliquando domnus Geraldus e regione transitaret, quidam de ejus comitatu Adraldus nomine, conviatoribus asserebat, quod super lapidem illum saltu conscendere posset. Quod protinus cunctis mirantibus fecit. Ferebatur autem quod isdem Adraldus incantationes ac maleficia nosset. Subsequente autem seniore, stabant illi qui præibant, et ei saltum illius indicabant. Ille vero considerans quod hoc per suam agilitatem nullatenus facere posset, elevata manu signum crucis edidit. Dehinc ille cum id multis vicibus tentavisset, nullatenus exsilire super prædictum lapidem potuit. Et ita cognitum est quod illa velocitas ejus per incantationem fiebat, quæ ei post signaculum adesse non potuit, et magna virtus esset domni Geraldi, post cujus signaculum vis inimica nihil valuit.

XXXII. Quia vero de ejus signaculo id retulimus, quid itidem signando fecerit subjungamus. Solemnitas sancti Laurentii venerat, et ille in quamdam suam capellam quæ non longe a vico Argentado
A sita est, eamdem festivitatem solemnizabat. Porro quædam ex ancillis ejus graviter inibi vexabatur, Cum igitur ille per orationem ad eam respexisset, et in medio, ut erat, populi acerrime frenderet, et vesaniret, rogabant omnes, ut eam vir Domini signare dignaretur. Quod ille per consuetam sibi humilitatem diutius distulit. Sed illa debacchari cum non cessaret, rogantibus his qui aderant instantius tandem elevata manu, signo crucis eam signavit. At illa purulentum sanguinem evomens, continuo sanata est. Cum omnes in Dei laudibus personarent, eumque magnificarent, ille magna animadversione eos compescuit dicens, quod Dei solummodo clementiam, atque sancti Petri, cujus ecclesia est,
B magnificarent. Ipsa est autem illa ecclesia qua tunc laborabatur, quando mulier cæca superius nominata de aqua manus ejus lumen recepit.

XXXIII. Quidam vir nomine Herloardus de equo lapsus, unum genu sibi valde collisit. Ob cujus dolorem per sex dies jam sine cibo degebat. Et cum nihil sibi ad remedium reperire posset, ad Captennacum transmittens, aquam de manibus domni Geraldi clam sibi deferri fecit. Mirum dictu, mox ut prædictam aquam super genu sparsit, omni dolore liberatus incolumis surrexit. Alia nonnulla referuntur de eo quæ vel relatu, vel admiratione digna sunt. Sed enim, quia vulgariter, et non a præfatis quatuor testibus asseruntur, ea reticere malumus, cum tamen non ignoremus quia multa gessit, quæ vel nullus, vel pauci cognoverint. Siquidem de consuetudine piorum et bonorum hominum, semper humilitatem velut cordis oculum servare studebat. Et ideo quantum poterat, opera sua celabat. De his vero quæ ipso nolente patebant, laudes non patiebatur audire.

XXXIV. Hoc itaque de miraculis ejus sufficiat, quæ satisfaciant eis qui gloriam cujuslibet sancti, non ex quantitate bonorum operum, sed ex numerositate metiuntur signorum. Apud quos forte sanctitas ejus vilior haberetur, si de miraculis quæ vigens gesserat nihil audissent. Illis sane qui amore ejus pie tenentur, eumque discreta dilectione venerantur, opera justitiæ quæ exer-
D cuit, magis placent, At vero cum utrumque simul in eo concurrit, et justitia videlicet, et sanctificatio, et signorum glorificatio, securius hunc, et alacriori devotione colunt. Nam si fortasse prophetiæ spiritum habuisset, nullus eum, ut puto, sanctum esse negaret. Sed utique plus fecit, quia avaritiam vicit. Nam quid profuit Balaam, quod tam profundo mysterio prophetavit, quando propter avaritiam reprobatus est ? Nihil igitur in Geraldo grandius miraculum quæras, quoniam hoc est quod non speravit in pecunia, vel thesauris. Hoc quippe est sicut jam diximus, mirabilia fecisse. Tam raro quippe reperies, qui non speret esse felicitatem in pecuniis, ut pro ipsa raritate sermo divinus interposuerit. Quis est hic ? Cum vero talis utcunque reperitur, dignus est laude, sicut illic subjungitur :

Laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. Quod enim Geraldus hujusmodi mirabilia fecerit, multa documenta sunt. Siquidem constat eum quæ a parentibus vel regibus ei collata sunt sic tenuisse, ut ea non ut servis, sed quasi dominis dispensasset : rebus in terra sine alicujus læsione excrevisse, in cœlis tamen thesaurisasse ; potentia sublimem fuisse, tamen spiritu pauperem permansisse. Quapropter, ut ille sequitur, neque mirum, neque incredibile debet videri, si stabilita sunt bona illius in Domino. Quamvis illud incomparabiliter in ejus factis immineat, quod usque in senectutem castus perseveravit. Castitas enim sola est quæ imitatur angelicam puritatem. Cum itaque hic vicit libidinem, quæ maxima virtus est Satanæ, mirum non est si nec eidem Satanæ imperat, quem servando castitatem devicit. Incredibile non est quod nunc obsessos a dæmonibus liberat qui mammonæ principem a suo corde, vincendo avaritiam, rejecit. Jure enim spiritum superbiæ nunc subjectum habet, qui in ipso terrenæ potestatis culmine mitem se exhibuit.

# LIBER TERTIUS.

Quoniam signorum virtutibus insignem fuisse venerabilem virum Geraldum prælibatus sermo enucleatius disseruit, restat nunc ut qualiter a corporeo tegmine spiritalem essentiam emiserit, stylo titulante exprimamus. Certum enim constat, quia isdem vir, quanquam parcitate frugalitatis corporalem appetitum domuerit, viguit tamen viribus. Nec impotens robore caruit vi fortitudinis. Sed cum jam contiguum esset, ut a completa militia, utpote annosus, eximi deberetur, cœpit a solito vigore attenuatus elabi. Verum nec ipsum latuit, quin potius ipsarum virium evacuatio ad defectionis ejus judicium panderetur. Cumque præsentes plerosque cerneret, qui ei diligentius adhærere consueverant, quasi profundiori et intimo singultu ac defectivo affatu exorsus est compellare. Eia, clientuli, et comites amabillimi, nonne aspicitis a pristino me destitutum robore ? Animadvertite viciniorem esse depositionis meæ sortem, quo spiritus, ducente suo auctore, transferatur ad destinatum habitationis receptaculum, natura fragillima redigatur in pulverem. Non illum cruciatus langoris ab abstinentia solita arcebat. Mira res : non illa saltem, quæ veteranos compellere solet imbecillitas, præter consuetum morem, adhæsum animum illius persuadere poterat. Nimirum quia lenitas carnalis nequiverat emollire rigorem mentis. Cum ergo his et hujusmodi virtutibus anima saginaretur, corporis efficaciam amittebat. Sed quia se in suis oculis despiciens virtutibus hominem nesciebat : non satis intelligebat unde sibi debilitas virium irrepsisset. Jam vero spiritalis virtus, quæ pleniter in eo succreverat, corporeas vires pene trucidaverat. Quippe cum iste mos sanctorum sit, quia virtus divina minus in eis valida fuisset, si corporeum robur non attenuasset. Hinc Daniel angelica divisione conspecta, per dies multos elanguit. Hinc Jacob angelum stringens, claudicare cœpit. Quoniam qui spiritali gratia completur, a corporea virtute enervatur. Itaque exterior homo corrumpebatur, cum interior de die in diem renovaretur.

I. Quadam autem die cum in oppido esset, quod Aureliaco imminet, respiciens ad fabricam domus, ubertim flebat. Cum unus ex familiaribus inquisisset curnam fleret? respondens ait : Quia desiderium inquit, meum quod de loco isto jamdudum concepi, ad effectum nullo pacto perducere possum. Nam hæc requies mea, hic habitabo. Si quidem cætera quæ monachorum usibus apta videntur, favente Deo, facile præparavi ; soli monachi desunt, soli inveniri non possunt. Et idcirco veluti solus et orbatus, mœrore conficior ; spero tamen quod omnipotens Deus, quando ei placuerit, desiderium meum implere dignetur. Nec mirum, si ego peccator in hoc meo desiderio prolongor ; quandoquidem rex David prohibitus est ne templum Domino ædificaret, cum tamen ipse dedit qui opus illud post eum expleret. Et ego licet hoc in hac vita non videam, præstabit tamen Christi misericordia quod exopto, quando ei placuerit. Velim sane noscatis, quia maceriæ hujus domus frequenter angustæ erunt populis, qui ad eam conventuri sunt. Qualiter autem hoc didicerit, minime indicavit. His autem qui hoc illum dixisse norunt, cum frequentiam populorum, sicut ille prædixit, in eodem loco fieri vident, hæc opinio suborta est, quod ea quæ dixit, divinitus agnovisset. Jam vero os ejus sic ex abundantia cordis replebatur, ut lex Domini semper plene in eo resonaret. Cæterum, juxta exemplum præfati David, quæcunque necessaria futuris habitatoribus prævidebat, et in pignoribus sanctorum, et in ecclesiasticis utensilibus et indumentis, seu certe in agrorum redditibus præparare curavit.

II. At vero, sicut Scriptura dicit, ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc, oportebat hunc Dei hominem ante obitum per flagellum exspoliri. Et ei sicut beato Job contigit, et Tobiæ, quoniam acceptus erat tentatione probari. Itaque per septem, et eo amplius annos, lumen oculorum amisit. Quos tamen ita perspicaces habebat, ut nihil cæcicatis pati crederetur. Qua percussione non solum non doluit, sed etiam plurimum est gavisus in Domino, quod eum flagellare dignatus sit. Quippe non nescius, quia non omnis qui flagellatur filius sit,

nullus tamen est filius qui non flagelletur. Et hoc erat ei consolatio, quod supernus judex manum suam ad feriendum hunc solverit, et peccata sine quibus hic non vivitur, in præsenti puniret. Jam itaque de misericordia Domini securus, confidebat quod eum ab æterno verbere liberare dignaretur, quem in præsenti sub flagello premere dignatus sit. Si quidem autem studiis retroactis addere potuisset, quanto ab exteriori implicatione cæcitatis causa cessaverat, tanto attentius orationi incumbebat. Et quo mundi figuram intueri nequibat, eo cordis ad verum lumen contemplandum clarius intendebat. Causa ab exterioribus factis cessabat, totum se ad studium orationis, vel assiduitatem lectionis applicabat.

III. Biennio priusquam obiret, ecclesiam fecit solemniter dedicari. In altaribus vero tanta pignera sanctorum (113) insita sunt, ut scientibus mirum sit. His autem qui forte a scientibus audiunt, pene incredibile videatur. Nam in his undecunque colligendis pater ille sanctus, quoties sese opportunitas præbuisset, omnimodis, quad vixit, operam dedit. Quæ scilicet et apud Romam, et ubique locorum sic impetrabat : sicut nimirum ille, qui et in sermone, et vultu erat gratiosus : et in dandis pretiis munificus, et quod majus est, in id quod agendum erat, divina gratia fretus. Frequenter enim pro eisdem pignoribus impetrandis, et pretiosa tentoria, necnon corpulentos equos, et multa pecuniarum pondera constat eum dedisse. Dentem namque sancti Martialis in dextro altari, cum reliquiis beatissimi domni Martini, necnon et sancti Hilarii collocavit; quem a sancto corpore nullus ex largitoribus, a sancta maxilla, cum diu conarentur, eruere posset, ille præmissa oratione protinus eum avulsit. De eodem profecto altare mirum aliquid ipso dedicationis die contigit accidisse. Quidam enim juvenculus, cum turbæ semet imprimerent, pallium desuper tulit, ut illum ministro redderet, cum quidam ei dicerent circumstantes, ne id præsumeret. Sed quoniam ille tollere non misit, protinus vehementi angustia comprehensus est, ac primo manus ejus excoriatæ sunt. Tunc paulatim omne corpus pelle nudatum, ut vix post sex hebdomadas convalescere posset. Locum, sicut olim decreverat, monachorum ditioni delegavit, ubi tamen dehinc parum demorabatur.

IV. Spatio quo supervixit, summopere procuravit, ut omnes ad se pertinentes in pace dimitteret, ne forte litis occasio posset inter eos oriri. Prædia vel mancipia, quæ beato Petro non delegaverat, inter quosdam propinquos ac milites, vel certe servitoribus dimisit. Nonnullis tamen eo tenore, quo postquam obissent, ad Aureliacum accepta redissent. Centum ex mancipiis tantum libertate tunc donavit. Nam alias diversis locis ac temporibus innumera sunt, quæ emancipavit. Quamplures autem ex ipsis amore ejus perstricti libertatem recusantes, permanere magis in servitute ejus maluerunt. Quo facto pervideri potest, quam dulce dominium in eos exercuerit, quandoquidem suæ libertati servitutem illius præferre maluerunt. Monebatur autem a quibusdam suis, quatenus de familia, quæ sibimet affatim superabundabat, majorem multitudinem jugo servitutis absolveret. Quibus ait : Justum, inquit, est, ut lex mundialis in hoc observetur, et ideo numerum in eadem lege præstitutum prætergredi non debere. Quod ad hoc sit commemoratum, ut hinc pateat quantopere divinis præceptis adhæserat : quando etiam legalibus ita se submiserit, et humanis.

V. Intrante vero jam suæ migrationis tempore, morabatur apud Cezerviacum (114) quamdam sui juris ecclesiam, quæ in honorem sancti Cirici consecrata est. Cum quidem plus solito compunctus profundius suspirabat, ita ut satis pateret quod desiderium cordis ejus alio tenderet, consolationemque in præsenti nequaquam haberet. Inter suspiria vero lacrymis suffundebatur, et erectis in cœlum subinde visibus orabat, ut ab hoc sæculo liberaretur, sæpius repetens atque dicens : *Subvenite, sancti Dei.* Hoc namque verbum semper ori ejus familiare fuerat : hoc ad eventum cujuslibet subiti casus inclamare solebat. Non multum vero post vitalis vigor cœpit spasmo quodam intabescere, artuumque vires ac totius corporis harmonia paulatim dissolvi. Dissolutionem igitur sui jam instare cognoscens Amblardum episcopum (115) jubet evocari, ut ejus transitum suis orationibus muniret, ovemque paradisi pascua repetentem, pastori omnium Christo pastor consignaret. Interim vero cuncta quæ vel funeris causa, vel remanentium necessitas poposcisset, sano sensu et integra memoria disponit. Cum subito velox fama rumorem circumquaque disparserat, quod vir Domini Geraldus ad transitum propinquaret, accucurrerunt omnes veluti commune dispendium lugentes, clericorum ac monachorum turbæ nobilibus viris admistæ, catervæ pauperum, et pagensium plebes, lugentibus istis aliorum fletus incitabantur. Inter singultus vero et lacrymas erumpentes, quasi querimoniam facientes unusquisque de ejus pietate, de charitate, de cura pauperum, de tuitione impotentium, plangoris voces ingeminabant. Flentes igitur isti dicebant : O quale solatium mundus amittit ! Illi vero : O Geralde, qui merito bonus vocaris, quis jam erit, sicut tu, sustentator indigentium ? Quis nutritor pupillorum, vel defensor viduarum ? quis dolentium consolator ? Certe quis potentiæ tuæ culmen ita pauperibus inclinabit ? Vel quis, sicut tu, singulorum necessitates perpendet, aut expediet ? Indulgentissime pater, quam blandus, quam suavis semper fuisti ! Cunctorum gratiam hau-

(113) *Tanta pignora sanctorum.* Id est reliquiæ, chymilia. Gregorius Turonensis passim. Odo ipse infra, lib. IV, cap. 8 et 12, et alii.

(114) *Apud Cezerniacum.* Gallice, *Cézeinac.*

(115) *Amblardum episcopum.* Claromontensem, ordine quadragesimus tertius, quem tabula fundationis Cluniacensis monasterii, quibus subscripsit an. 910, et Catal. Eccles. Clarom. Adalardum vocant.

riebas, ignotorum etiam affectus fama tantæ bonitatis ad te traxeras. Hæc et hujusmodi, quæ dolorum vis inter singultus exaggerare solet, tam luctuosis planctibus inundabant, ut putares quod illæ lacrymæ nunquam possent cessare. Ita per singulos dies agebatur, donec ad ipsum vocationis ejus terminum veniretur. At vero ille morem suum, nec in fine poterat deserere, quin singulis accipere volentibus omne stipendium dari juberet.

VI. Vere beatum et felicem dixerim, qui talis fuit, ut charitatem suis operibus debitam non reliquerit in terris, et in charitate sanctorum receptus sit in cœlis. Vere felix, qui licet potentia sæculari sublimis esset, nullum tamen læsit, nullum oppressit, nec aliquis vel parvam querelam adversus eum reclamavit. Nam si Nathanel vere Israelita vocatur, eo quod dolus in eo non fuerit, jure et hunc Israelitam dixerim, quem auris audiens beatificat, et cui, ad exemplum beati Job, oculus videns testimonium reddit. Cum igitur omnes una lugerent, solus ille perstabat lætabundus. Quippe qui noverat, quod sperantibus in Domino meridianus fulgor in vesperum consurget, et dum dederit eis somnum, hæc est hæreditas. Quamvis ergo pro mortali conditione caro forte timeret, tamen spiritus in aspectu gloriæ defixus exultabat, utpote qui spem diu desideratam se jam in re percipere confidebat. Nam, ut scriptum est, quia justus in morte sua confidit, putares illum in eadem spe confixum, et nullatenus mortem timere. Lætabundus itaque videbatur, cum nec quidem parum aliquid fateretur, in quo pavere se vel tenuiter demonstraret. Per omne vero sui langoris tempus, ita fatiscentes ad divinum obsequium impellebat artus, ut nec unum quidem nocturnale officium, nisi in ecclesia pateretur celebrare; missam vero unam diei competentem, et alteram pro defunctis coram altari positus audiret. Sane cum membris jam nimis rigescentibus, gressum per se ned sustentatus quidem progredi potuisset, adhuc tamen spiritus in sui fervore perdurans cogebat, ut corpusculum manibus bajulorum portaretur in oratorium: nimirum, ut boni operis tunicam usque ad talum extendens, virtutis suæ laudem in fine cecinisset.

VII. Sexta namque feria dilucescente die, ingravescere se sentiens, jussit ut nocturnale coram se capellani peregissent, episcopo cum suis in ecclesia illud celebrante; cum psallentibus autem et ipse psallebat, donec post matutinale officium, omnes etiam horas diei compleret. Tum vero completorium finiens, signo se sanctæ crucis armavit, et subjunxit illud verbum quod ei semper familiare fuit, dicens: *Subvenite, sancti Dei.* Hoc in ultimo locutus, oculos tacens clausit. Videntes vero qui aderant, quod loqui cessaret, episcopum advocarunt. (116) Sancta quoque membra illius in cilicio posuerunt, cæterisque pro exitu psallentibus quidam de sacerdotibus missam concitus celebravit, atque sacrosanctum mysterium attulit. Cum vero quidam dicerent quod jam discessisset, ille sensum adhuc retinens, oculos aperuit, et hoc judicio nondum se discessisse, monstravit. Tum vero Dominicum corpus quod exspectabat, suas ponte suscepit, et ita felix illa anima ad cœlos migravit. Et
B velut ipso feriarum numero sui causam insinuans, bonum opus, quod ad senarium pertinet, bene consummasse, et ad verum Sabbatum, quod est requies, se transmigrasse monstravit. Et ille quidem quod cupiebat, ut credimus, jam videt; quod speravit jam tenet. Multis tamen non modicum dolorem dereliquit. Nam licet ipse mœror quadam dulcedine respersus esset, pro eo quod scirent, quia talis fuit, ut de illo magis gaudendum, quam lugendum; clamore tamen ingenti plangebant, quod ejus contubernio privarentur, cujus similem vultum non se videre sperarent. Illi humanitatis causa tristabantur, sed angeli, ut credimus, lætabantur. Nam si coram eisdem angelis gaudium est super uno peccatore qui pœnitentiam agit, quanto magis
C super hoc homine justo, qui inter opera virtutum consenuit? Sed gaudium Domini sui, quo ab eisdem angelis exceptus est, fides contemplatur; oculis vero corporeis interim latet, qui videbant quidem cadaver, quod exsolverat debitum mortis, et nondum apparebat quantum anima glorificaretur in cœlis. (117) Moritur ergo Geraldus, sed juxta illud Davidicum, nequaquam ut ignavi solent, quoniam inter sanctos sors illius est. Et si persolvit illud Psalmistæ: *Vos autem sicut homines moriemini* (*Psal.* LXXXI, 7), tamen ad eum pertinet hoc quod ibi præmittitur: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Testatur evangelista: *Filii Dei sumus, sed nondum apparet quid erimus* (*Joan.* IX, 2). Felix itaque
D Geraldus qui separavit pretiosum a vili. Postquam enim gustavit quam dulcis est Dominus, nequaquam hujus vitæ delectamentis, ad ejusdem Domini contemptum se submisit. Sed hanc vitam, quæ reprobis pretiosa est, vilem sibi deputavit, et mortem, quæ illis pessima est, pretiosam

(116) *Sancta quoque membra in cilicio posuerunt.* Vetus Christianorum, et maxime clericorum ac monachorum mos, in cilicio et cinere mori. Vita sancti Arigii Wapincensis episcopi: « Nudato corpore ante altare sancti Eusebii in cinere et cilicio jacens viaticum corporis et sanguinis Christi de manu Ysicii episcopi et Dicontii presbyteri cum accepisset, ait: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia jam video tempus resolutionis meæ.» Et Petrus Venerabilis lib. I Miracul., cap. 4: « Cunque sicut mos Christianorum est, et maxime monachorum, in substrato cicilio et cinere a fratribus compositus jaceret, atque horam vocationis suæ exspectaret. »

(117) *Moritur ergo Geraldus.* Anno scilicet Christi 907, qui fuit Fulberti II abbatis Lemovic. VI sextus. Sic enim auctor Chronologiæ Lemovic, abbatum: « Sextus, inquit, abbas Fulbertus præfuit annis XX. Hujus sexto anno sanctus Geraldus apud Aureliacum obiit III Idus Octobris » Nec ignoro tamen hoc non convenire cum Chronico Lemovicensi, quod sic ait: « Anno Domini 917 sanctus Geraldus genere, vita et miraculis celebris, obiit. » Sed discordiam adnotasse sufficit. »

invenit. Vere beatus cujus dies in dolore, et anni in gemitu transierunt: quia jam expertus est quam magna multitudo dulcedinis, quam Deus abscondit timentibus se. Qui etiam in conspectu filiorum hominum, hanc aliquatenus per singula signa demonstrat. O quanta diversitas est inter illum, et vedios, id est male divites! Huic enim lacrymæ suæ fuerunt panes, et potum accepit in lacrymis et mensura. Illi vero ducunt in bonis dies suos, et habent consolationem suam, juxta illud evangelicum, in præsenti. Sed enim iste jam in voce exultationis, transiit in locum tabernaculi Dei. De illis dicitur, quod in puncto ad inferna descendunt. Cæterum si de ejus exteriori conversatione quisquam dignum aliquid referre posset, delectationes tamen, quæ in dextera Domini repleverunt eum usque in finem, nullus nostrum non dico verbis explicare, sed nec sensu quidem attingere valet, nisi forte quilibet in seipso sentiscit, quid est delectare in salutare Dei.

VIII. Porro autem quia Deus mirabilis est in sanctis suis, in quibus eum laudare jubemur, dicente Scriptura: *Laudate Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL, 1), idcirco, o beate Geralde, quales possumus referimus illi pro te. Laudantes eum quod elegit te, et quod justificavit te; quod misericordiam suam mirificavit in te, quod per vias rectas deduxit te, quod fructum tui operis inveniri fecit ipse, et postremo, quod usque in senectam et senium non dereliquit te, et quod majus est, quia inter filios Dei computavit te, et insuper in oculis omnium glorificat te. At vero quia sanctos decet laudatio, ad laudem illius laudamus etiam te, quia scilicet juxta Jeremiam, jugum Christi ab adolescentia portasti, quia gratiam vocationis ejus non recepisti [*f*, sprevisti], quia commutationem pro anima tua non dedisti, quia salutem ejus in vacuum non accepisti, quia intima tua, quæ de amore Christi conceperas, non projecisti, quia tentationis tempore non recessisti, quia in externa præsentis vitæ gaudia te non effudisti, quia bonum faciendo non defecisti. Verum tamen tu, Domine Deus, tu per ipsum nostræ præsumptioni ignosce. Nam in hac relatione excessum formidamus, quoniam id tentavimus, ad quod agendum nullatenus idonei sumus. Quia licet ille dignus sit laude, in quo tu laudaris; nos tamen, Domine, ad hanc referendam indigni sumus, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Sancti ergo tui, ut scriptum est, benedicant te, et opera tua confiteantur tibi. Sed quoniam imperfectum Ecclesiæ vident oculi tui, et lapides terræ ejus miserebuntur, precamur ut hi, qui pro soliditate morum lapides vocantur, nobis, qui merito nostræ pravitatis terra sumus, subvenire dignentur: ut nos qui non habemus indumentum justitiæ, lapides amplectamur, ut eorum meritis nostram nuditatem contegere possimus. Hic ergo famulus tuus affectum miserendi, quem eidem charitas tua invisceravit, in nos dirigat, et de illa sempiterna Capitolii curia, qua jam inter consules cœli residet, in hac convalle lacrymarum quam evasit pie respiciat; singulorum preces exaudiat, omniumque necessitates apud te expediat, præstante Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, qui tecum, cum Spiritu sancto, vivit et gloriatur Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IX. Velociter sane, sicut de excellenti persona fieri solet, transitus ejus circumquaque personuit. Cum quidem incredibilis hominum multitudo mox undique secus irruere cœpit, examina nobilium virorum, innumeræ catervæ pagensium atque egenorum, plures monachi, et agmina sacerdotum. Quem universi germano quodam et dulcissimo affectu plangebant, et nescio quo divino instinctu compunctius atque suavius eum lugebant: ob hoc videlicet quod illum Deo placuisse non ignorabant.

(118) X. Cum igitur esset ex more nudatus ad lavandum, Ragambertus, et alii ministri qui id agebant, manus utrasque pectori ejus applicuerunt, cum subito dextrum brachium ipsius extensum est, et ita genitalibus membris manus ejus applicata, ut eadem membra sub volam concluderet. Quod illi quidem casu contigisse putantes, manum ipsam ad pectus denuo inflixerunt. Sed iterum, sicut prius, extensa est, et ad sexum contegendum sese aptavit. At illi stupere jam cœperunt, sed rem diligentius scire volentes, adhuc tertio brachium reflectunt, manumque super pectus ad alteram reducunt. Quæ protinus summa velocitate prædicta membra, sicut prius repetiit, et obtexit. Polinctores autem admiratione simul et pavore perculsi, jam tunc animadverterunt, quod hoc absque vi divina nullatenus accidisset. Fortassis enim per hoc cœlitus monstrabatur, quod ad castitatis pudorem conservandum semper illa caro vivens verecundata fit. Corpusculum itaque festinanter operuerunt. Postea vero quam indumenium accepit, nullatenus uspiam sese manus illa extendit.

XI. Sui autem, quamplurimis comitantibus turbis, corpus illud sanctum ad Aureliacum, sicut ipse jusserat, detulerunt, et in aristonem lapidem, (119) ad

(118) *Cum igitur ex more nudatus ad lavandum.* Mos et hic vetus nudandorum ac abluendorum post mortem corporum. Petrus Venerabilis lib. II Mirac., cap. 23, ubi de exsequiis et tumulatione Matthæi Albanensis episcopi: « Fertur statim justi corpus a devotis viris in claustrum monachorum, et Cluniacensi more psalmodia undique decantatur. Abluitur, ut se habet communis mos, et secundum quod ipse jusserat, suo, quo nunquam a monacho caruerat, cilicio prius, dehinc monachali cuculla vestitur.» Et Radulphus monachus Cluniacensis in Vita ipsius Petri Venerabilis: « Defertur sancti Patris corpus ad locum ubi corpora mortuorum lavabantur: et ibi vestimentis nudatus, glorificati hominis gratia cunctis videntibus et stupentibus apparebat. »

(119) *Ad sinistram basilicæ ipsius juxta aram S. Petri.* Chronicon Lemovicense: « Sanctus Geraldus obiit, et in monasterio Aureliacensi, quod in honore sancti Petri ædificaverat, sepelitur. » Et Chronolog. abbatum sancti Martialis: « Sepultus in monasterio Petri apostoli, quod ipse ædificaverat.»

sinistram scilicet basilicæ ipsius collocaverunt, A juxta aram sancti Petri, ita ut sepulcrum ejus habeatur in dextro, et ipsum nihilominus in dextrorsum. Sed jam libellum hunc terminemus, ne forte cum rusticitate, tum etiam prolixitate displiceat. Si quid autem in eo lectorem oblectaverit, meritis domni Geraldi præstitum censeat. Hoc vero quod displicuerit, inertiæ meæ deputabit, tamen miserendi occasionem reperiet. Et ob id suppliciter obsecro, et considerans quod hoc agere jussus præsumpsi, mihi a judice cordium deprecetur.

XII. Beato quidem Geraldo satis suffecerat, quod ille testis fidelis, qui in cælis est, et cui semper placere studuit, hunc apud se in illa paradisiaca regione remunerat; sed tamen quanta sit gloria, quam intus possidet, isdem testis Christus foris B manifestare dignatur. Scriptum namque est, quia Deus instaurat testes suos contra nos. Quisquis enim præcepta illius custodit, testis ejus contra nos est, quod possumus quidem servare eadem præcepta sicut ille, sed nolumus. Nam ut de meis similibus dicam, cuncta jam piorum dicta legere fastidimus, exempla quoque imitari negligimus, cum tamen aut otiosis, aut sæcularibus verbis infatigabiliter occupemur. Sed hoc agentes, de illis nos probamus esse, quos apostolica vox notat, dicens: *A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV, 4). Ad hanc ergo inertiam vel cætera portenta vitiorum, aliquatenus reprimendam, dispositor sæculorum Christus, hunc testem suum contra nos instaurat, quem et multis miraculis coram nos illustrat, ut quia oculos ad consideranda, ut dictum est, piorum exempla clausimus, vel ad splendorem hujus hominis tanquam de prope coruscantem respiciamus. Si quidem ille divina præcepta nostro tempore custodivit. Sed quia mortuus cito recedit a corde, protinus hoc oblivioni tradimus, et non recogitantes mercedem, quæ sanctis ejus operibus restat, ad hæc imitanda male torpescimus. Ob hoc itaque miracula, quæ forte ad tempus fiunt operari dignatur, quatenus vel sic gloriam quam intus habet, intelligamus, et ad opera quibus ab eamdem gloriam provectus est, tanquam recens edita mentis aciem intendamus, et ad hæc imitanda convalescere studeamus. Sed jam de iisdem miraculis qua rationi congruerint, Deo juvante, referamus.

# LIBER QUARTUS.

I. Dominica igitur post transitum ejus insecuta, C multis, ut diximus, comitantibus turbis, ad Aureliacum delatus est. Cum igitur psallentium chori circa feretrum pernoctarent, quidam vir nobilis nomine Gibbo, filiam, quam caducus morbus obsederat, subtus eodem feretro collocavit, quæ postea nihil infirmitatis illius passa est. Jam quippe materfamilias existit, et ipsa virtutis hujus testimonium seipsam incolumem præfert.

II. Quidam homo nomine Grimaldus in villa manens, per somnium vidit quod operculum sarcophagi ejus avellere conaretur. Qui expergefactus, a cubitis et deinceps, brachia cum manibus ita repetit arefacta, ut nihil ex his operari posset. Sic per quindecim ferme dies manens debilitatus, ad sepulcrum supplicaturus venit, ac protinus D sanitatem recepit.

III. Ancilla cujusdam viri Lamberti lunatica per somnium monita est, ut ad ejus sepulcrum supplicatura veniret. Quod illa domino suo indicavit. Ille vero timens ne illusio et ridiculum esset, si visionem virtutis effectus minime sequeretur, prohibuit eam. Illa dehinc secundo, ac tertio nihilominus per visionem monita, prædictum dominum suum rogabat, ut eam illuc ire permitteret. Quod ille jam concessit. Ivit ergo mulier, et ante sepulcrum vigilans, pleniter sana recessit.

IV. Interea plateola quædam herbida, in modum rotæ per gyrum rotunda, ante cryptam apparuit. Quæ cum esset herbis referta, per gyrum tamen tellus nuda et pulvestris erat. Hi ergo qui per cæmeterium transibant, cum vidissent plateolam illam, et sulcum pulvereum, qui hanc ambiebat, mirabantur, scientes quod nec homo, nec bestia calcando sulcum illum detriverit. Aliquando vero permansit, et postea disparuit. Sequenti autem æstate similiter ibidem visa est, sed multo jam latior. Habebat autem lembum circa se detritum, ut prius, et pulvereum. Tertia itidem æstate rota similiter herbida, et quasi calle pulvereo circumcincta apparuit, sed multo jam diffusior. Ac deinceps per annos plures in antea se paulatim spargens, extendi videbatur. Qui vero causam diligentius retractabant, prodigium aliquod esse credebant, conjicientes quod rota viridis famam beati Geraldi viriditate virtutis plenam fortasse figuraverit. Que fama per populos, qui ariditate bonorum operum steriles sunt, quos pulvereus circulus significaret, subinde se spargit et illos exemplo suo quasi fecundat; dum pro ejus amore gratam peregrinationem et laborem suscipiunt, dum et munera offerunt, et nonnulli melioratis moribus redeunt: sicut rota illa in antea se extendens ariditatem pulverei circuli ex parte replebat. Utrum vero hoc significaverit, rerum dispositor novit. Certum est tamen quod nihil in terra sine causa fit.

V. Quidam bonæ opinionis clericus civitate Rotenus degit. Hic, si somnio fides adhibenda est, vi-

sionem vidit ita continentem : Erat quasi altus locus, ubi splendor ingens fulgebat. Ad quem splendorem per quatuor gradus ascendebatur. Ante primum vero gradum erat quasi antepodium de ferro. Secundus gradus habebat antepodium æreum. Tertius argenteum. Quartus aureum. In primo itaque gradu vidit advenire duos viros splendidissimos vultu et habitu. Quos alii duo sequebantur, qui inter se tertium per manus ducebant. Dictum est autem clerico qui hoc videbat, quod illi duo primi essent sanctus Paulus, et sanctus Martialis : alii duo qui sequebantur, sanctus Petrus et sanctus Andreas. Si quidem tertium quem ducebant, sanctum esse Geraldum. Quem scilicet clericus ille in hac vita manentem minime cognovit. Sed dum postea referret, quali eum statura, vel facie vidisset, illi, qui eum noverant, speciem recognoverunt. Cum ergo venissent ad primum gradum, psallebant quasi psalmum. Post quem sanctus Petrus collectam dixit. Quam completam, responderunt : Amen. Ita fecerunt secundo, tertio atque quarto. Cæteris autem stantibus, beatus Petrus usque ad locum prædicti splendoris pertetendit. Et prostratus in terra, aliquantisper adorans, jacuit. Tunc surrexit, et usque tertio se prostravit. Deinde vox quasi de illo splendore respondens, requirit quid vellet. At ille : Domine, inquit, pro servo tuo Geraldo misericordiam tuam deprecor. Et tunc nescio quis, veluti codicem tenens, quasi vitam illius recitabat. Cumque aliquandiu legeret, hoc tantummodo clericus intelligere valuit : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus* : *et facere mala, et non fecit* (*Eccli.* XXXI, 10). Tunc ad eum vox : Fac, inquit, de eo quod vis. Et protulit quasi sceptrum dans illi, per quod haberet potestatem exaltandi eum. Clericus vero vocem dantis audivit, sed non nisi sceptrum vidit. Tum vero beatus Petrus ad eos, qui se exspectabant, gaudens rediit. Sane ad locum, ubi stabant, apparuit quasi clivosus ascensus in cœlum usque porrectus. Beatus autem Petrus dilectum Dei Geraldum manu tenens, et per gradus illos ascendere incipiens, excelsa voce, *Te Deum laudamus*, exclamavit. Et ita psallentes cœlum cum eo petierunt. Siquidem hanc secutum est visibiliter aliud de ejus sepulcro signum.

VI. Septimo postquam migraverat anno, sarcophagus, qui usque medium cooperculi terra contusa, calcibus fuerat contectus, sensim eminere super eamdem terram cœpit. Nec tamen terra, quæ erat in gyro, aut elevari, aut deprimi visa est. Incolæ tamen necdum hoc animadvertebant. Cum interea quidam clericus de Lemovicensi pago veniens, interrogabat monachos, utrum sarcophagus domni Geraldi sursum adhuc emersisset. Et subjunxit quod admonitus per somnium fuerit, ut ad ejus tumulum veniret, quoniam ejus sarcophagus jam apparare cœpisset. Tum vero monachi cum ipso pergentes ad tumulum, et linteum desuper evellentes, ita repererunt, ut clericus dormiens viderat. Et tunc quidem aliquantulum eminebat. Jam vero non puram altior videtur. Quisquis autem hoc dignoscit, virtutem aliquam esse divinam ignorare nequit. Ex hoc igitur miracula crebro fieri cœperunt.

VII. Circumcisionis Dominicæ solemnitas advenerat, cum vassus quidam nomine Adraldus focum caragiorum tota nocte in domo sua fieri præcepit. Intempesta autem ipsius noctis hora, dæmones super faucum custodes irruerunt. Quibus ita damnati sunt, ut unum occiderent, alternum, debilitatis membris corporea salute privarent. Qui postea mendicando vitam exigens, ad Aureliacum deportatus est. Quo dum per aliquot dies victitaret, quidam violenti homines præsumptionem faciebant contra potestatem loci ipsius. Qua de causa monachi signa sonare, atque litaniis insistere cœperunt. Tunc ille contractus supplicabat, ut hi, qui circumstabant, hunc ad sepulcrum domni Geraldi deferrent. Quod cum illi fecissent, orabat ut sibi subvenire dignaretur. Qui post modicum sanus surrexit, et redintegratis membris, omnibus denuo in momento convaluit. Ex hoc jam cœperunt miracula subinde patrari virtutumque ejus opinio certius atque diffusius resonare. De quibus si forte quis dubitet, quoniam sæpius eadem in infirmis repetuntur, potest visu probare, per quod præteritorum fides sumat. Quæ autem in iis qui variis langoribus opprimuntur, divina dignatio sæpius iterare dignatur, hoc propter prolixitatem prætermissimus. Quædam tamen ad gloriam ejusdem beati viri commendandam perstrinximus, ne inconsulte ea transilisse videamur.

VIII. Constat autem quod idem sanctus vir, dum adviveret, multas sanctorum reliquias ad Aureliacum advexit. Quippe, ut superius dictum est, istius causæ studiosissimus fuerit, et ad impetrandum quod vellet, non parvam gratiam a Deo habuerit. Inter cætera denique sanctorum chymilia, quæ illic habentur, est quoddam lignum Domini, cui talis virtus inesse frequenti experimento dignoscitur, ut si quis illud equitando portet, equus in brevi moriatur ; aut si perjurium forte quis fecerit, emptilentisus [epilepticus] fiet. Non pauci etenim jam propter hoc peccatum caduci facti sunt. Incolæ autem regionis illius mores valde ferinos habere solebant, sed aliquantulum exemplo vel reverentia sancti hominis esse mitiores videntur. (120) Cum

(120) *Cum fœdus aut aliquod grande juramentum.* Super sanctorum reliquias amicitiam, fidelitatem, innocentiam, sive quidvis aliud jurare frequentissimum apud antiquos. Aymonius lib. IV, cap. 64 : « Fidelitatemque tam ipsi regi Pippino, quam filiis ejus Carolo et Carlomanno jurejurando supra corpus sancti Dionysii promisit. » Appendix ad Gregorium Turon. cap. 54 : « Godinus jussu Clotarii præcipua loca sanctorum, domini Medardi Suessionæ et domini Dionysii Parisios ea præventione sacramenta daturus adduceretur, ut semper deberet Clotario esse fidelis. » Et postea : « Chramnulfus, unus ex proceribus, et Valdebertus domesticus dixerunt ad Godinum, ut Aurelianis in ecclesia S. Aniani, et Turonis ad limina. S. Martini ipsum sacramentum adhuc impleturus adiret. » Videndus ipse Gregorius Turon. lib. IV Histor., cap. 46 ; lib. V, cap. 23, et lib. I Miracul., cap. 54.

autem fœdus, aut aliquod grande juramentum jure decernunt, per quemlibet monachum, aut clericum, qui tamen pedester incedat, deferri sibi faciunt.

IX. Quidam sane de beati Geraldi gloria temere disputantes asserunt, quod ista curationum gratia, non meritis ejus, sed istarum virtutibus reliquiarum conferatur. At nos causam diligentius considerantes, id credimus, quod ita per sancta illa pignora sanitatem beneficia tribuuntur, ut virtus quoque beati Geraldi cooperatrix non negetur. Nam hoc ipsa qualitas accidentium rerum credi suadet, quoniam ipse solet infirmis per visum apparere, et maxime ante ejus tumulum sanitatis beneficium conferre. Ut est de filio Joannis videlicet Arvennensis [Arvernensis] vicecomitis, quem mutum et surdum, una manu contractum ibidem detulit. Ante sepulcrum namque prosternens sese in orationem dedit. Nocte jam mediante, sanguis ab ejus auribus erupit, manusque illius directa est, quam circa collum patris sanam expandit, et primam vocem emittens, panem ab eo quæsivit. At ille gratias agens pro filio, totam ecclesiam clamore complevit, et quemdam sui juris alodum ad sanctum sepulcrum tradidit. Sane de isto nominatim commemoramus, pro eo quod miraculum in excellenti persona patratum, ad multorum notitiam pervenit. Dissimilia autem vel diversa alterius generis, primo quidem ab incolis notabantur, sed cum numerus immensus cresceret, omissa est cura numerandi.

X. In Aureliaco oppido ante fores ecclesiæ erat epistilium, ex quo ille ascendere equum solebat. Quod videlicet cum infirmi ob ejus amorem deosculantur, solent recipere sanitatem. Ob quam etiam causam nunc est ab incolis intra ecclesiam transpositum et in modum altaris palla coopertum. Non longe ab oppido quod rustici Mulsedonum dicunt, prædictus vir Dei casam habuerat. Porro oppidani mutuo condixerunt, ut mensam ejus, quæ in prædicta casa adhuc erat, sibi ad reficiendum deferrent. Quod et fecerunt. Casa vero ad frontem cujusdam domus, hinc portitores projecerunt. Cum super eam quidam, veniente meridie, dormire vellet, subito cæcus et amens effectus est. Deinde cum etiam canis eamdem mensam calcaret, omnibus membris statim diriguit. Necdum tamen illis advertentibus quidnam esset, alius itidem super hanc se projecit, sed et ipse protinus cæcatus est. Tandem intelligentes, quin ob tabulam sancti viri frequenti ejus refectione consecratam ista pertulerint; hanc ad Ecclesiam beati Martini quæ prope est, linteo contectam deportaverunt. Quæ nunc usque domatis ibidem suspensa comparet. Ad aliam ejus mensam quæ erat in villa Vaxia, quidam presbyter cum vicinis ad convivium venerat. Cumque sicut fieri A solet, inter epulas gannirent, et verba ridicula vicissim immiscerent, subito pavor ingens ita omnes perculit, ut statim intermittentes scurrilitatem, ad alium locum comesuri secederent. Mensam vero deportaverunt ad illud oratorium, quod factum est in quodam loco, ubi feretrum portatores deposuerunt, ad mutandum pallium. Quo videlicet loco pecora circumquaque vagantia, cum forte spatiolum illud ubi feretrum, sicut diximus, positum fuerat, pascendo contigissent, protinus tormentari incipiebant, et nonnulla moriebantur. Incolæ vero per id quod animalibus acciderat, causam intelligentes, ibidem prædictum oratorium construxerunt. Quo dehinc certum est, quod plerique infirmi sanitatem sunt adepti. Præterea mirum quiddam B et pene incredibile contigit, nisi quia usu probatur. Nam fonticula ex tunc in eodem loco subbullit, quæ viantibus ad potum sufficiat.

XI. (121) Rainaldus, quem vir Domini suspectum habens, juramento, sicut superius dictum est, adhuc vivens constrinxerat, illius juramenti fidem rupit, et familiæ, quam cœnobio delegaverat, nimis erat cum suis infestus. Singuli autem, inter prædationes, quas patiebantur, nomen domni Geraldi inclamare solebant. Quadam autem nocte visum est ipsi Rainaldo, quod virum Dei sibi astantem cerneret. Qui cum juramenti fidem ab eo requireret, simul admonuit, ut familiam vexare de cætero cessaret. Excitatus ille indicavit conjugi visionem. Quem et illa suadebat, ut vel commoni- C tus juramentum servaret. Et ille compunctus ad horam suis idem retulit, præcipiens, sed ignaviter, ut familiam non inquietarent. Sed illi post paululum ad consuetam rapacitatem redierunt. Nec Rainaldus obsistebat, quia pronus erat ad malum, Et quamvis sanguine esset sancto viro propinquus, tamen ab ejus pietate longe erat alienus. Tum itidem sanctus vir eidem minans apparuit, et quæ bona sibi fecisset, pro quibus ille mala reddebat, furibundus exprobravit, atque percutiens eum in capite, e vicino mortem sibi secuturam comminatus est.

XII. In provincia, quæ Alamannia vocatur, nobilis homo erat obsessus a dæmonibus. Parentes vero, et milites sui per multa pignora sanctorum ducebant eum, ut saltem per eorum intercessio- D nem divina gratia liberasset. Sed distributor omnium bonorum, qui electum suum glorificare disposuit hanc virtutem ei reservavit. Nomen vero beati viri in ipsa provincia necdum auditum erat. Prædicti autem parentes dum eum ducerent ante corpora sanctorum, dæmones sæpius clamabant, de ejus corpore se minime exire, nisi per intercessionem beati Geraldi. Tum iidem parentes dæmoniaci huc illucque discurrebant, si vel provinciam audissent, in qua beatus Geraldus esset. Et nescio aut Romei, aut quilibet peregrinus

(121) *Rainaldus*. Nepos sancti Geraldi, de quo nos supra. Quod et ipse sanctus Odo statim post indicat his verbis : « Et quamvis sanguine esset sancto viro propinquus, tamen ab ejus pietate longe erat alienus. »

indicavit eis provinciam et locum. Qui festine ad A Aureliacum venerunt. Mox ut venit ante sepulcrum, clamare cœperunt dæmones per eum obsessum : O Geralde, inquit, utquid illudis nos ? Utquid ardemus tua virtute ? Qui mox cecidit in terram, et evomuit eos una cum sanguine. Ex illa hora, et deinceps, incolumis mansit.

---

# VITÆ SANCTI GERALDI

## COMPENDIUM.

(Apud Mabill. Acta SS. ord. S. Bened., sæc. v, pag. 6).

1. *Geraldus in Ordinem S. Benedicti munificus.* B — Etsi vitam monasticam Geraldus nunquam amplexus sit, tanta tamen ei debet, cui plurimum semper addictus fuit, religio Benedictina, ut inter ordinis nostri sanctos viros locum merito obtineat. Illius acta ab Odone Cluniacensi abbate quatuor libris conscripta hic repræsentare non est necessarium, tum quia in Bibliotheca Cluniacensi jam edita ac notis illustrata sint ; tum quod ea quæ ad res monasticas pertinent, inde delibare ac colligere sufficiat. Præter hæc autem Geraldi gesta, quorum auctor Odo fuit, alia insuper ex codicibus manuscriptis Compendiensi et Conchensi nancti sumus breviora, quæ cum nihil ab Odonis fetu diversum habeant, illa etiam omittere satius duximus, quam scriptionibus inutilibus tomum hunc onerare. Id unum monuisse satis fuerit, duo ultima capita Vitæ sancti Geraldi ab Odone compositæ, quæ in Bibliotheca Cluniacensi desiderantur, ex codice ms. Cisterciensi per bonæ memoriæ C Joannem Lannoyum Cisterciensem monachum ad nos transmissa esse, quibus, absque auctoris nomine, annectitur sermo in laudem beati Geraldi exaratus, et in octo lectiones, ut ad matutinum legi solent, divisus.

2. *Ejus genus et ætas.* — Geraldi genus ex alto regum sanguine per Cæsarium Arelatensem episcopum et Aredium abbatem deducit Odo Cluniacensis; alii per Mathildem filiam Pippini Aquitaniæ regis, quam Mathildem Geraldi aviam fuisse putant. Ut ut sit, patre Geraldo Auriliaci comite (sic comites quandoque vocabant toparchas illustres) matre Adaltrude, clarissimis ac ditissimis parentibus, Geraldum natum constat, et quidem anno Christi 855, ut colligitur ex Ademaro Cabanensi in abbatibus sancti Martialis Lemovicensis : quo eodem anno idem chronographus Belli Loci cœnobium a Radulfo Bituricensi episcopo erectum, ac clericos sancti Martialis ex canonicis monachos D omnes effectos fuisse commemorat.

3. *Charitas in pauperes, jejunia.* — Traditam a parentibus piam institutionem summis semper virtutibus Geraldus excoluit. Hinc pro sua in pauperes charitate, « semper sedilia iis coram se parabantur, et aliquoties mensæ apponebantur, ut per seipsum videret quid vel quantum ad refectionem eis daretur. Nullus vero unquam ab ostio sine datu eleemosynæ excludebatur. Quin ministri procurabant, ut ad manum semper haberet fercula, quæ ipse eis daret. Potus quoque afferebatur, quem inspectum ac prægustatum transmittebat, ut ipsi primo biberent. Quibus et sui panis medietatem dabat, in his utique Christum se suscipere credens. » Dumque tanta sollicitudine egenis necessaria subministrare satagebat, ipse « tribus feriis in hebdomada, ex omni tempore quod abstinentiæ dicatum est, a carnibus abstinebat. Si tamen in iisdem feriis festivitas annualis evenisset, abstinentiam ita solvebat, ut in qualibet absoluta feria, ad vicem illius quam solverat, itidem abstineret, cum et unum pauperem extra solitos, obtentu illius festivitatis reficeret. Sin vero jejunium die Dominica evenisset, nequaquam illud solvebat, nec sub hac occasione præteribat, sed præcedenti sabbato jejunii solemnitatem persolvebat. » Hanc consuetudinem adeo religiosam, Dominicæ jejunium in diem præcedentem transponendi, a singularitatis nota defendit hic sanctus Odo : nec dubium quin ejus observantia a Geraldo aliisque sanctis viris invecta, institutioni quæ hodieque viget, occasionem dederit.

4. *Vestium modestia.* — Charitatem in pauperes fovebat augebatque paupertatis amor ac elegantioris cultus contemptus. « Vestibus laneis aut lineis, inquit Odo, non isto modo, quo nunc a filiis Belial præsumptum et excogitatum est, sed antiquo more semper usus est, ita duntaxat confectis, ut nec affectatam pompam redolerent, nec plebeia rusticitate notarentur : sericatis vero vel pretiosis nec obtentu cujuslibet festivitatis, nec alicujus præsentia marchionis plus solito se comere statuit. » Nec tamen (quod mireris) Christiana hæc modestia viri Dei auctoritatem aliquando imminuit Quin « apud omnes qui eum noverant, tantam reverentiam obtinebat, ut quisquis eum læsisset, quasi sacrilegium fecisset, non sibi in prosperum cedere certus esset. » Hoc ipsum expertus est Adelelmus comes, ea tempestate potentissimus, qui incassum tentata Auriliacensis castri obsidione, quod « mœrore cor justi affecisset, lætatus nequaquam redire permissus, post quartumdecimum diem tam terribiliter obiit, ut omne, ubi jaceret, turbo vehementissime discooperiret. »

5. *Castitatis amor.* — Geraldi amicitiam, imo et affinitatem ambiere clarissimi quique principes, quos inter « Guillelmus dux Aquitanorum » (ut narrat Ademarus in Chronico ad annum 910) cum non haberet prolem, et sororem suam in matrimonio desideraret sancto Geraldo conjungere, nullatenus quivit. Quippe cælibem vitam Geraldus ducens, cum semper ad copulam suaderetur amore filiorum, respondit : *Utile est sine filiis mori, quam relinquere malos hæredes.* Ex hoc castitatis amore natum est summum vitæ monasticæ desiderium, quod vitæ genus licet variis impedientibus causis non susceperit, sic tamen semper animo prosecutus est, ut « si votum illius inspicias, monasticæ professionis fidem Christo per devotionem servaverit. » Præcipua ex his causis una erat, raritas proborum per id tempus monachorum. Nam « cum esset providus, considerans quia professores sublimis propositi, dum sæculi amore corrumpuntur, gravius ab alto ruunt, satius æstimavit sic stare in habitu sæculari, quam absque probatis cooperatoribus rem tam arduam attentare. »

6. *Auriliaci fundatio.* — « Postquam divino cultui sese mancipavit per omnia, ut sua quoque Domino

consecraret, Romam profectus est, et Auriliacum insigne prædium beato Petro apostolorum principi, facto solemniter testamento delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ monachis quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent : censum quoque delegavit qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur. » Est autem Auriliacus (Aurillac) oppidum, seu (ut loquitur sanctus Odo) *castrum*, apud Arvernos situm, quod quondam ad Claromontanam, nunc vero ad sancti Flori diœcesim pertinet, ubi celebre a Geraldo erectum est ejusdem nominis cœnobium. Ejus originem ad annum 894 in singulari sua de die et anno obitus et nativitatis ejusdem Geraldi dissertatione revocat vir doctus Ægidius Laccarius societatis Jesu, probabili ratione. Cum enim Geraldus privilegium a Carolo Simplice anno regni ejus VII, hoc est Christi 899, (secundum calculum Transligeranorum, qui Caroli annos ab ejus redintegratione numerabant) obtinuerit, atque hoc privilegio bona Auriliacensi B cœnobio attributa, Adelgarii ejusdem loci abbatis ac monachorum precibus confirmentur ; consequens est hoc monasterium jam ab aliquot annis ædificatum, et a monachis excultum antea fuisse.

7. *S. Geraldi testamentum.* — Sancti Geraldi testamentum, cujus meminit supra sanctus Odo, quodque Auriliacensis cœnobii primarium instrumentum est, edidit in notis ad Bibliothecam Cluniacensem Andreas Chesnius ; tametsi hic auctor subdubitat an idem prorsus sit hoc testamentum cum illo quod laudat sanctus Odo in Vita Geraldi propterea quod census ad urnam beati Petri annuatim delegati nulla in illo mentio fiat. Et certe confirmatio Geraldi testamenti a Carolo rege anno regni ejus VII facta satis probat de eo non posse intelligi, quod anno tantum regni ejus XVII, quale refertur, conditum est. Unde facile crediderim Geraldum paucis ante obitum diebus testamentum prius a se conscriptum altero posteriori, ut sæpe C factum legimus ; comprobasse et ampliasse, quod innuunt, ni fallor, hæc Odonis verba : « Spatio quo supervixit, summopere curavit ut omnes ad se pertinentes in pace dimitteret, ne forte litis occasio posset inter eos oriri. Prædia vel mancipia quæ beato Petro non delegaverat, inter quosdam propinquos ac milites, vel certe servitoribus dimisit, nonnullis tamen eo tenore, quo XI postquam obiissent, ad Auriliacum redissent. » Quæ conditiones totidem fere verbis in Gerardi testamento apud Chesnium reperiuntur.

8. *A regibus confirmatum.* — Auriliacensis cœnobii erectionem suo diplomate ratam habuit Carolus Simplex, quod diploma cum altero Ludovici Junioris ipsum recognoscentis e codice manuscripto Cantoennensi eruit Stephanotius noster : quæ duo, quia in rem nostram faciunt, hic exhibere visum est. « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus divina propitiante clementia rex. D Si erga loca sanctorum, divinis cultibus mancipata, beneficia opportuna largimur, præmium apud Deum nobis æternæ remunerationis non diffidimus rependi. Idcirco notum esse volumus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus et nostris, tam præsentibus quam futuris, quia quidam illuster vir ac dilectus comes Geraldus præsentiæ meæ sublimitatis suos dirigens legatos atque monachos, humillimis precibus per eos nostram deprecatus est celsitudinem, ut suum monasterium, quod est in pago Arvernico situm, cognomento Aureliacus, in honore apostolorum principis Petri et beati Clementis fundatum, ubi præest abbas Adelgarius una cum norma monachorum ibidem Deo famulantium, et res eidem monasterio, quas idem abbas et monachi, et ipse, rector et fundator ejusdem loci Geraldus tenuit, hoc est ecclesia sancti Petri in Exitensi, et Glinico, et Curtiniaco, cum ecclesia sancti Cyrici, cum mansis et servis, de qua ipsi monachi potestati sancti Petri Pictensis persolvant V solidos annis singulis, et Magrino in Condacense, et vineas per loca a Deum timentibus ibidem traditas, sive mansa vel omnia ad jam dictum locum pertinentia, tam in rebus, quam in mancipiis, sub immunitatis nostræ tuitione suscipere dignaremur. Cujus petitionem rectam esse cognoscentes, animæque nostræ salutem nihilominus perpendentes, libenter ei assensum præbuimus, et hanc nostram auctoritatem erga prædictum monasterium vel rectores illius sub plenissima immunitatis nostræ defensione fieri decrevimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut ipse abbas et monachi ibi degentes sine ullius judicis potestate, nisi ipsius Gerardi et sororis suæ (Avigernæ) sub nostro mundeburdo securi permaneant : et nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati cœnobii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri juste et legaliter possident, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansionaticos vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, seu homines ipsius monasterii tam ingenuos, quam alios super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat : sed liceat præfato abbati ejusque successoribus ac monachis res supra dicti monasterii sub nostræ immunitatis tuitione quieto ordine possidere, quatenus ipsis servis Dei ibidem Domino famulantibus pro nobis ac regni nostri statu omnipotentis Dei misericordiam exorare delectet jugis precibus. Ut autem hujus immunitatis atque confirmationis nostræ auctoritas majorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, et annulli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Heriveus notarius ad vicem Folconis archiepiscopi recognovit et subscripsit. Willermus comes ambasiavit. Datum IV Nonas Julii, indictione 2, anno 7, regnante Karolo serenissimo rege. Actum apud Liturnum in Dei nomine feliciter, amen. »

Ludovici VII diploma sic se habet : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. amen. Hludovicus divina propitiante clementia Francorum rex. Si erga loca sanctorum divinis cultibus mancipata beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis non diffidimus rependi. Idcirco notum esse volumus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus universis, tam præsentibus quam futuris, quod cum essemus in Arvernia in obsidione apud Nonedam castellum (Nonnette le Beau), allatum est nobis in præsentia nostri privilegium Karoli prædecessoris nostri, quod multa veneratione et auctoritate dignum æstimavimus, et ad instantiam precum Petri abbatis de Aureliaco consilio familiarium nostrorum inhærentes, quidquid in privilegio illo continebatur, et ecclesiæ de Aureliaco testimonio privilegii prædicti indultum fuerat in feudis et possessionibus universis, et omnibus quæ ad jus ecclesiæ ipsius pertinet, sive in his quæ ipsa ecclesia juste et rationabiliter adipisci poterit, confirmavimus, et impressione nostri nominis muneri fecimus, Addimus etiam et omnino inhibemus, ne aliquis in regno nostro aliquod ædificium, quod in damnum esse possit aliquo modo ecclesiæ præfatæ, aliqua occasione facere, vel ipsius jura aut possessiones auferre præsumat ; sed liceat prænominato abbati ejusque successoribus et monachis possessiones ipsius monasterii modis quibuscunque poterit meliorare, et sub nostræ immunitatis tuitione quieto ordine possidere : quatenus ipsis servis ibidem Deo famulantibus pro nobis ac regni nostri statu omnipotentis Dei misericordiam jugibus precibus exorare delectet. Quod ut ratum in posterum habeatur, annuli nostri impressione confirmari præcepimus. Actum publice apud Nonedam anno ab incarnatione Domini 1169, astan-

tibus in palatio nostro quorum nomina et signa subscripta sunt. S. comitis nostri Theobaldi dapiferi nostri secretarii. Signum Matthæi camerarii. S. Guidonis buticularii. S. Radulfi constabularii. Data P. B. per manum Hugenis cancellarii et episcopi Suessionensis. »

9. *Monachi Auriliacenses ex Vabrensi cœnobio, educti. — Abbates Auriliacenses.* — Constructo Auriliacensi monasterio, « animo semper volvebat Geraldus qualiter posset reperire monachos qui bene morati essent, et locum sub regulari proposito incolere potuissent. Sed cum reperiendi raritas difficultatem intulisset, anxiebatur ille, et quidnam faceret nesciebat. Tum vero nobiles quosdam pueros ad Vabrense cœnobium » (quod tunc non ita pridem a Raimundo comite Tolosano ædificatum erat apud Ruthenos, ut inferius videbimus) « direxit, ut scilicet apud illam fraternitatem sub norma regulari iidem pueri imbuerentur. Porro cum iidem pueri reverti juberentur, quia magistri defuerunt, mox puellari mollitia resoluti, rigorem disciplinæ neglexerunt, et ita contigit ut res ad effectum non veniret. Unum tamen eorum necessitate compulsus cæteris præfecit : sed cum ille dissolute viveret, vir Domini vehementer afficiebatur quia illum corrigere non valebat, neque alium habere, quem loco illius subrogare posset. » An primus hic Auriliacensis abbas qui susceptum abbatis officium tam male administravit, idem sit cum Adelgario, qui in charta Caroli regis, et in abbatum Auriliacensium catalogo primus recensetur, non facile dixerim, cum nomen ejus hic reticeat sanctus Odo. Bernonem quidem Cluniacensem abbatem primum Auriliacensibus ante alios profuisse refert Chronicon Malleacense apud Labbeum. At vereor ut id verum sit, cum Adelgarium, omisso Bernone, cæteris præferat chronographus Auriliacensis in tomo II Analectorum nostrorum editus, ex quo etiam discimus Joannem ejus successorem a summo pontifice, cui charus erat, privilegium impetrasse, « ut Auriliaci cœnobium ab omni dominatione esset absolutum, nisi sancti Petri et Romanæ sedis. » Ejusdem præterea Joannis mentio est in quodam instrumento, quod in suis ad Reginonem notis edidit vir clarissimus Baluzius, in quo beati Geraldi propinquus, ac Tutelensi simul et Auriliacensi monasterio præpositus fuisse memoratur.

10. *Geraldi adversa.* — Geraldi sanctitas multis miraculis comprobata, variis etiam adversæ fortunæ casibus, prædiorum direptionibus, propinquorum captivitate conflictata est. Præcipuum autem adversarium sustinuit Ademarum, qui cum Geraldum Carolo Simplici addictum in partes suas trahere ac suæ ditioni, ut loquitur sanctus Odo, subdere tentaret, omnem movit lapidem, ut hominem totum Christianæ pietatis operibus deditum qua dolo, qua vi armisque opprimeret. Quibus egregie defunctus periculis Geraldus, cum ad optatam animæ quietem apertam sibi viam crederet, oculorum lumine repente orbatus, per septem et amplius annos cæcitatem patientissime toleravit.

11. *Pietas in morbo.* — Dissolutionem sui jam instare cognoscens, Amblardum episcopum jubet evocari, ut ejus transitum suis orationibus muniret. Per omne vero sui languoris tempus ita fatiscentes ad divinum obsequium impellebat artus, ut nec unum quidem nocturnale officium, nisi in ecclesia, pateretur celebrare : missam vero unam diei competentem, et alteram pro defunctis eoram positus audiret. »

12. *Obitus.* — « Sexta feria, dilucescente die, ingravescere se sentiens, jussit ut nocturnale coram se capellani peregissent, episcopo cum suis in ecclesia celebrante. Cum psallentibus autem et ipse psallebat, donec post matutinale officium omnes etiam horas diei compleret. Tum vero completorium finiens, signo se crucis armavit, et subjunxit illud verbum quod ei semper familiarissimum fuit : *Subvenite ; sancti Dei.* Hoc in ultimo locutus, oculos tacens clausit. Videntes vero qui aderant quod loqui cessaret, episcopum advocarunt. sancta quoque membra illius in cilicio posuerunt : cæterisque pro exitu psallentibus, quidam de sacerdotibus missam concitus celebravit, atque sacrosanctum mysterium attulit. Cum vero quidam diceret quod jam discessisset, ille sensum adhuc retinens oculos aperuit. et hoc indicio nondum se discessisse monstravit. Tum vero Dominicum corpus, quod exspectabat, sua sponte suscepit, et ita felix illa anima ad cœlos migravit. » Hactenus Odonis verba, quæ si cum superioribus conferas, annum ejus obitus non ægre intelliges. Enimvero neque ante annum 909 statui, neque post annum 912 rejici potest. Primum vetant testamenti tabulæ ab eodem Geraldo mense Septembri anni 909 conditæ ; alterum mors Adelardi seu Amblardi episcopi Claromontensis, qui Geraldo morienti adfuit, atque mense Septembri anni 912 Arnoldum habuit successorem. At inquies, quid impedit Geraldi mortem ad annum 910 aut insequentem revocare? Odonis auctoritas. Testatur quippe Geraldum feria sexta ad cœlos migrasse. Atqui feria hæc nullo ex iis, nisi anno 909, in diem 13 Octobris incidebat, quo tamen die tum apud Auriliacum, tum per totam Aquitaniam ejus obitus celebratur. Non me latet chronographum Lemovicensem Geraldi diem ultimum ad annum 917 retulisse. Verum Odonis testimonium cæteris præstare debet, utpote qui a Geraldi familiaribus, ut ipse asserit, ejus acta mortemque didicerit, prout ea litteris postea mandavit.

13. *Tumulatio, translatio et cultus.* — « Corpus illud sanctum, quamplurimis comitantibus turbis, ad Auriliacum, sicut ipse jusserat, sui detulerunt, et in aristonem lapidem [*l.* aristatonem, *id est* bonorarium decus], ad sinistram scilicet basilicæ ipsius collocaverunt juxta aram sancti Petri, ita sepulcrum ejus habeatur in dextro, et ipsum nihilominus in dextrorsum ; » ubi cum per septem annos variis coruscasset miraculis, « sarcophagus qui usque ad medium cooperculi terra contusa calcibus fuerat contectus, sensim eminere super eamdem terram cœpit. » Id probatæ sanctitatis indicium habebant veteres, ut in S. Droctovei abbatis actis sæculo I observavimus. Hinc factum ut publicus Geraldo cultus, qui hodieque ei exhibetur, decretus sit ; contigitque quod longe ante uni ex familiaribus vir sanctus prædixerat, « ut maceriæ hujus domus frequenter angustæ forent populis qui ad eam conventuri erant. » Celebris est per totam provinciam sancti Geraldi memoria, illiusque ad diem 13 Octobris mentionem faciunt recentiores martyrologi ac vetera Auriliaci monumenta, ex quibus eumdem diem ipsius natalem esse constat.

14. *Viri illustres.* — Præter eximiam populorum in sanctum Geraldum pietatem, et incredibilem undique confluentium frequentiam, locum hunc sequentibus etiam temporibus celebrem effecerunt monachorum observantia doctrinaque. Jordanus Lemovicensis episcopus in concilio Bituricensi anno Christi 1031 celebrato, Auriliacensem inter cæteros abbatem laudat, quod « regulariter agens, lucrandis animabus potius invigilaret quam de caducis et transitoriis rebus curam ageret. » At vero inter viros doctrina præstantes non ultimum sibi locum vindicat Gerbertus, ejusdem loci primum monachus, mox Rhemensis ac Ravennensis archiepiscopus, ac denique Romanus pontifex Silvester appellatus, cujus exstant epistolæ ad Girardum ac Raimundum Auriliacenses abbates ab eo directæ, in quibus et grati sui animi in Auriliacenses monumenta, et in sanctum Geraldum religionis judicia non vulgaria apparent. Perseveravit etiam sæculo XII apud Auriliacenses eadem doctrinæ fama, ut colligitur ex Joanne Saresberiensi Carnutensium episcopo, qui in epistola 60 eos laudat, « quod multarum rerum peritiam et usum haberent. »

15. Medio sæculo decimo quinto inclinare cœpit apud Auriliacenses monastica disciplina, Stephano ultimo abbate regulari non sine veneni suspicione sublato, ac in locum ejus Joanne Castrensi episcopo substituto : post quem hic locus abbates deinceps commendatarios sortitus est, quorum negligentia fatiscentibus regularibus ædificiis ad Canonicos sæculares tandem defecit cœnobium, Pio V mutationem hanc approbante.

16. *Vabrense monasterium.* — Quod attinet ad cœnobium Vabrense (de Vabre), ubi pueros in rebus monasticis erudiri curavit Geraldus, paulo ante id tempus, ut jam dixi, apud Rutenos (le Rouergue), ad Dordonam (la Dordogne) fluvium conditum fuerat a Raimundo comite Tolosano, assentiente ejus uxore Berteyza. Charta primaria data est « iii Idus Novemb., anno xxiii Caroli regis, » cognomento Calvi. Id se facere dicit pro remedio animæ suæ et genitoris sui, Fulcuadi et genitricis suæ Senegundis, germani quoque sui Fredelonis ; B atque ideo res proprietatis suæ, « sitas in pago Rutenico, in vicaria Curiensi, » nempe « villam, cujus vocabulum est Vaber tradit Adalgiso abbati suisque monachis, ad monasterium construendum in honore sancti Salvatoris et sanctæ Mariæ Dei genitricis, sive sancti Dionysii martyris, ut unam dicto loco catervam congregent monachorum, qui secundum regulam sancti Benedicti ibi deserviant, hospites recipiant, pauperes recreent, et pro se fideliter orent. »

17. Hæc autem tradit « eo modo, ut nullus rex, vel aliqua potestas habeat licentiam ipsas res beneficiare, vel concambiare, sive condonare, nisi tantum ut sub tuitione et immunitate regis perenniter consistat, » et ipse Raimundus loci tutor et defensor fiat : post suum vero obitum Bernardum, Fulcualdum, Odonem, filios suos vicissim defensores constituit. Hæc charta edita est apud Catellum lib. i de comitibus Tolosanis, pag. 69 et 70, C ubi ex Agio abbate Vabrensi observat Adalgisum abbatem et monachos ex cœnobio Palmato. quod Marcomanni apud Petrocorios (le Périgord) expilaverant, profugisse, atque in cognitionem venisse Raimundi comitis qui ad eos recipiendos Vabrense monasterium condiderit, consultu Helisacaris episcopi. Hanc porro conditionem Carolus Calvus anno regni sui 14 confirmavit diplomate regio, quod idem Catellus ibidem refert. Observatione digna sunt Agii abbatis hæc verba : « Erat igitur eo tempore monasterium in provincia Galliæ. Petracorio pago, nomine Palmatus, in quo jugiter deicolæ decem famulabantur, nihil habentes proprium, præter quod norma sancti Benedicti concedebat. Alia namque plurima erant monasteria in eadem provincia oppido ditiora : quæ jam fata ingruente peste, famis periculo monachorum sancti Benedicti normam negligere cœperunt, et contra illius ritum proprium habere, quod illi devitantes, nefas et illicitum censebant... Dicebant enim et ipsi quod nullo modo forent monachi, qui in terra proprium quærerent, nec scilicet propriam voluntatem, nisi tantumdem proprias culpas, et proprium locum. Pauperes equidem erant in rebus, sed divites in fide : quibus præerat abbas Adalgasius nomine, veneranda canitie, moribus justis, alacer vultu, prosapia quidem non vili genitus, et ore eloquentissimus. Qui videns quod nullo modo illorum sævitiam propter præsentem necem ferre posset, cœpit lustrare, ceu bonus pastor, regiones omnes, si forte inveniret ubi ab ore sævientium suas pauperculas servare quivisset oviculas : quoniam quidem minime illi oportunum erat suo degere solo, in quo creberrimas miserabiles ex dilectis suis alumnis cerneret strages. Ventum est igitur ad aures eximii marchionis Regimundi, qui illo tempore monarchiæ Tolosæ fungebatur officio, quod venerabilis Adalgasius abbas paganorum incursione foret una cum clientibus proprio exsulatus solo... Denique concite ad præfatum abbatem mittere non desinens rogare visus est quatenus ad loquendum cum eo Tolosam ne pigeret accedere. Sed ille extemplo ad eum pergere nequiens, quoniam ab urbe Tolosa fere sexaginta millia aberat ; et pro re incerta meare ad eum nolens, duos ad eum direxit discipulos. » His consilium suum pandit Raimundus : qui reversi, Adalgasio rem significant. Accessit ipse Tolosam et cœnobium Vabrense constructum est, quod postea Joannes XXII in ecclesiam cathedralem erexit, mox factam sæcularem. Agius abbas, præmissi fragmenti auctor, fuit postea Narbonensis archiepiscopus sub initia sæculi x. Dolemus ejus epistolam a Catello ex integro non vulgatam fuisse.

# VITA S. GREGORII TURONENSIS EPISCOPI

*AUCTORE ODONE.*

(Vide inter Prolegomena ad Gregorium Turonensem, Patrologiæ tom. LXXI, col. 115.)

# SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS

# SERMONES QUINQUE

(Ex Bibliotheca Cluniacensi et Martenio.)

## SERMO PRIMUS.

### IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Gaudeo, dilectissimi, de religioso vestræ devotionis affectu, et Deo gratias ago quod in vobis pietatem Christianæ unitatis agnosco. Sicut enim ipsa frequentia vestra testatur, intelligitis diei hujus recursum ad communem lætitiam pertinere et honorem celebrare totius gregis per annua festa pastoris. Nam licet universa Ecclesia Dei distinctis D sit ordinata gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis subsistat integritas, omnes tamen in Christo unum sumus, nec quisquam alterius ita est divisus officio, ut non ad connexionem pertineat capitis, cujuslibet humilitas portionis.

In unitate igitur fidei atque baptismatis, dilectissimi, indiscreta nobis societas et generalis est dignitas, secundum illud beatissimi Petri apostoli, cui iste sermo debet famulari : *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales,*

*sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias. acceptabiles Deo, per Christum Dominum nostrum* (*I Petr.* II, 5). Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes, ut præter istam specialem ministerii nostri servitutem, universi spirituales Christiani agnoscant se regii generis et officii esse consortes sacerdotalis. Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere conscientiam puram, et immaculatas hostias pietatis de altari cordis offerre? Quod cum omnibus per gratiam Dei commune sit factum, religiosum nobis atque laudabile est hodie provectioni nostræ, de proprio patrono gaudere. Et quanquam in toto Ecclesiæ corpore, apostolici celebretur pontificii sacramentum, nobis tamen est specialius gaudendum, quod effusum benedictionis unguentum copiosius in superiora profluxit, et non parcius in inferiora descendit.

Cum itaque, dilectissimi, de consortio istius muneris, magna sit materia communium gaudiorum, verior tamen et excellentior erit causa lætandi, si non in nostræ humilitatis consideratione remoremini, cum multo utilius multoque sit dignius ad beatissimi Petri apostoli gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, et hunc diem in illius potissimum veneratione celebrare, qui tam copiosis est mundationibus mundatus, ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit. *Verbum caro factum, jam habitabat in nobis* (*Joan.* I, 14), et ad humanum genus reparandum, totum se Christus impenderat. Nihil indispositum sapientiæ, nihil erat arduum potestati. Famulabantur elementa, angelici spiritus serviebant, nec ullo modo poterat inefficax esse sacramentum, quod simul ipsius deitatis unitas operabatur et trinitas.

Et tamen de toto mundo unus eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic, viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquam aliis non negavit. Omnes denique apostolos Dominus quid de se opinentur homines interrogat, et tandiu respondentium sermo communis fuit, quandiu humanæ ignorantiæ ambiguitas perstitit. At ubi habeat discipulorum sensus exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus erat apostolica dignate. Qui cum dixisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16), respondit ei Jesus: *Beatus es, Simon barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17). Id est, ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec te terrena opinio fefellit, sed inspiratio cœlestis

A instruxit. Et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus indicavit.

Beatissimus itaque Petrus apostolici ordinis princeps, primus Domini confessor factus, petra Ecclesiæ, clavicularius regni est constitutus. Hinc nomen ex opere datur, et titulus ex merito potestatis imponitur, cum a Domino audire meruit: *Et ego dico tibi* (*Matth.* XVI, 18), id est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego notam tibi facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus* (*Ibid.*), id est cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum. Ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, B sint tibi mecum participatione communia. *Super hunc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Ibid.*). Super hanc, inquit, fortitudinem, æternum instruam templum, et Ecclesiæ meæ celo inserenda sublimitas, ex hujus fidei firmitate consurget.

Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitæ est, et sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Ibid.*, 19). O inestimabilis et immensa bonitas, C hominem in terra positum, tenere cœlum! Ecce nunc ad nutum Petri divini regni claustra patescunt. Accepit enim a Christo claves regni cœlorum, ut solutis vinculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. O quam vicina et profunda remedia. Juxta se habet mundus Dei regnum, si currat ad Petrum. Posuit ad vicem suam in sæculo cœlestis regni clavicularium Petrum, ne difficilem sibi ad cœlum quispiam existimaret ascensum.

Transivit quidem etiam in alios apostolos, jus istius potestatis, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, D quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas vel remissio, nisi quod beatus pontifex et apostolus Petrus, aut ligaverit, aut solverit. Ideo, dilectissimi, quanquam universaliter in omnium sanctorum commemoratione sit lætandum, tamen in hujus nostri excellentia patroni, merito est exsultandum, gaudendum, gloriandum, quem Dei gratia in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eum in corpore, cui caput Christus est, quasi lucidissimum lumen constitueret oculorum. Sicut autem et nos experti sumus, et nostri probavere majores, ad promerendam misericordiam Dei credimus semper nos specialis patroni

orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimitur, tantum apostolicis meritis erigamur.

Instante autem Domini passione, sciens Dominus discipulorum turbandam constantiam ait Petro : *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 31, 32). Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant., tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis præsidium videamus divinitus institutum, rationabiliter et juste in ducis nostri meritis ac dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno regi Redemptori nostro Domino Jesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem ac præsulem fecit. Si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque discernitur, illius operibus, illius gubernaculis deputandum, cui dictum est : *Et tu conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 32), et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam terni amoris professionem ter dixit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Ipse quoque mandatum Domini, pastor exsequitur, confirmans nos cohortationibus suis, non cessans orare pro nobis, ut nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam, omni populo Dei ubique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignabitur impendere. Illi ergo nunc servitutis nostræ natalitium diem, illi ascribamus hoc festum, cujus patrocinio protecti, meruimus ipsius meritis hujusmodi habere consortium. Hunc etiam nostræ orationis adjutorem quæramus, cujus nos orationibus et ab spiritualibus inimicis, et a corporeis hostibus confidimus liberari. Ipsum itaque intercedendo rogemus impetrare, ut destructis vinculis carnis, mereamur intrare atria supernæ civitatis. Quia igitur sermo finem postulat, exaltemus in Ecclesia plebis beatissimum Petrum, et in cathedra seniorum laudantes eum, benedicamus Dominum Jesum, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu sancto in unitate majestatis divinæ, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

### IN VENERATIONE SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ

Quanquam per quatuor mundi climata, fidelium connexione propagata, sacratissimæ Mariæ Magdalenæ insignia, piæ imitationis exemplo sacrosancta celebret Ecclesia ; atque in beatissimorum scriptis evangelistarum, ipsius devotionis sedula famulatio, perseveransque servitus et ingens dilectionis fervor, ac illius,

A sanctæ familiaritatis ministratio, et usque ad triumphum Dominicæ passionis ineffabilis habeatur constantia ; nec non et quæ in morte sui Redemptoris etiam apostolis fugientibus egerit, et quod ipse Dominus magni consilii angelus, resurgens a mortuis primo ei apparuerit, tamen utilitati legentium consulentes, ea quæ de ipsius virtutum flosculis gemmarum more, sanctarum elucidant paginas Scripturarum et quodammodo sui jubaris impressione vernantes reddunt, compendiose prælibare curavimus. Ut si cui forte non vacat sanctissimi pelagus Evangelii ex ordine percurrere, in quo tantæ fidei continentur præconia, saltem hanc nostræ exiguitatis schedulam, illius accensus desiderio, legere non recuset. Fuit B igitur secundum sæculi fastum clarissimis beatissima Maria natalibus exorta, quæ, ut Patrum asserunt traditiones, a Magdalo castello Maria Magdalene nuncupata est. Quam non solum germinis dignitas, verum etiam patrimonii jura parentum excessu splendidam reddiderunt : adeo ut duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet. Solent enim apud homines, plus divitum quam pauperum nomina sciri. Sed quia rerum affluentiam, interdum voluptas comes sequitur, adolescentioris vitæ tempora, lubricis supposuit discursibus, solutis pudicitiæ frenis. Hæc est enim mulier de qua scribit Lucas evangelista : *Quia erat quædam mulier in civitate peccatrix, quæ quia dilexit multum, dimissa sunt ei* C *peccata multa* (*Luc.* VII, 37). Et de qua Marcus ait: *Surgens autem Jesus mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* (*Marc.* XVI, 9). Quam vero pius et misericors erga conversos peccatores exstiterit Deus, istius comprobat perfectio, quæ non solum criminis promeruit ablutionem, sed apostolorum consors effecta, illis donata est Dominicæ Resurrectionis nuntia. Hæc autem divino postmodum afflata spiritu, mentisque intuitum in se reverberans, ac pristinæ vitæ detrimenta non sustinens, ut comperit Dominum et Creatorem totius humani generis, in domum venisse Simonis, *qui non venerat vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Marc.* II, 17), non ob suorum enormitatem D scelerum de sui Conditoris diffidens clementia, pretiosissimo accepto unguento ad ipsum misericordiæ fontem concito properavit gradu, corruens ante clementia Domini vestigia, amaritudinemque cordis, per uberem lacrymarum exaggerans fontem. Mox denique compunctionis fletibus, sui plasmatoris pedes cœpit rigare, capillisque suæ devotionis tergere, ac indesinenter osculis veræ humilitatis confovere, ac mundissimo suæ dilectionis unguento perungere. Quæ cum in tali devotionis famulatu non esset repudiata, sed potius miseri corditer suscepta, ausu familiaritatis confisa etiam super sanctissimum Domini caput, pretiosissimi liquoris effudit odorem. In tantum ut tota domus ex odoris fragrantia more aromatum redoleret, nihil scilicet ore depromens, sed per exterio

ris obsequii beneficia, suæ compunctionis flam- A mam ac dilectionis fervorem intimans, ac si ipsis loqueretur verbis, dicens : O Domine Jesu clementissime, qui omnia scis et cordium inspector es verus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant, tu ipse intelligis quid mei deposcant singultus, quid lacrymæ ab imo erutæ flagitent, quid meus amarus exoret gemitus. Peccatrix sum et immunda, et omnium nefandorum criminum labe polluta. Sed quia meam ab annis prioribus contaminavi vitam, ad te Dominum meum qui es vita æterna confugio, ut male perditam restituas vitam, et me de barathri faucibus clementer eripias, misericorditer liberes, potenter abstrahas, qui solus laborem et dolorem consideras. Quid vero ex hujusmodi dilectionis professione consecuta sit; ipse Dominus manifestat, qui Simoni indignanti cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere, conversus ad illum respondit inter cætera : *Amen dico tibi, dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Quæ Domini adepta clementiam, ut Lucas describit, illico posthabitis omnibus, ita familiaris effecta est, ut ipsum non solum mente, sed et corpore sequeretur, de propriis facultatibus, utpote valde locuples, victum et vestitum ei ministrans, implens bifarie Dominicum præceptum dicentis : *Qui mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Mystice autem hæc beatissima mulier sanctam designat Ecclesiam. Quæ bene in domum Simonis venisse dicitur, et ab omnibus pristinæ vitæ contagiis curata (Simon enim interpretatur obediens), C pristino decoquens anathematizavit errores, omnemque idolorum postponens spurcitiam per aquam baptismatis, suorum obtinuit veniam delictorum, ac quotidie Dominum sequitur non gressu pedis, sed imitatione operis. Rigavit autem hæc mulier pedes Domini lacrymis pœnitentiæ, et unguento piæ confessionis linivit, quia Ecclesia Dominum Jesum Christum verum Dominum ac verum credens hominem, pro suis quotidie excessibus, lacrymarum singultibus ipsius exorat ablutionem. Dumque assumptæ humanitatis mysteria digna reverentia suscipit et prædicat, quia inter homines conversari dignatus est; utique in pedes Domini unguentum nardi pisticum, id est fidelem, fundit. Quæ loquitur in Cantico amoris, dicens : *Dum* D *esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11). Quæ nimirum, verba juxta litteram, manibus B. Mariæ Magdalenæ complevit, et quotidie spiritualiter non cessat implere, cum in totam mundi latitudinem glorianter laudes referens Creatori dicit : *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos, in omni loco, quia bonus odor Christi sumus Deo* (*II Cor.* II, 14, 15). Quæ cum sublimitatem divinæ majestatis, quæ æqualis est illi cum Patre, congrua religione ac reverentia confitetur et prædicat; et in quantum naturalis ingenii vigor superni luminis illustratione perfusus sit, digna veneratione recolit; mentisque aciem ad contemplandam tantam potentiam extendit, caput profecto illius pretiosissimo perfundit unguento. Quod vero Judas Iscariot contra hanc sanctissimam mulierem indignatus dicitur : pro effusione tanti unguenti, datur aperte intelligi, quia reprobi et infideles contra sanctam Ecclesiam quotidie sæviunt ejusque derogant religioni ac devotioni, videntes per quatuor mundi plagas, doctrina ipsius et exemplis, divinitatis Domini potentiam, et humanitatis ejus clementiam cunctis claruisse. Unde et de hac sancta muliere quæ prævenit ungere corpus Domini, inquit ipse : *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Marc.* XIV, 9). Quoniam non solum in toto mundo de hac sancta muliere prædicatur, quod unxerit caput Domini; sed et de Ecclesia quotidie enim ut jam prælibatum hoc operatur in suis sanctis actionibus. Bene etiam Maria Magdalene dicitur, Magdalus vero interpretatur *turris*, et significat Ecclesiam. Turris enim non solum sublimior, sed et tutior domus est, non facile hostibus patens; ac per hoc Ecclesiam designat quæ terrena deserens, cœlestia desiderat, pugnans inter spiritales nequitias, fortitudinemque suam non sibi, sed Domino committens, orat cum Propheta dicens : *Esto mihi turris fortitudinis, a facie inimici* (*Psal.* LX, 4). Hæc est illa turris fortis et inexpugnabilis, cui voce sponsi in Canticis canticorum dicitur : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, et omnis armatura fortium* (*Cant.* IV, 4). Et de qua Salomon ait : *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, et exaltabitur* (*Prov.* XVIII, 10). Sed quia nominis interpretatione compulsi, a superficie historica paululum discessimus, libet intuere clementissimam Domini familiaritatem erga beatam Mariam et sororem ejus Martham, ac ipsarum piæ devotionis in omnibus famulatum. Legimus enim, evangelista Luca narrante, quod *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam secus pedes Domini sedens, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium* (*Luc.* X, 38-40). Unde non solum contra sororem, verum etiam contra ipsum Dominum querelam assumit, dicens: *Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet* (*Ibid.*). At ille qui non est personarum acceptor, sed singulorum merita dijudicat, scitque meliorem esse animam quam corpus, ut cibum spiritalem quam carnalem, ita unius opus laudat, ut alterius non vituperet; ait vero : *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum* (*Luc.*, XLI, 42). Spiritualiter autem hæ duæ mulieres devotissimæ, quæ Dominum susceperunt in domum suam, duas significant Ecclesiæ vitas, activam scilicet et contemplativam. Per Martham ergo quæ circa frequens ministerium erat, activæ vitæ labor exprimitur. Per

ariam vero, quæ sedens secus pedes Domini, verbum illius intenta mente percipiebat, contemplativæ vitæ dulcedo designatur : cujus sapor quanto magis degustatur, eo amplius a rebus visibilibus, et curarum tumultibus animus separatur. Spretis enim omnibus temporalibus, sola mens cum Deo esse desiderat. Libet enim audire præcepta cœlestia, sicuti hæc beatissima faciebat Maria, quæ sedens secus pedes Domini verbum illius intenta aure percipiebat. Impletum est in ipsa, quod olim per beatum Moysen dictum fuerat : *Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius* (*Deut.* XXXIII, 3). Quam gratissima enim apud Conditoris clementiam pro suæ devotionis famulatu et inexstinguibili delectionis fervore habita sit, Joannes evangelista manifestat, ubi quatriduani Lazari venerandam inauditamque describit resuscitationem. *Diligebat*, inquit, *Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum* (*Joan.* XI, 5). Ac in sequentibus commemorat, quoniam vocata a sorore sua, cum veniret ubi erat Dominus, corruit ante pedes ejus, dicens : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (*Ibid.*) Jesus autem ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea flentes : *Infremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni, et vide : et lacrymatus est Jesus* (*Ibid.*). Manifeste suæ pietatis clementiam ex assumpta humanitate dilucidans, quando pro ipsius doloris immanitate, lacrymas non dedignatus est fundere suæ compassionis, salvo tamen divino mysterio. Germinis sublimitas, ac sæcularis pompæ dignitas, beatæ Mariæ Magdalenæ in hoc dignoscitur facto quando jam in quatriduana fratris morte, tanta nobilium et potentium multitudo Judæorum, ad ipsius mitigandum confluxerit dolorem. Et non passi sunt ad fratris tumulum sine sui præsentia eam properare dicentes : *Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi* (*Joan.* XI, 31). Est denique hoc procuratum Domini misericordia, ut patraturus tale tantumque miraculum, multi adforent Judæorum. Quatenus dum unus resuscitatur in corpore, nonnulli erigerentur in mente, et essent testes ac laudatores ipsius promptissimi. Unde in consequentibus idem evangelista refert dicens : *Testimonium ergo perhibebat turba quæ fuerat cum Jesu, quando Lazarum resuscitavit, et vocavit eum de monumento* (*Joan.* XII, 17). Typice autem hæc mulier quatriduanum mortuum deflens fratrem, sanctam præfigurat Ecclesiam, quæ pro illorum discrimine qui obnoxii tenentur sceleribus, atque consuetudinaria mortalium criminum labe tumulati, pessimæ opinionis famam e suis egerunt corporibus lugere non cessat : *Omnes enim in Christo fratres sumus* (*Matth.* XXIII, 8). Super Lazari vero interitum flere dicitur Dominus, quando suæ miserationis respectu, hujusmodi corda, per compunctionis gratiam visitans, ad pœnitentiæ lamenta inflectit. Hoc autem ipse agere dicitur, quod ut nos intentissime perficiamus, suæ inflammationis instinctu procurat. Tale est profecto et illud : *Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 29) Et sicut Lazarus post effusionem lacrymarum, mirantibus turbis, resuscitatur a corpore ; ita et peccatores post compunctionis lacrymas, digna carnis maceratione peracta, resuscitantur in anima, impio Domino per Prophetam pollicente, qui ait : *In quacunque die peccator conversus fuerit, et ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur* (*Ezech.* XXXIII, 2). Sed his breviter prælibatis, ad ipsius fidei constantiam atque ferventissimæ dilectionis ardorem, nec non et quod in passione Domini specialiter ac familiariter peregerit, cunctis admirandum, imo magis imitandum mortalibus, perveniendum est. Nam hæc sancta mulier Dominum secuta sicut jam præfati sumus, et de suis largissimis facultatibus illi devotissime ministrans ; postquam vidit eum comprehensum, ligatum, flagellatum, omnibusque subsannationibus et irrisionibus delusum, ad ultimum pro salute generis humani in cruce positum ; discipulos etiam qui prius dicebant : *Eamus et nos, et moriamur cum ipso* (*Joan.* XI, 16), terga vertisse ; ipsa cum eo remansit, quia quæ arctius et ferventius eum dilexerat, nec a mortuo potuit separari. Et sic impletum est tempore Dominicæ passionis, quod olim per beatum Job dictum fuerat : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* (*Job.* XIX, 20.) Quasi enim consumptis carnibus pellis ossi adhæret, quando, discipulis fugientibus, beata Maria Magdalene cum Domino perseveravit. Et tandiu permansit, quousque diversis conditum aromatibus in sepulcro collocari prospexit. Inde autem mœrens et nimio succensa dolore recedens, perspicue ad notum sui Redemptoris locum abiens sepulcri, emit aromata. Et ipsa nocte, in quantum valuit, unguenta præparavit. Sabbato vero secundum mandatum legis siluit. Occidente autem sole, quod supererat in præparandis unguentis operam dedit. Mane autem una Sabbati, cum adhuc tenebræ essent, cum præparatis aromatibus venit ad sepulcrum, cupiens sacratissimum ejus corpus perungere, quem viventem nimio dilexit amore. Cum enim sexus femineus timidus soleat esse ad ambulandum in tenebris, nihil ista metuit quæ toto corde Dominum dilexit. Erat porro in ea perfecta charitas, quæ foras mittit timorem. Nam neque propter sui sexus fragilitatem, neque propter lapidis magnitudinem, neque propter metum custodum, a cœpto itinere declinavit, quousque ad sepulcrum Domini intrepida pervenit. Cujus mulieris constantia in libro Regum pulchre præfigurata est, quando Allophyli vaccas fetas applicarunt ad plaustrum, vitulosque earum recluserunt domi. Ibant autem, sicut scriptum est, vaccæ in directum : *Per viam quæ ducit Betsameth, pergentes et mugientes, nec tamen ad dexteram vel sinistram declinantes* (*I Reg.* VI, 12). Ita et beata Maria Magdalene cupiens sepulcrum Domini invisere, quasi mugiens et gemens, quæ ad tempus præsentia Domini sui privata fuerat

incedebat, imitabile exemplum omnibus præbens fidelibus, ut per viam Dei ambulantes, nec propter tentationem dæmonum, vel metum hominum aut curam parentum a cœpto itinere deviemus, quia inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Allegorice autem tenebræ erant in corde hujus sacratissimæ mulieris, cum ad Domini venit monumentum : quia resurrectionis ejus ignara, viventem inter mortuos requirebat. Tunc vero in ejus mente sol ortus est, quando non solum resurrexisse vidit, sed etiam credidit, et vidit lapidem sublatum a monumento. Et quia corpus Domini non invenit, furatum credidit, atque festina quod viderat discipulis nuntiavit. De hac veraciter in Canticis canticorum voce Ecclesiæ dicitur : *In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum et non inveni, surgam et circuibo civitatem, quærens quem diligit anima mea. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis ? et factum est cum pertransiissem illos, inveni quem diligit anima mea. Tenebo illum, nec dimittam, donec introducam eum in domum patris mei, et in cubiculum genitricis meæ* (*Cant.* III, 1-4). Cucurrit namque, ut diximus, hæc sacra mulier, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem diligebat Jesus, et dixit eis : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum. At illi currentes venerunt ad monumentum, et ita invenerum sicut mulier dixerat. Abierunt ergo discipuli et reversi sunt ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans* (*Joan.* XX, 2, 3, 10, 11). Considerandum est hoc loco, hujus mulieris mentem quantus amor Domini accenderat, quæ, etiam discipulis a monumento Domini recedentibus, non discedebat. Et quia ab inquisitione non cessavit, prima videre meruit. Plorabat ergo, quia quem multum desiderabat non videbat. Plorabat, quia corpus Domini de monumento furatum putabat. Dum vero fleret, inclinavit se, et prospexit in monumento. Jam enim monumentum vacuum viderat, et Dominum furatum de monumento discipulis nuntiaverat. Quid est quod iterum se inclinat, nisi quia iterum videre desiderat ? Verbi gratia, sicut dum aliquam rem amittimus, quamvis huc illucque sæpius discurrendo quæramus, ad illum tamen sæpius locum discurrimus et respicimus, ubi eam posuisse meminimus. Ita et hæc sancta mulier, quamvis huc illucque curreret corpus Domini quærens ; anxia tamen de ejus absentia, frequenter monumentum aspiciebat ubi eum positum noverat. Unde etsi Dominum statim videre non meruit, angelorum tamen visione privata non est. Nam vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes ubi positum fuerat corpus Jesu, Dicunt ei illi : *Mulier, quid ploras ? Quem quæris* ? (*Joan.* XIII, 15.) Interrogabant angeli non ut quærendi minuerent desiderium, sed ut augerent. Sic enim nos cum propter amissionem flemus, si quis causam fletus inquirat, magis ploratum accumulat Ita et illi causam doloris interrogabant, ut fletu desiderium augerent, scientes beatos esse, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 4). Sed mulier cujus rei gratia fleret manifestat, cum adjungit : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conversa retrorsum, vidit Jesum stantem, et nesciebat quia Jesus est* (*Joan.* XX, 13 14). Recte ut Dominum mereretur videre, conversa retrorsum dicitur ; qui enim retrorsum convertitur, illuc oculos dirigit ubi prius terga habebat. Quasi enim retrorsum conversa est, quando dubitationis postponens nebulas, Christi resurrectionem ex parte credere cœpit. Cui tamen visionem sui Dominus ita suspendit, ut, quia amabat, sed eum resurrexisse non credebat, illum et videret, et non cognosceret. Unde evangelista : *Illa*, inquit, *æstimans quia hortulanus esset, dicit ei, domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam* (*Joan.* XX, 15). Habet enim vis amoris hoc proprium, ut quem quisque multum amat, omnes amare putet. Sed non in toto hæc mulier erravit, cum dominum hortulanum æstimavit. Sicut enim hortulani officium est noxias herbas eradicare, ut bonæ quæque proficere valeant ; ita Dominus Jesus Christus de horto suo, id est de Ecclesia sua, quotidie vitia eradicat, ut virtutes crescere valeant. Cum vero sexus femineus fragilis sit ad onera ferenda, hæc propter amoris magnitudinem, leve et possibile arbitrabatur, dicens : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus, Maria.* Conversa illa dicit : *Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Jesus : Noli me tangere* (*Ibid.*). Quia Dominus superius mulierem communi sexu eam appellavit, et cognitus non est : vocavit eam proprio nomine, ut saltem cognoscentem se cognosceret. Ait enim, *Maria.* Cum enim apud Dominum certus sit numerus electorum, magna gratia illis datur, qui propriis nominibus Deo noti esse manifestantur. Qualis erat Moyses cui dictum est : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII). Unde mulier postquam proprio nomine a Domino vocata est : statim cognoscentem se recognovit dicens, *Rabboni, quod dicitur Magister.* Hæc autem inquiens, illico corruit in terram, volens adorando pedes ejus tenere, recognoscens eum, vocata ab ipso ex nomine. Cui a Domino dicitur : *Noli me tangere.* Ubi non est putandum quod post resurrectionem tactum renuerit feminarum : cum de duobus a monumento illius recedentibus dictum sit, quod accesserunt et tenuerunt pedes ejus. Sed ideo a suo contactu prohibuit, quoniam ejus mentem adhuc perfectam in fide non sensit : quando Dominum viventem inter mortuos requirebat. Quare autem ab ipsa se tangi noluerit, manifestatur cum subditur :*Nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17), id est, quia me inter mortuos ut mortuum requiris, et nondum credis me æqualem Patri secundum divinitatem, *Noli me tangere.* In ejus quippe mentem Dominus ad Patrem non ascendit, qui non credit eum æqualem esse Patri. Et quia beata Maria necdum perfecte di-

vinitatis ejus potentiam cognoverat, prohibita est tunc ne tangeret pedes ejus. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Venit autem Maria nuntians discipulis quia vidi Dominum, et hæc mihi dixit* (*Ibid.*). Clementissima namque Dei pietas, in hoc loco erga femineum genus declaratur. Quia enim per feminam mors mundo illata fuerat, ne semper in opprobrium sexus femineus haberetur, per sexum femineum voluit nuntiare viris gaudia Resurrectionis ; per quem nuntiata fuerat tristitia mortis. Ac si diceretur : De cujus manu sumpsisti poculum mortis, ab ejus ore audire gaudia Resurrectionis. Et sicut per beatam Mariam semper virginem quæ spes est unica mundi, paradisi portæ nobis sunt apertæ, et maledictio exclusa Evæ ; ita per beatam Mariam Magdalenam opprobrium feminei sexus deletum est, et splendor nostræ Resurectionis in Dominica resurrectione exortus, ab ea propinatus est. Unde bene Maria interpretatur stella maris. Quæ interpretatio quamvis Dei genitrici specialiter congruat, per cujus partum virgineum Sol justitiæ mundo resplenduit, tamen et beatæ Magdalenæ potest congruere, quæ cum aromatibus veniens ad sepulcrum Domini, prima splendorem Dominicæ resurrectionis mundo nuntiavit. Et si discipuli ideo apostoli vocati, quia missi sunt ab ipso ab prædicandum Evangelium omni creaturæ, nec minus beata Maria Magdalene ab ipso Domino destinata est ad apostolos, quatenus dubietatem et incredulitatem suæ Resurrectionis, ab illorum cordibus removeret. Te ergo supplices, quæsumus, Domine, ut qui illi tuæ misericordiæ tantam contulisti gratiam, nobis ipsius propitiari digneris meritis, quatenus qui nostrorum obruti sarcina peccatorum, non valemus obtinere veniam, ipsius pio suffragante patrocinio quæ tibi devote, imo specialiter servivit, in sæculo, nuncque cum angelis charitatis perfruens gloria triumphat in cœlo, solito charitatis radians fulgore omnium criminum exuat labe, atque supernam suo precatu ducat ad patriam, quo laureati ipsius consortes efficiamur gloriæ, te annuente qui vivis, etc.

## SERMO III.

### DE SANCTO BENEDICTO ABBATE.

(122) Festiva beatissimi Benedicti solemnitas, Christo Domino propitiante refulget, quæ fidelium cordi-

A bus, et affectum devotionis augere, et spiritale gaudium afferre consuevit. Merito siquidem tanti patris memoriæ iidem fideles congaudent : ut illud propheticum impleatur : *Dicite justo quoniam bene* (*Isa.* III, 10). Et item : *Memoria justi cum laudibus* (*Prov.* X, 7). Constat enim quod unumquemque sanctorum Christiana pietas tanto venerabilius colit, quanto celsius hunc a Dee decoratum cognoverit. Unde et istum patrem, divino quodam instinctu specialius amat, ejusque memoriam dulcius recenset. Nimirum non nescia, quod illum omnipotens Deus, inter summos et electos sanctæ Ecclesiæ Patres, mirum in modum provexit, et inter sanctæ fidei fundatores, ac cælestis disciplinæ censores, insigniter sublimavit. Quippe, quem B sancti Spiritus charisma, tum miraculorum signis, tum virtutum exercitu adornavit, ut dignus in mundo appareret, per quem excelsioris ordinis multitudinem informaret. Inde est, quod et in hac solemnitate, et in aliis sancto nomini ejus dicatis, quoties in anno, suis temporibus eveniunt ; tam devote tamque libenter, et ex tantis partibus, ad ejus sacrosanctum tumulum tanti accurrunt. Nam non quippe pagenses, verum etiam plebs urbana, nobilibus viris conserta, clericorum etiam honestis quasi inflorata personis, lætabunda confluit, et commune patrocinium devota requirit. Nam quasi parum esse desiderio devotorum Deus prospiceret, si semel tantum in anno, solemnitatem ejusdem patris fideles coluissent : existere causas præstitit, C quibus et alias solemnitates gaudio Christianorum adaugeret (123). De sancta videlicet illius translatione, nec non et tumulatione, quas divinitus esse dispositas, multa signorum documenta produnt. Quo videlicet in loco tanta, ut ita dixerim tam mira miracula, et in Scriptura referuntur gesta, et sub oculis patrata dignoscuntur ut ipsorum fulgor etiam quosque remotos ad ejus reverentiam excitare potuerit. Quæ, licet instante jam tempore Antichristi, *cujus faciem*, ut scriptum est, *præcedet egestas* (*Job.* XLI, 13), cessare videantur ; præstantior tamen sanitas animæ semper ejus meritis obtenta præbetur. Cessare autem divina miracula, vel ibi, vel alias, nostrorum enormitas peccaminum facit : qui post revelatam Christi gratiam retro sumus conversi.

De ipso quippe Domino Jesu Christro perhibetur, quia propter obcæcationem infidelis populi, nullam in Capharnaum potuerit patrare virtutuem (*Marc.* VI,

(122) *Festiva B. Benedicti solemnitas.* Sermonem hunc santi Odonis esse, sicut sunt et præcedentes de sancto Petro et Maria Magdalena, testatur Aymoinus libro secundo de Miraculis sancti Benedicti, cap. 4, cum ait : Ipse tamen, videlicet sanctus Odo, eo sermone, quem in ejusdem Patris laude ac honore facundissima dictavit eloquentia, memorat eumdem cœnobitarum legislatorem suis temporibus multis miraculorum radiasse signis.» Pronuntiavit autem illum, dum sancti Benecdicti Floriacensis cœnobium regeret, in quod et ipse primus Regulam hujus sancti Patris intulit, ut aperte docet Asso libro II Historiæ sancti Berchorii abbatis his verbis : «Sed rex prudentissimus (Rodulfus), ad decoranda jura sibi a Deo collati regiminis, ut justitiæ sectator insuperabilis, ita ecclesiarum existens instaurator inflexibilis, nequaquam passus umbraticum monachos gestantes habitum absque aliqua alterius aberrare doctrina, cœnobium Floriacense insigne reliquiis corporis piissimi Patris monachorum Benedicti, corrigendum tradidit sancto Odoni abbati monasterii Cluniacensis. Gloriosus autem abbas locum prædictum, ut in gestis ipsius legitur, sibi a sancto Benedicto adoptatum religiosissime ordinans, libellum Regulæ ejusdem Patris primus eidem loco intulit. »

(123) *De sancta illius translatione.* Multi translationis corporis sancti Benedicti a Cassino Floriacum meminerunt, et plerique etiam historiam integram scripserunt. Videnda Bibliotheca Floriacensis.

51. Nos ergo non sumus digni, ut illo favore sanctus iste pater nos foveat, aut consolari dignetur, quo sibi placitos alumnos lætificare consuevit. Hoc solum quippe magnum nobis debet videri, quod talibus præstat, ut ejus sanctæ solemnitati possimus interesse, et de spe misericordiæ ejus gaudere. Nec minor est ejus potentia vel pietas quam si miracula frequentaret. Sed nimirum necesse est, ut per omnem Ecclesiam cessantibus signis, manifestetur qui sint illi qui universalem fidem, propter præsentia miracula, vel qui propter futuram beatitudinem, colunt. Quin et imminente jam terribili judicio, sequaces Antichisti signa potius facient, ut *coram eis qui voluntarie peccant*, ut scriptum est, *offendicutum* ponatur (*Ezech.* III, 20). Necdum tamen eadem miracula penitus adhuc desunt, quoniam et ad sacrosanctum ejusdem patris sepulcrum, et in aliis beatæ ejus memoriæ, locis, hæc etiam fieri non ignoramus.

Signorum sane inquisitoribus, qui unumquemque patrem sanctum, vel potentem, vel impotentem, et raritate vel multiplicitate eorumdem signorum arbitrantur, illa Dominica exprobatio consideranda est, qua dicit: *Generatio mala et adultera signum quærit* (*Matth.* XII, 39). Et illa præconis ipsius, exprobrando dicentis, *Judei signa petunt* (*I Cor.* II, 22) : quos alias Deo odibiles (*Rom.* I, 30), non tacet. Herodes autem, *qui*, ut scriptum est, *cupiebat aliquod signum ab eo videre* (*Luc.* XXIII, 8), nec in modico quidem ejus responsionem dignus fuit audire. Centurionis autem fidem omni Israeli prætulit (*Matth.* VIII, 13) : qui ad servi curationem solam ejus jussionem sufficere non dubitavit. Hæc exterius inseri, suficere non dubitavit. Hæc exterius inseri, quorumdam tepiditas exigit, quorum devotio cessantibus signis frigescit. Porro eidem beatissimo patri, sua prærogativa admodum sufficit : qui tantopere fulgoris emicat, ut etiam remotissimos totius Christianitas sinus radiis suæ beatidudinis illustret. Nec monachorum cohortes ubique terrarum diffusæ, tantam ejus celsitudinem ignorant : qui sanctam ipsius institutionem præ cæteris sectantur. Ita ut etiam in ipsorum Patrum cœnobiis, qui norman sancti propositi fideliter ac religiose promulgarunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri. Non immerito arbitrantes, quod hunc specialiter, tanquam alterum Moysen Deus prædestinaverit, per quem monasticæ legis decreta sanciret.

Fuerunt quidam alii, sicut jam dictum est, ejusdem sanctæ institutionis decretores ; sed tanquam Moysi, huic quoque dicatur: *Novi te ex nomine.* Iste est, qui in hac cœlesti disciplina placidus effusit : nam ante Moysen, sacrificiorum cæremoniæ, et circumcisionis ritus frequentissimo viguit usu: qui tamen specialiter per eumdem Moysen inculcatus est (*Exod.* XXXV, 12 ; *Gen.* VIII, 20 ; *Exod.* XII, 3). Sic ergo et huic beatissimo legislatori non præjudicent alii Patres, qui sanctæ regulæ munia descripserunt : sed magis ut assertores ejus sancita confirment. Neque enim abs re sanctus iste Moysi conparatur, quandoquidem, non pauca magnalia pene similiter, ab utrisque geruntur.

Mysterii itaque majestate separata, qua sub Moyse, *omnia in figura contingebant* (*I Cor.* x, 11), de cætero multa reperies, quæ similia, tanquam sub uno spiritu gesta, noster iste patravit. Et hoc equidem privilegium utrisque est commune, quod ambo sunt legislatores. Ille querelas Hebræorum turbas de Ægypto exire suasit ; iste vero, quasi de genuinis carnalium desideriorum tenebris multas ex populo acquisitionis catervas suo ducatu abstractas, ad terram viventium introducit. Ille mare Rubrum divisit ; iste post Petrum, inusitato miraculo, discipulum equidem super aquas currere fecit. Dum plane in utroque facto liqueat rerum obstare naturam ; videris quid horum præcellat: utrum vel æquale sit, aquas divisisse, aut super eas sicco vestigio cucurrisse. Ille in exustis arvis, aquam sitienti populo de petra produxit (*Num.* XX, 10) ; iste de sicca rupe, fontem usibus monachorum elicuit, hodieque in rivum fluit. Ille brutos mores Judæorum, quos incredulos vocat et rebelles, virga legis coercuit ; iste monachorum gregem, sicut voluntarie auditu auris obedientem, quasi una persona, propter unum cor alloquens, filium nominat, et suavi jugo Christi supponit.

Multa dici præterea possent, quibus istarum personarum convenientia patuisset. Et hunc quidem beatissimum patrem legislatio specialiter Moysi comparat. Sed magnitudo virtutum, atque signorum, quibusque etiam excellentissimis viris, consertum nihilominus ostendit. Sicut ille mirabilis ejus vitæ relator, papa videlicet Gregorius astruit, qui assignanter ex quibusdam factis, ipsum aliquibus nominatim expressis coæquat, dicens inter cætera : Nam in aqua ex petra producta, Moysen ; in ferro vero, quod ex profundo aquæ rediit, Elisæum. In aquæ itinere, Petrum. In corvi obedientia, Eliam. In luctu autem mortis inimici, David video et perpendo. Vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit. Qui et in dono prophetiæ, et in dignoscendis hominum cogitationibus, atque in secretum agnitione judiciorum, valde eum perspicacem fuisse non tacet. Postremo, quod inter plurima superni muneris charismata, apprime disertus fuerit ; et quod monachorum regulam, sermone luculento, et discretione præcipua scripserit, lætabundis auribus eorum narrat. Lætabundis, inquam, quia grande gaudium quibusque sanum sapientibus hoc affert : quod eis superna providentia, talem ac tantum ducem, ac præceptorem constituit, quem ad promulgandam cœlestis disciplinæ legem, dignum et idoneum totus mundus agnoscat. Gaudent ergo, et quasi prævium sequentes, de ejus nutu pendent, et cordis aciem in eum defigunt. Gaudent, quia per ejus magisterium, ad cœlestis militiæ tirocinium sunt asciti. Sperant sub ejus ducatu militantes, ad superni regis palatium

intromitti. Et quod suis meritis nequaquam præsumunt, ejusdem sui ducis intercessione adipisci confidunt. Ad hanc itaque lucernam, quasi in caliginoso vitæ hujus stadio micantem, subinde respiciunt, et in ipsa vident quo gressum operis tendant. Lucerna est igitur beatissimus Benedictus. Lucerna, inquam, ad hoc super candelabrum posita, ut ardens et lucens, sicut de suo præcursore Veritas attestatur, omnibus qui in domo Dei sunt, resplendeat (*Matth.* v, 13; *Joan.* v, 35). An et iste superno amore non vehementer arsit? An et iste, cum verbo et opere, tum signorum splendore non reluxit? Est igitur lucerna sed qualiter eumdem præceptorem suum, imo et dominum legiones monachorum decentius appellabunt? Dominum, inquam, siquidem et Elias dictus est dominus Elisæi. Ergo pietatis affectu vocetur lucerna. Sed quasi parum est, vocetur etiam stella. Non tamen qualiscunque, sed talis, quæ erudiens multos ad justitiam, refulgeat, juxta illud Danielis, in perpetuas æternitates. Vocetur etiam sol, quia fulgebit sicut sol cum justis, et nunc in Ecclesia, et tunc in regno patris eorum. Vocetur etiam angelus, quia legem requirunt ex ore ejus. Postremo videant et gaudeant, quam proprie vocetur Benedictus, quem Deus adeo benedixit in omni benedictione spirituali. Et per quem tanti benedictionem hæreditate possidebunt.

Fateor enim, quod ejusdem patris dilectoribus adeo placet tali vocabulo censeri, quod solet maxime post divinum nomen, more Christiano versari. Quis enim pie loquens, aut Benedictum, aut benedictionem sub quolibet obtentu non dicat? Cæterum laudes ejus resonare, talibus utcunque congrueret, qui juxta Apostolum sciunt, *quæ est spes vocationis Dei* (*Ephes.* I, 18). Videlicet et illius vocationis, qua non solum cum aliis Christianis communiter ad fidem vocati sunt, sed etiam ad subeundum celsiorem gradum, per eumdem patrem institutum, qui in vacuum gratiam hanc nequaquam accipiunt, sed quæ a Deo donata sunt (*II Cor.* VI, 1), norunt. De quibus, propter cor et animam unam, sub unius populi vocabulo Deus dicit: *Obauditu oris obaudiunt mihi*, quem nimirum *in sanctis* ejus *laudare jubemur* (*Psal.* XVII, 45; CL, 1). Sed quales eum laudare debeant, Scriptura non tacet, dicens ad ipsos: *Qui timetis Dominum laudate eum;* et item: *Laudabunt Dominum qui quærunt eum* (*Psal.* XXI, 24, 25). Quo contra: *Non est*, inquit, *speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Quid ergo de nobis censendum est, qui supra modum peccatores sumus, et laudes ejus attentare præsuminus? Sed divinæ pietatis divitias attendentes, de ejusdem indulgentissimi patroni misericordia præsumimus.

Denique eadem Scriptura, quæ in persona justorum dicit: *Laudent eum cœli*, mox subjungit, *et terra* (*Psal.* LXVIII, 35): ne peccatores desperarent. Nam adeo misericordiam suam Deus multiplicat, ut non solum homines, sed etiam jumenta salvet. Ergo et nos, de ejusdem patris laude, licet indi-

A gni, gaudeamus. Et quamvis non sit nobis os aperire præ confusione, tamen illud Mosaicum unusquisque nostrum eidem dicat: *Scio, quia misericors es, Domine* (*Psal.* XXXV, 8). Cum metu et spe præstolantes, utrum sicut regibus consuetudo est, ut in suis natalitiis reos absolvant; sic iste princeps Dei propter gaudium suæ sanctæ solemnitatis, vincula nostra relaxet. Siquidem et illud occurrit memoriæ, quod inter pretiosa filiorum Israel munera, etiam pilos caprarum (*Exod.* XXV, 4) quidam detulerunt. Et quia per illos peccatorum confessio designatur, saltem vel hoc unum offeramus. Verum si deest aurum sapientiæ, si argentum rite laudantis eloquii, si diversarum virtutum gemmæ, prostremo si castitatis byssus miseris
B abest, vel prædictos caprarum pilos offeramus, quia forte et ipsi cum veraci confessione placebunt. Veraci scilicet, quia quem adhuc ex consensu peccare delectat; falsum est, quod de præteritis vere pœniteat. Ut autem quiddam de humano usu loquamur, si quando paterfamilias, post tempus, domum suam revertitur, omnis familia solet adgaudere: cum quidem et catelli exsilientes, quodam gestu membrorum se monstrant lætari. Quapropter et nos, licet jumentis insipientibus merito simus comparandi, tamen si ob istius honorem solemnitatis, quæ eumdem nostrum Dominum nobis quodammodo repræsentat, gavisi fuerimus; vel micas misericordiæ ejus sperare quasi catuli sub mensa poterimus. Et hoc non ex nobis,
C sed ex bonitate evangelici regis qui cæcos et claudos ad convivium suum dignatus est asciscere (*Luc.* XIV, 13). Bene ergo nobiscum agitur, quod idem paterfamilias nos suis solemniis interesse non dedignatur. O quanti sunt etiam in remotissimis trans maria regionibus, qui tantopere gauderent si eis vel semel ad ejus sacrum tumulum accedendi possibilitas esset! Unde etiam considerandum est quid a Deo nobis donatum sit. Ne forte si ejus præsentiam minus reverenter senserimus, aut infecto corde, quod absit, in conspectu ejus vacui venerimus, dicat ipse propheticum illud: *Non est anima mea ad populum istum* (*Ista.* XV, 1); et item: *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum* (*Jer.* XII, 2). Propterea cum ad exemplum evangelici illius regis intraverit, ut videat solemnizantes,
D tanquam discumbentes (nam cum spiritu Dei plenus sit, nihil est in creaturis Dei quod eum latere possit), quisque nostrum procuret, ne forte paternos ejus ocutos cordis amictu vel corporis offendat. Nam, ut ipse dicit: *Omnis exaltatio genus est superbiæ*, per quam maxime *quisque sit abominabilis*, ut scriptum est, *apud Dominum* (*Deut.* XXII, 5). Meminerimus tamen, quia ad supernum judicem, vel ad senatores cœli placandos, recogitatio seu confessio peccati specialiter prosit: juxta illud: *Narra si quid habes, ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 26). *Iniquitatem meam*, inquit, *ego agnosco.* Et ideo quasi securus postulat: *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Quisquis vero nostrum vult sui meriti faciem contemplari, ne-

cesse habet ut in hoc speculum intendat, id est, ut ejusdem beatissimi confessoris actus sollicitus perpendat. Inspectis etenim, prout nostra parvitas est, illius gestis, vel quantum nos in imo, vel quantum ipse in sublime sit, animadvertere poterimus. Hinc de quolibet pœnitente scriptum est : *Respiciet homines*, id est, sanctos, *et dicet* : *Peccavi* (*Job* XXXIII, 27). Quoniam ad illorum speciositatem considerat quantum se deformem attendat. Quæ utilas autem de eadem confessione proveniat, ibidem signatum est, cum dicitur : *Liberemus eum de superbia, et de his quæ fecit, ut non eat in perditionem* (*Ibid.*, 17). At vero quia Scriptura jubet : *Sanctus enim dies Domini est, nolite contristari* (*II Esdr.* VIII, 10) ; quod ex nobis vel in nobis triste est omittamus : et quasi nobiscum sit hodie sponsus, gaudere præsumamus. Munus vero nostræ confessionis, velut ante pedes paternæ pietatis offerentes, nostrum posse in ejus laude et admiratione, totum sublevemus. Ejus vero laudes, quisque tanto celsiori voce clamet quanto hunc ardentius amat, vel ejus vitam perspicacius pensat, quæ nimirum a sui primordio, tota admiratione dignissima est. Nam quam magnificum illud est, quod paternas, ut fertur, eo deserente opes, admodum domicilium sibi Spiritus sanctus, in ejus sacro pectusculo collocaverat, qui esse philosophorum inania studia adhuc tenerrimus cognovit; qui grandævo animo jam tunc eremi vastitatem subire ausus est. Quod nec ipse quidem Martinus, toto orbe mirabilis, fecisse refertur. Et quia jugum non solum ab adolescentia, sed etiam ab ipsa infantia portavit (*Jer.* III, 25), ut ibidem Jeremias prosequitur, in illo cœlesti capitolio singulariter sedebit. Nec sine divino moderamine gestum fuisse constat, quod aculeos tentationis in sese tam validos, ibidem expertus est. Sicut enim dux bonorum Petrus, primo sibi ostensus, est tunc Dominico gregi prælatus; sic iste princeps Dei tantorum millibus monachorum præferendus, oportuit ut proprio discrimine probaret, qualiter subditis misereri debuisset. Quia tamen primo certaminis impetum fortiter devicit, tale quid deinceps nunquam sensit. Quam obedienter sane, et quam diserte privato bono quisque debeat commune bonum præferre, hic spiritalis disciplinæ magister in hoc suo facto demonstrat. Quod mox ut expetitus est, dilectam solitudinem se vincens deseruit, et voto supplicum satisfecit. Quoniam vero sancta atque admiranda ejus gesta in promptu habentur, nos interim taceamus de illis. Hoc tamen ad ipsius honorificentiam referamus, quod non alius quilibet ex magistris Ecclesiæ vitam tanti patris digessit, quam insignis ille disertissimus papa Gregorius, qui totum quod scripsit, quasi aurum refulget.

Divinitus enim dispositum est, ut cum isdem excellentissimus legislator in cæteris modis sit a Deo decoratus, etiam hinc majori auctoritate tam ipsi quam legislatio ejus roboretur, quod eamdem vitam summus apostolicæ sedis pontifex ordinavit. Quæ scilicet vita, etiam ex occasione Dialogi ejus, pluribus innotesceret; et non solum apud Latinos' sed etiam apud Græcos notissima foret. Nec illud prætereat quod omnimodis gaudendum nobis est, hunc tantum splendorem in hanc nostram occiduam regionem venire, divino nutu donatum esse. Nec abs re credimus contigisse quod clientem unice dilectum, beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc vivens direxerit, et demum se transferri voluerit. Forte enim, cum sancta mens ejus adeo dilatata esset, ut omnem mundum simul conspiceret : hunc locum, sibi quodam occulto consilio specialiter delegit. Viderit ergo quisquis est, cui locus tam multis usquequaque tantum desiderabilis non negatur : quanti habendus sit, quantaque reverentia excolendus. Pondus quippe cujuslibet reatus, non solum ex intellectu gerentis, vel tempore, sed etiam ex loco solet pensari. Hinc enim velut a majori exprobratione, contra impium vox divina queritur, dicens : *In terra sanctorum inique gessit, et non videbit gloriam Domini* (*Isa.* XXVI, 10) ; et item : *Dilectus meus in domo mea male operatus est* (*Jer.* XI, 15). Alioquin, quem præsentia tanti patris ad sui reverentiam non flectit, spiritum Judæ videtur participare. Cujus duritiam, nec visio, nec locutio, nec convivium ipsius Domini emollivit. Inspiciamus ergo, quid a Deo donatum est nobis, et ablatam gratiam nullatenus in vacuum recipiamur. Tantus fulgor, cæcitatem mentis nostræ illuminet. Tanta pietas, duritiam emolliat. Tam potens medicina, vulnera nostra sanet. Si enim adhuc puerulus ita capisterium reparavit, ut nec scissura quidem appareret; nos, qui vasa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati sumus, quia multas peccatorum scissuras incurrimus, per eumdem medicum qui jam suo regi sociatus est, reparari poterimus. Si nigredo scelerum nos decoloravit, non simus ut Æthiopes, qui non mutant pellem suam; sed ad ejus manum recurrentes, annonam misericordiæ, sicut ille corvus, ab eo requiramus. Si etiam inter injuriosos merito computandi sumus, illum tamen affectum, quo pro se odiente flevit, ab ipso reposcamus. Neque enim supplices, quamvis indignos, aversabitur, qui pro perseverante in malitia lugebat. Gaudeamus ergo, et erga Dominum nostrum, quo valemus adnisu dilectionis affectum exhibeamus. Nam idcirco dimissa sunt Mariæ peccata multa, quia dilexit multum (*Luc.* VII, 47).

Cæterum ad laudes ejusdem principis Dei semper, juxta Psalmistam, adjicere, cuiquam desiderandum est. Sed nos affectum quidem exhibere possumus, perfectionem vero tantæ rei nequaquam explere sufficimus Quapropter easdem illius laudes, non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat ; sed ubicunque sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus Benedicti frequentatur. Si enim *in multitudine populi dignitas regis est* (*Prov.* XIV, 28), ut ait Salomon, quantum putamus esse dignitatem istius regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus mona-

chorum ? Quis unquam rex aut imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diversis nationibus sibi tantas legiones conduxit, quantas videlicet iste, cujuslibet sexus et ætatis in Christi militia, voluntarie juratas disponit? Quem quasi præsentem intuentes, et vexillum institutionis sequentes, diabolicas acies viriliter infringunt. Quibus illuc propheticum coaptatur, *erunt oculi tui, videntes præceptorem tuum* (*Isa*. xxx, 20). Denique fidelis opinio est, quod unusquisque sanctorum cum illis surget in regeneratione, quos Domino acquisivit. Cum igitur universi hujusce institutionis ejus sequaces, in unum coacti fuerint; quale signum apostolatus Benedicto tunc ille copiosus exercitus seipsum exhibebit? O quali gaudio tunc ille tripudiabit, qui sese illis cohortibus immiscere potuerit ! Nunc omnes, vel loco vel affectu vicini, in eum cordis intuitum dirigant. Omnia enim omnibus factus est. Habet enim pueri formam in puero quam sequantur ; ut quoniam ad exemplum Isaac Deo obliti sunt, primordia sua caveant fermentare. Ac deinceps quique per ætatum successiones sint perfecti sensu ; ut a paterna sui nutritii pietate non degenerent. Ne forte si ab excellentiori gradu ceciderint, gravius elidantur. Sed et nos quicunque deliquimus, nullo modo ab speranda clementia deficiamus ; quia vivens et post obitum mortuos suscitavit, confracta restauravit, desperata curavit.

Et quamvis non fecerimus ejus voluntatem, Dominum tamen invocemus eum, et sint oculi nostri in manibus ejus intendentes, donec ipse suos attollat super nos, et misereatur nostri. Sit nobis semper Benedictus in corde, Benedictus in ore, Benedictus actu, quatenus si qua virtus, si qua laus disciplinæ, ut illud apostolicum imitantes, quæ vidimus in illo, et audivimus in illo, et audivimus ab illo, sectemur, ut nobiscum sit Deus pacis per ipsum, in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO IV.

### DE COMBUSTIONE BASILICÆ BEATI MARTINI.

Exigitis, domini mei, divites inopem, eloquentes elinguem. Nam quia nuper basilicam (124) domni nostri Martini flamma denuo voravit, et hac occasione quidam quasi fide vacillant, quidam insuper stulti garriunt, cur incendium non represserit; dolor qui de priori adustione contigerat, nobis renovatus est, et ob hoc exigitis, ut quædam quasi sicera verborum vobis conficiatur, quæ mœrentibus propinetur, et illis aliquatenus succenseat. Quod quidem ego diu cunctatus refugi. Martinus etenim, cujus obsequio debet iste sermo famulari, major est quam dici queat. Quem, sicut de eo perhibetur, usquequaque Deus mirificans, etiam in hoc glorificat, quod omnis qui de illo et prosaice et metrice, sive etiam rhythmice scripserunt, et sancti et periti fuisse, et dulci admodum atque compto eloquio noscuntur, quæ pertulerunt edidisse. B Et nimirum, nisi jubentium auctoritas et rei necessitas urgeret, inconsequens videretur, ut is, qui de homine et nihil habet, et parum, id tentare præsumeret. Sed ad spem communem cordis oculos reducens, spero, quoniam Christus, qui benedicit pusillis et majoribus, non desereret hoc quod obedientia conatur obsequens imperio charitatis. Nam ipse volat super pennas ventorum, excellens omnem contemplationem angelorum: ipse descendit ad inferiora terræ, lactescens teneritudinem parvulorum. Ipse facit ut animalia volent sequentibus rotis, ipse ut stellio brachiis nitens moretur in ædibus regis. Et cui patriarchæ vel prophetæ cecinerunt, ejus laudes Hebræorum pueri clamaverunt. Ut ergo dedit excellentes viros, qui mandatas excubias ducentes in laudem beati Martini C multo nobiliter scriberent; ita infirmis præstare dignetur, ut saltem velut canes modicum quid pro ejus zelo delatrent.

Quando [quo] primo igitur tantæ calamitatis rumor, et vicinas et remotiores quasque provincias derepente pervolavit, ingens mœror et luctus omnium corda perstrinxit, ita ut, sicut nobis relatum est, non solum quilibet rusticani, qui beatum virum quasi peculiarius diligere consueverunt, sed et optimates quique lacrymati, quin etiam et reges fuisse dicantur. Quibus equidem vim doloris hoc maxime exaggerabat, quod eadem domus ante non multos annos combusta fuerat (125): et nunc multo sumptu, multaque suorum indu-

(124) *Basilicam domni Martini flamma denuo voravit.* Non semel, sed pluries ecclesia sancti Martini combusta fuit ante M. annum. Primo, tempore Clotharii regis, per Wilicharium conjugemque ejus, uti scribit Gregorius Turonensis, lib. IV Histor, Franc. cap. 20, et libro X, cap. ult. Secundo per Nortmannos, anno 853, sicut referunt annales incerti auctoris, his verbis : « Anno 853 Nortmanni per Ligerim fluvium venientes Turonum Galliæ civitatem prædantur, et inter alias ædes ecclesiam quoque sancti Martini confessoris nemine resistente, succendunt.» Quibus concordat et Sigebertus Gemblacensis monachus in Chronico. Tertio rursus per eosdem Nortmannos anno Christi 903, quemadmodum testatur Historia dominorum Ambaziensium, dum ait : « Mortuo Odone rege, qui X annis regnavit, in VII anno post ejus obitum ab Erith et Bathet Nortmannis civitas Turonis succensa est, ecclesiaque beati Martini cum toto castro, atque cum XXVIII ecclesiis. » Quarto denique, sicut habet Anonymus, Majoris Monasterii monachus : « Anno Incarnationis Dominicæ 994, ecclesia beati Martini iterum concremata D est una cum castro ab oriente, a fine sancti Hilarii usque ad sanctam Mariam Pauperculam, a meridie a porta sancti Petrutionis usque ad Ligerim. » Non in hac autem, neque in secunda, sed in tertia combustione, quæ contigit anno 903 sermonem hunc ab Odone dictum, et tempus ipsum quo claruit, et verba quæ statim sequuntur, nempe, quod *eadem domus ante non multos annos combusta fuerat*, aperte demonstrant.

(125) *Et nunc multo sumptu, multaque suorum industria reparata.* Primam basilicæ sancti Martini combustionem restauravit Euphronius archiepiscopus, illamque stanno texit, opitulante rege Clothario, sicut dicit Gregorius Turon. lib. IV. cap. 20, et lib. X, cap. ult. Secundam ipsi canonici sancti Martini, qua potuerunt industria et excellentia reparaverunt, ut hic docet sanctus Odo. Pro tertia resarcienda, pecuniis jam deficientibus, ad Adefonsum Hispaniæ regem recursum est, ut patet ex ipsius Adefonsi litteris anno 906 datis, quæ benignitati Joannis Massoni Papirii fratris de-

stria tandem reparata pulchrius videbatur. Multo A enim decentius nunc, quam ante illam combustionem fuerit, compta renitebat, longe tamen inferius quam priscis temporibus, quia nunc [tunc] et crustulis marmoreis intus obducta erat. Nam interdum Protonisso marmore paries rubicundus, nunc Pario candidus, nunc quoque prasino viridis varium et satis pulchrum schema præferebat, et foris aureolis sapphirinis, atque musivis fulgebat lapillis. Sed et tectum stagneis [stanneis] (126) tabulis erat opertum. De iis quædam adhuc indicia sunt, et quosdam grandæ-

bitæ, sic habent : « In Dei nomine Adefonsus pro Christi nutu, atque potentia Hispaniæ rex, Christianissimo gregi, et cultoribus tumuli beati confessoris Christi Martini Turonensis ecclesiæ, in Christo, et per Christum, æternam salutem. Litteras sanctitudinis vestræ, quas per mansionem, es datum † deferri procurastis ad egregium pontificem apostolicæ Jacobi sedis archiepiscopum Sisinandum : postquam eas ille gratiose suscepit, et avide percurrens usque ad nostram clementiam destinare solerter non pepercit, recitatis quoque vestris apicibus, de sospitate vestra gavisi sumus : B de Nortmannorum autem audacia, qui domum beati Martini incenderunt, suffoderunt, ac ejus pascua depascuerunt, dolor exinde impatiens nostro infixus est pectore. Sed quia certum est pro contemptu divinorum præceptorum, et transgressione mandatorum, Judæam, et Jerusalem perniciem sustinuisse pressurarum, ac domum Dei, legemque divinam a multis stirpis † vicibus esse captam atque succensam. Sed quoniam non in finem irascitur Dominus, a Jesu sacerdote magno, et Zorobabel, et Esdra, et Nehemia, in melius pro Dei jussu omnes ruinæ fuerunt contractæ, ac domus Dei restaurata. Unde confidimus in merito et interventu sancti Martini, qui vobis domum suam spiravit munire et instaurare, ut ultra non oculus [conculcet] eam superbus, nec contaminet pollutus. De mirabilibus quoque quæ penes vos gesta sunt, ut vestra narrat scedula, quæ hodie agit Dominus in vestra ecclesia, loqui mutos, solvi colligatos, C audire surdos, auxit nobis milliare gaudium benedictus Dominus, qui per magnam misericordiam corroborat in omni tribulatione Ecclesiam suam. Ideo optamus vos bene valere, et sic ut prospere agatis, peragere procurate, et domum sancti Martini instudete munire. Gaudemus valde de hoc quod recte facitis. Et magis autem horum nos habemus gaudium, cum audimus vos in viis Domini ambulare, et domum Dei restaurare, ejusque atria munire, ut ipso præstante, ultra non paveat ruinam. De cætero quod rursum insinuastis, quia penes vos coronam imperialem habetis ex auro et gemmis comptam, nostræ serenitati condignam, et ob id apostolicam serenitatem Sisinandi intervenistis, ut nobis hoc insinuare procuret, et emere peroptaret, ita ut restat [res ista], si nostræ complacuerit voluntati, apicibus redditis certificare vobis non differatur. Ideoque placuit nostræ serenitati hoc quod sermocinati estis, et insuper D opulentam impendimus consilii vestri [consiliis vestris] gratiam. Quamobrem pernoscite navalem remigationem inter vos et amicum nostrum Amalvinum ducem Burdelensem inesse, et opitulante alti Poli potentia in hoc anno, qui est incarnatione Domini 906, indictione 9, inter cætera maxime disposuimus, ut mense Madio nostræ naves cum pueris palatii nostri usque Burdelensem, civitatem remigent. Vos tamen, si ex corde hoc implere nitimini, dirigite ipsam coronam per vestros fidelissimos fratres ad Amaluinum comitem Burdelensem, ut sit ibidem in mense diffinito mediante Madio, et eam ibidem nostri pueri inveniant : ratione servata, ut nostræ ibidem remeneant naves, et pueri nostri, cum aliquibus ex fratribus vestris, quousque duo aut tres ex ipsis vestris fratribus, cum aliquantulis ex nostris pueris et cum ipsa corona unam tantummodo ascendant navem, ut citius devolent usque ad nostram, Deo auxiliante, præsentiam. Quod si placuerit, extemplo plenarium diffinitum direxerimus vobis per illos pactum ; non enim minuere, sed augere et locupletare causam ecclesiæ vestræ nitimur. Insuper et munera in adminiculum fabricæ conamur per fratres vestros vobis possidere. Quod si placuerit, remittemus eam sanam [per] ditatos fratres, et ob fastidium locupletatos. Sane optamus vestram benignolentiam, ut quidquid conscriptum habetis de virtutibus quæ in ecclesia vestra post obitum sancti Martini, gratia et merito ipsius Deo annuente factæ sunt, nobis dirigere non gravemini. Quoniam tamen nos de mirabilibus ejus habemus conscriptum, quæ in vita ipsius usque ad obitum mystice peracta sint : nos quoque multorum virorum illustrium vitam, virtutes, et mirabilia utpote emeretensum † evidenter ac sapienter conscriptas habemus, quæ ut remoror in Archivis vestris non habentur. Quod si vobis utilitas fuerit, dirigere eas procurabimus. De cætero quod conquæritis cujus Apostoli tumulus hic penes nos habetur, certissime pernoscite Jacobi apostoli Zebedei, Bonargis, qui ab Herode decollatus est, sepulcrum habemus in archis Marmaricis, provincia Galæciæ. Manu enim Domini gubernante, ut multæ veridicæ continent historiæ, usque ibidem per ratem corpus ejus perlatum est atque sepultum. Cujus sepulcrum multis claret hactenus mirabilibus, lacinantur † dæmones, cæcis redditur lumen, claudis gressus, surdis auditus, mutis eloquium, multisque et aliis mirabilibus, quæ cognovimus, et vidimus, et pontifices, et cleri ipsius narraverunt nobis. Nam quomodo in Jerosolyma ab Herode decollatus est, et huc sportatus atque sepultus, vel quo tempore, vel quomodo, evidenter manifestum omnibus, et veridicæ nostrorum archiepiscoporum epistolæ, et Patrum historiæ, et multorum testantur eloquia. Quod si ad singula modo voluerimus ea vobis narrare, in longius vexetur stylus, quo modum excedemus epistolæ juxta, imo festinationem gerulorum qui noluerunt remorari. Sed opitulante Deo, dum vestri ad nos devenerint clerici, omnia liquidius et enucleata, nullaque lucubratione retenta, sed quod a sanctis Patribus accepimus, et tenemus in scripta, vobis dirigere non denegamus. Deo annuente, et amota omni hæsitatione, certe credatis, quod rectum et justum tenemus Quod autem exquisistis quantum ab Oceano mari eminus distat ejus tumulus, vel in quo loco situs est, a mari virio † pernoscite usque ad locum ubi, Domino gubernante, duos fluvios, quos antiqua vetustas nominavit Voliam, et Sarem, in locum, qui dicitur Bisria, vestræ sedis Irriensis, ecclesiæ sanctæ Eolaliæ, habentur millia x et exinde usque ad gloriosum ejus sepulcrum, habentur millia xii. »

Verum hic Hispanicæ devotionis affectus ad laudabilem non pervenit effectum. Imo, sicut est apud Anonymum Majoris Monasterii monachum, hanc sancti Martini « ecclesiam toties concrematam optimates quinque, clerici et burgenses reædificaverunt, et ne leviter amplius opprimeretur, muro firmaverunt, et turribus firmis et munitissimis cepserunt. » Denique combustionem quartam refecit *Herveus thesaurarius ipsius sancti præsulis*, quem Glaber Rodulphus male et *Henricum* et *Herineum archiclavum* appellat lib. III, cap. 4.

(126) *Sed et tectum stanneis tabulis opertum.* Primam super corpus sancti Martini basilicam ædificavit sanctus Briccius, ejus in episcopatu successor, in qua et sepultus est, teste Gregorio Turon. lib. x,

viores fratres vidimus, qui ita testabantur, dicentes, quod machina domus contra solem resplendens quasi monticulus aureus videbatur, et tam gratam speciem cernentibus repræsentabat, ut gloriam beati Martini quodammodo testaretur. In arcuatis vero porticibus voluerunt eam prisci constructores architectari; quoniam domus illa, quamvis latissima sit, turbis tamen sese imprimentibus tantum solet esse angusta, ut antipodia chori et angi posticulas quamvis nolentes subruant. Quam devotam violentiam, credo, gratam habet domnus ipse Martinus, ad exemplum videlicet Domini sui, quem turbæ comprimebant. Nunc tamen et histriatis parietibus, et vitreis sapphiro subornatis, quin et bracteolis aureis decusata non parum intuentes oblectabat. Quando autem, ut diximus, fama tam diri nuntii circumquaque pervolavit, tempus jam instabat, quo ejusdem beati Martini solemnitas solet celebrari. Cum quidem turmæ populorum catervatim irruunt partim causa solemnitatis attracti, partim ut dejectionem domus viderent. Siquidem ea vis naturæ est, ut quilibet dolens oculis videre gestiat hoc ipsum unde dolet. Et cum res visa plus cor mœstificet, tamen quasi ad solatium videre cupit, unde magis indoleat. Ferebatur autem inter plurimos, quod inter fratres nudius tertius antea discordia sævierit, quinetiam pridie quam sancta ædes cremaretur, quidam ante sanctum altare et conviciis, et verberibus quosdam ex fratribus dehonestaverit: sanctus quoque Martinus cuidam pauperculo per visum apparuerit, et quasi conquerens dixerit, quod in sua domo sit injuriatus, et concite sit inde migraturus, atque ad Tutelensem vicum perventurus. Ita enim confluebat ingens turba, ut putares quod afflictum Job vellent amici ex condicto visitare. Tum quidem et nos occurrimus. Oculis vero cuncta percurrentibus inundabant lacrymæ. Et cum singula qualiter ante videbant. flentes inspicerent, gemitus irrumpebant. Cordis vero sanguine, de quo lacrymæ nascuntur, jam exhausto (nam de eodem sanguine fluunt, et ideo cum pro pietate funduntur, martyrium quodammodo imitantur), ad auditorium secessimus. Tum vero nescio quid diu sermocinati sumus. Siquidem dolentibus mos est, non id quod ratio poscit, sed quod dolor extorquet identitare. Tandem ad hoc ventum est, ut ad doloris augmentum diceretur, quod nonnulli beato Martino detraherent, quasi qui non posset incendium reprimere, quo domum suam toties permisisset igne depasci: nonnulli quoque dicerent, quod hanc nostram ætatem jam haberet exosam, nec more suo preces supplicum attendat, cum se per miracula præsentem non ostendat. Alii nihilominus quasi discuterent quidnam sit, ubi tanta psalmodia, tantaque missarum frequentia celebretur, ubi etiam temeritas precandi tantum reprimatur, cur divina severitas adeo domari [dominari] permissa sit, cum utique in multis aliis locis et minus Deo serviatur, et precandi libertas effrenatior videatur. Hoc nos audientes stupore percussit, et dolore attoniti, fraudes antiqui deceptoris illico recognovimus. Nam cum apostoli sint bonus odor Deo, facit tamen idem deceptor, ut quibusdam sint odor mortis in mortem. Quod nimirum istis contingere timuimus, qui de medicamento vulnus sibi exaggerant murmurationis. Quia vero beatissmi domni nostri injurias audivimus exerceri, prout charitatis viscera quisquam sensit, amplius cœpit dolere. Non satis fuerat quod nostris exigentibus culpis, secundum illud templum pertulit conflagrari, adhuc, proh dolor! ii, pro quibus hanc injuriam sensit, nituntur ei calumniari. Memores tamen illius quod dicitur de Deo, quia dedit carmina in nocte, id est, consolationem Scripturarum in tribulatione, conferebamus vicissim quod menti ad solatium occurrebat. Ac tum forte de hoc quod dicebatur, sese ingessit occasio, ut idem diligentius retractatum scriberetur. Ergo juxta tenorem tunc habitæ confabulationis, quid nunc divina dignatio indulserit adoriamur, primo suadentes, ut juxta prophetam, vexatio saltim det intellectum auditui, quatenus comminationes, quas Deus pecccatoribus intentat, vel per hoc quod accidit expertas, timeamus; rogantes Christi clementiam, ut juxta illud Job, molliat cor nostrum, et cibare nos dignetur pane lacrymarum, ne forte dicatur de nobis: *Attrivisti eos, nec doluerunt* (*Jer.* v, 3); et item: *Percussi populum meum, et a viis suis non est reversus* (*Jer.* xv, 7). Et cum nostra perversitas cor justi, scilicet domni Martini, sicut alias diximus, mœrere faciat, cum nos potius viderit in rebus pessimis exultantes, queratur dicens: *Sustinui qui saltem contristaretur et non fuit* (*Psal.* LXVIII, 21); itemque: *Non est qui vicem meam doleat* (*I Reg.* XXII, 8). Non enim satis nos remordebat memoria peccati. Quod illis sæpe contingit, qui et peccata sua non deflent, sed potius multiplicant, et nihil accidit eis triste. Unde scriptum est: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala* (*Eccle.* VIII, 11). Sed conveniebat nobis illa vox qua dicitur: *Traxerunt me, et non sensi* (*Prov.* XXIII, 35). *Ad*

Hanc, quia, parvula nimis erat, Perpetuus, et ipse Turon. episcopus, a Briccio secundus, submovens, construxit aliam ampliorem miro opere, quam idem Gregorius describit lib. II, cap. 14, et in ejus absida beatum corpus ipsius venerabilis sancti transtulit. Verum et hac per Wilicharium succensa, cum ibi confugium pro Chrammi quondam circumventione fecisset, Eufronius, decimus octavus episcopus, eam in illa qua prius fuerat elegantia reparavit, et Clothario rege ordinante stanno cooperuit, ut habet jam dictus Gregor. Turon., lib. IV, cap. 20, et lib. XI cap. ult.

*nihilum redactus sum, et nescivi* (*Psal.* LXXII, 22). *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi* (*Psal.* XXXIV, 18). Et idcirco Deus, qui terribilis est in consiliis, vindictam quam meremur, in illius sancti templi combustione monstravit, quasi ministris vindictæ diceret: Isti domus exasperans mihi sunt. Ultionem a sanctuario meo incipite, ut ignis indignationis, qui abyssum cordis humani combusturus est partem domus interim assumat, ut cum a se desiderabile oculorum auferri viderint, me ad ostium cordis sui pulsantem contempsisse pœniteat. Per hoc ergo quod in templo accidit, arrogantia nostra, ut ita dixerim, nobis in faciem respondit. Et omnimodis cavendum est, ne forte, sicut illic sequitur, spiritus fornicationis sit in medio nostrum, et B interim illius ignis pernicies, isti exteriori toties sit fomes. Sæpe autem fit ut peccator quanto deterior est, tanto densiori cæcitate cor ejus obtenebrescat, et cum boni aliquid fecerit, hoc apud se, sicut ille Pharisæus, jactet, minus attendens quia bona quælibet Deo non placent, quæ malorum admistione maculantur. Tali cuilibet divina vox inclamat: Dicis quia dives sum, et nescis quia miserabilis est, et cæcus et nudus: nudus videlicet justitia; cæcus vero, nesciens ipsam nuditatem suam videre. Effudit ergo Dominus, ut scriptum est, ignem in Sion, et voluit reddere vastationem in flamma; ut videlicet per indignationem, quæ in materiali domo desævit, extimeamus domus exasperans esse, animadvertentes C quid in occulto ejus judicio mereamur. Neque enim parvus reatus est, qui sanctam illam domum et e vestigio, et toties exigit concremari, ut cum paulo ante succensa fuerit, non sit aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Sed nec putandum est quod hoc casu acciderit propter illud Jeremiæ: *Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente?* (*Thren.* III, 37.) Et item: *Si est malum in civitate, quod ego non præceperim, dicit Dominus* (*Amos* III, 6), *vel quis dedit Israel vastantibus? Nonne Dominus cui peccavit?* (*Isa* XLII, 24). Nos itaque scientes quia peccata nostra fecerint hæc, consequens est, ut ingemiscamus super injurias domni Martini; imo potius super nos, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido qui fiet? Alio- D quin dicitur: *Dissipati sunt et non sunt compuncti* (*Psal.* XXXIV, 16). Et item: *Frons meretricis facta est tibi, nescisti erubescere* (*Jer.* III, 3). Qui vero ad nutum Dei contremiscunt, et sub potenti manu ejus sciunt humiliari, audiant consolationem illam, quæ post destructionem Hierusalem facta est, dicente Domino: *Ædificabo vos, et non destruam; jam enim placatus sum super malo quod feci vobis, et vobiscum sum* (*Jer.* XLII, 10). Et ille quidem, sicut Dominus, qui cum tranquillitate judicat, et cum magna reverentia disponit nos, placabitur servis suis. Nobis tamen competit, ut hunc in omnibus judiciis suis laudemus, et si qua bona opera in nobis sunt, in ipsis timeamus. *Verebar*, inquit Job, *omnia opera mea* (*Job.* IX, 28). Nam et ille postquam tanta ac talia pertulit, cum interim ipsis verberibus gratior esset, ut Deus ad hunc visitandum venire dignaretur, adhuc se humiliat dicens: *Reprehendam me et agam pœnitentiam* (*Job.* XLII, 6). Nam post illam pridianam succensionem, muris cum ingenti studio compactis, septa monasterii communistis, hoc nimirum præcavere volentes, ne sancta domus ultra posset ab hostibus lædi. Sed non satis attendentes in quanta reverentia sanctus iste locus ab antiquis temporibus effulserit, protinus religione relicta, commune diversorium esse permisistis; ita ut feminis ad hauriendum aquam, et ad discurrendum quo voluerint portarii non resistant; cum viderimus quod nulli intra monasterii portas vel parum intrare licuerit; neque aliquis equitando statim per atrium transire ausus fuerit. Sed nunc ita negligitur, tanquam si murus ille non ad hostium repulsionem, sed ad excludendam loci reverentiam esset erectus. Nec valuit isdem murus ignem prohibere, quidem neglecte contemptus exigebat succendi. Mordacius hoc dixerim, quia, vere fatebor, multorum corda per hoc mœstificantur, quod locum pro amore beati Martini sacrosanctum non videant, secundum priscam reverentiam, venerari. Neque hoc parum displicet, quod quidam in eodem loco nutriti, se quibusdam laicalibus vel nimium pomposis vestibus dehonestent, cum talis esse consueverit eorum conversatio, ut hanc etiam Romæ laudari audiverimus, quibusdam Romanis dicentibus: Quia non esset necesse Romam profisci, qui templo beati Martini morerentur vicinari. Jeremias propheta plangit, colorem religioni congruum immutari. Dicitur alias: *Ne glorieris in vestitu unquam* (*Eccli.* XI, 4). Viderint ergo isti quam stultum sit, decore vestitus gloriam emendicare, et decore virtutis animam nudare. Cæterum iis, qui de potentia beati Martini delirant, amator ejus, et decentissimus relator Sulpitius jam olim satis respondit. Nam cum aliquando vestimenta ejus pariter afflaret incendium, quod tamen ille protinus in medium se projiciens frigidum sensit, quidam similiter occasionem detrahendi sumpserunt. Responsio tunc illis facta, istis sufficere deberet, qui nequaquam hoc mirarentur, si dispositionem qua Deus mundum regit, vel tenuerit, attendissent. Parum est ut mirentur, si hoc templum et superbiæ, vel luxuriæ vitiis forte pollutum, talibus quibusdam Deo cognitis causis exigentibus, flamma purgaverit. Discutiant potius quidnam sit quod ab origine mundi mala prævaleant. Cur impio Cain justum Abel subruere Deus permiserit? Et cur Job incomparabiliter tunc temporis justum, usque ad sterquilinium et vermes Satanas compulerit? Cur Joannes, quo nemo major inter natos mulierum, rogatu saltatricis puellæ decollatus sit? Certe si isti Christum in cruce vidissent, non, sicut ille latro, regnum ei restare crederent. Qui etiam si apostolos cæsos publice vidissent, et Stephanum forte nocte et die bestiis expositum conspicerent, fidem Christi inanem putassent. Sed postquam ex fide mundus

vivere cœpit, consilium divinæ dispositionis, si reverenter attendit, intelligit, quia regnum Jesu non est de hoc mundo, et sancti ejus non habent hic manentem civitatem, et idcirco hic non quærunt gloriam, quam in futuro sperant, nec signum aliquod unquam hic nisi pro utilitate proximorum quærunt. Hinc propheta non propter se sed propter inimicos suos orat salvari, dicens : *Propter inimicos meos eripe me* (*Psal.* LXVIII, 19), id est, per meam ereptionem intelligentes potentiam tuam convertantur ad te. Scientes enim quia nequaquam possunt hanc vitam sine peccato transcurrere, optant potius ut hic ad sui emendationem affligantur. Nam propheta rogat : *Proba, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV, 2). Item alius : *Ingrediatur putredo in ossa mea* (*Habac.* III, 16). Quam sibi utilitatem inde speraverit, manifestat, subdens, *ut requiescam in die tribulationis* (*Ibid.*). Afflictus quoque Job : *Hæc*, inquit, *erit mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcat* (*Job* VI, 10). Nam et Apostolus non gloriatur, quod in paradisum, et etiam usque ad tertium cœlum raptus sit, nec quod ineffabile arcanum inibi audierit ; sed potius gaudet quod ter naufragium fecerit, quod ter virgis cæsus, quod semel lapidatus sit. Sed isti queruli, qui miracula semper quærunt, hanc dispensationem attendere nesciunt. Nam superbi et vani hoc semper fieri gestiunt, unde rumor popularis et inanis gloria crescat. Sed quicumque timorati sunt, hoc magis desiderant, unde vel purgatio peccatorum fiat, et mens a superbia defendatur. Nam si Martinus sibi potentia consueta flammam depulisset, utique ultio peccatis debita restaret, et impietas quasi impunita forte succresceret. Sin autem ex hoc quod sancto cuilibet in præsenti accidit, virtus ejus pensanda est, jam non unus, sed omnes sancti; non mediocres, sed summi dehonestabuntur.

Sanctus namque Benedictus monasterium ædificaverat, religiose videlicet ac pie, sicut utique benedictus. Cui tamen revelatum est, quod hostibus esset divino judicio tradendum ; hoc sibi tantum concesso, ne qualibet ex animabus periret. Parum sane dixerim quod et forinsecus, et confessori quamvis magno acciderit. Sed credo non parum et insipiens censebit, quod supradictus Baptista potens ille in miraculis, utero Christum Dominum sentiens, sanctissimam vitam ducens, pro testimonio veritatis occumbens, ille imcomparabiliter magnus in semetipso, hoc est in suis sanctis ossibus talia pertulit, quæ ingentem audientibus horrorem incutiant. Nam ut Eusebius in Historiarum libro XI narrat, sanctum ejus sepulcrum apud Sebasten positum pagani confregerunt, tunc ossa combusserunt, quæ terreo pulveri immiscuerunt, et ita per campos passim disperserunt. Sed monachi quidam supervenientes, eadem hora sancti corporis frusta divino nutu reperta collegerunt. Ad sepulcrum quoque Dominicum per multos annos idolum statutum est, ut quisquis se illuc inclinasset, idolum adorasse videretur. Ipsa crux Domini diu Judæorum celata fraude,tandem mirabiliter reperta postmodum a profano rege asportari permissa est. Viderint isti secretorum discussores, qua Domini dispensatione et talia, et his similia fieri sinantur. Nobis hoc unum convenire videtur, ut a divinis judiciis timeamus, et videntes hoc quod accidit, quisque nostrum dicat : *Domine, audivi auditum tuum, et timui* ; *Domine, consideravi opera tua, et expavi* (*Habac.* III, 2). Et item : *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi* (*Isa.* XII, 1), et cætera. Et quia per materiale templum dedit spiritualibus significationem, ut fugiant a facie arcus, id quod illic præmittitur, supplicemus, ut quoniam iratus est, sit etiam misertus, dicentes : Increpationem Domini sustinebo, quia peccavi ei. Tunc præterea non incidat nobis illud diabolicum suspicari, quod illa virtus domni Martini defecerit. Illa pro sui magnitudine toto orbe mirabilis ; illa, ut ita dicam, probata signis. Quin potius credendum est, quod illa ejus charitas, quæ semper etiam erga ejus æmulos propensa et benefica fuit, ita illum adegerit, ut hoc a Domino impetraret. Nam quorumdam sanctorum, qui causa aliorum injuriari maluerunt, facta considerantes ; in hanc opinionem non abs re venimus. Siquidem Moyses rogabat Dominum Deum suum, ut noxam populo dimitteret ; sin alias, deleret eum de libro vitæ. David quoque videns angelum cædentem populum, postulat ut super se et domum patris sui gladius vertatur. Qui et interfecto patricida filio lugebat, dicens : *Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili* ? (*II Reg.* XVIII, 22). Sed et Jeremias cum ex ore Dei populum in Ægyptum descendere prohiberet, et ille contemneret, nec sic eum deserere potuit, sed cum ipso populo descendit, a quo et interfectus est. Paulus etiam apostolus vas electionis optat anathema esse pro fratribus suis. Sane Stephanus orare non poterat, ut pro lapidatoribus moreretur, quoniam ipsi hunc in mortem urgebant : unum tamen eis quod supererat impendens : *Ne statuas*, inquit, *illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 53). Sed quid de servis dicimus, quandoquidem ipse Dominus omnium pro impiis, ut ait Apostolus, mortuus est. Unde et propheta dicit quod alienum opus susceperit, ut faceret opus suum. Pati enim, et irrideri, et mori alienum est a Deo : salvare autem, ejus opus est. Sed illud quod alienum est a Deo, peccanti homini debebatur. Et tamen alienum opus suscepit, ut opus suum faceret, quia mori dignatus est ut morte dignos salvaret. Videamus autem an in Martino tale aliquid fuerit. An non ista charitas hunc urgebat, quando chlamydem pauperi divisit? De duabus quippe tunicis præceptum est, ut harum altera non habenti donetur. Sed iste non solum Pharisaicam justitiam, sed etiam Christianam longe supergressus, ipsam unam cum sua nuditate partitus est. Nam a latrone vinculatus, se esse prorsus asserebat securum, illique magis dolere, qui latrocinia exercens, Christi misericordia esset indignus. Tunc nihilominus hac dilectione, qua plurimum flagrabat, cum sciret, quod ante diem mortis

non posset reverti, pro pace tamen inter clericos restituenda proficisci longius non dubitavit. Et tunc quilibet alius etiam præsentes poterat oblivisci. Nam eadem charitas in fine, quod est decentissimum, præcipue fervebat, cum cœleste regnum quod ab infantia suspiraverat, et insuper ipsam Christi præsentiam, quoad ipse vellet, differri sibi pro amore discipulorum non recusabat. An modica est illa charitas? Aut hominem quando negligeret, qui brutis etiam animalibus compatiendi affectum frequenter indulsit? Unde quidam, qui Grammaticus cognominabatur, nuper garriebat, quod in ejus vita superfluo positum sit de lepore, quem a canibus exemit. Sed quicunque tales sumus, qui nullum genus commendationis apud illum ex nostra justitia habemus, non plus nobis aliud miraculum, quamvis grande, placituri [placiturum] videtur: quoniam si in aliis majorem potentiam, in isto tamen monstrat propensiorem miserendi affectum. Sed quid debilitatis [de liberatis] animalibus dicimus, cum ab ipsis quoque hæreticis Maximi gladium summoverit? Insuper ipsi dæmonio, si ab hominum infestatione cessaret, veniam pollicitus sit? Quod equidem idcirco dixit, ut quosdam fratres, quorum vitia dæmon ille exponebat, a desperatione retraheret. Itaque hæc et hujusmodi alia recolentes, incunctanter credimus, quod domum suam non pro inopia virtutis, sed piæ dispensationis causa permiserit aduri. Si quæritur quæ sit ista dispensatio, hoc iterum menti occurrit, quod illi, qui in ejusdem domus constructione pridem laboraverant, nihil de sua mercede perdiderunt, quoniam, etsi opus periit, pii tamen operis merces restat: sicut sermo divinus quibusdam pie laborantibus asseverat, dicens: *Erit merces operi vestro* (*II Par.* xxv, 7). Quin potius si qua et levis culpa, quod frequenter fit, in eodem labore se immiscuerat, credimus hanc esse purgatam. Nam in ipsis bonis operibus aut per elationem, aut per teporem sæpe delictum sese immiscet. Et idcirco jubentur sacerdotes holocausta sua lavare, videlicet ut in ipso bono opere quisque timeat, et velut hostiam lavans, lacrymas fundat. Est et alia dispensationis causa. Plerique enim et pro injuria sancti viri dolendo, et ad restaurationem locorum, sanctum studium, sive res suas impertientes, cœleste sibi præmium sunt mercati. Qui scilicet, si basilica in suo statu persisteret, nihil tale fecissent, sed picturis inhiantes forte risissent. Adhuc enim majus, si non temere dixerim, per hoc evenire confidimus. Nam de peccatis illis, quibus exigentibus id actum est, si deinceps ab iis cessatum fuerit, indulgentiam speramus venire, quia Deus non dijudicat bis in idipsum. Et verum est illud Job dicentis: *Qui afflictus fuerit, erit in gloria* (*Job* xxii, 29). Et item in Jeremia, post destructionem templi loquens Deus ad reliquias captivorum: *Nolite*, inquit, *timere. Jam enim placatus sum super malo quod intuli vobis* (*Jer.* xlii, 10). Quod tamen dicentes, non consuimus pulvillos, super quos, ut Ezechiel redarguit, peccatores molliter quiescunt, qui nimirum hoc de illis peccatis asserimus, quæ apud Apostolum per fenum ac stipulam designantur, non de illis quæ per ferrum ac plumbum, quæ ignis consumere non potest. Cæterum, cui prosit, et cui officiat, noverit ille, qui nihil sine causa fieri permittit. Nobis illud Scripturæ considerandum est quod omnium operum Dei nullam possit invenire homo rationem, sed sicut item scriptum est, cum de nobis judicatur, speramus misericordiam. Verumtamen memoriæ non excidat quod arca Dei, quæ primo permissa est ab Allophylis apostari, post hoc in tanta reverentia, tamque pavenda suis post reversionem fuerit, ut cum hanc vulgus indiscrete aspexit, septuaginta de senioribus, et quinquaginta millia de plebe perierunt. Quapropter summopere cavendum est, ne domum, quamvis flammis traditam quilibet contemnendam putet, quia licet paupercula, tempestate commissa videatur, et cui Dominus faciem suam parumper absconderit, tamen in miserationibus multis consolabitur eam, ut secundum multitudinem dolorum ejus, consolationes quoque lætificent eam. Quæstio sane, quæ illos movet, qui dicunt, cur in eo loco ubi plus bona, et minus mala fiunt, ultio frequentius sævit, a multis sæpe ventilata est, sed a nullo penitus exposita. Nam quando malis bene est, et bonis male, ob hoc fortasse fit, ut bona mali præsentia quæ cupiunt percipiant, et perenni felicitate excludantur: boni vero qui hic felices esse non curant, propter quædam peccata, sine quibus hanc vitam ducere nequeunt, hic flagellentur, ut post hoc mansuris gaudiis inserantur. Tamen indifferenter et bonis bene, et malis male est; et tunc quoque nescitur utrum bonis pro remuneratione bona reddantur, et malis mala ut corrigantur. Cur autem hæc varietas proveniat mortalibus incertum est. Et hoc est pessimum, ut ait Ecclesiastes, inter omnia quæ fiunt sub solo, quod eamdem cunctis æque eveniant, justo et impio, bono et malo. Sed, ut paulo superius præmisi, omnia in futurum servantur incerta. Maxime tamen in hoc ingemiscitur, quod impii prævalent, et innocentes affliguntur. Unde est illud Jeremiæ: *Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt*? (*Jer.* xii, 1). Item Habacuc: *Quare*, inquit, *Domine, non respicis super inique agentes, et taces devorante impio justirem se?* (*Habac.* i, 13). Qui voce sufferentium præmiserat: *Usquequo, Domine, vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis*? (*Habac.* i, 2). Hoc igitur maxime conturbat, quod justis multa proveniant, ut scriptum est, quasi opera egerent impiorum, et impii sint securi, quasi habeant facta justorum. Sed altiora te ne quæsieris, et in operibus Dei non sis curiosus. Multos enim supplantavit suspicio. Quæ præcepit Deus, illa cogita semper, quoniam magna potentia ejus, et ab humilibus honoratur, id est, ab his qui non audent contemplari, qui sciunt quia misericordiam et judicium debet Ecclesia cantare, et utraque inscrutabilia scire. Nam *judicia Dei abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7). Et quis sapiens

intelligit misericordias Domini? Dicit Apostulus : A *O quam inscrutabiles viæ Domini?* Rom. xi, 33.) *Universæ autem viæ Domini misericordia, et veritas* (*Psal.* xxiv, 10). Quas idem Apostolus cum perscrutari vetuisset, dixit : *O homo, tu qui es qui respondes Deo?* (*Rom.* ix, 20.) Homo namque vocatur ab humo, quod nomen ad hoc interposuit ut in ipso suo nomine cognoscat homo quod ad Dei judicia perscrutanda nequaquam idoneus sit. Si ergo, ait Augustinus, non vis errare, cur ita, vel non ita sit, noli discutere. Et item Gregorius ille dulciloquus. Nihil evenire potest, non quod Deus aut iratus permiserit, aut placatus indulserit. Quod autem patimur, eo ipso justum esse constat, quod non sit non ordinante Deo, qui nihil potest facere injuste. Vis autem dispensationis ejus nequaquam B vitari potest, sed hanc sibi multum levigat, qui subdito cordis humero sponte eam portat. Psalmista quoque videns pacem peccatorum, et quod in labore hominum non sunt, sed obtinent in sæculos divitias, pene motos commemorat gressus suos; eo quod ipse fuerit tota die flagellatus, et illorum impietas quasi ex adipe fluxerit. Et nationem filiorum Dei sine causa justificatam crederet, nisi in novissimis utriusque partis intellexisset. Et hoc illi labor fuerat : non in potentias Domini, hoc est in sacram Scripturam, intrans addisceret, quod *timenti Deum bene erit in novissimo* (*Eccli.* i, 13). Et : *Væ impio in malum. Retributio enim manuum ejus fiet ei* (*Isa.* iii, 11). Et : *Qui justus fuerit, non levabit caput, saturatus afflictione et* C *miseria* (*Job* x, 15). *Qui autem impius fuerit,* sicut illic præmittitur, *væ illi, quoniam imago eorum ad nihilum in civitate Dei redigetur : et isti qui mente sunt quasi jumentum, cum gloria suscipientur, et erunt cum Deo* (*Psal.* lxxii, 20). Quamvis ergo dicant erronei, populum illum beatum, quorum filii sunt sicut novellæ plantationes et quorum pueri exsultant lusibus, in quorum plateis non est clamor et cæteræ quæ illic dicuntur : *Beatus* tamen *ille est*, ut ait Psalmista, *cujus est Dominus Deus ejus* (*Psal.* xxxii, 12). Et sicut alia Scriptura dicit : *Beatus homo qui corripitur a Domino* (*Job* v, 17), multa alia sunt hujusmodi, quibus ostenditur, quod hæc quæstio quamplurimos teneat, et quod investigari quidem non possit. Sed tamen ad finem D utriusque partis recurrendum sit, et indubitanter sciendum, quod si justus hic recipit, multo magis impius et peccator recipiet in futuro. Et si nunc est Babylon quasi aureus calix inebrians amatores suos, audiet tamen a superno judice : *Quantum in deliciis fuit, tantum date ei luctum et væ* (*Apoc.* xviii, 7). Hierusalem vero quæ nunc est paupercula, et tempestate convulsa, audiet verba bona et consolatoria ab angelo, qui stat inter myrteta, cum ei dixerit : *Parumper abscondi faciem meam a te, sed nunc in miserationibus multis consolabor te* (*Isa.* liv, 8). Rationem igitur hujus rei nequaquam reddere possumus. Hoc tamen interim occurrit, quod cum bonis male est, et malis bene, et cætera ut supra : unum expedit ut semper sub divino judicio timentes, nullatenus altiora nobis quærere præsumamus. Sæpe enim mentis nostræ acies quo plus cernere nititur, obscuratur, quia cum importune qui radios solis aspicit, inde nihil videre compellitur, unde amplius videre conatur. Si autem penes vos bona opera superabundant, hoc vetus consuetudo est, quia semper illius loci incolæ meritis beati Martini adjuti, et ipsa ejus claritudine attracti, conversari devote consueverunt, quoniam eum quem gentes etiam remotiores glorificant, nimis impium est in præsenti habere, et non pie ac reverenter venerari. Tamen ipsa bona opera non adeo pura sunt, ut penitus culpæ sordibus careant. Scriptum namque est : *Non est justus qui non peccet* (*Eccle.* vii, 21). *Maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter* (*Jer.* xlviii, 10), et desidiose fraudem facit privatus amor, desidiam vero cordis torpor. Fraudem in Dei opere facit, qui pro eo laudari se cupit. Desidiam vero incurrit, qui a devotionis fervore tepescit, et opus bonum magis usu exigente, quam devotione excitante, peragit. Quoniam ergo culpæ surreptio vix in ipsa bona actione vincitur, superest ut in ipso bono opere semper timeamus. An levis reatus est, sacrosanctum mysterium sine ingenti metu, et sollicita reverentia, et conficere, vel participare? Quandoquidem juxta Apostolum, qui hoc non discernit, et ad id agendum probatus non est, judicium sibi sumit. Si enim in exordio novellæ Christianitatis multi oc hoc et imbecilles, et mortui erant corpore : quanto magis nunc, cum jam manifestior est causa, animæ periculum incurritur? Ut enim in dictis Patrum invenitur, nullum peccatum est, pro quo tam frequenter in mundo adversitates crebrescant. An parum est in psalmodia cum Deo loqui? Et nescio quid aut vile, aut etiam turpe, sine cordis retinaculo cogitare? Sensus inest, cum hominibus reverenter loqui; et cura deest devote Deo supplicare. Nam qui de formica loquitur, habet eam tunc in memoria, et tanta res, ut est, cum Deo loqui, cum ipsius oblivione peragitur. Quis interdum non avertit aurem a clamore pauperis? quis non irascitur pauperi? Nam et qui exaltat cor suum, abominabilis est apud Deum. Quis nostrum veraciter dicat Domino : *Non est exaltatum cor meum?* *Psal.* cxxx, 1.) Quis diligit omnem proximum tanquam seipsum? aut quis in solo Domino gloriamur? Nos interdum in opere textricum gloriamur, cum scriptum sit : *Ne glorieris in vestitu unquam* (*Eccli.* xi, 4). Et certe Veritas nihil jubet, non quod æquum et possibile sit. Quæ tamen Veritas affirmat, quia neque unus apex, neque unum iota præteriet a tota lege, ut non requiratur. Sed hæc et his similia bonis accidere solent. Pravorum transgressiones multo graviores sunt : gentes, quæ diligentes ea quæ in mundo sunt, charitatem patris amiserunt, et per amicitiam mundi inimici Dei constituuntur. Ventrem suum quidam habent pro Deo, quos lugens Apostolus, inimicos sanctæ crucis appellat. His qui vino æstuant, væ comminatur vox

divina. Fornicatores et adulteros judicabit Deus. Avarus, ut beatus Gregorius dicit, non est adhuc liber a cultu idolorum. Nam si quis fornicator est aut avarus, aut ebriosus, cum ejusmodi nec cibum quidem sumere vas electionis jubet. Amare autem propriam gloriam tam grande peccatum est, ut Judæi propter hoc maxime perfidiam incurrerint. *Quomodo*, inquit Dominus, *potestis credere, propriam gloriam amantes* (*Joan*. V, 44.) *Si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus* (*II Cor*. III, 17). Sed quamvis hoc de spirituali domo, valde cavendum est, ne quis eam faciat nisi quod est, domus videlicet orationis. Non enim sine causa Christus Dominus eos per semetipsum eliminavit, sed in magna dispensatione, et ingenti ipsius rei inculcatione per seipsum negotiatores ejecit de templo, et non solum alios, sed etiam ipsos, qui columbas ad usum holocausti vendebant, abscedere præcepit. Unusquisque videat qualiter vel Christi et sanctorum præsentiam honoret. Respicit enim de cœlo, si est intelligens, aut requirens Deum. Et Scriptura ait : *Acceptus est regi minister intelligens* (*Prov*. XIV, 35). Nam si qui verbum otiosum in quadrivio loquitur, in die judicii rationem reddet, quanto magis qui in ipso Dei templo scurrilitates etiam aut detractiones cornicantur ? Cum vidisset Moyses ignem, defecerunt ei verba, nec audebat respicere. Et certe major majestas hic, quam illic ; cum ibidem sit habitatio Dei et paradisus ubi audiantur arcana verba, quæ non licet homini loqui, id est, illis quibus dicitur : *Cum sint inter vos zelus et contentio, nonne homines estis?* (*I Cor*. III, 3.) Vel qui non refrenat linguam suam, sed sedens loquitur adversus fratrem suum. Videmus quosdam qui divinum mysterium frequentant, sed sicut ordo divinæ servitutis exigit, prius ipsi deberent fieri sacrificium, per cor scilicet contritum et humiliatum. Alioquin cavendum est, ne tali cuilibet dicatur : *Dilectus meus in domo mea malum operatus est : nunquid carnes sanctæ mundabunt eum?* (*Jer*. II, 15.) Et item : *In terra sanctorum inique gessit, non videbit gloriam Domini* (*Isa*. XXVI, 10). Et rursus : *Quare calce adjicitis victimam meam?* (*I Reg*. II, 29.) Quod tunc fit cum negligenter Dominicæ mensæ ministratur. Unde per alium prophetam queritur, dicens ministris : *Vos contemnitis mensam meam, et ego dabo vos in contemptum* (*Malac*. I, 12). Et item alias vocat eos principes Sodomorum : *Quo mihi*, inquit, *multitudinem victimarum vestrarum? et quis quæsivit hoc de manibus vestris? Non afferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens: et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa*. I, 11-15). Idem namque Isaias videns Dominum, hoc primo voluit, quod polluta labia haberet : *Væ mihi*, inquit, *quia*

A *vir pollutus labiis ego sum, et Dominum exercituum vidi* (*Isa*. VI, 5). Sed si ille qui prophetali oculo Dominum vidit, sua labia polluta esse doluit : quanto magis dolendum est nobis, qui corpus ipsius Domini intra polluta labia sumimus, etsi, quod absit, manibus sanguine plenis illud contigerimus ? Psalmista filios alienos vocat, quorum os locutum est vanitatem. Quod si de labiis tam ingens periculum sacrocolis imminet, quanto magis de renibus ? Nam quod illud periculum præcipue cavendum sit, per hoc apparet quod illis qui ad esum agni vocantur, jussum est in primis, ut renes accingant. Ad hoc etiam commendandum Zacharias de eo loquitur, quod pulchrum ejus, et pretiosum ejus sit frumentum et vinum germinans virgines. Ni- B mium jam progredimur, sed effari nos facit indisciplinata et irreligiosa quorumdam conversatio, qui cum suo merito sint inter externos computandi ; tamen quasi interdictum Dei ad sanctuarium accedunt : *Quicunque*, inquit, *externus accesserit, morietur* (*Num*. XVIII, 7). Ubi autem aut hæc, aut alia hujusmodi geruntur et caventur, supernus arbiter considerat, tacens ; qui juxta beatum Job, innocentem et impium consumit ; innocentem hic affligens, impium in futuro puniens. Ubi autem impietas plus abundat, ibi frequenter minus increpatio divina sævit ; et quo pietas plus regnat, ibi severitas divina plus incumbit. Quod isdem beatus Job ostendens, ait : *Si impius fuero, væ mihi est ; et si justus, non levabo caput, saturatus afflictio-* C *ne et miseria* (*Job* X, 15). Impius namque væ habet, justus miseriam ; quoniam illum æterna damnatio sequitur, justus vero transitorio dolore expiatur. Impius caput hic levat, sed væ quod sequitur, non evadit, quia dum se in voluptatibus elevat, suppliciis sequentibus mergit. Justus vero caput levare non permittitur, sed per miseriam, qua nunc premitur, ab æterno supplicio liberatur. Impius ergo, qui temporali flagello expiari non potest, solet pro quibusdam bonis operibus quæ facit, præsentem prosperitatem habere, sequenti supplicio mancipandus. Justus econtra propter quædam levia peccata premitur, ut ab æterno supplicio liberetur. Cum igitur in multis offendamus omnes, non, tristandum quidem, sed potius gaudendum est, si quolibet modo affligimur, ut ait Apostolus : D *Omne gaudium existimate, fratres mei* (*Jac*. I, 2), et cætera. Quod enim omne peccatum puniatur, Job ostendens : *Verebar*, inquit, *omnia opera, sciens quod non parceres derelinquenti* [delinquenti] (*Job* IX, 28). Quod beatus Gregorius exponens dicit, quia delictum Deus sine ultione non deserit ; aut enim ipse homo in se pœnitendo punit, aut Deus, cum hominem damnat, percutit. Inde est. quod respexit, quidem Dominus Petrum, sed ille flevit amare. Paulus vas electionis vocatur, sed *oportet eum*, inquit, *multa pro nomine meo pati* (*Act*. IX, 16). Sic ad David dicitur : *Dominus transtulit peccatum tuum*, sed tamen plorans nudis pedibus filium fugit, quousque sui reatus ultionem reciperet. Sic nos per baptisterium lavamur,

sed merito primæ prævaricationis etiam redempti obimus. Percutit ergo flagellis, peccatum etiam cum relaxat, quoniam ab electis suis nunc studet peccatorum maculas detergere, quas in eis non vult in perpetuum videre. Illos vero, quibus dicit per prophetam : *Scio quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua* (*Isai.* XLVIII, 4). Et iterum : *Non mutabit Æthiops pellem suam* (*Jer.* XIII, 23), dimittit secundum desideria cordis eorum, quibus pro magna indignatione dicit : *Jam non irascar vobis* (*Isai.* LIV, 9). Et : *Cum filiæ vestræ fornicatæ fuerint, non visitabo super eas* (*Ose.* IV, 14). Et Job de ipsis : *Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non virga Dei super eos* (*Job.* XXI, 9), Sed quid eis restat subjungens, dicit : *Deus servabit illis dolorem, et de furore omnipotentis bibent* (*Ibid.*, 19). Quapropter simus juxta Psalmistam ad flagella parati, et sint nobis judicia ejus jocunda, quoniam, ut scriptum est : *Qui non amat judicium, non potest sanari* (*Job.* XXXIV, 17). Et idcirco jubet Apostolus in tribulatione gloriari et in omnibus gratias agere. An non laudes referendæ sunt de eo, quando nos affligens, signum filiationis ostendit ? *Flagellat* inquit, *omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Magnum quippe fuerat, si servi vocarentur. Magnnm, inquit, est tibi vocari servum meum. Sed parum est ut servi vocentur cum nec amici quidem appellentur. Nam ut propensiorem affectum erga afflictos ostenderet, hos divina vox filios appellat. Porro autem quæcunque sint illa opera, quæ inibi sub patrocinio beati Martini geruntur, credendum est, quod ipsius obtentu protegantur : ne videlicet aut mentes operantium jugi prosperitate superbientes inanescant, aut si non, lima flagelli dimissa, minus in supremo examine exspolita reperiantur. Scit enim ille quod omnes justitiæ nostræ, juxta prophetam, quasi pannus menstruatæ sunt, et quod ipsa holocausta sacerdotum indigent lavari. Hoc sane, quod quidam mirantur, quia illic ubi plus abundant mala opera, et minus fiunt bona, non solet adversitas evenire, non homini, sed Deo soli notum est. Tamen de diabolo et ejus corpore, quod sunt reprobi, scriptum est, quia dolus in manu ejus dirigitur, quoniam hoc habere crebro solent, ut quod nequiter appetunt, explere nequius possint, et quidem perversa voluntate desiderant perversiori facultate consumere, ut tanto eis de adversitate nihil in præsenti obsistat, quando eis in posterum nil de prosperitate remanebit. Magis ergo necessarium est, magisque nobis optandum, id imperet, id provideat, quod ad animarum proficiat salutem, quam id quod faciat plausum et admirationem. Illi sane qui murmurant querelantes, cur beatus Martinus solita sibi miracula jam non frequentet, hoc nihilominus adjungunt, quod erga nos non sit pronus ad miserandum, sicut nostris antecessoribus fuit. Sed his verbis cordis sui diffidentiam simul et insipientiam produnt. Hæc verba quippe non sonant disciplinam, sed ita sonant, quia aut virtus beati Martini, aut charitas defectum incurrerit : virtus videlicet, ut minorem pa-

A trandorum miraculorum efficaciam habeat ; charitas vero, ut, quod absit, oblitus sit misereri. Quibus hoc primo respondemus, quia Judæi non sunt, nec signa quærendo judaizare debent. Quæ videlicet signa in exordio nascentis Ecclesiæ ad fidem astruendam necessaria fuerunt. Piscatores namque et de vilibus artibus assumpti. Crucifixi deitatem prædicabant, et hoc utique superbi reges et magistratus valde stultum putarent, non per admirationem signorum tantæ rei majestatem credere cogerent. Cum enim videbant quod plebeius et infimum sonabat, et mortuum suscitabat, quod nec imperator cum omni exercitu suo, nec ipsi pontifices cum omnibus diis suis facere ullatenus poterant, superbam cervicem humili Christi jugo submitte-

B bant. Jam vero cum relevata gratia justus ex fide potius vivere debeat, miracula superfluo quæruntur. Opera justitiæ magis gerenda sunt. Multi signa fecerunt, quibus judex dicet : Nescio vos. Qui pietatis opera gerunt, audient : *Venite, benedicti patris mei* (*Matth.* XXV, 34), et cætera. Et ut veniamus ad hunc eumdem beatum Martinum, placuit de eo divinæ dispensationi, ut vel vivens et post obitum tanta ac talia miracula gereret, per quæ nomen ejus et gloriam totus mundus agnosceret. Unde et ubique tanta gratia præditus est, ut sicut de ipso scribitur, non illi quisquam monachorum, non certe episcoporum quispiam comparandus sit : prophetis tantum et apostolis concertus, quem illis per omnia consimilem esse, hoc Ægyptus fa-

C tetur, comperit hoc Indus ; hoc Syria, hoc Æthiops, audivit, et cætera regna quæ illic annotantur, quousque subjungitur. Quo miserior est regio ista nostrorum, quæ tantum virum cum in proximo habuerit, nosse non meruit. Quam videlicet Martini gloriam in longinquum porrectam poeta demonstrare volens, ait

Gallica celsa pharus splendorem mittit ed Indos.

Et item :

Et quo Christus habet nomen, Martinus honorem.

An non hoc attestantur ejus devoti, qui de longinquis regionibus atque linguis ignotis ad hunc adorandum confluere solent? Antiquorum sane devotio, quam frequenter ejus reverentiæ et amori sese impenderit, vel innumeræ testantur ecclesiæ, quæ

D tam frequenter ubique locorum in ejus nomine reperiuntur, ut nemo post Dei genitricem et pastorem Ecclesiæ Petrum tam crebras habere videatur. Certe cum nihil in te ita sine causa fiat, hoc quod omnium, ut ita dixerim, orbe, tam glorificandus, tamque pretiosus habetur, non casu accidit, sed ejus instinctu, qui ad mensuram dat gratiam. Qui sanctum suum usquequaque mirificans, per hoc quod universis venerandus est, id ostendit quantum hunc ejus gratia perfudit. Etenim si universi reges ac Cæsares pervulgatis ubique edictis juberent, ut omnes eum venerarentur, nullo tamen pacto exigere poterant [possent], ut ejus veneratio tam generalis, tamque celebris esset ut nunc est, cum ad ejus venerationem cuncti delectati divina inspiratione trahuntur

Qui sanctum suum usquequaque mirificans, non A solum quælibet alia miracula, sed etiam mortuos ad ejus gloriam commendandam post ipsius obitum suscitavit. Si ergo disponente Deo fit aliquid, unde eadem gloria videatur imminui, recurrendum est ad magnitudinem virtutum, quas aliquando gessisse dignoscitur, ut cordis navem quasi a prora firmiter ligatam, fluctus diffidentiæ, qui forte puppi illiserit, nequequam possit a littore fidei convellere. Ad hanc cautelam volebat ipse Christus mundum erudire, quasi significaturus suæ mortis abjectionem, cum diceret : *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* XI, 6), suæ potentiæ miracula prius enuntiavit. Ad hoc etiam, cum discipulis mortem suam aperte diceret, resurrecturum se die tertia subjunxit. Beato quoque Petro, quem B sciebat se negaturum, prius se in monte transfiguratum ostendit, ut cum pro abitione mortis diffidentiam incurreret, ad ostensam majestatem recurrens, robur fidei resumeret. Sed aliud est adhuc quod miracula cessare facit. Peccatum videlicet incrudelitatis, propter quod Marcus evangelista dicit de omnipotenti Jesu, quod non potuit plura miracula facere in Capharnaum et Corozain, subjungens, quia miratus est super incrudelitatem cordis eorum. Quid ergo, quisquis es, Martinus non ideo gloriosus, quia domus ejus toties igni permissa est? Quod prorsus in aliis sanctorum locis frequenter novimus evenire, sicut de illa sanctæ legionis Thebæorum domo nuper accidit, quæ tam eleganter constructa erat, ut nostri temporis artifi- C ces nequaquam hanc in pristinum decorem valeant reparare. Sic de illa in quo requiescit beatissimus Martialis (127), cum omnibus quæ infra muros erant, noscitur evenisse. Ante cujus adustionem cuidam per somnium visus est isdem sanctus apparuisse; qui videlicet mœsto vultu protestatus est, quod ei domum illam servitores ejus exosam fecerint, unde et ejus concrematio, et Stephani abbatis (128) interitus mox esset adimplendus. Nam et priusquam illam prædicti domni Martini basilicam rogus absumeret, quibusdam fidelibus visum est, quod (129) in Tutelensi ecclesia isdem sanctus Martinus cum sancto Michaele staret, eumque de cura ipsius cœnobii precando monuerit, et quasi subtristis adjungeret : quia servitores D ejus non sinerent eum apud Turonum quietem habere. Verum si somniis et nulla forte, vel rara fides adhibenda est ; hoc tamen certum constat quod Deus, juxta quod Apostolus ait, per peccatum exasperatur. Et quisquis, ut ait Isaias, in terra sanctorum iniqua gerit, non videbit gloriam Domini. Et non solum quemlibet sanctum, cui forte locus consecratus est ; sed ipsum Dei spiritum, testante Apostolo, contristat, qui peccando templum ejus contaminat. Cum enim ab otiosis verbis et scurrilitate fideles compesceret, subjunxit : *Et nolite contristare spiritum Dei* (*Ephes.* IV, 30). At quod vestra pace dixerim, si in istius domni præsentia continuari soleat, ipsi melius nostis. Cæterum, quibuscunque ex causis hoc acciderit, non aliud opinandum videtur, quam quod isdem piissimus pater flagellum hoc in suam domum potius, quam in subditos maluerit jaculari : exemplum videlicet piissimi Conditoris imitatus, qui peccante primo homine, non ipsum maledixit, sed terram quam operaturus erat. Nonne ex ipso rerum accidentium eventu apparet, quod sola domus illa combusta est, domunculis clericorum illæsis per gyrum remanentibus ? Quod si Martini virtus ob hoc minorata videtur, jam non erit ille solus cui sub hac occasione detractores insultent. Sed etiam plerique alii sancti, quorum domus quaqua versum indifferenter ardent, imo, quod dictu nefas est, contra ipsum Dominum mussitare possunt, quia templum illud Salomonicum non semel aut bis, sed juxta Hegesippum frequenter adustum est. Sanctis itaque locis despectio nostris peccatis exigentibus accidit, non defectu Dominicæ virtutis, qua sancti repleti sunt. Nam si potestas Martini ex hoc forte videtur insanum sapientibus mutilari, tamen ex aliis sanctis ejus locis, necnon et miraculis ab ipso nuper gestis, si longum non esset, poterat eadem potestas decenter commendari. Sed jam ista qualiscunque delatratio debet terminari. Cujus videlicet fini hoc adjiciamus, quia valde nobis necesse est, ut flagello pertriti, convertamus vias nostras in vias testimoniorum Dei, ne forte dicatur de nobis : *Curavimus Babylonem, et non est sanata, neque per ignem* (*Jer.* LI, 9), et jam non ut in materialem domum, sed in illos, de quibus sanctus Spiritus effugatur, cœlestis indignatio sæviat, Martinum nostris precibus deductum, offensis Christi oculis opponamus. Apprehendentes, sicut in Zacharia scriptum est, fimbriam vestimenti domni Martini verissimi confessoris, adeamus, cum tali advocato, juxta Pauli vocem, thronum gratiæ, forsitan sic poterimus misericordiam promereri. Et sicut Job attestatur, nos qui non habemus indumenta justitiæ, lapidem hunc amplectamur, suppliciter obsecrantes, ut nuditatem nostram suis meritis contegat, ne nostra coram superno judice turpitudo reveletur.

(127) *Sic de illa in qua requiescit B. Martialis.* Ecclesia sancti Salvatoris nempe de qua Bernardus Guidonis in catalogo episcoporum Lemovicensium ; « Ludovicus, inquit, Francorum rex atque imperator Augustus, Caroli Magni filius, in palatio Joguntiaco conventum generalem tenuit in Lemovicino, regalemque basilicam sanctissimi Salvatoris, magna cum gloria in mense Octobri præcipit dedicari Lemovicis, in qua levatum sanctissimi Martialis corpus, retro altare eidem gloriosissimo Salvatori dedicatum, in crypta majoris voltæ, præsente eodem ipso imperatore, eodem in mense positum est. » Ab eo tempore dicta est et ecclesia S. Martialis, illamque divino judicio rursus igne crematam anno 954 auctor est Ademarus Lemovicensis monachus.

(128) *Stephani abbatis.* Sancti Martialis septimi.

(129) *In Tutelensi ecclesia idem S. Martinus.* Sic antea : « Sanctus quoque Martinus cuidam pauperculo per visum apparuit, et quasi conquerens dixit quod in sua domo sit injuriatus et concile sit inde migraturus, atque ad Tutelensem vicum perventurus.

Siquidem iste non obliviscetur misereri; sed cha- A ritas quæ illum coegit, ut divisa chlamyde pauperem cum sua nuditate vestiret, multo nunc facilius eum flectet, ut nos ab ira Agni si correctos viderit, [e]reptos cœlestibus divitiis superabundans abscondat.

## SERMO V.

### (130) IN FESTO SANCTI MARTINI.

[Apud Marten., *Thes. Anecd.* tom. V, col. 617, ex ms. Bigotiano].

Sacra hæc hodierna solemnitas, fratres charissimi, nobis est venerabiliter cum summa reverentia excolenda, in qua domnus noster B. Martinus coronam suæ præclarissimæ confessionis, licet quondam in Dominico die, tamen hodie nobis in B cœlis a Domino Jesu Christo coronatus gratulatur. Congaudere debemus, fratres charissimi, solemniis sanctorum, sed præcipue primati confessorum de quo canimus : *Cui Dominus post apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, ut in virtute Trinitatis deificæ, mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus.* Dicit enim B. Paulus de talibus: *Quos præscivit hos et prædestinavit: Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit: quos autem justificavit, eos et magnificavit* (*Rom.* VIII, 30). Nec enim S. Martinus de tam longinqua regione, id est de Pannonia, ad nos usque veniret, si a Domino Jesu Christo electus non fuisset : nec Juliani imperatoris contemneret jussionem et parentum voluntatem, si a C Deo nobis non fuisset prædestinatus. Nec tantus honor regius et dulcedo nobilium parentum illi fuisse exsecrabilis, si a Deo non fuisset vocatus et nobis præelectus et pius intercessor condonatus. Magna nobis, charissimi fratres consolatio. Tam magnum præmium nobis datum consideramus, sed negligentiam torporis et ignaviæ nostræ pertimescimus. Talentum ergo magnum, et inæstimabile sacramentum, nobis et in vobis in ipso concessum est : quod commodatum veraciter apud idoneos proficere potest, apud negligentes deperire non potest. Aliis cum multiplici gratia restituetur, ab aliis cum pœnarum usura requiretur. Christus enim talentum quod commodat cum usura requirit; et solventi gratiam rependit, non solventem pœnis deputat et ignibus suppliciisque æternis. Hoc talentum, fratres charissimi, nos prædicatione nostra pectoribus vestris vice egregii Patris domni Martini commodamus, ut lucrum aliquod salutis vestræ Deo assignemus. Rationem reddituri sumus qualiter aut prædicatio nostra vobis proficiat, et obedientia animabus vestris Deo fructificet. Volo enim vos pro certo scire quoniam dum concupiscentiis blandientibus caro eneviter subjugatur, jam vitiorum exercitus adversus animam fortiter armatur. Omnes quoque catholicos admonet Christi Ecclesia, ut eo minus terrenis rebus animum subponant, quo se patriam in cœlis habere meminerint. Namque hoc distare solet inter electos et reprobos, quod electi peregrini nunc et exsules patriam expectant in futuro, tantoque minus gaudiis delectantur caducis, quanto se patriam in cœlis habere desideraverint. At contra reprobi hic habent patriam et gaudium miserabile, et dicunt in delectationibus iniquis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt, sicut scriptum est : Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum ; quorum vermis non morietur et ignis non extinguetur. In cujuscunque aure hæc vox pervenerit, aut beatus erit de devotione emendationis, aut reus de contemptu annuntiationis. Loquimur enim beatitudinem credentibus ; contestamur judicium criminosis ; quoniam hodie sumus, et qui futura pariat dies ignoramus. Ergo dum tempus habemus operemur bonum, nec adjiciamus peccatum super peccatum, quoniam non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Perversæ namque cogitationes separant a Deo, quanto magis perversa opera ? Si de verbis otiosis redituri sumus rationem in die judicii, quid erit de perversis operibus ? Et si judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam, quale judicium erit illi qui fecit negligentiam ? Charissimi Patres et fratres ; in quantum justi, Patres, in quantum peccatores, socii et fratres, admonendo et obsecrando dico, ne obduremus corda nostra ; quoniam nec scientia, nec oratio, neque thesauri proderunt propinquantibus in infernum ; quia nec ibi habetur aliqua vel ulla redemptio. Quid ergo in judicio dicturi erimus in præsentia illius qui seipsum virgis cædi voluit, sputa, spineam coronam pati, colaphis cædi, cruci affigi, non solum pro nobis, sed etiam pro criminibus et sceleribus nostris traditus, a quibus peccatis abluti in baptismate et in pœnitentia per ipsum, toties et quoties reiterando idem, ipsi peccatores semper manemus ? Si quidem dicamus cum Apostolo et cum frequenti lamentatione dicamus assidue : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII, 2). Memores enim esse debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere : quia qui fecerit ejus voluntatem, manet in æternum. Quapropter, fratres charissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, charitate perfecta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conservantes fortiter jussa Dominica, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam, in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in

(130) Sequentem S. Odonis Turonensis sancti Martini canonici, et postea abbatis Cluniacensis sermonem descripsi ex veteri manuscripto codice Bigotiano, in quo et alius ejusdem sancti jam editus in Bibliotheca Patrum sermo habebatur, cum hac epigraphe : *Sanctæ et egregiæ recordationis Odonis Sermo nuper orante Theoteloneo episcopo de adustione B. Martini Turonensis ecclesiæ editus incipit.* De Odone vero ejusque scriptis non est quod plura scribam, cum abunde sufficiant ea quæ hoc de argumento suppeditant Bibliothecæ Patrum et Cluniacensis. MARTEN.

disciplinæ severitate censuram, ne ad exemplum bonorum factorum aliquid desit in nobis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

# SANCTI ODONIS

CLUNIACENSIS ABBATIS II

SEU

## ALTERIUS ODONIS MONACHI

# OPUSCULA DE MUSICA.

(Apud D. Gerbert, Scriptores ecclesiastici de musica, tom. I, p. 247).

## MONITUM.

Celebris est sub Odonis nomine dialogus De arte musica. Et quidem anonymus Mellicensis S. Odoni Cluniacensi tribuit. « Otto, inquit, venerabilis abbas Cluniacensium, ardentissimus amator monasticæ religionis, qui monachorum gemma, qui discipulorum suorum gloria fuit, dialogum satis utilem de musica arte composuit. » Is, teste Joanne in ejus Vita, Parisiis magistro Remigio Altissiodorensi inter alias etiam liberales artes musicam est edoctus, et « Martianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium. » Quo a prima juventute erga musicam abreptus sit studio, item nobis testatum reliquit ipsius sancti viri verbis de vigiliarum excubiis in Natali Domini ab ipso celebratis : « Inter has preces et matutinas laudes, missarumque, dies crastinus illuxerat. Et ecce, dum ut solebat, in laudibus tantæ solemnitatis, diversarum fieret vocum modulatio, velut impatiens juvenis in medio eorum prosilivi, unaque cum ipsis mundi regem laudare cœpi. Scio enim et confiteor, me improbe fecisse, sed tamen Davidicum illud corde, quod scriptum est, retinens, non immerito hoc agere præsumpsi : *Laudate Dominum omnes gentes.* » Necdum tum imbutus musica arte a Remigio fuit, qua formatus postmodum magister scholæ et præceptor ejusdem ecclesiæ Turonensis » factus, ut apud auctorem Gestorum consulum Andegavensium in Fulcone Bono legitur. Glabro Radulpho l. III Histor., c. 5. S. Martini Turonis ecclesiæ præpositus dicitur, alias vero ejusdem ecclesiæ canonicus et præcentor in chronicis, passim vero *Musici* nomine insignitur, veluti a Joanne Vitæ ejus auctore lib. I, n. 10, a Sigeberto De script. eccles., c. 124, et in Chronico ad an. 898 et 912, Roberto item S. Mariani apud Altissiodorum monacho, et Bernardo Guidone ad an. 919, subditque a Remigio Odonem in musica et dialectica apprime fuisse eruditum : quæ verba repetit Vincentius Bellovacensis lib. XXIV Spec. histor., c. 55, et auctor Chronici chronicoron ad an. 913. A Trithemio lib. II, c. 53. De viris illustr. O. S. B. *musicus excellens,* et lib. De script. eccles., c. 292 et Chron. Hirsaug. l. I, p. 47, *musicus insignis* vocatur. Cujusmodi encomia videre est in Bibliotheca Cluniacensi per Quercetanum Parisiis an. 1614 edita, et tom. XVII Bibl. Patrum Lugdun., ubi in testimoniis Odonis Operibus præfixis sæpe quidem *musicus* appellatur : at opus De musica a nemine eorum ei ascribitur. Nihilominus auctores Histor. litter. Franc., anonymum Mellicensem secuti, id pro confesso habent tom. VI, p. 246. « S. Odon fit usage de la grande connoissance qu'il avoit de la musique, pour en écrire un traité en forme de dialogue. L'ouvrage a été connu sous le nom de son auteur, de l'anonyme de Molk, écrivain du XII^e siècle qui en parle avantageusement. Il existe encore dans divers manuscrits, nommément dans celui de la bibliothèque du Vatican, côté 1995, et l'un de ceux qui appartenoient à la reine de Suède. M. de Sainte-Palaye a vu le même ouvrage manuscrit dans son voyage d'Italie. Il ne nomme pas l'endroit et dit seulement qu'il commence par cette interrogation : *Quid est musica?* et qu'il y manque quelque chose sur la fin. » Alibi, dum aliorum recensent opinionem qui eumdem libellum tribuunt Odoni abbati Morimundensi, sententiam retractant seu potius suspendunt : « On veut (aiunt tom. XII, p. 613) qu'Odon de Morimond ait fait un *enchiridion,* ou manuel sur la musique, en forme de dialogue entre le maître et le disciple. A la vérité les manuscrits du roi cotés 369 et 7211 contiennent chacun un traité de musique qui porte le nom d'Odon. Mais comme on n'a aucune preuve qu'il soit plutôt de notre auteur que de tout autre nommé de même, nous suspendons là-dessus notre jugement. » Sed Odo Morimundensis, scriptor sæc. XII, auctor esse non potest, cum citetur hic liber a scriptoribus sæculi XI.

In epistola Guidonis ad Michaelem, circa finem, sic lego : « Librum quoque enrichidion, quem reverendissimus Odo abbas luculentissime composuit, perlegat, cujus exemplum in solis figuris sonorum dimisi, quia parvulis condescendi, Boetium non sequens in hoc, cujus liber non cantoribus, sed solis philosophis utilis est. » Sequitur e vestigio in codice San Emmeramensi *Dialogus, quem composuit Odo abbas de arte musica, qui Enquiridion dicitur. D. Quid est musica? M. Veraciter canendi scientia,* etc. Idem liber in codice *Admontensi* inscribitur *: Dialogus de musica arte domni Odonis abbatis, quem Enchiridion appellavit ob brevitatem vitæ* in altero vero *Admontensi* sæc. XII, circ.*: Ottonis abbatis primi Cluniacensis cœnobii.* Ex prologo hujus opusculi, quem in solo codice Parisiensi bibl. Reg. 7211 reperimus, palam est auctorem monachum fuisse in cœnobio B. V. Mariæ, sed jussu « communis Pa-

tris» id operis suscepisse. Communis Patris nomine vel papa, vel episcopus vel abbas cœnobii venit. Inscribitur vero in eo codice. *Liber, qui et dialogus dicitur, a domno Odone compositus.*

Et si vero *domni* vocabulum abbatis proprium sit, medio tamen ævo nomen *abbatis* adjici solebat. Proclive nihilominus fuit, sic confundi duos auctores cognomines. Ottonem nimirum Tonarii, quem ex ms. Casinensi edimus, auctorem sanctissimum, ut conjicere licet, Cluniacensem abbatem, alterum monachum dialogi scriptorem.

In nostro codice San-Blasiano sæc. XII : *Musica domni Odonis*; in cod. Vatic. reginæ Sueciæ n. 72 : *Dialogus a dno Odone compositus de arte musica* notatur. Hic in fine mutilus est, nec progreditur ultra formulas modi quarti; codex autem San-Emmeramensis omnino non attingit formulas illas abruptis paginis. Cum his formulis finit codex Admontensis his præcise verbis : *Explicit musica enchiridionis.* In San-Blasiano sequitur eodem sermonis contextu : A. *Age ergo, obsecro, et de modis quæ sequuntur, edicito.* Mox a linea : *Musicæ artis disciplina summo studio appetenda est*, etc.; quæ in codice Lipsiensi Paulæ bibl. Bernon, Augiensi adscribuntur. in fine codicis San-Blasiani aliqua adduntur ex laudata Guidonis epistola ad Michaelem, in qua ad hoc ipsum Odonis enchiridion provocatur.

In ea vero operis parte quæ in omnibus codicibus Odonis præfert nomen, citatur Odo, quem Cluniacensem celebratissimum abbatem esse, nil obest quin putemus, qui teste Trithemio Chron. Hirsaug. ad an. 994, «ante religionis ingressum magnus in arte musica magister fuit, et archicantor ecclesiæ Turonensis.» Quid autem archicantoris muneri magis congruit,quam tonarium præscribere, qualem ex ms. Casinensi damus? Unde etiam ratio patet cur Joanni et aliis Vitæ ejus scriptoribus ac scriptorum recensoribus nulla fiat mentio operis de musica, quale tonarius proprie dici nequit: ut tamen ansa inde arripi potuerit, alterius Odonis librum De musica huic sancto abbati fama undique conspicuo ascribendi. Ea enim ætate per medium ævum viri præstantissimi hoc studii operæque genere fuerunt distenti : prout memoravimus Reginonis, omnium ore celebrati abbatis Prumiensis Tonarium seu Antiphonarium, ab auctore Rathbodo archiepiscopo Trevirensi inscriptum, manuque propria a Reginone exaratum etiam cum notis musicis, ut creditur, autographum servari in bibliotheca civica Lipsiensi. Oculis vero ac manibus ipse versavi ms. coævum Tonarium Bernonis Augiensis abbatis celeberrimi, qui servabatur in monasterio S. Blasii jam igne absumptus.

Alios silentio prætereo; opportune vero ad epistolam S. Anselmi in nova Gerberonii San-Maurensis monachi editione vicesimam primam provoco, qua Rodulphum, quem charissimum fratrem vocat, antiphonarium notis musicis describere rogat, sic auspicatus : «Reverendus Dominus prior Helgotus dilectus, et dilector noster et vester suis vos precibus ad notandum antiphonarium adhortari desiderat, sed nonullius in re ipsa pondus laboris imminere considerat. Cum igitur suas preces venerabili humilitate nolit, quanquam possit, tanti pendere, ut pondus impendens possint suspendere, obnixe flagitat quatenus nostras cum suis contra præfatum laborem curemus appendere. Sed quoniam nec ipse nec nos operis optati sic A onus amicis postulationibus levigare tentamus, ut indiscretis vos supplicationibus onerare nitamur : contemplantes, et vobis proponentes proximorum utilitatem, et charitatis et obedientiæ vestræ mercedem ; hoc vestræ consulimus dilectioni, ut tempus, quod aliis quibuslibet scripturis sponte vos non piget insumere, vel hoc ad opus, quod exigimini, non gravemini addicere. Quod si dicitis esse nihil, vel minimum, idipsum nihil vel minimum, sicut vos certi estis, quod minime sufficiat, ita nos non dubii sumus, quod aliquantulum proficiat.»

S. Odonem juvenem adhuc claruisse in cantibus componendis, inde palam fit quod Joannes, Vitæ auctor et discipulus, lib I n. 10, narrat eum rogatum ut officium S. Martini refingeret, atque antiphonas abbreviaret : quo munere eum egregie perfunctum dicit. Quos vero commemorat hymnos illius officii tres, eos etiam Udalricus B libro I Consuetudinum Cluniacensium, c. 23, et Ditmarus in Chronico attingunt, citati a Mabillonio Act. SS. sæc, V. p. 154. «Similiter, prosequitur Joannes, duodecim antiphonas, ternas per singulas habentes differentias, quarum verba et vocum consonantia adeo sibi invicem concordant, ut nihil in sensu plus minusve, nihil in symphoniæ modulationibus reperiri dulcius posse videatur,» composuit. Auctor dialogi de musica Odo non semel ad antiphonam hujus officii : *O beatum pontificem!* provocat, «quæ, inquit, cum in principio et fine secundi modi esset, propter illius tantum vocis elevationem, ubi dicitur : *O Martine dulcedo*, in primo tono a domno Odone curiosissime est emendata.» Quo nullum luculentius haberi potest argumentum, Odonem hunc Dialogi auctorem (quem etiam post Guidonem scripsisse frequens mentio gammæ, quam monochordo addidit Guido, prodit) ab Odone nostro diver- C sum esse. In codice Vindobonensi ejus imago quidem cum nimbo circa caput exprimitur, sed crinibus nulloque monastici habitus indicio, stans ad sedile cum calamo ambabus manibus prenso scripturiens. Diversus est codex bibliothecæ Cæsareæ, ex quo sequuntur in collectione nostra : *Regulæ domni Odonis de rythmimachia*, et : *Super abacum*, etc.

In monasterii Casinensis bibliotheca codex quidam servatur scriptus circa sæc. XI, litteris Longobardicis, rhapsodiam ex variis scriptoribus de re musica per capita digesta, et haud raro interpolata, continens. Caput vero nonagesimum quintum ita barbare, ut omnia alia eo in codice, inscribitur : *Item Tonora per ordinem cum suis differentiis, quos habemus honorifice emendatos et patefactos a domno Oddone religioso abbate, qui fuit peritus in arte musica.*

Est autem tonarius cum notis fere perpetuis D musicis antiquis Longobardicis, quas typis exprimere non possumus. In ejus proœmio etiam agitur de emendatione antiphonæ : *O beatum pontificem*, quam alter Odo. qui se monachum profitetur subjectum communi Patri seu abbati, domno Odoni tribuit in dialogo de Musica quem (unaque prologum ex ms. bibl. Reg. Paris. n. 7211) edimus ex codice San-Blasiano sæc. XII, collato cum ms. San-Emmeramensi manco, et Admontensi, in quo post dialogum sic legitur : *Explicit musica Enchiridionis;* puto quod alicubi dialogus iste etiam Enchiridion inscribatur.

# PROŒMIUM TONARII DOMNI ODONIS ABBATIS.

(Ex codice Cassinensi sæculi XI.)

## Incipit formula super tonos, qualiter unusquisque cantor in ecclesia agere debeat. *Gloria* : *e u o u a e*, id est : *Sæculorum amen.*

Formulas, quas vobis ad cantandum scribere procuravi, qualiter omnis cantor ecclesiæ tenere debeat tonum antiphonarum, officiorum seu communionum, vel qualemcunque cantum adire poterit, summo cum studio legere studeat, qui arcem magisterii in ecclesia tenere voluerit in cantu. Admoneo autem omnes cantores, præcipue tamen eos, qui in ecclesia majores præesse videntur, ut quotidie subditis suis hæc exempla subtilius subministrent, ne quando antiphonæ in ecclesia incœperint, scrupulum generent in incipientia psalmi, et per diversa incipiant evagari. Studiositatem autem quicunque habere voluerit in cantu, quotidie perlegat has formulas et differentias, quas in se habent, et quando voluerit antiphonam in ecclesia incipere, non teneat introitum ejus, sed ad
B finem quantocius currat, et in cujus tono eam invenerit, in ipsius sono incipiat psalmum : quia sunt plerique in ecclesia, ex quorum numero multos conspexi, qui propter arrogantiam se anteponunt cæteris, et faciunt suum tonum, et dicunt, quod talis tonus sit et talis, et ipsi per omnia fallunt ; et hoc non faciunt pro alia causa, nisi ut magistri appareant ante illos. Isti tales plus damnationem sibi exinde acquirunt, quam mercedem, quia beatus papa Gregorius non inertiam se sectatus fuisse dixit, quando cantum facere studuit, sed ad credulorum animos demulcendos hoc fecit ad laudem Conditoris nostri.

Nullus denique putet quod omnes antiphonæ in suo principio se conveniant cum initio psalmi ; majorem autem partem antiphonarum in fine volunt sibi incipere psalmum, sicut antiphona : *O beatum pontificem*, quam multi faciunt de secundo tono ; sed fallunt, cum sit de primo et de septima differentia. Sic et aliæ multæ antiphonæ, quæ in formulis præscriptæ sunt. Unde præcipio omnibus cantoribus qui huic arti præsunt, ut octo tonos, quos in figura octo beatitudinum exposuimus studiosissime custodiant, quia si hoc fecerint, non erit illis hic labor incassum, sed valde proficuum, et est in singulis eorum differentiis valde utilis ratio, qui sensum potuerit capere.

Habet autem primus tonus decem differentias ; secundus enim tonus unam ; tertius vero tonus quinque differentiis constare videtur. Quartus vero novem finiri jubetur. Quintus enim pro sola antiphona
D in duabus videtur esse constructus. Sextus enim in sola differentia signatus esse dignoscitur. Septimum autem differentiis septem conscriptum esse monstramus. Octavum vero in sex differentiis finiri censuimus. Septimus vel octavus fine videntur esse concordes, sed principio illorum discordes ; unde multum volunt habere studium, qui illorum antiphonas sine vitio incipere voluerint. Aliquando enim, ut supra delibatum est, in suo initio se concordant cum psalmo, plures autem in suo fine incipiendæ sunt

SEQUUNTUR OCTO TONI CUM SUIS DIFFERENTIIS

*De octo tonora per ordinem.*

I. Prima differentia, tonus Dorius, et authentus protus, vox odax, metrum vero lychanos hypaton ; organum anoton, symphonia varietas proti, chorda vero scembs, uti primum tonum incipiens, et schemata D. Loquimur quomodo quemque differentias [*f.* quæque differentiæ] per singulas ascendunt et descendunt tonando cum vocibus. Prima differentia inchoat in quarta corda, quæ vocatur *scembs*, et serenando ascendet in octava quæ dicitur *kaphe*, et serenando ascendet usque ad tertiam, quæ dicitur *re*, et repausa ubi incipit. Incipit cantus.

*Primum quærite regnum Dei.*

*Finit primus, incipit secundus.*

II. Secunda vero differentia tonus hypoiastius, et plagis proti, vox odax, metrum vero lychanos hypaton, organon ysaton, symphonia varietas plagis proti. Chorda vero scembs, et schemata D. Secunda differentia inchoat in quarta chorda, quæ voca-
C tur scembs, et ascendit in sexta chorda, quæ dicitur *neth*, et descendit ad primam, quæ vocatur *buc*, et repausa ubi incipit cantus.

*Secundum autem simile est huic.*

*Finit secundus ; incipit tertius.*

III. Tertia igitur differentia tonus Æolius semitonius et authentus deuterus. Vox jubilo, metrum vero hypate meson, organum chamilon. Symphonia varietas deuteri, chorda vero caphe, et schemata B. Tertia differentia inchoat in nona chorda, quæ vocatur *caphe*, et ascendet ad undecimam chordam, quæ dicitur *suggesse*, et descendet usque in quartam, quæ dicitur *scembs*, et repausa in schemata E.

Item cantus.

*Tertia dies est, quod hæc facta sunt.*

*Finit tertius ; incipit quartus.*

IV. Quarta sumitur autem differentia tonus cantus et plagis deuteri, vox jubilo, metrum vero hypate

meson, organum salpion, symphonia varietas plagis deuteri. Chorda vero *cæmar*, et schemata E. Quarta autem differentia sumitur in quinta chorda, quæ dicitur *cæmar*; et ascendit ad septimam, quæ vocatur *uciche*, et descendit ad tertiam, quæ dicitur *re*, et repausa ubi incipit.

Item cantus.

*Quarta vigilia venit ad eos.*

*Finit quartus; incipit quintus.*

V. Quinta igitur differentia sumitur tonus parmenus, et authentus tritus, vox vero excelsa, metrum vero parypate meson, organum cuphos, symphonia varietas triti, chorda vero asel, et schemata D. Quinta vero imitatur ad octava chorda, quæ vocatur *asel*, et ascendens ad undecima, quæ dicitur *sucgesse* et descendens ad undecima, quæ discitur *neth*, et repausa in schemata F.

Cantus.

*Quinque prudentes intraverunt ad nuptias.*

*Finit quintus; incipit sextus,*

VI. Sexta ergo differentia tonus epyniceus semitonius, et plagis triti, vox excelsa, metrum vero parypate meson, organum bubos, symphonia varietas plagis triti, chorda vero *neth*, et schemata F. Sexta ergo exoritur a sexta chorda, quæ dicitur *neth*, et ascendit usque ad octavam quæ nominatur *asel*, et descendit usque in tertiam quæ dicitur *re*, et repausa in schemata F.

Cantus.

*Sexta hora sedit super puteum.*

*Finit sextus; incipit septimus.*

VII. Septima enim differentia tonus adonta, et authentus tetrardus, vox stridentis, et metrum lichanos meson, organum strigon, symphonia varietas tetrardi, chorda vero *sucgesse*, et ascendit ad duodecimam, quæ dicitur *nar*, et descendit in septimam, quæ dicitur *viche*, et repausa in schemata G.

Cantus.

*Septem sunt spiritus ante thronum Dei.*

*Finit septimus: incipit octavus.*

VIII. Octava vero differentia incipit tonus theticon et plagis tetrardi, vox stridentis, metrum, vero lichanos meson, organum fonicon. Symphonia varietas plagis tetradi, chorda autem *neth*, et schemata F. Octava vero distat in sexta chorda, quæ vocatur *neth*, et ascendit ad undecimam, quæ dicitur *sucgesse*, et descendit in sextam, ubi incipit, et repausa in schemata G.

Cantus.

*Octo sunt beatitudines.*

---

# INCIPIT LIBER

Qui et *DIALOGUS* dicitur, a domno Odone compositus, succinctim, decenter atque honeste ad utilitatem legentium collectus.

(Ex ms. biblioth. Reg. Paris. 7211.)

## INCIPIT PROLOGUS.

Petistis obnixe, charissimi fratres, quatenus paucas vobis de musica regulas traderem, atque eas tantummodo, quas pueri et simplices sufficiant capere, quibusque ad cantandi peritiam perfectam velociter, Deo adjuvante, valeant pervenire. Quod idcirco petistis, quæ [*f.* quia] posse fieri ipsi audistis et vidistis, certisque indiciis comprobastis. Vobiscum quippe positus tantum cooperante Deo per hanc artem quosdam veros pueros ac juvenes docui, alii triduo, ut alii [*l.* ut alii triduo, alii] quatriduo, quidam vero unius hebdomadæ spatio hac arte exercitati, quamplures antiphonas, non audientes ab aliquo, sed regulari tantummodo descriptione contenti per se discerent, et post modicum indubitanter proferrent. Non multis postea evolutis diebus primo intuitu et ex improviso, quiquid per musicam descriptum erat, sine vitio decantabant; quod hactenus communes cantores nunquam facere potuerant, dum plures eorum quinquaginta jam annis in canendi usu et studio inutiliter permanserunt.

Sollicite quoque ac curiose investigantibus, an per omnes cantus nostra valeret doctrina, assumpto quodam fratre, qui ad comparationem aliorum cantorum videbatur perfectus, antiphonarium sancti Gregorii diligentissime investigavi, in quo pene omnia regulariter stare inveni. Pauca vero, quæ ab imperitis cantoribus erant vitiata, non minus aliquorum cantorum testimonio, quam regulæ sunt auctoritate correpta [*f.* correcta]. Charissimi, tamen in prolixioribus cantibus vocem ad altum tonum pertinentem, et superfluas elevationes et depositiones contra regulam invenimus. Sed quæ [*f.* quia] illos cantus omnium usus unanimiter defendebat, emendare nos non præsumpsimus. Sane per singulos notavimus, ne veritatem regulæ quærentes dubios redderemus.

Quo facto majori desiderio accensi vehementis-

simis precibus ac nisibus institistis, quatenus ad A honorem Dei, ac sanctissimæ genitricis ejus Mariæ, in cujus venerabili cœnobio ista fiebant, et ut regulæ fierent, tanquam utilibus notis totum antiphonarium cum tonorum formulis describeretur.

De vestris igitur precibus confidens, et communis Patris præcepta suspiciens, hoc opus intermittere nec volo, nec valeo. Est autem apud sapientes hujus sæculi valde difficilis et ampla hujus artis doctrina. Cuicunque itaque placuerit, invito labore excolat atque circumeat campum. Qui autem hoc parvum Dei donum ab ipso percepit, simplici satiabitur fructu. Ut autem melius intelligatis hoc, et necessaria pro vera voluntate accipiatis, unus vestrum ad interrogandum vel colloquendum accedat, quæ prout Dominus donaverit, respondere non negligam.

# INCIPIT MUSICA DOMNI ODONIS (131).

## SYNOPSIS.

1. De monochordo ejusque usu. 2. Et mensura. 3. De tono et semitonio. 4. De consonantiis. 5. De conjunctionibus vocum. 6. Toni et semitoni discretio secundum modos. 7. De limitibus modorum. 8. Quid sit modus, unde dignoscatur quisque, distinguaturve? 9. De elevatione et depositione modorum. 10. Octo modi. 11. Primi modi formula. 12. Secundi modi formula. 13. Tertii modi formula. 14. Quarti modi formula. 15. Quinti modi formula. 16. Sexti modi formula. 17. Septimi modi formula. 18. Octavi modi formula.

1. *D.* Quid est musica?

*M.* Veraciter canendi scientia, et facilis ad canendi perfectionem via.

*D.* Quomodo?

*M.* Sicut magister omnes tibi litteras primum ostendit in tabula, ita et musicus omnes cantilenæ voces in monochordo insinuat.

*D.* Quale est illud monochordum?

*M.* Lignum *longum* (132) *quadratum* in modum capsæ, et intus concavum in modum citharæ, super quod posita chorda sonat, cujus sonitu varietates vocum facile comprehendis.

*D.* Quomodo ponitur ipsa chorda?

*M.* Per mediam capsam in longum linea recta ducitur et relicto ab utroque capite unius unciæ spatio, in eadem linea ab utraque parte punctus ponitur. In relictis vero spatiis duo capitella locantur, quæ ita chordam super lineam suspensam teneant, ut tanta sit chorda inter utraque capitella, quanta et linea, quæ et sub chorda.

*D.* Qualiter una chorda multas et varias voces reddit?

*M.* Litteræ vel notæ quibus musici utuntur, in linea, quæ est sub chorda, per ordinem positæ sunt: dumque modulus inter lineam chordamque decurrit, per eadem litteras curtando vel elongando chorda omnem cantum mirabiliter facit: (133) et dum pueris per ipsas litteras aliqua notatur antiphona, facilius et melius a chorda discunt, quam si ab homine illam audirent: et post paucorum mensium tempus exercitati, ablata chorda, solo visu indubitanter proferunt, quod nunquam audierunt.

B *D.* Mirabile est valde, quod dicis. Nostri quidem cantores ad tantam perfectionem nunquam aspirare potuerunt.

*M.* Erraverunt potius, frater, et dum viam non quæsierunt, toto vitæ tempore in vanum laboraverunt.

*D.* Qua ratione fieri potest, ut melius, quam homo, doceat chorda?

*M.* Homo, prout voluerit vel potuerit, cantat; chorda autem per supradictas litteras a sapientissimis hominibus tali est arte distincta, ut mentiri non possit, cum diligenter fuerit observata vel considerata.

2. *D.* Quænam, rogo illa est ars?

C *M.* Mensura monochordi; quod enim bene mensuratum est, nunquam fallit.

*D.* Potero simpliciter paucis forsitan verbis ipsas mensuras addiscere?

*M.* Hodie, adjuvante Deo: tantum diligenter ausculta (134). In primo capite monochordi ad punctum, quem superius diximus, Γ litteram, id est G græcum pone (135), [quæ, quoniam raro est in usu, a multis non habetur]. Ab ipsa Γ usque ad punctum, quem in fine posuimus, per novem diligenter divide, et ubi prima nona pars fecerit finem [prope Γ], A litteram scribe, et hæc dicetur vox prima. Ab eadem prima littera A similiter per novem partire usque ad finem, et in nona parte B litteram pro voce secunda appone. Dein ad caput re- D vertere, et divide per quatuor a Γ, et pro voce tertia C litteram scribe. A prima A similiter per quatuor divide, et pro voce quarta D litteram scribe. Eodem

(131) Codex Vindobonensis hunc præfert titulum: *Incipit Dialogus a domno Odone compositus de arte musica.* Codex San-Emer. istum: *Incipit Dialogus, quem composuit domnus Odo abbas de arte musica, qui Enchiridion dicitur.* Admontensis vero sæc. XIII, circ. ita inscribitur: *Incipit Dialogus de musica arte domni Ottonis abb. primi Cluniacensis cœnobii, quem Enchiridion appellavit, ob brevitatem vitæ.*

(132) Vien. omittit *longum*, et S. Em. *quadratum*.

(133) Sequentia in Vien. desiderantur.

(134) Pergit hic iterum *Viennens.*

(135) Uncinis inclusa ex *Admontensi*.

modo B dividens per quatuor, invenies quintam A E. Tertia quoque C insinuat sextam litteram F. Post hæc ad Γ revertere, et ab ipsa, et ab aliis, quæ sequuntur per ordinem, prædictam lineam in duas partes, id est, per medium divide, usque dum habeas voces quatuordecim vel quindecim absque Γ et dum voces per medium diviseris, dissimiles easdem facere debebis. Verbi gratia, dum a Γ per medium dividis, pro Γ scribe G, pro A mediata pone a et pro B aliam ♮ et pro C aliam c, et pro D aliam d, et pro E aliam e, et pro F aliam f, et pro G aliam g, pro a aliam $\overset{a}{a}$ ut a medietate monochordi in antea eædem sint litteræ, quæ sunt et in prima parte. Præterea a voce sexta F per quatuor divide et retro ♮ aliam b rotundam pone: quæ ambæ pro una voce accipiuntur, et una dicitur nona secunda, et utraque in eodem cantu regulariter non invenietur. Figuræ autem et voces et litteræ per ordinem ita ponuntur. Γ. I. A. II. B. III. C. IIII. D. V. E. VI. F. VII. G. VIII. a IX. I.b.IX. II. ♮ X. c. XI. d. XII. e. XIII. f. XIIII. g. XV $\overset{a}{a}$.

*D.* Deo gratias. Bene intelligo, et quod monochordum amodo sciam facere confido.

3. Sed quid illud est, obsecro, quod in regulariter mensurato monochordo minora alibi, alibi majora ac intervalla inter voces aspicio ?

*M.* Majus spatium dicitur tonus, et est a Γ in primam A, a prima A in secundam B. Minus vero spatium, sicut est a secunda voce B in tertiam C, semitonium vocatur, faciens contractiorem elevationem vel depositionem. Nulla autem mensura vel numero semitonii spatium ad tonum usque perveniat, sed cum per supradictam rationem divisiones fiunt suis locis, toni et semitonia formantur. (136) [Tonos autem omnes si ad extremum punctum duxeris, novenariam in omnibus divisionem inventam miraberis, sicut a Γ in primam A, et a prima A in secundam B, sicut primitus fecisti]. Prima vero nona b et secunda nona ♮ ad se invicem neque tonum neque semitonium faciunt, sed a prima nona b ad octavam a est semitonium; ad decimam c tonus. Secunda vero nona ♮ ad octavam a e contrario est tonus, ad decimam vero c semitonium præstat. (137) Ideoque una earum semper superflua est, et in quocumque cantu unam recipis, aliam contemnis, ne in eodem loco, quod absurdum est, tonum et semitonium facere videaris].

*D.* Maxime mirandum est quod non nisi a Γ in primam A, et a primo A in secundam B per novem divisi, et omnes æque tonos novenaria constare divisione probavi. Sed rogo, si aliæ sunt monochordi divisiones, et si in omnibus vel pluribus inveniantur locis, ostende.

4. *M.* Tres sunt præter tonum divisiones, quæ naturalem vocum, quam supra dixi, positionem custodiunt. Prima quaternaria est, propter quod in quatuor divisa est, ut a prima A in quartem D, et hæc habet voces quatuor, intervalla tria, id est, duos tonos et unum semitonium. Ubicunque ergo in monochordo inter duas voces duos tonos, et unum semitonium invenies, ipsarum duarum vocum intervallum quaternaria divisione currere ad finem usque probabis : et ideo diatessaron, id est, de quatuor nomen accepit. Secunda vero ternaria est, ut a prima voce A in quintam E, in cujus spatio continentur voces quinque, intervalla quatuor, id est tres toni et unum semitonium. Ubicunque ergo videris inter duas voces tres tonos et unum semitonium, ipsarum vocum spatium ternis ad finem passibus currit. Vocatur autem diapente, id est, de quinque, eo quod voces sunt in ejus spatio quinque. Tertia vero divisio est, quæ per duo vel per medium dividitur, et dicitur diapason, id est, de omnibus. Hanc, ut supra

B dictum est, ex litterarum similitudine patenter agnoscis, ut a prima A in octavam a. Constat autem vocibus octo, intervallis septem, id est, tonis quinque, semitoniis duobus. Continet etiam unum diatessaron et unum diapente. A prima A in quartam D fit diatessaron, et a quarta D in octavam a diapente : a prima A in octavam a diapason invenitur hoc modo : A, B, C, D, E, F, G, a.

*D.* In paucis verbis de divisionibus non pauca cognosco. Sed cur eædem litteræ in prima et secunda parte fiant, audire desidero.

*M.* Hoc ideo fit quia cum secundæ partis voces a septima G in antea a vocibus primæ partis per diapason absque nona b prima fiant, adeo inter se utraque pars concordat, ut quæcunque lit-

C teræ in prima parte tonum vel semitonium, vel diatessaron vel diapente vel diapason faciunt, similiter et in secunda parte facere comprobentur. Verbi gratia, prima parte a Γ ad A est unus tonus, ad B vero est in tonus et tonus, id est, ditonus, ad C diatessaron, ad D diapente, ad G diapason. Similiter et in secunda parte de G ad a est unus tonus, ad ♮ quadratam tonus et tonus, ad c diatessaron, ad d diapente, ad g diapason ; unde fit, ut omnis cantus similiter ut in prima, et in secunda parte cantetur. Sed primæ partis voces ad voces secundæ partis quasi viriles cum puerilibus vocibus concorditer cantant.

*D.* Sapienter id factum esse perpendo. Nunc autem qualiter cantum notare possim, ut ego illum

D absque magistro comprehendam, primum audire exspecto, ut cum exempla regularum dederis, eum melius recognoscam, et si penitus quidquam mente excesserit, ad tales notas indubitanter recurram.

*M.* Litteras monochordi, sicut per eas cantilena discurrit, ante oculos pone ; ut si nondum vim ipsarum litterarum plene cognoscis, secundum easdem litteras chordam percutiens ab ignorante magistro mirifice audias et addiscas.

*D.* Vere, inquam, magistrum mirabilem mihi dedisti, qui a me factus me doceat, meque docens ipse nihil sapiat. Imo propter patientiam et obedientiam sui eum maxime amplector ; cantabit

(136) Uncinis inclusa ex *Admontensi.*

(137) Hæc ex *Admont.*

enim mihi quando voluero, et nunquam de mei A
sensus tarditate commotus verberibus vel injuriis
[ *Vien.* virgis ] cruciabit.

*M.* Bonus magister est, sed diligentem auditorem requirit.

5. *D.* In quibus maxime diligentia adhibenda est ?

*M.* In conjunctionibus vocum, quæ consonantias faciunt diversas, ut sicut diversæ sunt ac differentes, ita dissimiliter et differenter unamquamque earum opportune pronuntiare prævaleas.

*D.* Quot sunt differentiæ, precor, edissere, et communibus exemplis ostende.

*M.* Sex sunt tam in depositione quam in elevatione. Prima vocum conjunctio est, cum illæ duæ voces junguntur, inter quas unum et semitonium, B
E F
ut a quinta in sextam, quæ consonantia omnibus contractior et strictior est, ut prima elevatio hujus
E F E G a cc
antiphonæ : *Hæc est, quæ nescivit.* In depositione
F E D E F
vero per reciprocationem ita : *Vidimus stellam.* Secunda vero est, cum inter duas voces est tonus,
C D C D
ut a tertia in quartam in elevatione ita : *Non vos*
D F D DC E F
*relinquam*, etc. In depositione vero sic : *Angelus*
G E DD
*Domini.* Tertia est, cum inter duas voces tonus et
D
semitonium differentiam faciunt, ut inter quartam C
F D D F
et sextam hoc modo in elevatione : *Joannes autem.*
E E D
In depositione ita : *In lege.* Quarta vero est, cum
F
inter vocem et vocem duo sunt toni, ut a sexta in
a E F a a ♮
octavam, in elevatione ita : *Adhuc multa habeo.* In
a F a c cc
depositione hoc modo : *Ecce Maria.* Quinta per diatessaron fit, ut a prima A in quartam D in ele-
A D
vatione hoc modo : *Valde honorandus.* Depositio
a C D
vero hujusmodi est : *Secundum autem.* Sexta autem per diapente, ut a quarta D in octavam a, ut est :
Da ba a GG
*Primum quærite.* In depositione, ut a tertia C in D
G C D
septimam G, hoc modo : *Canite tuba :* aliæ regulares vocum conjunctiones nusquam reperiuntur.

6. In maximum sæpe errorem vulgares cantores labuntur, quia vim toni et semitonii aliarumque consonantiarum minime perpendunt. Id enim unusquisque eorum eligit, quod primum auribus placuerit, vel quod facilius ad discendum pronuntiandumve provenerit; fitque magnus error in multis cantibus, cujus modi sint. *Modos* autem dico de omnibus octo tonis et modis omnium cantuum, qui in formulis per ordinem fiunt, ne si tonos dixeris, dubitatio fiat, an de tonis formularum, an de tonis, qui novenaria facti sunt dispositione et divisione, dicatur. Illos itaque cantores si de aliquo cantu interrogaveris, cujus modi sit, illico respondent quod nesciunt, ac si perfecte cognoscerent. Quod si ab eis argumentum, unde hoc sciant, quæsieris, titubantes dicunt : quia sit similis in principio et in fine aliis cantibus ejusdem modi; cum de nullo omnino cantu, cujus modi sit, sapiant, nescientes, quod unius vocis dissimilitudo modum mutare compellat, ut hæc antiphona : *O beatum pontificem !* quæ cum in principio et fine secundi modi esset, propter illius tantum vocis elevationem, ubi dicitur : *O Martine dulcedo*, in primo tono a domno Odone curiosissisme est emendata. Itemque in antiphona: *Domine, qui operati sunt*, hæc diligentius probare poteris: nam si eam incipias in sexto modo, ut multi probant, in F littera, non discrepabit ab eo modo, usque ad semitonium, quod est *in tabernaculo tuo*, in una syllaba. Sed quia in usu ita est, et bene sonat, emendari non debet. Sed inquiramus an forsitan in alio tono incipiatur, totaque in eo modo consona inveniatur, eamque emendari opus non sit. Incipe itaque eam in G littera, hoc est, in octavo modo, et regulariter in eo stare probabis. Unde quidam incipiunt, *Domine*, sicut *amodo dico vobis.* Ex quo comprehenditur, quia imperitus musicus est, qui facile ac præsumptuose plures cantus emendat, nisi prius per omnes modos investigaverit, si forsitan in aliquo stare possit; nec magnopere de similitudine aliorum cantuum, sed de regulari veritate curet. Quod si nulli tono placet, secundum eum tonum emendetur, in quo minus dissonat. Atque hoc observari debet, ut emendatus cantus aut decentius sonet, aut a priori similitudine parum discrepet.

*D.* Bene de inertium cantorum errore me cautum fecisti, nec non etiam de regularis monochordi curiosa investigatione, ac regularium cantuum approbatione, falsorumve emendatione, utiliter sensum, prout oportet, exercentibus, licet paucis verbis, non modicam dedisti peritiam.

7. Verumtamen, quot vocibus cantus fieri debet, adjunge.

*M.* Alii asserunt octo, alii novem, alii decem.

*D.* Quare octo ?

*M.* Propter majorem divisionem, id est, diapason ; sive quia apud antiquos octo sonis citharæ fiebant.

*D.* Quare novem ?

*M.* Propter bis diapente, quæ novem vocibus terminatur. Nam cum a Γ in quartam si diapente unum, atque ab eadem quarta D in octavam a aliud, a Γ in a octavam novem sunt voces.

*D.* Quare decem ?

*M.* Propter Davidici auctoritatem psalterii, vel quia in decem vocibus ter diatessaron invenitur : a Γ enim in tertiam C unum diatessaron est ; a tertia C in sextam F aliud invenitur ; a sexta F in nonam primam B tertium restat : et ideo a Γ in nonam primam B decem numerantur voces,

*D*. Possunt esse et pauciores voces in cantu ?

*M*. Possunt utique quinque vel quatuor ; sed ita quidem, ut et quinque diapente, et quatuor diatessaron reddant.

*D*. Prolata ratio, et pene omnium cantuum attestationes probant verum esse, quod dicis. Quid autem sit tonus, quem sæpius modum vocas expone.

8. *M*. Tonus vel modus est regula, quæ de omni cantu in fine dijudicat. Nam nisi scieris finem, non poteris cognoscere, ubi incipi, vel quantuum elevari vel deponi debeat cantus.

*D*. Quam regulam sumit principium a fine ?

*M*. Omne principium secundum prædictas sex consonantias suo fini concordare debet. Nulla vox potest incipere cantum, nisi ipsa vel finalis sit, vel consonet finali per aliquam de sex consonantiis. Et quæcunque voces per easdem consonantias possunt convenire fini, in eisdem quoque vocibus poterit incipi cantus illius finis, excepto, quod cantus, qui finitur in voce quinta E, quæ est prima semitonii in tertio modo, sæpe invenitur incipere in voce decima C, quæ ab eadem quinta E uno diapente, unoque semitonio elongatur.

Distinctiones quoque, id est loca, in quibus repausamus in cantu, et in quibus cantum dividimus, in eisdem vocibus debere finiri in unoquoque modo, in quibus possunt incipi cantus ejus modi, manifestum est. Et ubi melius et sæpius incipit unusquisque modus, ibi melius et decentius suas distinctiones incipere vel finire consuevit. Plures autem distinctiones in eam vocem, quæ modum terminat, debere finiri, magistri tradunt ; ne si in alia aliqua voce plures distinctiones, quam in ipsa, fiant, in eamdem quoque et cantum finiri expetant, et a modo in quo fuerant, mutari compellant. Ad eum denique modum magis cantus pertinet, ad quem suæ distinctiones amplius currunt Nam et principia sæpius et decentius in eadem voce, quæ cantum terminat, inveniuntur. Dictæ rei exemplum in hac antiphona comprobabis : *Tribus miraculis;* ecce una distinctio : *Ornatum diem sanctum colimus* ; ecce alia : *Hodie stella magos duxit ad præsepium ;* ecce tertia : *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias;* ecce quarta : *Hodie a Joanne Christus baptizari voluit* : ecce ultima. Vides itaque, ut in regulari cantu plures distinctiones in suo tono incipiant et finiantur, ut et in eadem voce cantus incipiant et finiantur.

9. *D*. Ita esse, ut asseris, magistrorum cantorum ubique auctoritate defenditur. Verum de elevatione et depositione, quam a fine regulam sumat cantus, presequere.

*M*. In acutis vel elevatis cantibus, ut in primo tertio, quinto et septimo tono, nullus cantus plus a suo fine, quam ad octavam vocem debet ascendere, in qua voce eadem est littera, quæ et in fine; propter divisionis, quæ diapason dicitur præcipuam quantitatem, habet idem cantus ante finem vocem unam. At vero in humilioribus cantibus, ut

A in secundo, quarto et sexto, et octavo, nulla depositio alicujus vocis ante finem invenietur, quæ ad finem ipsum secundum sex prædictas consonantias non jungatur. Elevatio vero eorum a fine secundum easdem consonantias ad quinque voces progreditur. Aliquando autem ad sextam usque procedit. In quibus autem vocibus omnium modorum cantus secundum præsentem usum sæpius incipiant, in eorum formulis pervidebis.

10. *D*. Quoniam probasti omnium modorum cantus a fine regulam sumere, quo sint ipsi modi vel toni, tempus est dicere.

*M*. Quatuor esse modos quidam putant.

*D*. Quare ?

B *M*. Quia omnis regularis cantus in quatuor monochordi vocibus finiri potest.

*D*. Quæ sunt illæ voces ?

*M*. Quarta D, in quam terminatur modus, qui dicitur authentus protus, id est, auctor vel princeps primus. Quinta E in qua terminatur modus, qui dicitur authentus deuterus, id est, auctor vel princeps secundus. Sexta F, in quam terminatur authentus tritus, id est, auctor et princeps tertius. Et septima G, in quam terminatur authentus tetrardus, id est, auctor vel princeps quartus. Hi quatuor autem dividuntur in octo.

*D*. Quare ?

*M*. Propter elevatos et humiles cantus. Nam cum acutus vel elevatus fuerit cantus in authento proto,
C dicitur modus authentus protus. Si vero fuerit gravis et humilis in eodem authento, proto, dicitur plaga proti.

*D*. Quare dicitur plaga proti ?

*M*. Plaga proti, id est pars primi dicitur, eo quod finiatur in eamdem partem, id est, locum vel vocem quartam D monochordi, in qua finitur et authentus protus. Similiter cum acutus fuerit cantus in authento deutero, dicitur authentus deuterus ; sin autem planus fuerit cantus, plaga deuteri nominabitur. Eodem modo diceretur de authento trito plaga triti, et de authento tetrardo plaga tetrardi. Consuetudo autem tradidit, dicere pro authento proto et plaga proti modum primum et secundum ; et pro authento deutero et plaga deu-
D teri modum tertium et quartum : et pro authento trito et plaga ejus modum quintum et sextum : et pro authentho tretrardo et plaga ejus modum septimum et octavum. Igitur octo sunt modi, per quos omni cantilena discurrens octo dissimilibus qualitatibus variatur.

*D*. Quemadmodum potero eorum differentias et communitates advertere ?

*M*. Per tonos et semitonia. Ubi enim toni et semitonia simul fiunt, ibi et reliquæ consonantiæ similes fiunt : ubicunque enim duo toni et unum semitonium fuerint, ibi et diatessaron erit ; et ubicunque tres toni semitonio adhærebunt, ibi et diapente non deerit. Similiter et de reliquis consonantiis oportet intelligi.

*D.* Age ergo, obsecro, et de modis, quæ sequuntur, edicito.

11. *M.* Primus tonus finitur in voce quarta, proceditque in undecimam, in qua est eadem littera d per tonos et semitonia ita : post finem primo tonus occurrit, deinde semitonium, et duo toni ac iterum semitonium, et duo toni : deponitur vero a fine ad vocem tertiam tono uno, hoc modo (138) :

| Forma toni I. | C. to. | D. to. | E. Sem. | F. to. | G. to. | a. Sem. | b. ♮ Sem. | C. to | d |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|

Quidam autem decachordum volunt facere, adjiciuntque vocem unam, secundam B. Sed non est in usu, ut ad eam primus deponatur modus. Incipit autem cantus ejusdem modi in C, ut : *O beatum pontificem* : sæpius in D, quando principium cum fine concordat, ut : *Ecce nomen Domini.* In E quoque, sed raro, ut : *Gaudete in Domino* ; in F, ut : *Ipsi soli*, in G quoque, ut : *Canite tuba* ; in a etiam, ut : *Veniet Dominus*, aut *Exi cito.*

12. Secundus autem tonus similiter finitur in eamdem vocem D, et ascendit cum eo usque ad nonam primam b, ad decimam vero vel undecimam non pervenit. Deponitur vero a fine tono et semitonio et tono usque ad primam A, aliquando autem, sed raro, et alio tono usque ad gamma, et fiunt chordæ decem hoc modo (139) :

| Forma II toni | Γ t | A t. | B s. | C t. | D t. | E s. | F t. | G. t. | a t. | b. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|

Habet itaque secundus tonus Γ, et primam A, et secundam B, quas non habet primus : et primus habet decimam c, et undecimam d, quas non habet secundus. Sunt autem horum plurimi cantus, qui ad Γ et primam A et secundam B non deponuntur, ad decimam vel undecimam non elevantur, de quibus dubium est, an primi, an secundi sint toni : quorum ista discretio est. Ad octavam et nonam si non ascendunt, certissime de tono secundo sunt. Erunt itaque octava et nona utriusque communes, ad quas dum cantus ascendit, si diu in eis permaneat, sive tertio vel quarto eas repercutiat, aut si in octava incipiat, modi erit primi. Sin autem in inferioribus incipiat, et secundum quantitatem antiphonæ rarissime ad illas ascendat, secundi erit modi. Alioquin juxta formularum varietates et differentias discernuntur. Principia autem secundi toni sunt in Γ, ut : *Educ de carcere* ; in A, ut : *Omnes patriarchæ* ; in C, ut : *Nonne cor nostrum ;* in D, ut : *Ecce in nubibus ;* in E, ut *Animalia. Ecce Maria ;* in F, ut : *Quem vidistis.* In Γ vero, B, vel E, vel G, rarissima exempla reperies.

*D.* De primi et secundi diseretione sufficit ; ad reliqua properandum est.

13. *M.* Tertius modus in quintam finitur vocem in E litteram, proceditque uno diapason usque ad eamdem litteram *e* acutam per tonos ac semitonia ita : primo assumens semitonium, deinde tres tonos ac semitonium et duos tonos : deponitur vero a fine ad quartam tono uno, hoc modo (140) :

| Forma III toni. | D t. | E s. | F t. | G t. | a t. | ♮ s. | c t. | d t. | e. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|

Sane secundam nonam ♮ ideo adamavit, quia ad ejus finem diapente est : maxime autem ideo, quia ad acutissimam ejus, id est *e*, diatessaron reddit. Quia autem prope finem tres habet tonos, in descensione vel ascensione potius saliendo, quam gradiendo, vadit. Usitata autem ejus principia sunt hæc : in E, ut : *Quando natus es ;* in F, ut : *Nunc scio ;* vel in G, ut : *Multa quidem* ; in *a*, ut : *Quis Deus magnus :* in *c*, ut : *Tertia dies est.*

14. Quartus autem modus, quia planus est, non fecit prope finem tres tonos, ideoque nonam primam *b* assumpsit, ascenditque ad decimam *c*, habens post finem semitonium et duos tonos, deinde semitonium et tonum. Deponitur vero a fine duobus tonis ad tertiam C, plerumque autem ad secundam B et primam A acuto semitonio et tono : quia ad suum finem secunda B reddit diatessaron, et prima A diapente consonantiam reddit, fiuntque voces decem per tonos ac semitonia incedentes hoc modo (141) :

| A t. | B s. | C t. | D t. | E s. | F t. | G t. | a t. | b.,, | ♮ s. | c | Forma IIII toni. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|

Principia ejus inveniuntur in C, ut : *Hodie nata est ;* in D, ut : *Benedicta tu* ; in E, ut : *Gaude Maria ;* in F, ut : *Anxiatus est ;* in G, ut : *O mors ;* in *a*, ut : *Rectos decet.*

Discernitur quartus a tertio, quia quartus habet primam A, et secundam B, et tertiam C, quas non habet tertius : et tertius habet undecimam *d*, et duodecim *e*, quas non habet quartus. Quod si aliqua

(138) Admont, addit hos versus :

Ad quartam vocem primus statuit sibi sedem,
Tertia vox subsit, vox altera quarta snpersit,
Ut sonet intense diatessaron et diapente.

(139) Admont, addit :

Accipit et sedem residet secundus ibidem,
Cui sonat intensum diapente sonatque remissum,
Adde super primam, si vis procedere, nonam.

(140) Admont, addit :

Tertius in vocem quintam statuit sibi sedem,
Quartaque vox subsit, vox altera quinta supersit.
Ut sonat intense diatessaron et diapente.

(141) Admont, addit :

Quartus ab hac sede primam descendit ad usque,
Cui sonat intensum diatessaron atque remissum,
Quamlibet ex nonis decimamque super sociabis.

antiphona neque has tertii, neque illas habet quarti, A sed in decima *c* incipiat, ut: *Vivo ego*, vel secundam nonam ut: *Ecce quomodo computati sunt*, amplius diligat, tertii erit modi; alias in quarto ponetur, si ejus formulæ differentias imitatur. Volunt autem quidam quarto modo ad similitudinem tertii secundam nonam tribuere, eo quod sit diapente ad finem ejus: prima vero nona *b* ad finem ejus nulla consonantia sit. Sed non magis communem usum secuti sumus. Invenimus præterea in difficilioribus cantibus jungi tertio modo et tertiam vocem C, ut sit decachordum; quod tamen cum rarissime fiat, abusivum esse non dubito. Neque enim a tertia C, in duodecimam *e*, ter diatessaron secundum prædictam decachordi regulam invenitur.

*D.* Cum multi sint grammatici, aut vix, aut nunquam veraces inveniuntur libri maxime dum sæpe in eorum emendatione laboretur; musici autem perpauci inveniuntur, et per multa jam tempora antiphonaria emendata non sunt: non est ergo mirum, si in multis locis falsitas inveniatur. Tantum, precor, regulam et communem usum prosequere: quæ enim rarissime fiunt, nullius artis solet regula reprobare.

15. *M.* Quintus autem modus in sextam F terminatur, et acutissima ejus decima tertia *f* eadem littera figuratur, cumque sexta F ad primam nonam *b*, ad decimam tertiam *f*, diapente reddat, in quinto vel sexto prima nona *b* valebit. Habebit ergo per ordinem tonos duos et semitonium, ac deinde tonos tres et ultimum semitonium octo vocibus, ita (142):

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Es | Ft | Gt | at | b,, | ♮s | ct | dt | es | f | Forma V toni. |

Usitata ejus principia sunt hæc: in F, ut: *Haurietis;* in G, raro: *Non vos relinquam*, in *a*, *Quinque prudentes*, in *c*, *Ecce Dominus inveniet*. Nam quia tonum ante finem non habuit, nec in princi- D pio nec incessu post se respexit.

16. Sextus autem modus cum eo graditur ad undecimam d, sed deponitur a communi fine semitonio et duobus tonis ad tertium C, hoc modo (143):

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Ct | Dt | Es | Ft | Gt | at | b,, | ♮s | ct d | Forma VI toni. |

Et sicut quintus habet duodecimam *e*, et tertiam decimam *f*, quas non habet sextus; ita sextus habet tertiam C, quartam D et quintam E, quas non habet quintus, nisi quod aliquando quintus miscetur sexto, declinans in quartam D fitque decachordum. Sed hoc inveniri, maxime in antiphonis, C raro contingit. Horum autem erit ista discretio. Cum nec depositio sexti, nec tota elevatio fuerit quinti, si in decima *c* incipiat, et eam vel undecimam *d* juxta quantitatem suam sæpe repercutiat, quintus erit modus; si autem non ascendat, nisi ad nonam primam *b*, dicetur sextus, sive per principia discernetur. Vix autem sextus nisi in suo fine incipit, ut: *Verbum caro factum est*, aut in *a*, ut: *Vidi Dominum*, aut in voce quinta *E*, ut: *Domine, in auxilium*, aut in voce quarta D, ut: *Si ego verus Christi*, aut in voce tertia C, ut: *Decantabat populus*.

*D.* Utilia, imo et necessaria probantur ad præsentis erroris exprobrationem, de modis quæ dicta sunt. Unum sicut cœperas de septimo et octavo tono cupientem audire non differas.

17. *M.* Septimus modus in vocem septimam terminatur, cujus acutissima est decima quarta *g*, quæ cum fine eodem charactere denotatur. Hic assumit nonam secundam ♮, ut habeat duos tonos post finem, post quos et semitonium et duos tonos iterum semitonium. Deponitur vero a fine tono uno, hoc modo (144):

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Ft | Gt | at | b,, | ♮s | ct | dt | es | ft | gt | a | Forma VII toni. |

Quod si decachordum placeat facere, uno eum D semitonio adhuc de fine depone ad quintam E, non tamen hoc frequenter invenies. Notandum est autem quod si ei prima nona *b* concedatur, nihil restat, nisi ut a (145) sexta ad eam diatessaron fiat, eritque per omnia primus, quia habebit tonum et semitonium, ac deinde duos et semitonium et duos tonos, et deponitur a fine tono uno, sicut in primo dictum est, et jam non erit septimus, sed primus. Non enim, ut stultissimi cantores putant, gravitate vel acumine unum modum ab alio discrepare scimus; nihil enim impedit, quemcunque volueris modum, si acute vel graviter decantaveris; sed tonorum ac semitoniorum, quibus et altæ consonantiæ fiant, diversa positio diversos ab invicem ac differentes modos constituunt. Iterumque si una tantum voce depravata finiatur in octava a, rursus fit per omnia primus: habebit enim a fine tonum et semitonium, et duos ionos, et reliqua, quæ sunt primi. Principia ejus sunt hæc: in F vix reperies exemplum, ut: *Qui re-*

(142) Admont. addit:
Ad sextam vocem quintus statuit sibi sedem.
Nullaque vox subsit, vox altera sexta supersit,
Ut sonet intense diatessaron et diapente.

(143) Admont. addit:
Accipit et sedem residendo sextus ibidem.
Cui sonat intensum diatessaron atque remissum,
His superaddE tonum faciens procedere cursum.

(144) Admont. addit:
Septimus imparilem numero statuit sibi sedem,
Sextaque vox subsit, vox septima summa supersit
Ut sonet intense diatessaron et diapente.

(145) Adm. *a duodecima* e. *ad eam, diatessaron fiat, et ad semitam contrahatur, eritque*, etc.

*gni claves*, et *Memento mei;* in G, ut: *Assumpta est Maria;* in a raro invenies, ut comm. *Domus mea*, in ♮ *Dixit Dominus*; in *c*, *Benedicta filia*: in *d*, *sit nomen Domini.*

A 18. Octavus autem modus procedit cum septimo usque ad duodecimam *e*, deponitur autem ad tertiam C, tono et semitonio et duobus tonis, fitque decachordum hoc modo (146):

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| C t | D t | E s | F t | G t | a t | b,, | ♮ s | c t | d t | e | Forma VIII toni. |

Supra diximus autem hujusmodi decachordum ter diatessaron non habere, ideoque non recipitur utraque, id est, acutissima *e* ejus, et gravissima C ejus simul in uno eodemque cantu, ut quibusdam placet. Perspicuum est autem quod octavus tonus in depositione a fine per omnia sit secundus. Quod si ei in elevatione prima nona *b* daretur, ut haberet tonum et semitonium, et tuos tonos a fine, etiam in elevatione permaneret secundus. Sed deridenda inertium cantorum scurrilitas, quæ de tonorum discretione nil sentit: id solum sequitur, quod aliquo modo aures delinire videtur: sicut qui gastrimargiæ inserviunt, per falsam dulcedinem veram sobrietatis regulam fallunt. Invenitur præterea, cum octavus ad quartam D descendens, decimam tertiam *f*, quæ jure est septima, appetat, ac si decachordum regulare tanta præsumptione, licet raro, restituat. Principia ejus sunt hæc (147): in C, ut: *Stabunt justi*, in D, ut: *Angeli Domini;* in F, ut: *Zachæ*; in G, ut: *Judæ et Jerusalem;* in *a*, ut: *Apertum est;* in *c*, ut: *Ecce ancilla*. In hoc autem distat octavus a septimo quod octavus habet tertiam C, quartam D, et quintam E quas non habet septimus; et septimus habet decimam tertiam *f* et decimam quartam *g*, quas jure non habet octavus.

Sane in his cantibus qui inter octavi depositionem et septimi elevationem medii sunt, ut in reliquis quoque modis dictum est, secundum formularum varietates, in quo tono maneant, discernentur. Per ipsas enim varietates uniuscujusque modi principia liquido pervidebis.

*D*. Dum vix paucos cantus his regulis contraire invenio; eorumque paucitatem et, ut ita dicam, furtivam singularitatem a præsumptoribus vitiatisque cantoribus factam esse non dubito.

*M*. Regula enim est commune mandatum uniuscujusque artis; quæ ita singularia sunt secundum artificialem regulam non consistunt.

*D*. Sed precor, ut secundum uniuscujusque vocis positionem pauca adhuc de modorum lege subjungas.

*M*. Petitioni tuæ justum est respondere. Unaquæque enim vox alicujus supradictorum modorum similitudinem tenet; ut gamma (Γ) quidem, quia habet ante se duos tonos, post quos semitonium, et duos tonos adjungit, ac deinde semitonium tonumque apponit, non immerito septimi modi similitudinem tenet, cum et finis septimi ad gamma diapason concinat. Prima quoque vox, quia habet post se tonum, ante se vero tonum et semitonium et duos tonos, primi modi legem cus- B todit: unde prima non sine causa dicta est. Secunda vero cum deponatur post se duobus tonis, et ante elevetur semitonio et duobus tonis, iterumque semitonio et tono, usitatam quarti modi regulam servat. Tertia præterea C, cum post se habeat semitonium et duos tonos, ante se vero duos tonos et semitonium, ac deinde tres tonos, quinti vel sexti proprietate fulcitur. Jam vero octavam *a* primum locum tenere dicimus ad similitudinem primæ, cujus est diapason. Alioquin si eam cum prima nona *b* perpendas, habebit in depositione tonum, in elevatione vero semitonium, et tres tonos ad similitudinem tertii. Prima nona *b* in depositione continet semitonium et tuos tonos, ad similitudinem sexti; in elevatione vero sive quia tres C toni sequuntur, sive magis quia nulla sequentium diatessaron ei caritate conjungitur, quæ principalis est consonantia, nullius toni regularem similitudinem tenet. Neque etiam per diapason a posterioribus fieri potest; ideoque neque cantum neque distinctionem in ea principium vel finem habere probabis, nisi vitio id fiat.

Secunda nona ♮ ad similitudinem secundæ vocis B, a qua per diapason facta est, quarti imaginem tenet. Decima vero *c* ad similitudinem tertiæ C concordat septimo. Alias autem si secunda nona ♮ privetur, habebit post se tonum, semitonium et duos tonos, ante se vero duos tonos et semitonium, ad comparationem octavi, a cujus fine diatessaron signat. Reliquæ vero quæ sequuntur pro similitu- D dine litterarum facile perpenduntur; quod monstrat hæc figura.

V. C. VI. VII. G. VIII. I. ♮ d. II. I. a/a II.
B. IIII. V. F. VI. V. c. V. VIII. VII. g. VIII.
I. A. II. III. E. IIII. Δ. I. IIII. f. VI.
VII. Γ. VIII. I. D. II. I. a. II. III. II. e. IIII.

Ex his quæ dicta sunt, assiduus perscrutator tam de tonis, quam de reliquis hujus artis regulis divina gratia juvante alia quamplura intelliget. Quod si aut negligenter agit, aut hoc non per divinam illustrationem, sed sui sensus acumine se capere posse præsumpserit, aut nequaquam intelliget, aut, dum non refert gratias Donatori, efficietur, quod absit,

(146) Admont. addit:
Accipit et sedem residens octavus ibidem,
Cui sonat intensum diapente sonatque remissum.
Et superadde tonum, facies procedere cursum,

(147) Adam ita: in C, ut: *nos qui vivimus, Dum venerit Paraclitus;* in D, ut: *Spiritus Domini;* in E, ut: *Ornaverunt faciem;* in F, ut: *Jucundare;* in G, ut: *In illa die;* in *a*, ut: *Completi sunt;* in *c*, ut: *Ecce*, etc.

elationi inserviens (148) minus jam subditus Crea- A tori : qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(148) Cod. Admontensis ita claudit : Minus jam serviens et subditus Deo. Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce modus primus, sic noscitur atque secundus :
Accipitur tritus, sic quartus et iste probatur :
Quintus adest iste, sextus sic cernitur esse :
Septimus harmoniam tenet hanc, octavus et istam.

*D.* Age ergo, obsecro, et de modis, quæ sequuntur edicito (149).

*Explicit Musica Enchiridionis.*

Primus tonus a D. in *d.* II ab A in *a.*
III. ab E. in e. IV a B. in λ.
V. ab F. in f. VI a C. in e.
VII. a G. in g. VIII. ut prius.

(149) Ad horam post hæc legitur : *Hic desinit Dialogus.*

# D. ODO DE MUSICA.


## MONITUM.

Quæ sequuntur, in codice San-Blasiano continenter posita sunt post opusculum seu Dialogum Odonis de musica, scilicet post hæc verba, quæ in aliis ms, desiderantur : D, *Age ergo, obsecro, et de modis quæ sequuntur, edicito.* Unde et nos hic immediate illa subjicimus, collata cum ms. Lipsiensi, in quo habetur sub nomine Bernonis.

Musicæ artis disciplina summo studio appetenda est, et maxime his qui communi conversatione Deo serviunt. Nam sicut per Psalmistam dicitur, quia *panis confirmat, et vinum lætificat cor hominis* ; ita et frequens lectio animum nostrum ad virtutes roborat, cantus vero in Dei servitio mentem exhilarat. Accidit præterea, ut cum suavitatem melodiæ, quæ in terris agitur, congaudentes miramur, ad illam harmoniam cœlestis patriæ audiendam ardentius festinemus, quæ tanto est ista suavior, quantum cœlum terra miramur excelsius.

Cum pueris volumus insinuare legere, prius eos abecedarium discere facimus in tabula, ut postquam cognoverunt omnes litteras, facilius legere, valeant quidquid scribitur litteris. Simili modo qui cantum volunt addiscere, prius oportet eos omnes voces, tonorumque varietates in monochordo cognoscere. Quia enim [*Lips.* vero] hac disciplina non utimur, tantum temporis antiphonarium discendo perdimus, in quanto divinam auctoritatem et grammaticæ regulam scire potuissemus ; et, quod deterius est, nullo unquam spatio temporis ad tantam perfectionem venimus, ut saltem minimam antiphonam absque magistri labore scire possimus, quamque si oblivisci contigerit, nullatenus memoria reformare valemus. Sed non terreat lectorem hujus artis duritia ; in præsentibus quippe regulis nihil invenies præter ea sola, quæ et facile poteris, Deo illuminante, capere, et per quæ ad cantandi peritiam quam cito valeas pervenire ; talis enim ac tanta hujus artis virtus probatur, de qua et parvuli possint capere, unde ad cantandi peritiam poterunt pervenire, et fortes sensus suos per multa valeant ac mirabilia exercere.

Nunc primum ante oculos monochordum ponimus, ut quidquid postea de vocum natura dixeri- B mus, si lectione minus panditur, oculis demonstretur (150).




Cum igitur subducendo modum per supradictas chordæ litteras ipsam chordam curtaveris vel elongaveris, omnes voces, quibus omnis cantus efficitur, et quantum unaquæque vox altera sit gravior subtiliorve numero, recognosces. Qua in re divinam sapientiam admirans glorificare poteris, quia sicut omnia reliqua, ita et voces hominum, ut se laudarent in numero et mensura, constituit.

Cum primum igitur in monochordo conspexe- C ris, cognosce unamquamque vocem ab altera tono vel semitonio distare. Omnes autem toni novenaria divisione fiunt, ut cum a capite monochordi, ubi chorda incipit, usque ad finem, ubi chorda finitur, per novem diviseris, ubi prima nona pars terminaverit, ibi signum primæ [*Lips.* secundæ] vocis appones. (151) [Item ibi incipiens, si per novem diviseris usque ad finem chordæ, ubi secunda nona pars terminaverit, ibi signum secundæ vocis apponis]. Et illa descensio vel ascensio, hoc est, ipsum intervallum, quod est a prima voce, ubi inscribitur A, usque ad secundam, ubi inscribitur B, tonus est primus ; prima enim vox est tota chorda, antequam dividatur : unde in capite chordæ scribitur A littera prima, in secundo D vero loco B littera secunda. Tonus ergo dicitur, quoties spatium alicujus unius vocis usque ad alteram, usque ad finem chordæ novies ducitur : unde fit, ut quantum fuerit octava pars sequentis, tantum major esse prior ab illa videatur ; et rursus quantum nona pars prioris, tantum sequens minorata cognoscatur. Quod facile

(150) Hæc et sequentes tabulæ in *Lips. ms.* desunt, spatio tamen vacuo relicto.

(151) Uncinis inclusa desunt in *Lips. ms.*

probare poteris, probatumque cognoscere, si [*Lips.* cum sexta] cum mensuraveris ab A usque ad B et illud spatium, quale fuerit usque ad finem chordæ, quasi pedibus incedendo [*Lips.* deduxeris ; erunt enim ab, etc.] duxeris ; etenim ab A usque ad finem hujusmodi spatia novem, a B usque ad finem octo. Erunt præterea de vocibus illis quas in monochordo, vides hujusmodi toni decem quorum per ordinem ista descriptio est.

| Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | | Tonus Epogd. | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| I | | II | | III | | IIII | | V | | VI | | VII | | VIII | | VIIII | | X | |
| A | B | C | D | D | E | F | G | G | a | a | b | ♮ | c | c | d | d | e | f | g |
| VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. | VIIII. | VIII. |

In unoquoque enim tono qualia novem spatia prior habuerit, similia, vel eadem octo habuerit. [*Lips.* habebit *melius*] posterior. Hujus toni exemplum hoc est : *Angelus Domini ;* ubicunque enim videris duas ex illis litteris, sicut in figura geminatæ sunt, sive in isto sive in alio cantu tonus est sicut hic. An. [id est in hac antiphona, *Lips.*, secundus tonus] tonus est epogdous, quia tonum musici epogdoum vocant, id est, superoctonarium [*Lips.* super octo, id est super octonarium], quotiens major vox comparata ad minorem habet eam totam in se, et eo amplius octavam partem illius minoris ; quod etiam in numeris æque fit, cum novem comparamus ad octo vel decem, et octo ad sedecim.

| | | |
|---|---|---|
| a prima diatessa- | T. \| S. \| T. | in ultimam ron. |
| Forma sunt I. | AI. BI. CII. D | |
| Forma sunt II. | DIII. EII. F. IIII. G | |
| Forma sunt III. | GV. a III. b VII. c | |
| Forma sunt IIII. | a VI. ♮ IIII. c VIII. d. | |
| Forma sunt V. | d VIIII. e V. fX. g. | |
| a pri- in ul- diates- | Prioris toni pars ultima \| Semiton circum diatessa- ron. \| Posterioris toni pars ultima. | ma timam saron |

Nominatur autem iste epogdous tonus, cujus descriptio superius facta est. Semitonia autem in eisdem vocibus quinque numerantur : dicitur autem semitonium quasi medius tonus : est enim medius inter duos tonos ; illud videlicet spatium, quod positis ex utraque parte tonis in medio remanet ita, ut utriusque lateris toni, ut dictum est, novenario, fiant [*Lips addit* : vel semitonius ideo vocatur, quod semis et non plenus sit tonus : unde dicere solemus : non plenus est sciphus, et cum his similia.]

Itaque si primo tono terminato quartam vocem, quæ secundum tonum terminat, et a prima voce quaternaria totius monochordi portione [*Lips.* partitione] monstratur, per octo ad finem usque deduxeris, et ipsam octavam partem super quartam vocem adjunxeris, ut sint partes novenæ [*Lips.*, novem] et ipsius secundi toni ultima principium et finem primi toni [*Lips.*, semitonii] te invenisse miraberis. Sunt autem quinque ubique primi toni ultimæ, posterioris vero prima parte circumdati, sicut eos hæc figura per ordinem signat. In hac sequenti figura omnium tonorum et semitoniorum numeros per ordinem, et alia utilia prudens lector inveniet (152).

Nam sit primam et ultimam uniucujusque ordinis inter se compares, diatessaron, quæ duos tonos mediumque semitonium habere videtur, invenies. Item si prioris ordinis primam secundæ et secundam tertiæ descendendo [*Lips. addit.*, ad inferiora] compares, diatessaron duo reperies : hoc idem in secundo et tertio et quarto ordine æque continget. A quarto in quintum consideres per singula, diapente invenies. Unde si de monochordi mensura quæsieris, et plura tædet legere, hæc tibi figura, quantum sufficit, indicabit.

Illud autem de tonis et semitoniis notandum est quod semitonius nunquam patitur, ut inconcinni toni absque ejus medietate jungantur [*Lips. add.*, ut est verbi gratia tonus, tonus, tonus, tonus et semitonium], sed excepto semitonio primo, quod super se non habet nisi primum tonum, ubique post duos tonos semitonius vocis moderator occurrit, ne vel nimiæ repetitiones fastidium [*Lips.*, in unum repetiti toni fastidium] generent, vel plures hiatus et extensiones vocum dissonantiam præstent. Semitonii quoque id est geminati [*Lips.*, vero gem.] nusquam inveniuntur, ne, quia ad moderandum et condiendum cantum excogitati sunt, dum plus quam congruit, indiscrete ponuntur, in morem superflui salis amaritudinem faciant. Quos autem ab octava chorda usque in decimam duos semitonios vides, nunquam continuatim jungere debes ; quorum signa hæc sunt : octavum *a*, nonum *b*, decimum ♮, un-

(152) In *Lips.* figura deest, relicto spatio.

A decimum vero c, quibus ita utendum est, ut quando a et b semitonium jungunt, a b ad c intelligas tonum, et quando b cum c semitonium velit, ab a usque ad ♮ tonum esse non dubites : quorum primus ideo positus, ne a sexta voce F usque ad nonam ♮ tres continui toni invenirentur. Eadem ratione secundus formatur, ne duobus post se sequentibus tonis et tertius adhæreret, sicut in hac figura conspicies.

| Diatessaron | |
|---|---|
| F G a b | ♮ c d e |
| T T T S | S T T T |
| | Diatessaron |

Præterea sciendum est quia pro prima voce b B et ♮ accipi debent, id est nona, quamvis divisa in nonam primam et in nonam secundam, ne plurimum errorem videatur inferre : ut est illud, quod diatessaron ab octava chorda in undecimam quinque voces habere videretur, quod penitus absurdum est. Exemplum autem hujus semitonii est hujus antiphonæ prima elevatio : *Vigilate animo*. Notandum autem de semitonio, quod solum nullum utilem tonum valeat implere, sed junctum tono prolixum ejus spatium moderatur. Tonus vero invenitur utroque suo termino soni dulcedinem præstans ; ut cum dicitur *Oremus*, ubi non invenitur nisi unus tonus, qui a sexta in septimam vocem suis terminis definitur, hanc euphoniam sua depositione ac elevatione perficiens. C Duo quoque aliquam consonantiam reddunt, quæ cantus non dicitur ; quia cantus non minus quatuor vocum spatio adimpletur : cujus genus symphoniæ diatessaron vocatur, id est, de quatuor, continens duos [*Lips.* in se duos] tonos, semitonium vero unum, hoc est intervalla tria et voces quatuor. Hæc autem symphonia divina dispositione adeo quadratura congaudet, ut et quatuor in suo spatio voces contineat, et quaternaria divisione fiat. Nam si a prima voce per quatuor totum diviseris primæ partis spatium, diatessaron nominabis : cujus ratio hæc est, si [*Lips.* quod] prima vox, comparata ad quartam [*Lips. a.* comparata ad quartam *d*] habet eam totam in se, et eo amplius, quantum est quarta pars ipsius primæ sive tertia pars quartæ : hæc eadem diatessaron est [*Lips. deest* est] ad ampliandam sui nominis dignitatem a prima (A) vel secunda (B) voce procedens, ac deinde se de semetipsa constituens ad finem usque bis quatuor sibimet loca vendicavit. Nam a prima (A) in quartam (D) una diatessaron est ; a quarta (D) ipsa in septimam (G) altera ; a qua in decimam (c) tertia ; a decima vero (c) in tertiam decimam (f) quarta, ubique præter ultimam in medio tonorum duorum semitonium portans. At vero econtrario cum a secunda (B) voce in quintam (E) a quinta (E) in octavam (a) ab octava in undecimam (d) ab undecima (d) in quartam decimam (g) quæ est ultima, quasi quatuor passibus currit, in sola ultima parte medium semitonium continet, quem in aliis ponit in capite. Cum vero a tertia voce (C) in sextam (F) a sexta (F) in primam nonam (b) progreditur, neque in primo, neque in medio, sed in fine semitonium signat, (a. b.) ut (c) mutatis in hac trina divisione lateribus valde hanc mirabilem duo toni semitoniusque conficiant. Quomodocunque enim duos tonos semitoniumque conjunxeris, diatessaron nominabis.

Præterea est alia diatessaron, a secunda nona (♮) usque ad duodecimam (e) ut nulla vox suavissima ejus participatione privetur, sicut in hac figura notatur.

| | | |
|---|---|---|
| Diatessaron a prima | A D G c f. | |
| Diatessaron a secunda | B E a d g. | |
| Diatessaron a tertia | C F b | Diatessaron ♮ e |

Hujus exemplum est : *Secundum autem* et item : *Christus vincit. Christus regnat. Christus imperat. Rex noster*. In hac enim harmonia major et minor vox, id est, quinta (E) et octava (a) diatessaron duobus tonis et semitonio, ut dictum est, implent. Si ad hanc unum tantum tonum, qui est a quarta (D) in quintam (E) adjeceris, diapente nihilominus symphoniam mirabilem pervidebis.

Diapente autem dicitur, id est, de quinque, eo quod quinque habeat voces, et a prima (A) terminetur in quintam (E). Definitur autem [*Lips.* Diffinitur autem ipsa quinta *e*] totius ab aliqua voce, ad quam comparatur, divisione ternaria ; ut cum quinta [vox (153) comparatur ad primam : definitur autem ipsa quinta totius chordæ a prima, divisione ternaria, quæ diapente dicitur], et ubicunque ante vel post diatessaron occurrerit adjunctus ei (154) diatessaron diapente facit. Constat autem vocibus quinque tonis tribus, et semitonio in intervallis videlicet quatuor : in definitis vero vocibus loca continet novem, de quibus in septem, cum in primo et ultimo tonum habeat, quicunque ablatus fuerit, post ablationem diatessaron remanebit : sicut diapente, quod est a prima (A) in quintam (E) in primo et ultimo habet tonum. Si igitur tonum, qui primus est, separaveris, a secunda (B) in quintam (E) diatessaron remanebit : si vero ultimum tollas, a prima (A) in quartam (D) æque diatessaron remanebit. Hujusmodi autem diapente in hac figura notabis (155).

(153) Lips. uncinis inclusa ita habet : E *totius chordæ a prima* A *divisione ternaria, quæ divisio diapente dicitur*. Sed absque dubio est error calami, nosterque codex bene habet quoad ultima.

(154) Ita uterque : sed omnino inserendum *tonus*.

(155) Figura hæc in nostro cod. mendosa est, nec ex Lipsiensi, ubi deficit, emendari valet : ita autem corrigenda videtur, uti a nobis posita est.

| Diapente | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Primum | Diatessaron | | | | |
| | A T. | B S. | C T. | D T. | E. |
| II. | C T. | D T. | E S. | F T. | G. |
| III. | G T. | a T. | ♮ S. | c T. | d. |
| IIII. | D T. | E S. | F T. | G T. | a. |
| V. | a T. | ♮ S. | c. T. | d T. | e. |
| VI. | c T. | d T. | e. S. | f T. | g. |
| VII. | F T. | G T. | a T. | b S. | c. |

Excepto uno a quinta (E) in nonam secundam (♮), quæ in primo semitonium habet cum reliqui in primo et ultimo tonum habeant : et altera a nona prima (b) in tertiam decimam, ubi econtrario semitonium invenitur in ultimo.

Hujus autem diapente exempla multa reperies, de
DED C D D D
quibus est illud carmen Boetii : Bel la bis quinis
C D E F F E D C E D C D D D D D E FG GFDC F F
operatus annis ultor Atrides Phrygiæ ruinis fratris
E D C D D E F F E DD
amissos thalamos piavit. In qua melodia gravior vox tertia (C), acutior vero septima G est, quæ uno diapente junguntur, Diapente hoc est, cujus gravior vox tanta mensura superat acutiorem et posteriorem vocem, quanta est tertia pars ipsius gravioris, vel media posterioris : quia cum prior habeat tria spatia ad finem, posterior vero duobus horum spatiis contenta est.

Tertia vero symphonia diapason, id est, dupla, sive de duobus nominatur. [*Lips.* diapason ex octo vocibus constat.] Quoties major vox bis tantum habet de chorda, quam minor, sive cum major vox per medium, id est, in duas partes divisa, aliam vocem terminat, sicut est (A) prima ad octavam (a). Fit autem hæc diapason duabus supradictis symphoniis, id est, diatessaron et diapente ad se invicem copulatis. Ubicunque enim diatessaron et diapente, sive diapente et diatessaron conjunxeris, diapason plenissimam pervidebis [*Lips.* pernotabis et videbis]. Ut cum a prima in quartam (D) fit diatessaron, et a quarta in octavam (a) diapente, a prima (A) in octavam (a) diapason, id est, medietas primæ (A) necessario recipitur [*Lips.* reperitur].

Illud autem est notandum, quod ea vox (D), quæ ad primam (A) est diatessaron, ad octavam (a) comparata diapente facit ; et (E) quæ ad primam (A) est diapente, ad octavam fit diatessaron ; et illud spatium, quod fit signatis a prima diatessaron et diapente, tonus est in medio diapason consistens. Quo ablato, et supra et infra diatessaron notatur in tota diapason, sicut liquido in hac figura pernotatur.

A

| Diapason | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | Diapente / Diatessaron | | Diapente / Diatess. | |
| Formula I. | A | D | E | a |
| II. | D | G | a | d |
| III. | C | F | G | c |
| IIII. | E | a | ♮ | e |
| V. | F | b | c | f |
| VI. | G | c | d | g |

B Sunt autem hujusmodi formulæ sex, in quibus omnibus, sicut in prima, prædicta regula fixa manet.

Restat præterea unum diapason a secunda (B) in secundam nonam (♮) a prioribus discrepans, quia a secunda diapente non invenitur. Est autem in hac symphonia divinum, quod prima vox ejus et ultima tam mirabili suavitate concordant, ut eamdem vocem una atque altera sonare videantur ; licet prima virilis, et ultima sit puerilis : ita enim concordant, ac si vir cum puero eamdem melodiam simili, quantum diversa natura permittit, voce pronuntient. Unde fit, ut quando cantorem alter præcedit, alterque subsequitur, nihil aliud sonet unus quam alter, quæ diapason, id
C est, octava vox numeratur. Ideoque factum est, quod in monochorda unaquæque vox ab octava sua, quam medio dividit, eodem charactere, quamvis dissimili figuretur. Unde illa vox, quam primam nonam (b) dicimus, nulli priorum similis cernitur, quia nulla priorum sibimet diapason charitate famulatur ; sed quia semitonium cum octava faciebat, semitonii nomine decoratur.

(De) diapason autem symphonia illud etiam et vulgaris musica, fistula videlicet, et cithara sive fidula probant : quod satis commodus cantus est, quia una diapason, id est, octo vocibus continetur. Ecclesiastica autem consuetudo tradidit, ut a fine suo nullus cantus plusquam ad octavam surgat : quod cum fit, idem cantus [*Lips.* id est, cum can-
D tus] ad octavam a fine consurgit, rarissime et nonnisi in prolixioribus cantibus plus a secunda a fine descendat. Quæ [*Lips.* quod] si defuerit, unum tantum diapason ille cantus habebit. (156) Ipsa vero descensio a fine esse non debet, nisi a fine ad ipsam secundam, in quam deponitur, epogdous inveniatur tonus ; si vero semitonium fuerit, inutilis erit. Epogdous vero tonus ad diapason junctus ubique bis diapente constituit, id est, voces novem. Invenimus autem raro, et in prolixioribus cantibus, decem voces, quod Davidici psalterii auctoritate defenditur. In quibus tamen plusquam ab octava a fine non ascendi debet, sed potius ante finem illa augmentatio notabitur. Neque

(156) In Lips hæc inseruntur : *cum vero et dicta ascensio et descensio aderit, bis diapente cantus ille habebit.*

enim hoc absque numeri ratione et auctoritate agitur: cum decem chordæ tribus diatessaron continuis decorentur, excepto, cum diatessaron a tertia voce fiunt, in quibus tertia diatessaron regulariter non invenitur, unum hujusmodi decachordum tam superfluitate quam irrationabilitate judicatur incongruum.

Raro, amantissime lector, secundum antiqua præcepta, multorumque magistrorum instituta, et secundum communem plures his, quas designavimus, voces necessarias postulabis. Quamvis hæc raro inveniantur, non tamen penitus ignoranda sunt: unde in monochordo ante primam unam vocem ponendam (esse) censuimus, quam propter rarum usum, et prædictam rationem non primam, sed magis adjunctam vocamus. Neque enim per primam litteram designamus, sed per Græcum gamma Γ depingimus; eo quod septima Latinorum littera (est), quæ octava ab ipsa in monochordo cognoscitur, similem virtutem, sicut gamma apud Græcos, apud nos habere videatur. Sed cum gamma in capite chordæ posueris, novenaria divisione locum primæ (vocis), quam diximus, ante notabis [*Lips.* annotabis]; eritque a gamma ad primam tonus, ad tertiam vero diatessaron, ad ultimam vero, quæ a septima alteram diapason facit, ipsa gamma bis diapason dici poterit.

Præterea aliquando vitiosa et maxime lasciviens et nimium delicata harmonia plura, quam diximus, semitonia quærit, et quæ nos possumus, renuit: quod magis corrigi quam imitari oportet. Cavendum est autem, ne per musici incuriam hoc fiat, cum cantum aliter, quam compositus est, incipiat atque perficiat; ipsa enim dissonantia, sicut magistri probant, repugnat: neque post duos tonos aliud, quam semitonium; neque post semitonium aliud, quam duos tonos debere poni. Nos autem, quia evitari non potest vitium, nisi fuerit cognitum, quinque hujusmodi semitonia, sed extra præfixam regulam, in monochordo ponimus: unum quidem post primam, a quo ad finem medius ille post octavam stat semitonus: quæ nos quoque recipimus; uterque tamen semitonii charactere, sed dissimili, formatur. Alter quoque qui ab ipso, qui est post octavam, medius simili, sed Græco charactere pingitur. Item post quartam alius notatur, qui ab eo, qui est post primam, quaternia divisione colligitur; a quo alius post undecimam medius invenitur. Sed ambo hi aspirationis littera fiunt, sed dissimili; quare Græci per eam litteram hemitonium dicunt et scribunt. De quibus eum, qui est post octavam, vel medium ejus recipimus, alios potius cavendos, quam recipiendos monemus. Addimus præterea quatuor voces post ultimam, sive propter superfluos cantus, quos tamen aut vix aut nunquam reperies ad eas ascendere: sive propterea, ut quando cantorem præcedere voce altiori voluimus, quæcunque necessariæ

A sunt voces ad opus [*Lips.* ad hoc opus], habeamus. Quas si ab octava chorda dividimus [*Lips.* omnes voces ad undecimam medio dicto dividimus], facile invenimus: et quibuscunque modis voces ab octava ad undecimam ad suas priores comparantur, eisdem modis et istæ suam positionem custodiunt. Non solum autem istæ, sed et quæcunque vox sit, easdem propositiones [*Lips.* proportiones] ad sibi proximas voces habebit, quas habet et ipsa, a qua diapason congratulatione decoratur. Unde fit ut omnis cantus, si ab una bene incipit quamvis altiori voce, et ab alia, quæ diapason cum illa facit, æque incipi ac progredi, si vocum permiserit [*Lips.* permanserit] quantitas, possit. Unde non immerito eisdem litteris prima et

B ultima vox diapason designatur. Propterea eædem litteræ, quæ sunt a prima in septimam, eædem fiunt a septima in ultimam, et ipse litteræ, quæ fiunt ab octava in undecimam, sequuntur post ultimam, ut sint tres ordines similium litterarum. Primus enim versus majoribus notatur litteris, quales in principio sententiarum ponere solemus. Secundus vero versus minoribus litteris et alia figura formatis, qualibus per totam libri seriem utimur, describitur. Tertius vero versus, quia superfluus creditur, Græcarum potius litterarum forma notatur, habens voces quinque; de quibus duo ad earum similitudinem, quarum diapason dimensione fiunt, pro una accipiuntur littera, quamvis divisa. Cujus sententiæ hæc figura est.

C

| Diapason |
|---|
| Primus versus |
| Γ A B C D E F G |
| Secundus versus |
| g a ♮ c d e f g. |
| Tertius versus |
| A B ʒ K Λ. (157) |

Satis, quantum his convenit, qui aut pueri sunt, aut qui liberalium artium scientiam non acceperunt, de monochordi formatione dictum est. Sed cum occurrit memoriæ, quare [*Lips.* memoria, quia] stultissimus grammaticorum est sapientissi-

D mus rusticorum, unam formulam satis intelligibilem ad monochordi mensuram adjungimus, ne et invidiæ arguamur, aut rusticum nostra charitate privemus. Hoc autem est hujusmodi. In primo quidem versu omnes monochordi litteras per ordinem ponimus: in secundo vero versu, novenaria divisione fiat, proxima subnotatur; quam partionem epogdoum tonum diximus nominari. In tertio versu quæcunque ab aliqua prioris versus per quatuor dividitur, ut inveniatur inferius, a priore indirectum descendendo cognoscitur. Itidem in quarto ternaria divisione [*Lips.* divisio] a prioribus invenitur. In quinto vero

A B C D
(257) Pro A B C D duplicatis litteris in tertia classe ascensus.

duorum vel dupla, vel medietatis a prioribus divisio accipitur. Quaternariam vero divisionem diatessaron dicimus, ternariam vero diapente; duplam quoque diapason nominavimus.

| Litteræ monochordi per ordinem. | T | T | S | T | T | S | T | T | S | m̃ | S | T | T | S | T | T | S | m̃ | e | S | T |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | Γ | A | B | C | D | E | F | G | a | b | ♮ | c | d | e | f | g | a | B | ♮ | X | Δ |
| Ima divisio per VIII. id est epogdous tonus. | A | B | m | D | E | m ch | G | a | ♮ | c | m | d | e | m | g | a | ♮ ♮ | K | m | Δ | novem |
| Divisio prior per IIII. id est diatessaron. | C | D | E | F | G | a | b | c | d | m̃ | e | f | g | a | B | k | Δ | quatuor | | | |
| Divisio prior per III. id est diapente. | D | E | m | G | a | ♮ | e | d | e | f | m | g | a | B | K | Δ | Tria | | | | |
| Divisio prior per II. id est, diapason. | G | a | b | c | d | m | f | g | a | B | k | a | duo vel medietas | | | | | | | | |

In hac figura hoc modo uniuscujusque vocis ad alteram mensuram invenimus, ut si de quarta voce, cui quarta littera inscribitur D quæris, vide in figura ipsam litteram quarti [*Lips.* in capite] versus, cui ternarius ab utroque latere adhæret numerus; dumque ab ipsa littera rursum [*Lips.* sursum] in directum ad primum versum ascendis, gammam litteram recognoscis. Igitur si a gamma usque ad finem monochordi diviseris per tria, ubi prima tertia pars finem fecerit, ibi signum supradictæ quartæ vocis collocabis. Item vides eamdem litteram in tertio versu, in quo est quaternarius numerus: dumque super ipsam respicis ad ipsum verum A primam litteram [*Lips.* ad primum versum a lit.] reperis; si totum monochordorum quaternis diviseris (158) [eumdem ipsum locum, quem diximus, te invenisse miraberis]. Similiter et de omnibus reliquis faciens mirabiles ac diversas vocum mensuras multipliciter invenire poteris. Nam qualem numerum (159) [habuerit in suo versu aliqua littera, per ipsum numerum], ejus mensura ad suprapositam primi versus litteram invenitur. Et si ea, quæ dicta sunt, sollicitius assidua mente revolvas, ad alia quamplura et altiora numerorum mysteria sensum protendere poteris. Quæ nos ideo prætermisimus, ne tenerum lectorem magis suffocare superfluis cibis, quam lacte nutrire videremur.

Hujusmodi enim, dum ea, quæ capere non possunt, nimis avidi perscrutantur, plerumque nec ea, quæ leviora sunt, invenire merentur. Qualibus dicit Apostolus: *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.* Si enim sobrius esse quis optaverit, neque superfluas præsentes regulas indicabit, neque amplius, unde ad cantandi notitiam perveniat, necessarium exoptabit.

(160) Sunt præterea et alia musicorum genera, aliis mensuris aptata; sed hoc genus musicæ, quod nos exposuimus, peritissimorum musicorum sanctissimorumque Virorum ratione suaviori, ac veraciori, et naturali modulatione constat perfectum. Sanctissimus namque Gregorius, cujus præcepta in omnibus studiosissime sancta observat Ecclesia, hoc genere compositum mirabiliter antiphonarium Ecclesiæ tradidit, suisque discipulis proprio labore insinuavit: cum nunquam legatur, eum secundum carnalem scientiam hujus artis studium percepisse, quem certissime constat omnem plenitudinem scientiæ divinitus percepisse. Unum constat, quod hoc genus musicæ, dum divinitus S. Gregorio datum, non solum humana, sed etiam divina auctoritate fulcitur. Sancti quoque Ambrosii, prudentissimi in hac arte, symphonia nequaquam ab hac discordat regula, nisi in quibus eam nimium delicatarum vocum pervertit lascivia. Experimento namque didicimus, quod plurimi dissoluti mente hujusmodi voces habentes nullum pene cantum secundum veritatis regulam, sed magis secundum propriam voluntatem pronuntiant, maxime inanis gloriæ cupidi: de qualibus dicitur: quia ignorata musica de cantore joculatorem facit; pro quo S. Isidorus ponit, quia talibus vocibus (f. non) famulatur Deo. Pro quo etiam nos alia musicorum genera tractare contempsimus, et hoc solum, quod ipsi philosophi primum et naturale affirmant, recepimus, quod et philosophorum prudentissimi mirabilem hujus artis fuisse virtutem, quæ etiam qualitates hominum mutare potuisset, affirmarunt, atque hoc tandiu permansisse, quandiu simpliciter tractaretur. Dum vero diverse tractari cœpit, pristinam virtutem amisit, et a puerorum schola procul fugit, nec majoribus etiam ad plenum amplius familiaritate pristina sociata est. Nos autem prout divina gratia donare dignabitur, quæ sequuntur, reliqua persequamur.

Ad cantandi scientiam nosse, quibus modis ad se invicem voces jugantur, summa utilitas est. Nam sicut duæ plerumque litteræ aut tres aut quatuor unam faciunt syllabam, sive sola littera pro syllaba accipitur, ut *amo*, *templum*: ita quoque et in musica plerumque sola vox per se pronuntiatur, plerumque duæ aut tres vel quatuor cohærentes unam conso-

(158) Uncinis clausa desunt in Lips.
(159) Desunt ista.

(160) Quæ uncinis clauduntur non habet cod. Lips.

nantiam reddunt; quod juxta aliquem modum musicam syllabam nominare possumus. Item sicut sola syllaba aut duæ vel tres vel etiam plures unam partem locutionis faciunt, quæ aliquid significat, ut : *mors est vita, gloria, benignitas beatitudo :* ita quoque et una vel duæ vel plures musicæ syllabæ tonum diatessaron diapente jungunt, quarum dum et melodium sentimus et mensuram intelligentes miramur, musicæ partes, quæ aliquid significant, non incongrue nominavimus. Distinctio vero in musica est, quantum de quolibet cantu continuamus, quæ ubi vox requieverit, pronuntiatur. Item sicut una pars locutionis aut duæ vel plures sensum perficiunt, et sententiam integram comprehendunt, ut cum dico *quid facis?* respondes *lego, sive lectionem firmo, sive aliquam sententiam quæro :* ita una, duæ vel plures ex his musicæ partibus versiculum, antiphonam vel responsorium perficiunt, nec tamen suorum numerorum significationem amittunt. Et sicut multæ et diversæ sententiæ ad volumen usque concrescunt : ita multæ et diversæ cantilenæ antiphonarium cumulatæ perficiunt. Ex quo probatur, quod S. Papa Gregorius plus omnibus per divinam gratiam hujus artis industriam sit adeptus. Nam si perpendas, valde mirabile est, quod in nocturnis reponsoriis somnolentarum more gravitor et dissolute ad vigilandum nos exhortare videtur : in antiphonis vero plane et suaviter sonat; in introitis [*leg.* introitibus] vero quasi voce præconia ad divinum clamat officium : in *Alleluia* suaviter gaudet : in tractu vero et gradalibus plane et protense humiliataque voce incedere videtur. In Offerendis vero et earum versibus, maximeque in Communionibus, quantum in hac arte valuerit, patefecit; est enim in eis omnimoda hujus artis elevatio, depositio, duplicatio, dulcedo cognoscentibus, labor discentibus, valdeque ab aliis cantibus discrepans mira depositio, et non tantum secundum musicam facti, quam musicæ auctoritatem et argumenta præstantes. Sanctus vero Ambrosius in sola dulcedine mirabiliter laboravit : aliique quam plurimi, prout a Domino acceperunt divisa munera, ejus gazophylacio contulerunt. Ille autem maxime auctoritati ecclesiæ contradicit, qui propter aliorum cantus divinum B. Gregorii donum penitus prætermittit. Nam cum alia sunt accipienda, tanti tamen patris auctoritas summopere est veneranda. Nos autem non carnali scientia, sed in eo spiritu, quo ipse imbutus est, confidentes, quæque ad hujus artis celerem proveniant notitiam, sicut cæpimus, exsequamur : et quod de musicæ alphabeto satis dictum est, de syllabis videamus.]

(161) Musica syllaba, quæ una fieri voce creditur, multa expositione non indiget, quia quod unum est, satis patet. Hoc tamen in ea intueri potest, quod plerumque sola, plerumque duplicata vel triplicata vox syllabam facere creditur. De qualibus etiam syllabis quandoque duæ vel tres aut A quatuor sola unius vocis repetitione simul positæ inveniuntur. Sed ut in plurimis negotiis constat, si rarum hoc fuerit, amplectetur; sepius enim repetitum fastidium generabit. Non solum hoc, sed et omnis musicæ consonantia discrete replicata diligitur at vero :

Omne nocet nimium, prodest satis omne modestum.

Duabus præterea vocibus quatuor modis fit musica syllaba; omnis enim vox aut ad proximam, id est, secundam a se, aut ad tertiam, aut ad quartam, sive ad quintam juncta consonantiam reddit. Hoc autem æque fit in depositione vel elevatione : sed ad secundum duobus modis fit elevatio et depositio, id est, semitonio et tono : et semitonius quidem contractior est. Neque enim B medietatem unius toni in suo spatio, quo depositionem et elevationem facit habere videtur : neque etiam æquis numerorum passibus suam positionem tueri valet; unus et imperfectus est, et ejus elevatio vel depositio sicut in chorda fit, ita in voce parumper protendi debet, sicut hujus antiphonæ prima elevatio monstrat : *Jubilate Deo.* Nam cum a quinta voce in sextam progrederis, hujusmodi elevationem semitonio fieri cognoscis; depositionem vero ejus reciprocatis vocibus pernotabis, ut in hac antiphona : *Laus Deo Patri.*

Fit præterea semitonii syllaba tum simplex, tum composita; et simplex quidem est, in qua semel utraque chorda sonat, sive in arsin sive in thesin, hoc est elevationem et depositionem, habens tantum duas voces et duos motus. Composita C vero est, quæ licet duas tantum voces habeat, in eisdem tamen tres continet motus, cum una earum bis sonat, atque alia semel; fit autem modis sex. Nam cum gravior bis, et posterior semel, ac deinde quæ gravior est, bis prosequatur, modi sunt duo. Si autem posterior bis sonet, et ad priorem una percussione descendat, rursus modi sunt alii duo. Deinde si simpliciter ad secundam ascendat, moxque, ad semetipsam redeat prima sive descendens, secunda ad primam mox ad semetipsam recurrat, modi fiunt alii duo. Cum autem in uniquoque superiorum modorum eamdem, ubi finitur, repercutias, sive ad alteram redeas, quaternis motibus et duabus vocibus notabitur syllaba.

D Quibus ita positis, si unam vel alteram repercutias, quinos etiam pervidebis motus : atque hoc ad plurima protendetur. Nobis autem melius placet, ut omnes hi motus ita disponantur in syllabas, quatenus ipsæ syllabæ sive uno sive duobus sive ternis contineantur motibus, quod et rationis commodius, et discentibus probatur utilius. Et quoties hujusmodi continuationes inveniuntur, multiplicationes potius dicendæ sunt syllabarum. Quare sæpe contingit eamdem syllabam duplicari et triplicari, et diversas duarum vocum syllabas multipliciter poni. Quod cum fit, id est cum paucis vocibus et pluribus motibus multiplicatio fit syllabarum, quæ tunc continua-

(161) Iterum pergit *Lipsiensis.*

tim profertur, partem musicat nominamus : quæ A pars in syllabas unum vel duos aut tres habentes motus resolvatur.

Qualiter autem ipsi motus dispertiantur in syllabas, cantorum judicio et usui prætermitto, ut cum hujusmodi pars fuerit, in quibus utraque chorda sonet; ne cum hoc sæpe fit, fastidium generet. Aliquando primum motum pro syllaba una, et sequentes tres pro alia ; aliquando autem duos in una, et duos in altera motus ponimus : aliquando vero priores tres motus pro una, et solum quartum pro alia syllaba accipimus. Atque ad hunc modum de reliquis partibus judicabit : tanta enim dissimilitudo hoc argumento fieri potest, ut eumdem cantum pene alium reddere videatur et difficilis sit cantus et minus delectans. B Si ejus syllabas et partes ac distinctiones similes feceris, ejus difficultatem tolli et dulcedinem augeri videbis : quod maxime pueris convenit. Si vero nimis delicatus fuerit et facilis, faciendo similitudinem in syllabis partibus, et gravitatem appones, et difficiliorem reddes, et quod plurima repetitione fiebat, fastidium auferes. Sed ne quis invidus nostra hoc intentione præsumptum putet, Antiphonarium beatissimi Gregorii et noster amicus opponat, in quo, quæcumque dicimus, probare multipliciter possumus. Omnimodis hoc observandum est, ut his regulis ita utamur, quatenus euphoniam nullatenus offendamus, cum hujus artis omnis intentio illi servire videatur. Euphonia enim Græce. Latine *bona sonoritas* interpretatur, id est consonantia, et omnis musica de consonantia tractat.

Toni autem, ut diximus, protensior atque perfectior elevatio et depositio est, et ut ita dicam, semitonius est imperfectus, tonus vero superfluus. Sed dum unius imperfectio alterius superfluitatem, sive alterius superfluitas alterius imperfectionem moderatur, perfecta modulatio ex utroque latere perficitur; et unum quidem vel duos tonos absque semitonio, quam semitonium absque tono in consonantia poni, magis sonoritati et auctoritati placet. Exemplum autem toni est in hac antiphona prima consonantia : *Angelus Domini.* Quoscunque autem modos syllabarum semitonio fieri diximus, decentius ac frequentius fieri confirmamus ; unde si superiora de semitonio retineas, necessarium de tono amplius non requiras. Illud modo licet maxima cura perpendas, ut si unum jam semitonium vel tonum cognoscis, ex ipsius similitudine alios colligas ; eædem quippe vocum syllabæ et consonantiæ sicut in uno, ita in omnibus inveniuntur, in nullo discrepantes, nisi quod unus tonus alio tono gravior vel acutior existat. Unde ut alia ex aliis colligens facilius vim cohærentium atque aliqua similitudine convenientium cognoscas, his duabus figuris tonos et semitonios depingimus.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Toni | Γ A | C D | D E | F G | Semit. | B C | E F | a b |
| Toni | G A | c d | d e | f g | Semit. | ♮ e | e f | A ♮ |
| Toni | g a | ♮♮ a | b c | B ♮♮ | Semit. | | | |

Cum enim sicut in uno, ita in aliis, licet mutata C voce cantetur, valde tibi proderit talibus figuris studium adhibere, ut si omnes tonos et semitonios semotim discere laborem putas, agnita similitudine velut unum habeas, quatenus ad cantandi peritiam flante Dei Spiritu graviter pertingas.

Præterea cum aliqua vox ad tertiam a se jungitur, duobus hoc modis fieri perhibetur; in ejusmodi enim consonantiis gravior atque acutior, aut tono et semitonio, aut duobus tonis a se invicem dividuntur. Et ea quidem, quæ tono et semitonio fit contractior est hoc modo : *Joannes autem cum audisset.* Quæ vero duobus tonis protensior, ut in hac antiphona prima depositio : *Quinque prudentes.* Quidquid autem superius de tono et semitonio dictum est, de hoc quoque D modo dicitur ; nisi quod præsentis modi syllabæ non adeo, ut superiores, multiplicari inveniuntur. Sed quantum hic modus illo est protensior, tantum in replicationem et multiplicationem eveniet rarior.

Cum autem vox ad quartam a se conjungitur, propter diatessaron dignitatem omnibus superiorum syllabarum modulis decoratur. Sed sicut de ea quæ est ad tertiam, diximus, ita quoque de hac perhibemus. Quare quantum ea, quæ fit tono vel semitonio, aut ea quæ fit duobus tonis, aut tono et semitonio, videtur expansior, tantum multiplicatione ac replicatione rariori contenta est. Hujusmodi enim syllabam sæpius repetere absque alterius interpositione minime debemus. Distat enim in hujusmodi syllaba vox ab altera duobus tonis et semitonio, hoc est, diatessaron symphonia : ut est hujusmodi depositio : *Spiritus sanctus.* Ut autem tribus tonis inter se differant, nec sonoritatis, nec auctoritate regulæ fulcitur; id est, cum tribus tonis et semitonio ab illa separatur. Nam ut duobus tonis et duobus semitoniis id fiat, rarissime invenitur; ponitur enim hujusmodi syllaba simplex duplicata autem raro, hoc modo : *Primum quærite.* Fit autem syllaba et tribus vocibus, sed in singulos tantum motus habentibus, tum continua tum interrupta. Et continua quidem est, quoniam ipsæ tres voces ut in monochordo positæ sunt, ita in una syllaba ponuntur, nulla in medio remanente : quod in ea syllaba, in quatuor ad tertiam jungitur, notatur, si secunda quæ remansit media assumatur. Unde fit, ut sicut in illa syllaba aut duo toni aut tonus et semitonius differentiam facerent, ita et in hac quoque eædem duæ species inveniantur, tres enim continuæ voces aut duos tonos, aut tonum et semitonium duobus

suis spatiis claudunt. In utraque autem specie sex A modos prædicta syllaba continebit. Nam cum a prima incipitur, aut ad secundam et tertiam directe ascendit : aut prius ad tertiam ac deinde ad secundam venit, fiuntque modi duo. Item cum a secunda incipitur, aut ad primam prius, et post ad tertiam, sive prius ad tertiam et post ad primam vadens modos facit iterum duos. Cum vero a tertia incipitur, sive prius ad primam ac deinde ad secundam, sive prius ad secundam ac deinde ad primam procedens modos reddit alios duos. Ad quamcunque enim harum syllabarum quemlibet unum motum adjeceris, duas syllabas binis motibus constantes, sive ut quidam volunt, quaternis motibus musicam fieri syllabam ac tribus vocibus pernotabis. Si vero alium adjeceris motum, ut sint B motus quinque. Sic in duas syllabas partietur, ut altera duos, altera motus habeat ternos, atque hoc tandiu concrescet, usque dum hujusmodi syllabæ plerumque duæ, plerumque tres aut plures fiant.

Interrupta autem ternis vocibus syllaba fit, cum ita tres voces disponuntur, ut a graviore in acutiorem una vel duæ voces intactæ prætermittantur, id est, cum gravior atque altior diatessaron aut diapente constituunt. Nam tribus sonantibus aut una intermittitur, et sunt quatuor : aut duæ intermittuntur, et intermissæ simul atque sonantes quinque numerantur. Quatuor autem et quinque voces tum jure consistunt, cum diatessaron et diapente conficiunt.

Ut igitur superflua de syllabarum positione præ- C termittamus, hoc tibi de earum cognitione sufficiet, quod quælibet syllaba duabus vel tribus vocibus constans diatessaron et diapente nunquam excedit. Si enim duarum vocum fuerit, si duas alias intermiserit, in diatessaron manebit : si vero tres intermiserit, in diapente hoc fiet et duæ sonantes et tres intermissæ quinque numerantur. Quod si trium vocum fuerit, ut superius dictum est, in diatessaron unam, in diapente intermittet duas. Hæ præterea vocum conjunctiones, quibus syllabæ constitutæ sunt, dum unaquæque vox sive in depositione sive in elevatione aut ad secundam aut ad tertiam aut ad quartam sive ad quintam jungeretur, similiter, ut in syllabis dictum est, ita te in partibus et distinctionibus observandæ sunt, ut finis alicujus partis vel dictinctionis secundum prædictos principio modos convenire utrique videantur.

Hæc autem pauca de musicis syllabas diximus, ut quam plures varietates consonantiarum paucis fiant vocibus aliquo modo monstraremus, atque ut eum, qui antiphonarium per monochordi litteras notare debet, qualiter eas distribuat, doceremus : sive quia omne, quod dividitur, facile capitur tam usu quam sensu ; quod vero indivisum, idem est et confusum, magisque mentem confundit, et ignorantiæ tenebris involvit, quam aliqua doctrina imbuat, aut scientiæ luce expeditam faciat. Atque hæc causa est, propter quam et syllabæ et partes ac distinctiones etiam in musica excogitatæ sint.

Sed quoniam ex rerum similitudine non parvam scientiam capimus, cum quod in una re fit, et in aliis similiter fieri perpendentes per unam plures cognoscimus, ut quod in locis ipsæ, quas diximus, vocum conjunctiones in monochordo similiter fiant, similique modo, licet mutata voce, cantetur, cognoscas ; sicut de tono et semitonio superius fecimus, ita nunc de reliquis conjunctionibus vocum, quæcunque similes sunt, his figuris notamus : quarum si Deus agnitionem dedit, nunquam curiositatem hujus operis frustra te arripuisse pœnitebis. Et prima figura, quæ voces a se tono et semitonio differant, edocebit. Secunda vero de his, quæ duobus tonis a se invicem differunt. Tertia de diatessaron, et quarta de diapente curabit. Duplices autem vel triplices figuræ propter eam, quam diximus, diapason mirabilem concordiam.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Tono et semitonio a se invicem differentes | A C | B D | D F | E G | G b | a c |
| | | ♮ d | d f | e g | g ♮b | A Γ |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Duobus tonis a se invicem differentes. | Γ B | C E | F A | b d |
| | G ♮ | c e | F a | B Δ |
| | g ♮♮ | | | |

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Uno Diatessaron differentes. | Γ C | A D | B E | C F | D G | E a | F b |
| | G c | a d | ♮ e | c f | d g | e a a | f b b |
| | g k | α Δ | | | | | |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Uno diapente differentes. | Γ D | A E | C G | E a | F b |
| | G d | a e | c g | d a | f b b |
| | g Δ | | | | |

De duarum vocum conjunctione et similitudine his quatuor figuris satis monstratum est. Sed quare in ea, in qua prima a tertia differt, una intermissa est; in ea vero, quatuor a se vocibus discrepat, id est, diatessaron, duo intermittuntur; et in ea, quæ est diapente, tria, aliis figuris nihil intermittentibus; monstrandum est, quæ a se tres voces similiter differant, et de quatuor et de quinque similiter, ut non minus quam syllabarum, partium quoque et distinctionum similitudo patefiat. Sed quia tres voces duo utique intervalla continentes tribus eadem variant modis, prima harum figura erit, quæ primo intervallo semitonium, secundo vero tonum continet. In secunda vero primo tonus, ac deinde semitonius inducetur: in tertia A vero duorum tonorum spatia continebit hoc modo:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Semitonio primo et tono distantes | S \| T | S \| T | |
| | B C D | E F G | a b c |
| | ♮ c d | e f g | a b c |
| | b c d<br>b c d | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Tono primo et duobus semitoniis per intervalla distantes. | A B C | D E F | G a b |
| | a ♮ c | d e f | g a b<br>b |
| | b<br>α b k | duobus to<br>locus | nis hic est<br>ejus. |

Diatessaron vero, quia duobus tonis et semitonio fit, cum aliquando in primo, aliquando in se- B cundo, aliquando in tertio semitonium ponit, tribus depingitur modis:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| B C D E | E F G a | a b c d | A B C D | D E F G | G a b c |
| ♮ c d e | e f g a | α b<br>b k Δ | a ♮ c d | d e f g | g α B k |
| | | | α B k Δ | | |
| | | | Γ A B C | C D E F | F G a b |
| | | | G a ♮ c | c d e f | f g α b<br>b |
| | | | g α b<br>b k | | |

Diapente quoque eum tribus tonis et semitonio fiat, hoc est, quatuor intervalla habeat, tum pri- C mus est semitonius, tum secundus, tum tertius, tum quartus hoc modo:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | T T | T T | T T |
| Duobus tonis per intervalla distantes. | Γ A B | C D E | F G a | b c d |
| | G a ♮ | c d e | f g α | b<br>b k Δ |
| | g α b<br>b | | | |

Sed quæ in primo vel quarto habet semitonium, cum tres continuos tonos velit, neque naturalem neque regularem partem vel distinctionem videtur habere, cum tres continui toni in nulla veritate consoni esse probentur.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| S T T T | | | T T T S | T S T T | T S T T | | T T S T |
| E F G a ♮<br>b<br>e f g α b | | | F G a ♮ c<br>b<br>f g α b k | A B C D E<br>a ♮ c d e | D E F G a<br>d e f g α | | G a ♮ c d<br>b<br>g α b k Λ |
| In utroque unus tonus continendus est | | | | | | | |
| T T S T | | | T T S T | | | | T T T S |
| Γ A B C D | | | C D E F G | | | | F G a b c |
| G a ♮ c d | | | c d e f g. | | | . | f g α b<br>b k |
| g α b<br>b k Δ | | | | | | | |

Ad hoc enim hæc speculatio valet, quæ [*lege* quia] eumdem cantum, licet acutiori vel graviori voce, in omnibus similibus facere poteris verbi gratia: *Bel-la bis quinis*. Iste totus cantus in qua- D libet diapente, quæ duobus tonis et tertio semitonio et tono constat, cantari poterit, nulla in ea depositione vel elevatione mutata.

Diapason quoque eodem modo similes invenimus,

cum similibus litteris primum et secundum versum per octo voces notamus hoc modo :

| T T S T T S T T | T S T T S T T |
|---|---|
| Γ A B C D E F G | A B C D E F G a |
| G a b c d e f g | a ♮ c d e f g α |

Ex his, quæ monstrata sunt, reliquas quoque A similitudines prudens lector advertat. Ea enim, quæ per se quisquam capere possit, per omnia persequi, otiosum est, Amodo quæ de partibus et distinctionibus divinus Spiritus revelare dignabitur, eodem adjuvante potius exemplare quam tractare conemur.

(162) Musica ex musis sumpsit principium, ipsæque musæ *apo tu muso* (163) appellatæ sunt, id est, a quærendo, quod per ipsas, sicut antiqui voluerunt, vis carminum et vocis modulatio quæreretur. Musica est scientia bene modulandi quatuor consistens partibus, id est, harmonica, rhythmica, metrica, organica. (164) Harmonica est modulatio vocis, et concordia plurimorum sonorum, vel coaptatio, quæ decernit in sonis acutem et gra- B vem; et pertinet ad omnes, qui voce propria canunt, et voce et cantibus constat. (165) Hæc ex animo et corpore motum facit, et ex motu sonum. Ex quo colligitur musica, quæ in homine vox appellatur. Vox est aer verberatus, unde et *verba* dicta. Proprie vox est hominum vel omnium animantium: nam (166) abusive, non proprie sonitum vocem vocari, ut: *vox tubæ;* vel: *fractas ad littora voces;* nam proprie, ut: *littorei sonant scopuli.* Vocis species sunt multæ.

Symphonia (167) est vocis temperamentum ex gravi et acuto concordantibus sonis, sive in voce, sive in flatu, sive in pulsu: per hanc quippe acutiores gravioresque concordant, ita ut si quis ab ea dissonuerit, sensum auditus offendat. Cui con- C traria est diaphonia, id est, voces discrepantes vel dissonæ. Euphonia est suavitas vocis: hæc et melos a suavitate et mele dicta. Diastema est vocis spatium quoddam ex duobus vel pluribus sonis aptatum. Diesis est spatium quoddam et deductiones modulandi, atque vergentes de uno in alterum sonum. Tonus est acuta enuntiatio vocis; est enim harmoniæ differentiæ et quantitas, quæ in vocis accentu vel tenore consistit. Accentus (168) est inflexio vocis, nam sonus est directus; præcedit autem sonus cantum. Arsis est vocis elevatio, hoc est, initium. Thesis est vocis positio, hoc est, finis. Suaves voces sunt subtiles vel sublimes, et spissæ claræ atque acutæ. Perspicuæ voces sunt, quæ longius protrahuntur, ita ut omnem impleant D contiguum locum, sicut clangor tubarum. Subtiles voces sunt, quibus (169) est spiritus, quales infantium vel mulierum vel ægrotantium, sicut in nervis: nam subtilissimæ chordæ subtiles ac tenues sonos emittunt. Pingues sunt voces, quando spiritus multus simul egreditur, sicut virorum. Acuta vox est tenuis et alta, sicut in cordis videmus. Dura vox est, quæ violenter emittit sonum, sicut tonitruum et sicut incudis sonus, quoties durum malleus percutit ferrum. Aspera vox et rauca, et quæ dispergitur per (170) mutuos et dissimiles pulsus. Cæca vox est, quæ mox ut emissa fuerit, conticescit, atque suffocata nequaquam longius producitur, sicut est in fictilibus. Vinnola vox est mollis atque flexibilis, et vinnola dicta a vinno, id est, cincinno molliter flexo. Perfecta autem est vox alta, suavis et clara; alta, ut in sublime sufficiat; clara, ut aures adimpleat: suavis, ut animos audientium blandiat. Si ex his aliquid defuerit, perfecta vox non erit.

Organica est, quæ ex flatu consistit in his quæ spiritu reflante completa in sonum vocis animantur, ut sunt tubæ, fistulæ, calami, organa, pandoria, et his similia instrumenta. Inflatilia sunt, quæ spiritu reflante completa in sonum vocis animantur, ut sunt organa. Organum est vocabulum generale omnium vasorum musicorum. Tuba primum a Tyrrhenis inventa, quæ adhibebatur non solum in præliis, sed in omnibus festis diebus. Calamus arbor est a calendo, id est, findendo voces, vocata. Fistula dicta, quod vocem emittat: fon (φώνη, phone) Græce, Latine *vox*; stolia missa. Hæc a Mercurio dicitur inventa, vel a Fauno, qui Græce Pannon dicitur, vel ab Ido pastore Agrigentino ex Sicilia. (171) Pandoria ab inventore vocata. Fuit enim apud gentiles Pan deus pastoralis, qui primum dispares calamos ad cantum studiose aptavit.

Rhythmica est, quæ pulsu digitorum numeros recipit, et requirit in concursione verborum [*Al.*, incursionem requirit verborum], utrum bene sonus an male cohæreat; pertinens ad nervos et pulsus, tensibilia chordarum fila sub arte religata. quæ ad modum plectri percussa mulcent aurium delectabiliter sensum. In quibus sunt species cithararum diversarum. Citharæ et psalterii repertor exstitit Tubal de stirpe Cain; vel Apollo secundum

(162) Sequentia ex Isidoro, Hugbaldo, Aureliano et Cassiodoro ab alio quam Ottone fuerunt compilata et adjecta ex Guidone etiam Aretino.

(163) Vid, Aureliani Musica.

(164) De his conf. Aurelianus.

(165) Hæc ex Isidoro.

(166) Isidorus ita habet: *nam in aliis abusive non proprie sonitus vox vocatur.*

(167) Hæc fere ad verba ex Aureliano desumpta et ex Isidoro.

(168) Isid. l. c., *cantus est inflixio*, etc.

(169) Isid., *non est spiritus*, melius ex contextu.

(170) Isid. l. c. *per minutos est indissimiles pulsus.*

(171) Vide in Isidorum,

Græcos. Citharæ forma initio pectori humano similis fuisse traditur, quoniam uti vox ex pectore, ita ex ipsa cantus fiat: nam pectus Dorica lingua cithara dicitur. Hanc veteres fidiculam vel fidicen nominaverunt. Antiqua cithara septem chordis erat, et septem habebat discrimina vocum, ideo quod nulla chorda vicinæ chordæ similem sonum reddebat. Chorda a corde dicta, quia sicut est pulsus cordis in pectore, ita pulsus chordæ in cithara. Has primun Mercurius instituit. Lyram quoque hoc modo invenit: cum regrediens Nilus in suos meatus varia animalia reliquisset in campis, relicta est et testudo; quæ cum putrefacta esset, et nervi ejus extenti intra corium remansissent, a Mercurio percussa sonum dedit: ad cujus speciem Mercurius lyram fecit. Percussionales sunt acitabula æenea vel argentea, quæ percussa suavem reddunt tintinnum. Sistrum Isis regina Ægyptiorum invenit, et ab ea dictum.

Metrica est, quæ mensuras diversorum metrorum probabili ratione cognoscit. Authenticus protus, magister vel auctor primus: deuterus secundus: tritus tertius: tetrardus quartus. Plagi pars vel inferiores eorum. Parapter circumæqualis.

---

# REGULÆ DOMNI ODONIS

## DE RHYTHMIMACHIA (172)

Sesquialtera proportio est, quando numerus major continet in se totum numerum minorem et ejus alteram partem, ut VI ad VIII. Sesquiquarta proportio est, quando major numerus continet in se totum minorem numerum et ejus quartam partem, ut XX ad XXV. Sesquisexta proportio est, quando major numerus continet in se totum minorem numerum et ejus sextam partem, ut XXX ad XXXV. Sesquioctava proportio est, quando major numerus totum in se continet minorem numerum et ejus octavam partem, ut LXXII ad LXXXI. Sesquitertia proportio est, quando major numerus continet in se totum minorem et ejus tertiam partem, ut XVI ad XII. Sesquiquinta proportio est, quando major numerus continet in ne totum minorem et ejus quintam partem, ut XXXVI ad XXX. Sesquiseptima proportio est quando major numerus continet in se totum minorem et ejus septimam partem, ut LXIV ad LVI. Sesquinona proportio est, quando major numerus continet in se totum minorem et ejus nonam partem, ut C ad XC.

*De tabula.*

Sit tabula ad latitudinem longitudine distincta campis, super qua ex alterutra parte disponantur in ultimis locis omnes species trium generum, multiplicis, superparticularis et superpartientis, usque ad decuplam proportionem, ita ut hinc appareant quæ denominationem habent ex pari, et hinc quæ ex impari: octo enim minores albi ex genere proponantur multipliei, dupli, quadrupli, sescupli, octupli. His opponantur octo minores nigri ejusdem generis, tripli, quincupli, septupli, nonupli. Retro minores albos octo existant rubri ex genere superparticulari, ita ut sesquialteri adhæreant duplis, sequiquarti quadruplis, sesquisexti sescuplis, sesquioctavi octuplis. Item retro minores nigros octo existant majores albi ex genere superparticulari, ut sesquitertii juncti sint triplis, sesquiquinti quincuplis, sesquiseptimi septuplis, sesquinoni nonuplis. Retro rubros octo existant minores nigri ex genere superpartienti, ut superbipartientes juncti sint sesquialteris, superquadripartientes sesquiquartis, supersesquipartientes sesquisextis, superoctipartientes sesquioctavis. Item retro albi minores octo existant ex genere superpartienti, ut supertripartientes adhæreant sesquitertiis, superquinquepartientes sesquiquintis, superseptipartientes sesquiseptimis, supernonipartientes sesquinonis.

His ita dispositis legitimi fiant tractus ex alterutra parte alternatim, ut multiplices trahantur in secundum ante retro, dextrorsum, sinistrorsum, angulariter: superparticulares in tertium, superpartientes in quartum. Quicumque numerus contrariæ partis numerum in suo legitimo cursu offendit, illum qui sit ejusdem quantitatis auferat. Si numerus circumponitur contrariæ partis, qui multiplicati et compositi efficiant circumpositum, auferatur. Quicunque contrariæ partis numerum sic offendit, ut quantitas interjacentium camporum in se multiplicata contrarii numeri reddat summam, et auferat. Tali prædæ subjacent omnes pariter partes, aut pariter impares, vel secundi et compositi; sed primi et compositi vagentur tuti, non ita sint adversariis circumsepti, ut per legitimos cursus non possint evadere. Hanc foveam arithmeticam incidentes auferant.

In illa parte, ubi ex pari habent denominatas proportiones, est XCI, pyramis: quam si sua basis XXXVI, quæ militat in adversariis castris, per legitimum tractum aut basis latera cum quantitate camporum interjacentium multiplicata basim efficientia offendant, auferant. Ita fiat de CXC, pyramide

(172) Vid. de eodem argumento Isidorus et Hucbaldus.

A ter curta, cujus basis LXIV. Non solum his basibus XXXVI et LXIV pyramides auferantur, sed quicunque numeri cum quantitate spatiorum multiplicati easdem bases efficiant, auferant pyramides, et simul omnes tetragonos, quibus constant.

Qui tendit ad victoriam, summopere studeat in capite adversarii maximam et perfectam harmoniam constituere, quæ quatuor constans terminis cæteras in se continet tres, geometricam, arithmeticam, harmonicam, et insuper proportiones omnium musicarum symphoniarum. Si hæc fieri non possit, terminis ejus per prædam non acquisitis aut per incuriam perditis, sufficiat ad victoriam arithmetica et harmonica, quarum utraque ex tribus constans terminis, maximo, medio, minimo; sive per angulos fiat in directum. C Non prius victoria tituletur, dum alienus aliquis terminos earum possit interrumpere. Qui primus ponitur, indicet adversario, illum nec licere postea ex illo loco trahi, nec ab adversario auferri. In utraque termini abundant arithmetici. Harmonicorum per prædam unus acquirendus est : quem primum pones, ex nomine indices adversario, in tali cautione pones, ut illum adhuc nullus ponendorum possit interrepere.

Nemo existimet me inconfuse et inordinate hos calculos posuisse : sed memor præceptorum trium Bœtii, quibus hunc conflictum secundum eadem me posuisse, modo neglecto propter evitandam numerositatem monadum, diabum, tradium, et cæterarum geniturarum. B Qui quærit binariam monadem, si ternariam triplicet, si quaternariam quadruplicet si quinariam quintuplicet, si senariam sescuplicet ab hostibus undique circumventus captivatur unus, quatuor cum pyramide cadunt : aliter quatuor obsideri possunt. Senarius per ternarium in secundo campo cadit : octonarius per adjunctos, videlicet quinque et tres : sextemdecim per novem et septem : triginta sex per novenarium in quarto, sive eadem quantitate : sexaginta quatuor eadem quantitate, sive per sexdecim in quarto : novenarius per ternarium in tertio, sive eadem quantitate : viginti quinque per quinque in quinto : quindecim per quinarium in tertio : quadraginta duo per septenarium in sexto : quadraginta novem in septimo : septuaginta duo per novenarium in octavo : D octoginta et unus per novenarium in nono campo : quindecim per tria in quinto, sive per quinarium in tertio : quadraginta quinque per novenarium in quinto : centum sexaginta novem per tricesimum in quarto, et remanent quadraginta novem : centum quinquaginta tres per viginti quinque in sexto, adjuncto ternario : ducenti octoginta novem per quinquaginta sex in quinto, et remanent novem.

Binarius, quinarius, septenarius ab hostibus circumventi, dum evadere nequeunt, captivantur. Novenarius novenarium in suo legitimo cursu, octoginta unus per novenarium in novenario : sexdecim per quatuor in quarto campo, sive per octonarium : duodecim per binarium in sexto, sive per quaternarium in tertio : triginta sex per senarium in sexto : triginta in quinto : quinquaginta sex per octonarium in septimo : sexaginta quatuor in octavo per octonarium, sive eadem quantitate : nonaginta per novenarium in decimo campo, et per vicenarium in quinto : viginti octo per quaternarium in septimo : quadraginta novem in suo legitimo tractu, sive per adjunctos quadraginta quinque et quatuor : sexaginta sex per adjunctos sexaginta quatuor et duos, sive per sexdecin in quarto, remanente binario, centum viginti unus per sexdecim in septimo, adjuncto novenario : centum viginti per viginti in sexto : ducenti viginti quinque per viginti quinque in nono.

Sunt numeri, (173) qui consonantias creant, vel per quos ipsæ discernuntur consonantiæ, tantummodo sex, id est, epitritus, hemolius, duplaris, triplaris, quadruplaris et epogdous. Est autem epitritus, cum de duobus numeris major habet totum minorem, et insuper ejus tertiam partem, ut sunt quatuor ad tres ; nam in quatuor sunt tres, et tertia pars trium, id est, unitas. De hoc nascitur symphonia, quæ in musica appellatur diatessaron. Hemiolius est, cum de duobus numeris major habet minorem et insuper ejus medietatem, ut sint tria ad duo ; nam in tribus sunt duo, et media pars duorum, unitas. Appellatur hic numerus in arithmetica sesquialtera, sed diapason (174) symphonia vocatur in musica. Duplaris numerus est, cum de duobus numeris minor in majorem bis numeratur, ut sunt quatuor ad duo. Ex hoc duplari nascitur symphonia, cui nomen est diapason. Triplaris autem, cum de duobus numeris minoriter in majorem numeratur, ut sunt tria ad unum. Ex hoc triplari nascitur symphonia, quæ dicitur diapason et diapente. Quadruplaris vero numerus est, cum de duobus numeris minor in majorem quater numeratur, ut sunt quatuor ad unum : qui numerus facit symphoniam, quæ dicitur bis diapason. Epogdous numerus est, qui intra se habet numerum minorem, et ejus octavam partem, ut sunt novem ad octo ; quia in novenario sunt octo, et insuper octava pars, id est, unitas.

Sonum vero tonum minorem, quem veteres semitonium vocant. Sed non ita accipiendum est, ut dimidius tonus computetur, quia nec semivocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam sui in duo æqualiter dividi non potest : cum enim ex novenario numero constet, novem enim nunquam (175) æqualiter dividuntur, tonus dividi in duas medietates non (non *omitt.*) recusat ; sed semitonium vocaverunt sonum a tono minorem, quem tam parvo distare comprehensum est, quantum hi numeri inter se distant, id est, ducenti quinquaginta tres et ducenti quinquaginta sex.

(173) Hæc ex Isidoro ad verbum fere desumpta sunt.

(174) Melius ex Isidoro *diapente*.


(175) Isid., *novem a quatuor nunquam*, etc.

Hoc similiter (176) Pythagorici quidem veteres diesim nominabant, subsequens sonum se minorem diesi constituit nominandum. Plato semitonium lima vocitavit.

Hæ sunt partes, in quibus omnis musica resolvitur. Sunt igitur quinque symphonia, diapason, diatessaron, diapente, diatessaron hæc et diapente, bis diapason. Constituunt [consistunt] itaque omnes musicæ consonantiæ aut in duplici aut in tripla aut in quadrupla, aut in sesquialtera, aut in sesquitertia numerorum proportione. Quæ autem vocatur in numeris sesquitertia, diatessaron in melodia : quæ autem in numeris sesquialtera, diapente vocatur in vocibus : quæ dupla in numeris, diapason in consonantiis : tripla vero diapente ac diapason : quadrupla autem bis diapason. Agnoscat autem diligens lector, quod consonantiæ consonantiis superpositæ alias quidem consonantias effecerunt : nam diapente et diatessaron junctæ diapason creant (177).

Qui velit definitivam victoriam acquirere, ita ut numeri universitas non possit diutius rebellare, studeat modis omnibus aliquam harmonicam medietatem facere ultra direptoriam lineam, id est, in regno adversarii. Quam in quo loco agere præcogites cautissima loca, in quibus tuos, qui debeant triumphare, ponas, prius ut aliquibus tuis obsideas, aut aliis tibi innoxiis obsessa prævideas ut nullus ex adversariis possit interrumpere : nam debes contrario indicare, illumque primum ad faciendam victoriam ponas, ut cum sit minimus aut medius aut maximus, et illum ex eo loco nusquam trahendi licentiam habeas, sed alios duos quanto citius possis appone.

Quid si medietas, initio dicam. Tres numeros debes coadunare tali proportione, ut eadem differentia sit inter medium et maximum, quæ est inter minimum et medium, ut exempli causa est inter 4, 6 et 8. Nam inter 8 et 6 interest 2 ; similiter inter 6 et 4 ; inter novem autem et duodecim et quindecim est differentia ternarius. Ubicunque tuorum propriorum non habeas tantum, ut possis aliquam medietatem facere, prius per rapinam aliquem acquire, quem ponas in locum ejus, qui tibi desit, verbi gratia : si velis ex paribus medietatem facere illam, in qua tibi XII sit necessarius, rape eum prius per VI, aut per IV, aut per II, et serva eum, donec indigeas ejus, et cum posueris IX et XV, dimitte isti locum medium, et pone XII, illuc tam potestative, ac si sit tuus. XCI pyramis perfecta. Hæc pyramis rapitur per XII super tres campos, aut per IX super quatuor campos, aut per XXXVI super tres campos, id est, in suo legitimo tractu, quia comes est, et ejus basis est.





Basis

*De perfecta pyramide.*

Pyramis ex parte parium, id est XCI, tollenda est per XII super campos tres ; ter enim XII faciunt XXXVI, qui est basis XCI. Aut rapitur per IX super quatuor campos ; quater IX faciunt XXXVI. Cum enim traxeris duodecim contra pyramidem XCI ; donec in campos ad ipsam habeas, dic, ter duodecim faciunt XXXVI, et aufer imprimis pyramidem XCI, et dein basin ejus XXXVI, et latera basis, id est, omnes numeros, qui infra senarium numerum per semetipsos multiplicantur, id est XXV, XVI, IX, IV, II. Victoria pyramidum ex victoria fit.

*De tercurita pyramide.*




Basis.

Basis.

Hanc pyramidem CXC rapit VIII per VIII campos, aut per XVI, super IV campos, vel basis ejus LXIV rapit ipsam pyramidem a proximo campo quia est pes pyramidis tercurtæ CXC.

Pyramis ex impari, id est CXC debet auferri cum octo super octo campos ; octies enim octo faciunt LXIV, quod est basis ejudem pyramidis : aut rapitur cum XVI super quatuor campos ; nam quater XVI faciunt item LXIV, si tibi copia fiat, ita XVI aut VIII contra pyramidem posse trahere. Ut cum illis possis hanc multiplicationem facere in pyramidem, aufer ipsam pyramidem et basim ejus, cujus

(176) Isid., *semitonium.*

(177) Hucusque ex Isidoro.

est ita multiplicatio LXIV, et simul tolle latera basis, id est omnes numeros, qui infra octonarium per se multiplicantur, id est XLIX; XXXVI, XXV, XVI; nam septies septem faciunt XLIX, sexies sex XXXVI, quinquies quinque XXV, quater quatuor faciunt XVI, ideo per se multiplicantur. Pyramis non potest per ullum numerum multiplicari aut circumponi, ideo debet tolli per multiplicationem suæ basis. Tres residui numeri I, III, II, ideo non numerantur in pyramide, quia isti quatuor, id est XLIX, XXXVI, XXV, XVI, basi, id est LXIV, superpositi faciunt ipsam pyramidem CXC. Et quia istis tribus III, II et I, non indiget, dicitur ipsa pyramis ter curta. Juvet scire, qualiter cum minoribus noceas majoribus, non parvipendas has regulas.

| Du pli | | Quadrupli | | Sescupli | | Octupli | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| II | IIII | IIII | XVI | VI | XXXVI | VIII | LXIV |

Ex part parium sunt hi pedites. Superparticulares isti, id est medii, qui et comites.

| Sesquialteri | | Sesquiquarti | | Sesquisexti | | Sesquioctavi | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| VIII | VI | XXV | XX | XLVIIII | XLII | LXXXI | LXXII |

Superpartientes dicuntur maximi qui et duces.

| Superbipartiens | | Superquatuorpartiens | | Supersexpartiens | | Superoctopartiens | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| XXV | XV | LXXXI | XLV | CLXVIII | XCI | CCLXXXIX | CLIII |

Superbipartiens est XXV ad XV; habet enim XXV, XV in se, et ejus partes duas, id est X. Quæ X adde ad XV, et erunt XXV. Superquatuorpartiens est LXXXI ad XLV, quia LXXXI habet XLV in se, et ejus quatuor partes; nam si dividas XLV in quinque partes, unaquæque pars erit novenarius, quarum unum novenarium abjice, et remanent XXXVI, quæ XXXVI si ad XLV addideris, LXXXI faciunt. Supersexpartiens est CLXIX ad XCI: nam si dividas XCI in septem, unaquæque pars erit XIII; quarum partium XIII unam abjice, et remanent LXXVIII: quæ superpone illis XCI, et faciunt CLXIX. Superoctopartiens est CCLXXXIX ad CLIII; quæ CLIII si in novem dividas, uniuscujusque partis erit XVII: tunc omitte unum XVII, et remanent CXXXVI. Hos adde ad CLIII, et faciunt CCLXXXIX. Ex parte imparium sunt pedites isti numeri.

| Tripli | | Quincupli | | Sextupli | | Nonupli | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| VIII | III | XXV | V | XLIX | VII | LXXXI | IX |

Superparticulares sunt isti numeri, id est medii et comites.

| Sesquitertii | | Sesquiquinti | | Sesquiseptimi | | Sesquinoni | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| XVI | XII | XXX | XXV | LXIIII | LVI | C | XC |

Supertientes sunt isti, id est, medii et maximi, qui et duces.

| Superbipartiens | | Superquadripartiens | | Supersextipartiens | | Superoctipartiens | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| XXX | XV | LXXXI | XLV | CLXIX | XCI | CCLXXXIX | CLIII |

Supertripartiens est XLIX ad XXVIII; quater enim VII faciunt XXVIII: quarum VII unam dimitte, et remanent XXI, quos superpone illis XXVIII, et faciunt XLIX. Superquinque partiens est CXXI ad LXVI Nam LXVI si diviseris in sex æquales partes, unaquæque pars erit XI; quarum partium unam XI rejice, et remanent LV: quos si addideris ad LXVI, faciunt CXXI. Superpartiens (*leg.* superseptipartiens) est CCXXV ad CXX; nam si CXX in octo partiris, unaquæque pars erit XV; quarum unam XV omitte, et remanent CV: quos si ad CXX apposueris, erunt CXXV. Supernonipartiens CCCLXI ad CXC; nam CXC si dividas in decem partes, cujusque partis erit XIX: si unum XIX abjeceris, remanent CLXXI; quos si addas ad CXC efficiunt CCCLXI.

| Supertripartiens | | Superquinquepartiens | | Superseptipartiens | | Supernovipartiens | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| XLVIIII | XXVIII | CXXI | LXVI | CCXXV | CXX | CXC | CCLXI |

Rhythmimachia Græce, *numerorum pugna* exponitur Latine. Inde autem rhythmimachia dicitur, quod instar geminæ aciei invicem bello certantis in tabula ad hoc apta, velut in quadam campi planitie, par imparque numerus, quasi invicem dissentiunt, et singuli cum suis trium generum speciebus, scilicet multiplicis, superparticularis, superpartientis, usque ad decuplæ proportionis summam contrariis partibus propriis progressi e sedibus confligunt. Nam quisquis scire velit, quid in se arithmeticalis contineat pagina, inventi hujus inspice in tabula:

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| CCCLXI | CCXXV | | | | | CXXI | XLIX |
| CIX | CC | LXIV | LVI | XXX | XXXVI | LXVI | CXVIII |
| C | XC | LXXXI | XLIX | XX | VIIII | XII | XVI |
| | | VIIII | VII | V | III | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | Linea | Victo- | riæ. | | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | VIIII | VI | IV | II | | |
| LXXXI | LXXII | LXIIII | XXXVI | XVI | IIII | VI | VIIII |
| CLIII | CXI | XLIX | XLII | XX | XXV | XLIX | XX |
| CCLXXXIX | CLXIX | | | | | LXXXI | XXV. |

In ea certe invenies argumentum, maximum in se arithmeticæ continentem fructum. Recte namque debet dici argumentum, quia et auribus sonat, et ipsa rei veritate probatur argutæ mentis inventum : ubi una eademque numerorum, paris videlicet imparisque invicem concorditer discordantis, subtili delectamur certamine. Si enim diligentius inspiciamus intimo mentis intuitu, quod nobis utile lateat numeri vel multiplicatione, clarebit perlucide, in his maximam, ut supra dixi, arithmeticæ disciplinam fructificare ; in his etenim difficili proportionum ad se invicem habitudine omnem monochordi mensuram, vel etiam omnis cujuscunque musici instrumenti symphoniam consonare : in his quoque rationes in divinæ lectionis expositionem multimodis utiles constare. Nos vero velut rudes intellectu, qui hujus novellæ plantationis nondum satiamur fructu, ipsius tamen pomi dulce fragrantis per ipsius exteriorem non dulcedinem interiorem palati adhuc esurientis summatim prælibavimus gustu tanti favi mel interius latens, tantæ scilicet artis subtilitatem non suppetit facultas singillatim exponere ; apum enim repellimur aculeis, ne desiderata valeamus percipere, ipsarum videlicet rhythmimachiæ diversarum proportionum gravi rejicimur condilomate, ne ad hujus scientiæ secretiora possit pertingere.

Tentemus saltem leviora ; quibus haud posse subest prius discutere difficiliora, nec nisu temerario ea, quæ ipse hujus artis panditor studiose investigata, ut omnium liberalium artium imbutus scientia, notitiam futurorum stylo haud parvipendendo patefecit, repetamus. Sed salva ipsius personæ auctoritate ex ejusdem et scriptionis prato flosculos mellifluos legentes, nostræ ignorantiæ utiles recondamus. Cæteras vero rhytmimachiæ normas ibidem pleniter subtitulatas memoriæ non subtrahamus. Ibi namque prælibati conflictus certamen, si quod libeat, poterit cognoscere : ibi quot generum speciebus hic par in impar numerus distinguatur, valebit inspicere : quot etiam camporum spatiis, vel etiam quas in partes singulas liceat species producere, qui minoris formæ, qui rotundæ quive quadratæ debeant existere ; qualiter etiam singuli numeri dum contrariis insidiantur, seipsos metiantur cum camporum intercapedine : ad ultimum, quomodo quis advincere tendens in ipsa numerorum constitutione debeat constituere, sicque ad perfectam victoriam tendere.

His itaque omnibus in prælata lectione certa sede, certo motu, certa victoria fine legitimo dispositis, deterosi [de cætero si] quid restare cernitur intractatum vel nobis minus proficuum, in quo noster titubet affectus, in hoc enucleando, licet stolide, noster jam acuetur effectus. De trium generum speciebus nostra solertia videat, quomodo prima sui multiplicatione crescat ; penultima quali ad sese habitudine numero numerum comparet ; ultima quomodo sese proportionaliter augeat, et insuper plus reliquis sibi aliquid superaddendo, sui dignitate et numerositate cæteros superexcellat.

Secundum arithmeticam multiplex genus est, cum numerus numero comparatus illum, cui comparatus est, in se habet plusquam semel : hujus generis numeri sunt a pari II, IV, VI, VIII, e totidem nimirum numeris, quos binarius duplo, quaternarius quadruplo, senarius sexcuplo, octonarius octuplo in sese multiplicatos quasi sociali copulatione sibi asciscunt.

Hic notandum quod unitas totius pluralitatis genitrix naturaliter singularis nullam recipiat paritatis et imparitatis sectionem, quia paritate sibi propria cæteris principaliter exstans sui dignitate, minorari vel augeri nesciens unitas perseverat. Et ut ad proposita redeamus, quod superius protulimus exempli causa, ipsius multiplicationis opere apertius expergendo discutiamus sic. Bis duo sunt quatuor ; ecce habes duplas, id est, quatuor ad duo ; habe enim quaternarius binarium duplo in se. Quate

quatuor sunt XVI, ecce quadruplos, id est XVI ad IV; continent namque XVI quater quaternarium in se. Sexies sex sunt XXXVI, ecce sexcuplos, id est, XXXVI ad VI: habent enim XXXVI in se sexies sex. Octies octo sunt LXIV, ecce habes octuplus, id est sexaginta quatuor ad octo; continent namque LXIV in se octies octo. In constitutione autem tabulæ horum semper binos, multiplicatorem et multiplicatum conjunctius campis sibi instutue, ut verbi gratia IV cum II, XVI cum IV, XXXVI cum VI, LXIV cum VIII, concordantes studeas constituere, Hæc breviter memorasse sufficiat de genere multiplici: jam aliquid enucleare conemur de superparticulari.

Superparticularis dicitur numerus numero comparatus, quoties major in se continent numerum minorem, et insuper ejus aliquam partem. Si enim major numerus minorem totum habeat, et insuper ejus medium, hemiolios, id est, sesquialter vocatur; si ejus tertiam, sesquitertius. Similiter per omnes numeros, usque dum habeat ejus nonam partem, qui vocatur sesquinonus. Ut autem omnium quatuor proportionum a paribus procedentium priores acquiras numeros, per ipsos pares superius multiplices adjacentes ejus multiplica numeros, hoc est, per II, III, IV, V, VI, VII, per VIII, IX, hoc modo: Bis tres faciunt sex: iste est prior sesquialteræ proportionis numerus. Quater V sunt XX, et hic prior sesquiquartæ. Sexies septem XLII, hic est prior sesquisextæ Octies novem sunt LXXII, et hic prior sesquioctavæ proportionis numerus.

Si vero facilius et naturalius eosdem numeros velis reperire, omnes pares, quos superius in multiplici genere singulos in sese multiplicasti, multiplicatorem et multiplicatum compone sic: ad sesquialteram II et IV junge, et fiunt VI; ad sesquiquartam IV et XVI, et erunt XX; ad sesquisextam VI et XXXVI, et fiunt quadraginta duo; ad sesquioctavam VIII et LXIV, fiunt LXXII. Et quia ipsarum proportionum priores, ut ita dicam, syllabas adeptus es, oportet etiam ut earum tibi acquiras proportionales. Istis igitur, quos tibi acquisisti, numeris singulis totam partem sui adjungere memento, quota fuerit ipsa, de qua agitur, proportio. Verbi gratia: si agitur de sesquialtera, alteram, id est, mediam partem sui adjunge; si de sesquiquarta, quartam: si de sesquisexta, sextam; si de sesquioctava, octavam. Hoc autem, quod dico, sic fiet: senario, quem sesquialteræ proportionis priorem adeptus (es), medietatem suam, id est, tres adjice, et fiunt IX, qui est proportionalis ei; novenarius enim habet totum VI in se, et ejus medietatem, id est ternarium. Ecce habes perfectam sesquialteram proportionem, id est IX ad VI. Similiter ad XX, quem sesquiquartæ priorem acquisisti, adjunge quartam partem sui, id est V, fiunt XXV, qui est ei proportionalis; habet enim XXV totum XX in se et ejus quartam partem, id est V. Ecce est perfecta sesquiquarta proportio id est XXV ad XX. Sic de aliis.

Nunc ad superpartientes numeros transeamus. Constat enim quia major numerus minorem duabus tertiis supercrescit, cum dicitur superbipartiens, subaudiri tertias necesse est. Quia igitur a binario oritur superbipartiens, et subaudis tertias, II et III, per eumdem subauditium ternarium multiplica, et quæ summa inde excrevit, prior numerus erit in proportione ipsa. Quod si experiri libuerit quomodo geminetur a superparticularibus, nihil refert quin idem tibi crescat numerus. Sesquialteram proportionem VI et IX compone, fiunt XV, qui est prior superpartientis numerus. Huic tertiam partem sui, id est V, bis augebis, et fiunt XXV; hæc superbipartiens proportio, id est XXV ad XV. Sesquiquartam XXV et XX insimul pone, fiunt XLV. Eidem sui quintam partem adhibe, erunt LXXXI. Sic de aliis facies, jungendo sesquisextam et octavam invenies. Sunt igitur impares multiplicis generis, ternarius, quinarius, septenarius, novenarius. Hi suos proportionales educent sic: ter ter sunt novem. Isti sunt tripli. Quinquies quinque sunt XXV; isti sunt quincupli, hoc est XXV ad V. Septies VII sunt XLIV, hi sunt septupli, id est XLIX ad VII. Novies novem LXXXI, hi sunt nonupli, id est, LXXXI ad IX.

De variis tamen figuris, quæ ibidem multimode disponuntur, pyramides tantum et bases et basis latera in rhythmimachia, quali numero positione fiant, opportunum videtur depromere. Disponuntur itaque rhythmimachia pyramides duæ, una a paribus, altera ab imparibus, quarum prior perfecta, altera vocatur ter curta. Perfecta pyramis est XCI; oritur a XXXVI, qui numerus idcirco ejus basis dicitur, eo quod ipsa pyramis quasi columna basi imposita supra basin innitatur. Erigitur autem ipsa pyramis super basi a VI usque ad unitatem, singulis numeris in se multiplicatis hoc modo: sexies VI, XXXVI; quinquies V, XXV; quater quatuor, XVI; ter III, sunt IX; bis duo sunt quatuor; semel unus est unus. Hi omnes numeri in summam coacti fiunt XCI. Hæc perfecta pyramis, et, ut Boetius ait iste numerus, hui horum conjugatorum numerorum est major et ultimus; necesse est enim, ut hujus pyramidis sit basis, id est XXXVI; etquia eadem basis excrescit a senario, ipse senarius, vel omnes numeri, qui ejusdem basis explent summam, basis latera vocantur.

Ter curta autem pyramis, quæ a sua basi, id est LXIV, efficitur, a novenario usque ad quaternarium singulis numeris in se multiplicatis sic erigitur. Octies octo, LXIV; septies septem XLIX; sexies sex, XXXVI; quinquies quinque, XXV; quater quatuor, XVI sunt. Omnis ergo iste numerus in summam collectus efficit ter curtam pyramidem CXC, et quia a quaternario ulterius non erigitur; desunt enim tres numeri, id est ter tria, bis duo, semel unus: ideo secundum arithmeticam ter curta voca-

tur. Sunt autem ipsius basis latera octo, et omnes illi (178) qui basis illius efficiunt quantitatem; habet enim basis latera tot unitates in se, quot unitates singulæ continent pyramides in latere. Finiuntur.

(178) Forte hic legendum: *Omnes illi, qui basis illius efficiunt quantitatem (habent enim basis latera tot unitates in se, quot unitates singulæ continent pyramides) in latere finiuntur.*

---

# REGULÆ DOMNI ODONIS

## SUPER ABACUM.

(Ex eod. Cod. Vindobonensi sæc. circ. XIII).

Si quis notitiam abaci habere desiderat, necesse est ut in consideratione numeri studeat. Hæc ars non a modernis, sed ab antiquis inventa, ideo a multis negligitur, quia numerorum perplexione valde implicatur, ut majorum relatione didicimus. Hujus artis inventorem Pythagoram habemus. Cujus studium itaque in quibusdam est necessarium, ut absque ipsius peritia vix aliquis arithmeticæ perfectionem attingat, et calculationis, id est computi, argumenta comprehendat. Quod si hanc artem a paganis traditam sancti doctores otiosam sensissent, nunquam regulas sanctæ Ecclesiæ necessarias illius auctoritate firmassent. Si quis enim Venerabilis Bedæ libros de computo legere voluerit, absque hujus artis notitia parum proficere poterit. Hæc in quadrivio, id est, in musica, arithmetica, geometrica, astronomia, ita est necessaria et utilis, ut sine illa pene omnis labor studentium videatur inanis. Hanc antiquitus Græce conscriptam, a Boetio credimus in Latinum translatam. Sed quia liber hujus artis est difficilis legentibus, quasdam regulas..... capientium decerpere inde curavimus.

Hæc ars dispositione arcuum distincta ab uno surgens usque ad infinita per denarium numerum accrescit. Unus enim decies multiplicatus decem facit; denarius decies multiplicatus C reddit; centum decies multiplicando mille fiunt; sic per cætera usque ad infinita. Distinctio autem arcuum cum numeris talis est: singularis, decenarius, centenarius, millenarius, decenus millenarius, centenus millenarius, mille millenarius, decies mille millenus, centies mille millenus, millies mille millenus, decies millies mille millenus, centies millies mille millenus.

Consideret autem prudens abacista, quod cum a singulari arcu unus consurgens ad perfectum numerum, quod est C, et a mille iterum incipiens ad centum millia, qui similiter perfectus esse numerus protenditur, terni arcus minores propter expletionem perfecti numeri uno arcu majori continentur. Sic per cætera. Per medium vero arcuum duæ lineæ sepositæ ducuntur, super quas ipse numerus arcuum inscribitur. Infra autem per ternos continus arcus singularis, decenus, centenus, ob rationem majoris arcus adnotatur. Nomina et figuras characterum jam consideramus. Unitas **1**

| | | | |
|---|---|---|---|
| Binarius. | Ternarius. | Quaternarius. | Quinarius. |
| **2** | **3** | **4** | **5** |
| Senarius. | Septenarius. | Octonarius. | Novenarius. |
| **6** | **7** | **8** | **9*** |

Denarium autem Pythagoras idcirco non posuit, quia unitas post novenarium denarium efficit, quod in sequentibus magis patebit. Hi novem characteres tanta auctoritate fruuntur, ut qualemcumque numerum in abaco quæras, horum positione cito invenias; si enim mille centum millia invenire cupis, unitate posita in eisdem arcubus sine mora reperies.

Hoc autem diligenter considera, quod quidquid infra X est, digitus vocatur. Quod vero ad X vel ad majores numeros pervenit, ut est XX, XXX, XL, in hac arte articulus appellatur.

Jam ad characteres disponendos veniamus. Quidquid multiplicare volueris, sine summa et fundamento facere non poteris; nullus enim numerus multiplicatur, nisi respectu alterius perpendatur. Summa vocatur, quod in summitate arcuum; fundamentum autem, quidquid inferius disponitur. Et quod ex utroque numero procedit multiplicato, inter duas lineas ponitur. Verbi gratia pone **5** et fit summa in singulari arcu **7** pro fundamento habeas in eodem. Vide, quia isti duo numeri sicut omnes alii sunt reciproci; sive enim dicas quinquies septem, seu septies quinque, idem significat, et faciunt XXXV. Et quod de multiplicatione collegisti, hoc modo disponas: singularis arcus quemcumque multiplicat, in eodem pone digitum in ulteriorem articulum, et pone **5** in eodem **3** ternarium, qui XXX significat in deceno. Hoc autem memoriter tene, quia singularis arcus quem arcum multiplicat in

* Non abludunt admodum cifræ in ms. ab his Arabicis, tantum in ductuum varietate: numerus 1 nihil differt; 2 T repræsentat cum semicirculo in dextra; 3 sigma Græcum cum caudula in se ad dextram conversa; 4 dimidium octonarium horizontalem sectum linea cum caudula item in se conversa; 5 litteram μ; 6 litteram L cum semicirculo ad dextram in se converso; 7 litteram ʌ exhibet; 8 nihil differt; 9 lineola tantum inferius ducta in dextrum latus.

eodem multiplicationem ponit: decenus in secundo, centenus in tertio, millenus in quarto, decenus millenus in quinto: sic de cæteris. Illud quoque scias, quia digitus, hoc est, omnis numerus infra decem hanc definitionem per 8, articulus vero, hoc est, numerus perfectus, sicut X et XX, in ulteriori arcu transmutatur. Quidquid multiplicare habes, quotquot in summa vel in fundamento ponis, a singulari incipiens omnes per ordinem multiplicare ne neglexeris. Facta autem multiplicatione si ex adunatione characterum articulus, id est major numerus, succreverit, quoties numerus denarius X continetur, hac regula transcendit: quoties ex collectione characterum oritur articulus, in eodem non remanebit. Perspectaque quantitate characterum juxta situm arcuum, qui ex superiori vel inferiori numero, id est ex summa vel fundamento oriatur, facile comprehenditur. Multiplicationis vero ratio talis est, ut a parvo incipiens semper ad majorem numerum proficiat. Quod si multiplicationis rudimentis instructus, et cognitis characteribus, divisionum modos scire satagis, hanc commodam dividendi rationem perspicere ne pigriteris.

E DIVISIONIBUS.

Divisiones in abaco tres sunt, simplex, composita, interrupta. Simplex est, ubi unus divisor; composita, ubi duo vel plures divisores per continuos arcus; interrupta vero duo vel plures divisores inter eos uno arcu vacante. Quidquid dividendum est in abaco; in medio ponitur, divisores præponuntur, denominationes autem, hoc est partes divisæ, supponuntur. His ita in abaco dispositis considerare debes in quo arcu locum habeant divisores. Si singularis, sub se ponetur; si decenus, secundabit; si millenus, quadrabit. Et per quot arcus recedunt a singulari, per tot denominationes retro ponunt.

Dispositis vero partibus dividendis, et divisoribus præpositis, quomodo ad dividendum promoveantur divisores, videas. Divisor, si minor vel æqualis sit, supra ponitur; si major, infra. Quod major vel minor sit divisor, industriæ tuæ facile patebit, quando partibus dividendis præponitur. Præpositis autem divisoribus ubi accipere debeant, sic considera. Omnis divisor ante se et sub se accipit, retro nunquam. Tunc perspiciens, quoties in subjecto numero divisor contineatur, sic pronuntia: verbi gratia: quaternarius 4 quoties est in senario 6? Semel, et remanent duo. Quod adverbialiter pronuntiasti, denominationem esse intelligas, et unitatem accipias. Denique considerans, de quo arcu divisor promotus sit, sic interrogo: unde locus? si de primo, respondeatur, a singulari. Sequitur regula: Singularis divisor denominationem sub se ponit, et sic de cæteris. Considera tamen quia, ut prædiximus, decenus secundabit, centenus tertiabit, millenus quadrabit, etc. Duo autem, qui de senario remanserunt, denominatione sublata, quia digitus est, et de digito abstractus, in eodem remanet. Si vero digitus de articulo abstrahitur, in secundo retro ponitur. Hæc de simplici divisione sufficiant.

DE COMPOSITA DIVISIONE.

Composita autem et interrupta, quia non unum tantum, sed plures divisores habent, a simplici in sequentibus divisionibus dissident. Positis itaque dividendis partibus, et præpositis divisoribus, eadem, qua simplex divisor, regula ascendit, sed sequentes divisores alio modo accipiuntur: cum enim dixeris, verbi gratia: Quaternarius quoties est in senario? denominationem determinans, respondes: Semel, et remanent duo, digitus de digito. Supposita autem denominatione, quæ est *semel* adverbialiter prolatum, quod est I, unitas, sequentibus sic dabis partes. Omnes sequentes divisores accipiunt per multiplicationem sui et partium divisarum accipiunt auferendo. Quæ omnia magis unicæ vocis alloquio, quam scripta advertuntur. Considerandumque est (quod) in quibusdam divisionibus dicamus: digitus de articulo in secundo, et digitus de digito in eodem, quia aliquando articulus de articulo oriatur, quod facile in dispositione characterum cognoscitur. Et hæc ratio in composita divisione contingit.

DE INTERRUPTA.

Sed quia interrupta divisio aliquando per tres vel quatuor arcus distinguit, articulum de articulo non in eodem sed in secundo multoties ponit: quod in quantitate numeri cantus abacista leviter deprehendit; si enim centum millia inter XXX et decem dividis, I unitatem in centeno milleno, itemque unitatem in deceno arcu, quod dico, per partes deceni divisoris, cito perspicis: verbi gratia: Ternarius 3 quoties est in decem? Ter, et unus remanet; et vide, quia decenus millenus denominationem in singulari ponens quintabit; digitus autem, hoc est, unum quidem articulo manet, in secundo ponitur. Sequens autem divisor in deceno positus per multiplicationem sui et partium divisarum juxta prædictam, accipe, ita, semel tres sunt tres; et considera, quia, quod dividendum est, a deceno divisore in quarto arcu distat, qui est sibi pro milleno, sic profers: tribus ablatis de mille remanent DCCC et XCVII, articulus de articulo in secundo, quæ character major, et articulus de articulo.

DE MINUTIIS.

De divisione et multiplicatione characterum abaci per integras partes, etsi succinte, tamen satis plane tractavimus. Nunc ad divisiones integritatum, id est, minutias veniamus. Omnis unitas I, integrum apud antiquos as vel libra vocatur. As autem habet duodecim uncias, qui numerus paulatim minutus, per divisiones integrarum unciarum multiplices ex se minutias reddit. Una enim de duodecim sublata, quod remanet, deunx vocatur; duobus ablatis dextans conficitur, tribus dodrans, quatuor bisse, quinque sextunx, sex semis, septem quincunx, octo triens, novem qaadrans, decem sextans; decem et dimidia ablata sexcuntia. Sic paulatim dividuntur usque ad

unciam. Quarum quædam nomina a Græcis, quædam autem ab effectu trahuntur. Deunx compositum X demonstrat. Dextans, dodrans et bisse Græcam etymologiam habere videntur. Bisse vero Latino *marca* dicitur (179). Septunx a VII unciis componitur. Semis Græce, Latine *dimidium* dicitur. Quincunx a quinque unciis; triens quia assim tertiat, quadrans quia quartat, sextans quia sextat: sexcuntia sive Græca sive Latina sit compositio, unciam et dimidiam signat. Ultima autem unciæ minutia unciarum duodecima pars assis est.

Hæ sunt minutiæ assis gradatim concissæ, usque ad unciam. Uncia autem cum sit duodecima pars assis, in viginti quatuor particulas conciditur, quarum ultima scrupulus nuncupatur: quarum sicut de asse dictum est, quædam minutiæ ab effectu, quædam a compositione nomina sortiuntur. Uncia vero XXIV scrupulos habens per medium divisa semiunciam, id est, dimidiam unciam facit. Duella, quæ magis Græcam etymologiam redolet, tertia pars unciæ est (180). Sicilicus, qui apud Græcos et Hebræos siclus, vel sichel nuncupatur, unciam quartat. Sextula unciam sextat. Dragma (181), quod Græcum est, octat. Hemisescla, quasi dimidia sextula, duodecima pars unciæ constat. Scrupulus autem minutia unciæ, eadem ratione, qua as et uncia, sectionem recipit (182). Scrupulus duos obolos, obolus duos cerates habent, qui in numero ponderum apud veteres ceratus dicitur (183). Scrupulus secundus habens obolos, quatuor cerates, sex siliquas, continet ceto calcos, qui calcus ultimus est in minutiis. De asse in minutiis dictum est, et adhuc dicendum.

Notet cautus abacista tres species concisionum in asse factas. Prima est ab integra unitate, id est, asse per congruas particulas usque ad unciam: secunda ab uncia usque ad scrupulum: tertia a scrupulo, qui a nomine, quod scrupulus est, derivatur, usque ad calcum. Sed quia hæc vocabula minutiarum moderni non frequentant, paulatim notitia eorum fere periit, licet in multis philosophorum scriptis usus admodum illorum necessarius sit: sed et divina pagina tam Veteris quam Novi testamenti minutiarum notitiam in multis locis requirit.

Jam ad positionem earum in abaco veniamus. Si mille argenteos et unum inter mille milites dividere vis, unitatem in milleno arcu pro divisoribus ponis, et iterum in milleno unitatem et unitatem in singulari pro dividendis partibus colligis. Et cum dicis: Quoties est unitas in unitate? respondes. Semel, et nihil remanet. Dicta autem regula millenus divisor denominationem quartabit, eamdem unitatem in singulari arcu supponis. Denuo autem qui in singulari est mille per integras partes nihil accipit: si enim unus totum accipit, aliis nihil relinquitur. Unde unum, quod remanet, inter mille dividere vis, cum per integras partes non liceat, per minutias hoc facere poteris. In quo ad memoriam reducas illam regulam, quæ dicit, quoties ex collectis characteribus oritur articulus, in eodem non remanebit; sed et illam omnino perpende, in qua dicitur: Divisor ante se et sub se accipit, retro nunquam.

Patet enim, si per articulos minutiarum unitas, quæ sedet in singulari, usque ad millenum arcum, ubi sunt divisores, non ascendit, dividendi ratio nihil agit. Quapropter studeas, ut usque ad prædictura arcum unitatem minuendo per articulos trahas, verbi gratia: As habet uncias duodecim. Reduc ad memoriam, quod omnis numerus infra decem digitus, supra decem vero articulus dicitur. Et cum duodecim uncias as habeat, X, qui est articulus, in deceno arcu ponas. Duæ unciæ, id est sextans, in singulari remanent, unciamque, quæ sedet in dexo, per articulos in centenum transpone ita: uncia XXIV scrupulos habet. XX, qui est articulus, in centenum transponas, et quatuor, qui est digitus, ibidem dimittas. Et cum nondum habeat divisor, qui sub se accipiat, ad millenum, si potes, aliquid transferas. In centeno sunt duo scrupuli. Scrupulus habet VI siliquas; et si dicis bis sex, XII siliquæ sunt. Decem pro articulo ponis, duæ siliquæ remanent. Et quia jam habet divisor, quid sub se accipiat, dicas, millenus divisor denominationem quartabit, et siliquas in singulari supponas, sextantem vero, qui est in singulari, promoveas ita: Duæ unciæ habent XLVIII scrupulos: XL pro articulo ad decenum transponas, digitum, id est VIII scrupulos, ibidem dimittas. Octo vero scrupulos adhuc de singulari transferens, octo scrupulos per octavum multiplices; scrupulus enim octo calcos habet. Octies octo sunt LXIV. Pro LX calculis, qui est articulus, obolum et ceratem in deceno ponas: pro quatuor calculis obolum relinquas, et facta est divisio. Et ne forte suspicio tibi incidat de partibus relictis, quod adhuc ascendere possint, causa exercendi ingenium probes, videasque quantum per articulos ascendant. Obolus, qui est in singulari, cum per inferiores minutias articulum efficere non possit, ibidem remanebit. In deceno sunt octo scrupuli, et cum scrupulus octo calcos, si octo per octonarium multiplices, LXIV invenies. LX calcis, qui est articulus, in centeno translatis, obolum et ceratem ponis, et pro quatuor, qui sunt digitus, obolum relin-

(179) Du Cange h. v. *Bisse novem unciis constat.*

(180) Du Cange Gloss. med. lat., verb. *duella* Plura de his vocibus ibidem, et in Pitisci Lex antiquit. suis locis videre est.

(181) Omnino legendum *dragma*, quarum octo unciam constituunt.

(182) Pitiscus l. c. habet *scriptulum*, quod est cevina quarta unciæ pars, duos habens obolos. Similiter Du Cange h. v.

(183) Isid. l. XVI Orig. c. 24: « Cerates oboli pars media, siliquam habens unam semis; hunc Latinitas semibolum vocat. Cerates autem Græce (κεράτιον) Latine *siliqua cornuum* interpretatur. Obolus siquilis tribus appenditur, habens cerates duos, calcos quatuor. Fiebat enim olim ex ære ad instar sagittæ, unde et nomen a Græcis accepit, hoc est sagitta. » Vid. Piti c. V. *Ceratium.*

quis : iterum de centeno transponere poteris. Duo oboli faciunt octo calcos et cerates duas, qui simul faciunt X, pro quibus calcum in centeno pones. In centeno sunt vero obolus et cerates, duæ siliquæ et calcus : quæ quia articulum non faciunt, ascendere nequeunt, et cum divisor sub se nihil habeat, neque usque ad sedem divisoris aliqua particula minutiarum per articulos ducta valeat pervenire, qui hujus artis sciolus est, divisionem factam intelligat esse.

Facta autem divisione recolligendo characteres, utrumne bene diviseris, probes. Siliqua, quæ est sexta pars scrupuli in singulari posita inter mille partem unicuique contingit. Et si dicis : Semel unus unus est, siliquas in milleno ponis, addendo regulam : millenus quemcunque multiplicat : in quarto pone digitum, et ut recolligendo omnes characteres in assim redigas, per continuos arcus gradatim descendas. Siliqua, quæ est in milleno, ad centenum significat X ; de decem siliquis sex faciunt scrupulum, tres obolum, et una superest. Eadem ratione omnes centum characteres ad decenum reducas. De decem calcis octo faciunt scrupulum, duo ceratem, tres siliquas pro obolo accipiens, et de X obolis scrupulos quinque faciens in decenum mutas.

Decem cerates hemisesclam et obolum faciunt, XX oboli et X scrupuli faciunt semunciam et duellam : itidem de deceno ad singularem facias. Decem cerates faciunt hemisesclam et obolum, X oboli faciunt quinque scrupulos. X hemisesclæ et C viginti hemisesclæ, quæ simul faciunt XL, uncias et duas duellas reddunt. Decem duellæ et decem sextulæ cum decem semunciis sextantem efficiunt. Et quia ad singularem arcum reversus es, consideratis, quæ collegisti, assim invenies. Et quia grave est hoc, cordetenus perpende : hoc pro certo scias, si autem non fallis, ab arte falleris.

Nota autem, quia sicut in integris unitatibus est triplex modus divisionum, sic in minutiis assium. Quod si animum tuum movet in aliquo, quare in divisione minutiarum aliquid remaneat, tali ratione considera. Si notitiam dividendi secundum artem abaci caute perpendis, omnis divisor æqualem sibi numerum, vel majorem se dividere potest, minorem autem nunquam per integras uncias. D Si enim dicis. Mille quoties in quingenties ? satis tibi patet, quod nullo modo ars patitur hunc modum divisionis. Et quia hoc per integras partes nequaquam facere prævales, ad sectionem unciarum recurrere debes, et quandiu per majores minutias partire poteris, divisoribus juxta modum suum partes dabis. Post uncias vero ad concisiones unciarum, ad scrupulos venis, et itidem scru- A pulos ad majores minutias reducis. Et quandiu paulatim minuendo minutissimas divisoribus poteris coæquare, tandiu divisionem protende. Si vero portiones divisoribus nequeunt coæquari, quidquid de partibus remanet, ultra non poterit dividi. Nec mirandum est aliquid de minutiis superesse, cum alias artes in multis videam vacillare. Quamvis enim grammatica amplioribus sit discussa philosophis, tamen ut cæteræ artes aliquid habet imperfectionis, scilicet et in generibus et in personis. Cum enim cœlum in singulari generis sit neutri, in plurali fit masculini. Et ut paucis concludam, qui in septem artibus vult studere, plurima perfectione carentia poterit invenire ; nam sicut est antiquum proverbium : Nihil est omni B parte beatum. Rerum vero Parens, qui solus cuncta tuetur cum sit cunctipotens, perfectus solus habetur.

As habet duas semisses.
Tres trientes,
Quatuor quadrantes,
Sex sextantes,
Octo sexcuntias,
Duodecim uncias.
XXIV semuncias,
XXXVI duellas,
XLVIII Siliquas [*Leg.* sicilicos, *vel* siclos]
LXXII Sextulas,
XCVI Dragmas [*Leg.* drachmas],
CXLIV hemisesclas,
CCLXXVIII scrupulos.
DLXXVI obolos,
MCLII cerates,
MDCCXXVIII siliquas.
MMCCCIV calculos.
Semisse, secunda pars assis,
Triens, tertia pars,
Quadrans, quarta,
Sextans, sexta,
Sexcuncia, octava,
Uncia, duodecima,
Semuncia, vigesima quarta.
Duella, tricesima sexta.
Sicilicus, quadragesima octava.
Sextula, septuagesima secunda.
Dragma [*Leg*, drachmas], nonagesima sexta.
Hemisescla, centesima quadragesima quarta.
Scrupulus [In prioribus CCLXXVIII]
Obolus DLXXVI$^{ta}$. [CCLXXXVIII$^{va}$.]
Cerates MCLII$^{da}$.
Siliqua MDCCXXVIII$^{va}$.

Calculus est bis millesima trecentesima [*Superius additur* quarta] pars assis.

# EJUSDEM ODONIS

*Ex eodem Cod. Vindobonensi*

QUOMODO ORGANISTRUM CONSTRUATUR (184).

In primis a capite juxta primum plectrum, infra A usque ad aliud plectrum, quod ponitur post rotulum, per duos passus metire, et in primo passu pone C secundus finit. AC ad finem metire per tria, et quartus retro reddit G a G ad finem per tres, et quartus retro pone D a D ad finem per III, et in primo passu pone a. De a ad finem pone III, et in primo retro pone E, et ab E ad finem per III, in primo passu pone ♮ Item a C ad finem per II et III retro pone F, ab F ad finem per IIII in primo passu pone b.

DE FISTULIS.

In mensuris fistularum istæ sunt voces CDEFG a ♮ c. Gravis C, quæ est prima fistula, longitudo ponitur ad placitum : quæ divisa per quatuor passus, uno passu sublato reddit fistulam F. Quæ C si dividatur in tres passus, tertio passu sublato reddit fistulam G. G autem divisa in tres, quarto passu adjuncto reddit fistulam D retro ; D vero partita in tres, tertio sublato, reddit *a* ; *a* divisa in tres, quarto passu apposito reddit listulam E retro. E iterum æquata in tres, tertio ablato reddit fistulam ♮ Fistula F in quatuor passus redacta dat fislam *b*, quarto passu succiso. Notet autem prudens musicus has mensuras constare per diatessaron et diapente.

(184) Vid. Notkeri musica supra p. 101.

# APPENDIX AD S. ODONEM.

## I.

## DE REVERSIONE BEATI MARTINI A BURGUNDIA

### TRACTATUS

### BEATO ODONI CLUNIACENSI ABBATI DUBITANTER ASCRIPTUS.

(Ex Bibliotheca Cluniacensi.)

*Epistola Fulconis, cognomento* BONI, *Andegavorum comitis, ad Odonem Cluniacensem abbatem.* B

Venerabili et sancto patri ODONI Dei gratia Cluniacensi abbati, FULCO Bonus, comes Andegavorum salutem et debitam reverentiam (185).

Solent quodam favoris præludio comparare benevolentiam, qui non satis præsumunt de amici conscientia. Ego autem, pater venerabilis, vobis scribens, nequaquam id mihi esse necessarium reputavi. Præsumo enim me vobis conjunctissimum compage duntaxat et glutino charitatis : quamvis respectu vestri minor sim dignitate, meritis autem minimus [*in impress*, quamvis respectu vestri minor sum ; in dignitate autem judicis minimus]. Non enim semper æqualia sociantur. Certe junguntur in ejusdem constructione tabernaculi saga cilicina cortinis subtilissimis (*Exod.* XXVI, 7). In arca Noe immitis bellua cum homine mansueto exitialibus undis eripitur (*Gen.* VII, 8). Pulchritudinem creaturarum et formica exornat, et angelus. Et, ut domestico abutar exemplo, pulverulentis pedibus lutum oculorum positum, sublime in nobis ipsis

(185) *Fulco Bonus comes Andegavorum.* Fulconis Rufi filius, qui sanctum Odonem nutrivit, uti docet Historia consulum Andegavensium, et nos alibi jam notavimus. Imo mater S. Odonis Fulconem ipsum lactavit in infantiæ primordio. Sic enim idem in fine epistolæ : « Quod si jus in amicum pro convictus gratia, pro lactentis infantiæ participatione, liceret exigere, nihil credo mihi negaretis, quem mater in lactis participem accivit ? » Unde et Odo se *collactaneum* ejus vocat in epistola sequenti.

exhibet ministerium. Sed quorum hæc tam longo repetita principio? Nempe ut astruam exemplis, et confirmem rationibus, sæpe comiti disparia, et sublimia humilibus debere condescendere. Condescendat igitur meæ parvitati vestra sublimitas, et præstate quod postulo, qui hoc ipsum præstitistis, ut postulare auderem. Meminit certe, non ambigo, vestra sancta paternitas, quam dulcibus eloquiis animam meam esurientem reficere solebatis: ut de sancto et mellifluo ore vestro illius ignis sæpius ardorem in me transfundi et accendi sentirem, quem Dominus Jesus misit in terra, et voluit vehementer accendi. Inter cætera vero vitæ æternæ colloquia, de communi patrono nostro, videlicet Martino, frequens erat nobis et jocunda fabulatio. Porro inter alia mihi retulistis reperisse vos in quibusdam veteribus schedulis impolito exaratum sermone, qualiter ejusdem beati Martini sacratissimum corpus ob barbarorum incursus in Burgundiam delatum fuit, qualiterque exinde reddita pace Ecclesiæ ad propriam urbem relatum. Ego autem et viri sancti amore, et piæ vestræ collocutionis accensus desiderio, rogavi sæpius, et nunc iterum rogo, quatenus antiquitatis historiæ fide servata, suam in vestro dictamine rem ipsam explanetis: quo et tam pia narratione ædificetur Ecclesia, et filii pater expleat desiderium. Quod si ego tanti patris filius appellari non merui, nec merita ad id quod postulo, impetrandum sufficiunt: certe vel dignitas materiæ, vel Ecclesiæ utilitas obtinebit, quod poscentis vilitas impetrare non meruit. Martinus enim materia, utilitas Ecclesiarum ædificatio est. Vos autem quid Martino negabitis? Quid ædificationis Ecclesiis subtrahetis? Eia ergo, agite: quod et amicus postulat, Martino præstat, et Ecclesiam ædificat. Quod si jus in amicum pro convictus gratia, pro lactentis infantiæ participatione [participatio] liceret exigere, nihil credo mihi negaretis, quem mater in lactis participem accivit. Quem ergo materni lactis nutristis participio, matris Ecclesiæ nutrite lacte salutifero: ut sicut corporis mei vitam de matris lacte fovistis, ita animam de lacte Ecclesiæ foveatis.

*Epistola Odonis ad eumdem Fulconem.*

Fulconi Bono gloriosissimo consuli Andegavorum, frater Odo humilis abbas Cluniacensis salutem, gratiam et benedictionem.

Cum in sublimi humilitas et in magnis et multis negotiis occupato, virtutis studium reperitur, vere, fateor, illius opus est, qui potest de lapidibus suscitare filios Abrabæ (*Matth.* III, 9). Patet, credo, cur ista præmiserim. Ecce enim mundus in maligno totus positus est (*I Joan.* V, 19): nec tamen sibi vindicat generosissimum principem. Fulconem Bonum, a quo tamen in parte non minima vindicatur Fulco Bonus, utpote comes præpotens negotia tractat sæcularia: sed hoc, ut perpendo, specie tenus, in divinis vero medullitus occupatur. Placet etiam in his immorari, et Boni Fulconis bonitatem exprimere: sed parco laudibus ne adulari videar, et pareo jussis ne ingratus existam. Hoc saltem unum me dixisse liceat, rarum imo fere nullum reperiri, quem ita virtutis æmulatio sæculo subripiat, ut mancipet honestati. Sed jam ad imperata respondeo. Siccine, comes gloriosissime, neminem reperiebas, quem de virtute contuleres, et præcipue de viro virtutis Martino, nisi tuum collactaneum Odonem? Puto deerant præclara Francorum ingenia, qui sublimem materiam sublimi æquipararent eloquentia? Sed, ut sentio, quod pace tua dixerim, privatus amor claudit oculum mentis: plusque tibi placet amici rusticitas, quam cæterorum phalerata urbanitas. Sed esto, tibi paream: aggrediar quod hortaris. Verumtamen quis fidelius tenorem historiæ, quam describi postulas, scire potuit, quam tu ipse cujus Ingelgerius videlicet doctor et princeps in eadem profectione exstitit? Si igitur excusare liceret, si quid tibi negare nostri esset propositi, merito tibi respondere debuerim: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi*; *majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII, 7). Sed quia, ut verum fatear, meipsum tibi debeo, etiam ultra vires parere tibi non differam. Et si enim inest ignorantia quam arguat præsumptio, vera tamen dilectio non horrescit. Parebo itaque non eloquens erudito, sed ut amico amicissimus. Plus verax, quam eloquens, inveniri conabor. Neque enim nostra patitur professio pompatici [hæc desunt in Impress.] [sermonis affectare gloriolas, studium est esse potius, quam videri. Verum quia] nonnullis mos est scripta aliorum ad unguem elimare, cum ipsi lippientibus oculis, si qua forte ediderint, vix respectent: rogo ut privata lectione contentus, et quæ privatim dictavimus privatus et ipse legas, ne si forte in manus alienorum ipse venero, discerpar ab eis, quos non vera, sed vana delectant.

*In tractatum de reversione beati Martini a Burgundia præfatio.*

Quoties ergo cujuslibet potentis muneribus vel beneficiis prævenimur [premimur], persolvendæ vicis ei obnoxii tenemur. Ea propter prædecessores nostri domno Turonensi Martino, qui fuit vir potens in opere et sermone, qui etiam tempore necessitatis Turonum [Turonim] suam de manu potentis potenter eripuit, obligatores facti sunt. Inde etiam ereptionis suæ perpetuum memoriale statuentes, annuam in honore ereptoris sui celebritatem IV Idus Maii celebriter celebrant, et ereptionis [*al.* exceptionis] suæ memoriam recolunt, et vota sua liberatori suo solemniter persolvunt. Solemnitas autem ista, non translatio seu ordinatio, non transitus, non exceptio dicitur, sed subventio ab iis quibus rei gestæ veritas melius innotuit, nominatur. Necessitatis vero superabundantes angustias, et urbis obsessæ calamitates et miserias dicemus [*In impr.* necessitates autem, angustias, aut calamitates urbis obsessæ et miserias disces], et ereptionis modum, et fugam etiam, qua fugere Rollonem voluit ille, qui Hastinum [Hastingum] fugavit. Mansionem etiam, qua in Anti-

siodoro mansit; reversionem etiam, et exceptionem qua a suis, Turonensibus videlicet, honorifice est susceptus, et in loco, ubi nunc adoratur, Deo annuente est collocatus, loco suo et ordine, prout Dominus dederit, stylo qualicunque prosequemur.

---

INCIPIT TEXTUS NARRATIONIS IN REVERSIONE B. MARTINI TURONENSIS A BURGUNDIA.

Igitur quoniam Danorum tellus sibi insufficiens (186) est, moris est apud illos, ut per singula lustra (187) multitudo non minima, dictante sortis eventu a terra sua exsulet, et in alienis terris mansionem sibi quoquomodo ad propria non reversura, vindicet. Urgente igitur duræ sortis inclementia, Hastingus cum innumera armatorum manu a finibus suis exsulans (188), Gallias ingreditur, civitates obsidet (189), mœnia subvertit, turres terræ coæquat, oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame depopulatur. Contigit autem ut Galliæ superioris partibus incensis, Turonum (190), simili eam exterminio [*al.* incendio] consumpturus,

(186) *Danorum tellus sibi insufficiens.* Quæ horum Danorum fuerit origo, ne Danis quidem ipsis satis constat. *Danus* enim ille Gigas Humbli filius, ex antiquitatis schola jam pridem ab ipsa veritate rejectus est. Andreas Vellejus a *Dahis* Scythiæ populo repetit, Ethelwerdus a *Donia* urbe, Cambdenus a Dausionibus sive Dancionibus, quos in Scandia Ptolemæus statuit: ac tandem Willelmus Gemeticensis a Danao Gothorum rege. Quidquid sit, ut constat ante Justiniani tempora, qui vixit an. 56?, eorum nomen orbi non innotuisse: sic verum est, historicos qui subsecuti sunt, eosdem postea cum Nordmannis sæpe confudisse. *Nordmanni* enim nulli alii quam *viri septentrionales*, ex Norwegorum scilicet, Sueonum, et Danorum fortissimis commisti, sicut habet Helmoldus: vel etiam, ut credit Gemeticensis, ex Gothis. Hujus verba sunt hæc: « Dani Normanni dicuntur, quia lingua eorum Boreas *North* vocatur, homo vero *man*. Inde Northmanni, id est, homines Boreales per denominationem nuncupantur. Sed originem tamen a Gothis noscuntur ducere Dani. » Unde et Asso lib. II Historiæ sancti Berchorii abbatis, quam vir et doctus et pius Nicolaus Camusatius in Promptuario Tricassinarum Antiquitatum edidit: « Erumpentibus, inquit, ab occiduis partibus Wisigothis, qui et Normanni. »

(187) *Moris est apud illos ut per singula lustra.* Morem hunc Danorum optime describit Duko de Quintino, vetustus auctor, quem e J. Stowæi studiosi Londinensis urbis antiquarii bibliotheca citat Cambdenus, hoc modo, « Dani e Scanza, id est Scandia, velut examen apum e canistro, et gladius e vagina, diversitate multimoda, consuetudine barbarica prosiluerunt; cum petulanti luxu exardescentes soboles innumeras generavissent. Qui postquam adoleverunt, de rerum possessionibus contra patres, avosque, aut sæpius inter se ferociter objurgati, exuberantes, et terram quam incolunt habitare non sufficientes; collecta sorte multitudine pubescentium, veterrimo ritu in externa regna extruduntur nationum, ut adquirant sibi præliando regna, quibus vivere possint. Cæterum in expletione suarum expulsionum atque exercituum sacrificabant olim venerantes Thur (*a*), dominum suum, cui non aliquid pecudum atque pecorum, sed sanguinem mactabant hominum: holocaustum omnium putantes pretiosissimum, eo quod sacerdote sortilego prædestinante, juga boum una vice diriter icebantur in capite, collisoque unicuique singulari ictu sorte electo cerebro, sternebatur in tellurem, perquirebaturque levorsum fibra cordis, scilicet vena, cujus exhausto sanguine, ex more, sua suorum capita linentes, librant celeriter navium carbasa ventis, deosque tali negotio putantes placare, velociter navium insurgunt remis. » Describit et Gemeticensis lib. I de Ducibus Normannis, cap. 4: « Qui tantis, inquit de Danis loquens, post hoc adoleverunt incrementis, ut dum repletæ essent hominibus insulæ, quamplures sancita a regibus lege cogerentur de propriis sedibus migrare. Quæ gens idcirco sic multiplicabatur, quoniam nimia dedita luxui, mulieribus jungebatur multis. Nam pater adultos filios cunctos a se pellebat, præter unum quem hæredem sui juris relinquebat. » Sed luculentius adhuc cap. 5, sicut patebit in sequenti nota.

(188) *Hastingus cum armatorum manu exsulans.* Hastingus hic a quibusdam Hastinus, ab Assone lib. II Histor. sancti Bercharii Astingus, ab Anonymo Majoris Monasterii monacho Hasterinus, et ab auctore Histor. rer. Ambaz. Havasten dictus, pædagogus fuit Bier Lothroci Danorum regis filii, si Gemeticensi creditur, qui et ejus expeditionem sic enarrat cap. 5, lib. I: « Quæ denique lex per multorum tempora regum inconvulsa mansit, quoadusque Lothrocus rex patri in regno successit. Is etiam rex patrum legibus excitus, cum ingenti juvenum agmine sorte cogente filium nomine Bier costæ ferreæ a suo abdicat regno, cum ejus pædagogo Hastingo per omnia fraudulentissimo, ut peregrina regna petens exteras sibi armis acquiret sedes. » Et paulo post: Hastingus vero a patria cum suo adolescente exsul proscriptus, missa legatione milites de finitimis provinciis animo leves, bellique cupidos ad hanc expeditionem invitans, innumerabilem pugnantium tyronum congregavit exercitum. Quid plura? Fabricantur naves, innovantur scuta, resarciuntur thoraces, poliuntur loricæ et galeæ, acuuntur enses et lanceæ, omnique telorum apparatu accurate munitur exercitus. Inde vero statuto die pelago impelluntur naves, ad eas prospere festinant milites, elevantur vexilla, librant ventis carbasa, vehuntur lupi pernices ad lacerandas Dominicas oves, deo suo Thur humanum sanguinem libantes. »

(189) *Gallias ingreditur, civitates obsidet.* Hujus Danorum sive Normannorum ingressus ac infestationis meminerunt multi veterum, sed de tempore quo contigit, non satis inter se conveniunt; nec etiam ipse sanctus Odo seu quis alius sibi bene constare videtur. Quare quod Claudius Falcetus in hac discordia concordanda præstare nullo labore potuit, ego multo minus tentare præsumam. Exhibebo tantum quæ Trajectensis quidam episcopus de hujusmodi Danorum vastatione scripsit his verbis: « Dani Suenique, quos Theotisci lingua sua Northman, id est, Aquilonales homines appellant, subinde Galliarum provincias usque adeo depopulati sunt, ut ubi quondam agri opulentissimi, urbesque speciosissimæ fuerant, nunc bestiarum atque avium vasta sint habitacula. Et ubi quondam paradisorum pulchre vernantium seges voluptuosa pollebat, nunc e contrario:

Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

Hoc si quidem deprædatio supradictæ gentis effecerat, quæ ipso, ut ferunt, anno, quo reges IV uno geniti patre inter se cum suis exercitibus dimicantes........ campos multo sanguine Christianorum fœdaverunt, piratica classi Sequanæ fluminis alveo invecta est. Post illum diem quantas Gallorum strages fecerunt, quantas urbes, regionesque incendio concremaverunt, horrendum est scribere, miserum enarrare. »

(190) *Turonum.* Sic appellat Goffridus Vindocinensis ep. 12, lib. I: « Cum apud Turonum nudatus esset a furibus. » Annales incerti auctoris, « Turonum Galliæ civitatem prædantur; » et Frodoardus,

(*a*) Id est Jove, unde et adhuc Jovis dies apud Anglos *Thursday* dicitur.

descenderet. Ambazio itaque, et universis, quæ inter Ligerim et Karum continebantur, in favillam redactis (191), Turonum obsidet. Portis igitur custodias admovet (192), et ne quis tuto exeat, magno A studiosoque conamine providet. Aggeres etiam struit, aspera complanat, et quidquid urbi capiendæ commodum esset, ordinat. Alieni infortunii rumor delatus [obsessis] conceptæ formidinis fomitem

« Revertitur Turonum Bodulphus. » Dicitur et *Turonis* singulari numero, sicut *Aurelianis Blesis, Pictavis, Cenomannis.* Joannes Majoris Monasterii monachus : « Quanti vero Turonis sit, et quæ vel qualia ejus bona. » Et Gesta consulum Andegavensium : « Confidens in auxilio Odonis Campaniensis qui Turonim, Blesim, Carnotum, Briam, Campaniam possidebat. » Item *Turonium* apud Gerbertum, epistola 61, his verbis : « Frater vester Godefridus atque Rainherius, Gobthero meo, quem Turonium miseram, dixerunt. » Imo et *Turo* sicut in Historia consul. Andeg. : « Contigit quodam tempore regem Franciæ apud Turonem civitatem adfore. » *Turoni* quoque plurium numero. Vita Caroli Magni, « Turonos ad sanctum Martinum orationis causa perrexit. » Et Hebernus abbas Majoris Monasterii, « Contigit Turonis Adalaudum confectum senio viam universæ carnis intrare. » Ac tandem *Turones*, ut in Philippide Guill. Britmis :

Deinde iter accelerat Turones festinus in urbem.

Sed hoc ultimum usitatius est etiam apud antiquos, ut pluribus exemplis indigeat.

(191) *Ambazio itaque, et universis quæ inter Ligerim et Carum in favillam redactis.* Hujus Ambasii direptionis per Normannos factæ meminerunt Gesta consulum Andegav. hoc modo : « Ambazium villa tantummodo, et in colle habens ruinas castelli antiqui olim a versutis Normannis deleti. » Meminit et vetus Historia dominorum Ambaziensium, sed verbis prolixioribus, et quæ locum Odonis luculenter illustrant : « Sic super ripas Ligeris, inquit, omnia vastantes Ambazio pervenerunt. Quod oppidum cum paucis defensoribus repertum cito capientes, totum succenderunt, pontemque Ligeris diruerunt. Ecclesias, unam quæ erat ultra Ligerim in introitu pontis, et aliam in loco qui Luat dicitur, sitam omnino destruxerunt. Qui in planitie prope Ambazium hospitati, locum qui Nigron dicitur, multo sanguine innocentium captivorum fœdaverunt. Quod ætate Ludovici Balbi cognomento Nihil fecit actum est. Quod stultitia Ambaziensium contigit, qui cum vicinis populis, obviam Normannis processerant, putantes eis nocere. Quia Normannis alia via incedentibus decepti castrum proprium amiserunt. »

(192) *Turorum obsidet, portis custodias admovet.* Eadem Ambaziensium dominorum Historia vetus, et hanc Turonicæ civitatis obsidionem et obsidentium paganorum fugam per S. Martini preces optime describit his verbis : « Vastatis itaque agris inter Carum et Ligerim, destructo etiam lapideo ponte Blirei, cum ultra non reperirent quod diripere possent, collectis armatorum copiis ad urbem Turonicam iter dirigunt. Omnia vero quæ in suburbio civitatis invenire potuerunt, facta prius miserabili hominum cæde demoliti sunt. Porro Turonici trepidare, concurrere, portas obserare, turribus se inserere, propugnacula armorum apparatu munire non cessant. Hostes portas urbis multo turbine quassantes toto nisu ingressum verbis sibi pollicebantur. Tunc clerici qui ibi aderant, juncto sibi totius civitatis agmine, rapido cursu ad ecclesiam convolantes clamabant : Sancte Dei Martine, quare tam graviter obdormivisti ? Ostende, quæsumus, pietatem, succurre, fer opem miseris : alioquin et nos peribimus, et civitas nostra redigetur in solitudinem. Qui ex sepulcro beati viri rapta cistella, in qua sacratissimæ Martini reliquiæ servabantur, et cuneus ille, quem clerici ob pericula submovenda reliquerant, portæ urbis jam multo hostium turbine quassatæ intulerunt. Tunc vero oppidani, qui paulo ante metu propinquæ mortis exterriti fuerant, mox præsentia tantæ opitulationis animati, corporis et animi vires resumpserunt. Danis e contrario stupor vehemens incussus est, post stuporem formido, et mentis alienatio obrepsit : deinde fugam conati, videres, cum alter impediretur ab altero, ac super glaciem occurrerent, præcipites labi. Igitur oppidani Christum sibi per Martini preces propitium sentientes, eruptione facta persecuti sunt inimicos, ex quibus fere mille interfecerunt. Sicque glorificantes Dei misericordiam, qui eis inopatam victoriæ palmam dederat, reliquias beati Martini in locum suum restituerunt. » Sed et episcopus Trajactensis hanc memorabilem obsidionem ac fugam narrat : ejusque narratio, si quis forte desiderat, B hæc est : « Cum igitur jam sexaginta aut eo amplius annos memorata Danorum classis, nunc Ligeris, nunc Sequanæ, nunc utriusque fluminis navigio ripas opplesset, tandem nostris diebus quanti beatissimus Martinus meriti esset, expertum est. Nam dum quadam vice vastitatis [vastatis] inter illos duos fluvios agris, ultra non reperirent quod in vicinis locis diripere possent, collectis simul armorum copiis, quæque procul prædaturi posita, primo in partes Turonicas iter dirigentes, omnia quæ in suburbio civitatis invenire potuerunt, facta prius miserabili hostium cæde demoliti sunt. Porro autem Turonici hoc audientes, trepidare, concurrere, quisque alteri adventum hostium nuntiare cœperunt. Tunc quod facto opus erat, portas obserare, turribus se inserere, propugnacula cutis alioque armorum apparatu munire non cessant. Sed cum pauci admodum essent, cernentes Danorum multitudinem facto impetu ad murum usque C proruere, totoque nisu urbis polliceri sibi ingressum, jam semetipsos desperantes extremo concilio, non in viribus humanis, sed potius Dei auxilio et sancti Martini interventu, salutem diffinierunt esse quærendam. Paucis itaque armatis qui tamen pro spretis animis morti se opposuerant, per propugnacula repugnantibus clerici qui inibi aderant, juncto sibi totius debilitatis agmine rapido cursu ad ecclesiam convolantes sepulcrum defensoris sui undique circumsteterunt, pavore nimio simul et dolore percussi. Ubi tunc inter gementes senes, inter plorantes pueros, inter lamentantes feminas sic conclamabatur : Sancte Dei Martine, quare tam graviter obdormisti ? Cur ad pressuram nostram tibi evigilare non placet ? En tradendi sumus paganis ; en captivi abducendi, si quis tamen gladiorum ictus evaserit. Et tu hæc omnia te nosse dissimulas. Ostende, quæsumus, pietatem ; succurre, fer opem miseris. Et qui D multa quondam pro alienis signa fecisti, saltem unum fac modo protinus, ut liberes nos. Alioquin et nos paribus [peribimus], et civitas tua redigetur in solitudinem. His ita flebiliter, raptam protinus ex sepulcro cistellam, in qua sacratissimi Martini reliquiæ servabantur, cum luctu et lacrymis, ipsis, ut credo, angelis ad compassionem compulsis, portæ urbis jam multo hostium turbine quassatæ intulerunt. Tunc vero oppidani palmas quidem ad sidera, mentes ad divinam clementiam subrigentes, qui paulo ante metu propinquæ, ut putabant, mortis exterriti fuerant, mox præsentia tantæ opitulationis animari simul et corporis vires, et animi audaciam resumpserunt. Danis e contrario timor vehemens incussus est, post stuporem intolerabilis formido, post formidinem, ut plurique asserunt, alienatio mentis obrepsit. Videre videor miseros primum tremere, deinde fugam conari, statimque id tentantes ridiculo ambitu circumferri, perplexosque invicem cum alter inpediretur ab altero, ac si per glaciem currerent, præci-

subministrat. Muros tamen reparant, et turrium propugnacula [*al.* et turrim, et propugnacula] resarciunt, et sagittarum grandine præmissa varios subjungunt assultus. Jam muri crebro quatiuntur ariete, et machinarum ictibus cedentes, ruinam sui minantur. Obsessi viribus cedentes, spei penitus solatio destituuntur. Tandem vero, divina inspirante gratia, in se reversi, beati patroni sui Martini corpus pie rapiunt, et ad locum, quo belli violentior impetus erat, deferentes, mortuum pro vivis propugnatorem opponunt. O admirabilem per omnia virum ! qui dum adviveret signipotens appellatus fulgorem virtutum astris intulit, defunctus etiam bellipotens triumphator hostium cuneos sola sui præsentia confecit. Vere mirabilis Deus in sanctis suis. Sancti siquidem patrocinante suffragio et obsessis securitas et confidentia redditur, et obsessoribus formido et pavor non modicus immittitur.

II. Fugiunt igitur [ergo] Dani, fugientes Turonici persequuntur : fugientium pars gladio cadit, pars capta reducitur, et pars fugæ subsidio elapsa est, et usque ad sextum lapidem ab urbe persecuti sunt Danos, triumphatoris sui corpus cum hymnis deferentes et gloria, per quem sibi triumphus cessit et victoria. Unde et in ejusdem belli triumphali memoria, in ipso loco, quo sancti subsistit corpus, in honore ipsius fabricata est ecclesia, quæ propter belli eventum, sancti Martini Belli sortita est vocabulum. In eo autem urbis loco, quo corpus ejus

A supra murum pernoctans victoriæ primordia initiavit, erant ruinæ maceriarum antiquarum, in quibus ferebant aulam fuisse Valentiniani (193), in qua sedens nequaquam assurgere est dignatus beato Martino antistiti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, afflaret incendium, solioque suo superbus excuteretur, et Martino inimicus assurgeret. Ibi archiepicopus cum populo devoto ecclesiam, quæ sancti Martini de Basilica dicitur in honore itidem ipsius sancti instauravit. Ea propter igitur synodo celebrata, [auctoritate (*abest in impr.*)] archiepiscopi, et episcoporum, qui convenerant, statutum est, ut singulis annis deinceps per universam diocesim Subventionis hujus festum
B (194) IV Idus Maii solemniter celebretur, quæ nullo alio nomine rectius, quam Subvantio, censetur.

III. Elapsis post Hastini [Hastingi] incendia tribus lustris, successit ejusdem genus [gentis], et simili sorte a finibus suis exsulans, Rollo vir armis strenuus (195), sed circa Christianæ professionis homines inhumanus : peditum multitudine, equestri [equestris] ordinis copia, milite multiplici stipatus. Ille, Flandrensibus, Nortmannis et Britonibus in martio congressu sæpenumero confectis, civitates eorum et oppida, necnon et ecclesias in favillam redigens, non minimas hominum strages dedit. Cenomanis postmodum obsessa (196), exercitus sui procurato-

pites, labi, ludumque præbere spectantibus : palam dantes intelligi quantas cuniculus ille quem clerici ob pericula submovenda convexerant, importasset ærumnas. Igitur oppidani Christum sibi per preces Martini propitium sentientes eruptione facta persecuti sunt inimicos. Quorum passim per agros palantes, et per lucos male latitantes fere ad nongentos interfecerunt : detractisque manibus [manubiis] velociter in urbem regressi sunt, magna voce laudantes et glorificantes Dei misericordiam, qui eis inopinatam victoriæ dederat palmam. Porro corpus beati Martini confestim restituerunt in locum suum, summas ipsi gratias agentes, quod eos prætantissima sua interventione satis solemniter adjuvarat, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

(193) *In quibus ferebant aulam fuisse Valentiniani.* Joannes Parisiensis in Memoriali historiarum : « Virtute sancti Martini, inquit, statim Dani territi fugerunt, quos Turonici persecuti sunt usque ad sextum lapidem, ubi ob memoriam ejus in loco ubi corpus sanctum substitit, in honore sancti Martini ecclesia fabricata est. Ibi autem erant antiquarum maceriaram ruinæ, ubi dicebatur aulam fuisse quondam Valentiniani imperatoris, in qua sedens non est dignatus assurgere sancto Martino. »

(194) *Subventionis hujus festum.* Sancti Martini solemnitates plures, inter quas et subventio hæc, et reversio corporis ejus a Burgundia, sicut notat anonymus Majoris Monasterii monachus in tabulis episcoporum Turon. his verbis : « Solemnitas ipsius basilicæ, triplici pollet virtute, id est, dedicatione templi, translatione corporis sacri, vel ordinatione episcopatus ipsius sancti. Hanc enim IV Nonas Julii observabis. Depositionem vero ejus IV Idus Novembris esse cognoscas. Reversionem vero ejus a Burgundia Idus Decembris. Subventionem vero ejus, qua suos Turonos videlicet ex manu Hasterini liberavit, IV Idus Maii. »

C (195) *Rollo vir armis strenuus.* Sic nuncupatur et apud Gemeticensem initio lib. II de Ducibus Normannis, estque princeps ille Normannorum, qui direptis per Gallias urbibus, et ecclesiis incensis demum juxta Sequanæ ostium consedit, regionem a suorum nomine Normanniam denominavit, quæ prius Neustria dicebatur, et Carolum simplicem Francorum regem eo adegit, ut se Christianum effectum ducem declararet, filiam in matrimonio collocaret, et in dotem ac beneficium Normanniam ipsam confirmaret : quanquam et ipse postea regi fidelitatem per osculum perdis promittere renuit. Historia rerum Ambaziensium : « Rollone, inquit, effecto Christiano Carolus Stultus dedit ei Normanniam cum filia sua Gilla, qui pedem Caroli Stulti noluit osculari, nisi ad os suum levaret. » Et Chronicum Andegavense : « Carolus Stultus dedit Normanniam Rolloni cum filia sua Gisla. Hic non est dignatus pedem Caroli osculari.
D Cumque comites illum admonerent ut pedem regis in acceptione tanti beneficii oscularetur, lingua anglica respondit : Ne se Bigod, quod interpretatur : Non per Deum. Rex vero et sui illlum deridentes, et sermonem ejus corrupte referentes, illum vocaverunt Bigod, unde Normanni adhuc vocantur Bigodhi. » Quibus addi potest et quod ait scriptor Gestorum consulum Andegavensium, his verbis : « Baptizata Normannorum duce Rollone, cum omnibus suis, concessa erat eis a rege Francorum et duce Hugone, pactis pensionibus de servitio Francis reddendo, et pace tenenda, terra illa quam ex illo tempore usque modo tenent. Nam Rollo Christianus catholicus effectus, Gillam filiam Caroli Stulti duxit uxorem, et deinceps terram sibi datam Normanniam vocari præcepit. »

(196) *Cenomanis postmodum.* Sic infra *Cenomannis capta*, Flodoardus, *Hugoni filio Roberti Cinomannis dedit.* Et Abo sub finem lib. I Obsid. Paris.

Nec satius quidquam sortiti apud hi Cenomannos

Usurpatur tamen et singulari numero, quemadmo-

res Turonum usque transmisit, ut, urbe pessunda- A ta, auri et argenti effluentem [affluentem] copiam, et cætera ejus bona diriperent, et illius incolas vinculatos [vinculantes] secum adducentes captivarent. Dei autem providente clementia, tanta Kari et Ligeris excrevit inundantia [inundatio], ut sui unione pelagus unum efficerent, et a civitatis accessu non minima sui altitudine cuneos hostiles arcerent. Verum Majus Monasterium (197), quod non longe a Turonis erat, funditus eversum (198), centum viginti monachos, bis binos minus, ibidem gladio percusserunt, præter abbatem et viginti alios quatuor, qui cavernis latitantes evaserunt; abbatem tamen a latebris extractum tormentis et cruciatibus ab eo exigunt, ut thesauros ecclesiæ prodat et monachos, qui in cavernis latebras fovebant, in medium deducat. Vir autem Domini abbas Hebernus (199), licet varia et multiplici tormentorum violentia arceretur, nec thesauros declaravit, nec filios in latebris latitantes revelavit; qui adhuc reservati sunt, ut patroni sui corpus et inter alienos prosequerentur. Ita quidem contigit; sed ipse potius comitibus exsilii sui mercedem restituit. Nemo enim illorum residuus fuit, quem Martinus Ecclesiæ non proferret [præferret] regimini, sublimaret dignitate. Recedentibus Danis, postquam civibus, tumore fluviali represso, libera recurrendi [discurrendi] reddita est facultas, auditum Majoris Monasterii infortunium et eversio, necnon et abbatis cruciatus et pœnæ, et monachorum pretiosa mors et passio; universorum, et maxime sancti Martini canonicorum, gaudia obumbrans [obnubilans], lacrymosa subministravit suspiria, doloris immodici copiosam materiam propinavit.

IV. Mœstitiæ igitur et mœroris pallio amicti, vultu lugubri assumpto, et ornatu, sicut moris est compatientium, dolere cum dolentibus, gaudere B cum gaudentibus [flere cum flentibus], dolentes et flentes ad memoratum accedunt locum, et doloris intrinseci tumore singultuoso perstilantes foris: lacrymis [perstillantibus foris lacrymis] aliquantisper imminutis, viginti quatuor monachos, qui in cavernarum latebris morabantur, extrahunt, et abbatem una cum ipsis cum debito honore et reverentia ad suam secum deducunt

dum Turonis, Pictavis, et similes. Idem Frodoardus Cinomannis et Baiocæ pacto pacis eis concessæ. Est enim Cinomannis ea ipsa civitas quam Goffridus Vindocinensis epist. 16, lib. III, Cenomannum, et Hugo de Cleriis in commentario de Majoratu et Senecalcia Franciæ, modo Cenomannicam nominant.

(197) *Majus Monasterium.* A sancto Martino tertio Turonorum episcopo constructum, uti docet Severus Sulpicius, qui et ipsum locum eleganter describit C in historia Vitæ hujus gloriosi præsulis: « Aliquandiu, inquit, adhærente ad ecclesiam cellula usus est: deinde cum frequentantium inquietudinem ferre non posset, duobus fere extra civitatem millibus monasterium statuit. Qui locus tam secretus et remotus erat, ut eremi solitudinem non desideraret. Ex uno enim latere præcisa montis excelsa rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluvius reducto paululum sinu clauserat: una tantum, eademque arcta admodum via adiri poteras. » Unde vero nuncupatum sit Majus Monasterium, et qualiter monasticæ professionis merito principatum olim obtinuerit, ac specimen omni monachorum ordini et dignitati contulerit, aperit anonymus ipsius monasterii monachus his verbis: « Nomen quod dicitur Majus Monasterium ab eo Martino, teste Turonensi Gregorio, huic loco novimus fuisse impositum. Siquidem cum Majoris Monasterii multa sint majora, quæritur qua ratione tam excel- D lentis nominis privilegium vindicaverit. Cui quæstioni tripartita occurrit solutio. Notum siquidem est et satis celebre innotuit. quod beatissimus archipræsul Turonum Martinus, tria condidit monasteria, primum Mediolanis, secundum Pictavis, tertium vero a Turonis miliario, quod respectu et comparatione duorum re et nomine Majus monasterium appellavit. Est et alia ratio quare vocabulum tale sortitum sit, sicut Sulpitii Severi, qui jam dicti archiepiscopi vitam et actus luculento sermone describit, fidei et veritatis plena docet assertio, idem beatus archipræsul tumultuantis vitæ mordaces curas declinans, in hæc secretiora loca tanquam in portum quietis secesserat. Ejus autem sanctæ clientelæ octoginta adhærebant viri, qui nobilis instar magistri, in fame et siti, in cinere et cilicio sese damnantes, mundum sibi, et se mundo crucifixerant. Hi omnes sigillatim in singulis mansionibus tanquam in monasteriolum per totam hebdomadam orationibus et jejuniis vacantes, die tantum Dominica ad grande monasterium, cujus lateri perfosso ducis et doctoris eorum lectus et mansio inhærebat, conveniebant. Harum igitur mansionum relativæ comparationis respectu monasterium illud, quo, ut dictum est, convenire consueverant, Majus Monasterium non immerito appellavit. Propositæ residuum questionis modo tertio taliter enucleatur. Cum Cisalpina Ecclesia multis et mirificis floreret monasteriis, solius Martini monasterium inter universa ordinis præcipuæ et sanctæ religionis apicem præferebat. Quæ enim esset ecclesia aut monasterium, ut ait Sulpitius, quæ non de Martini monasterio cuperet sacerdotes? Sanctitatis ejus merito et excellentia præ cæteris virtutibus majoratum tenens, Majus monasterium, quadam meritorum prœrogativa meruit appellari. Duce igitur et præambulo archipræsule Martino Majus illud monasterium extendit usque ad mare religionis suæ palmites, et usque ad extremum terræ sanctitatis suæ propagine dilatavit. »

(198) *Funditus eversum.* Meminit et idem Majoris Monasterii monachus hujus eversionis. « In præfato, inquit, monasterio, et abbatum vicaria ex more successio, et vehemens religionis in dies augmentario usque ad Hastingi et Rollonis tempora perseveravit. Quorum inanis ferocitas, Galliarum urbes et ecclesias depopulans, monasterium illud funditus evertens, et habitatore et religione inhabile et inhabitabile reddidit. » Et paulo post: « Venit Hastingus in Turoniam, et omnia suburbana, una cum Majori monasterio destructis, et in favillam redactis, Turonum obsedit. »

(199) *Vir autem Domini abbas Hebernus.* Genuinum et verum nomen hujus abbatis, non Herbertus, Hibernus, Herbenus, Erbinus, aut Urbinus, sicut corruptissime vocatur in editis Majoris monasterii tabulis. Fuit autem ex abbate Majoris monasterii factus archiepiscopus Turonensis, vel ipso teste libro miraculorum beati Martini post ejus reversionem a Burgundia. Sic enim ait in ejus præfatione: « Contigit eodem mense, dum esset consul Ingelgerius, Turonis Adalaudum confectum senio viam universæ carnis intrare. Ingelgerius vero consul auxiliante Deo, et intercedente beato Martino, opitulantibus etiam clericis, necnon et consentientibus civibus Turonicæ civitatis, intronizavit, et in sede episcopali sublimavit Hebernum senem, sanctum beati Martini Majoris monasterii abbatem et ministrum.

ecclesiam. In omnibus vero eos procurantes, delegerunt ipsis domum ecclesiæ valvis inhærentem, A a qua in ecclesiam reciprocus ingressus et regressus secretior haberetur. Sex vero mensibus emensis, comperto canonici quod Rollo, Cenomannis capta, Turonum [Turonim] captum ire disponeret, communicato cum civibus [concivibus] suis consilio, pretiosam margaritam, et singularem thesaurum, sanctissimi videlicet corpus Martini Aurelianis usque transmittunt (200). Hujus latores et custodes exstiterunt, Hebernus Majoris Monasterii abbas sæpedictus cum viginti quatuor monachis, et duodecim canonici, qui Deo et Christi confessori Martino [die ac nocte] deservirent: comitatui eorum indeserenter [indesinenter] adhærentibus duodecim Castra novi burgensibus (201), qui B sanctis deservitoribus pie deservientes, eis necessaria providerent. Famæ vero postmodum decurrentis [percurrentis] relatu edocti, quod Dani ad Galliæ superiora processissent, cum thesauro suo ad sanctum transmeant Benedictum. Paucis vero elapsis diebus fama pervigili rursum prænuntiante, quod jam Rollo Aurelianis advenisset, sanctarum bajulireliquiarum Chableiam[*antea* Glabeiam, *sed corrupte*] veniunt.

V. Tempore autem permodico ibidem commorati, metu convalescente iterum, cum thesauro illo incomparabili Antissiodorum (202) usque perveniunt. Episcopus vero fama perambula [præambula] præmonitus, et tota civitas, obviam ruunt, et tantum hospitem cum honore non indebito de- C ducunt, et in ecclesia beati Germani, secus ejusdem præsulis feretrum, Martini non imparis corpus reponunt. Per merita igitur beati Martini, virtutes ibidem et miracula innumera fiunt. Cæci quidem visum, claudi gressum, febricitantes sanitatem, aridi sospitatem, leprosi mundationem, paralytici membrorum reintegrationem recipiunt. Fama vero quæ clam nihil agere consuevit, per universas regiones sanitatum gratiam divulgante, tanta illic in dies infirmantium multitudo confluebat, ut ex numeri innumera æstimatione, regio cuilibet exercitui assimilata videretur. Et quia civitas tantæ insufficiens multitudini universos capere non poterat, per circumjacentes vicos hospitandi gratia diffundebantur. Omnibus [autem] pro voto per merita beati Martini antistitis salus optata reddebatur. In familiæ vero ejusdem episcopi [pontificis] usum universa infirmantium transibat oblatio. Tantus autum oblatæ pecuniæ excrevit cumulus, ut numerum [munerum] quantitas excedens Antissiodorensibus clericis invidiæ fomitem ministraret. Unde cupiditatis et invidiæ stimulo perurgente, Martini ministros taliter alloquuntur. Quoniam tam a nostro, quam a vestro pontifice virtutes et miracula indifferenter fiunt, æquum est ut, si quid utilitatis exinde provenerit, utriusque ministri in commune partiantur [pervenerit, utrisque in commune partiatur]. Quibus evidenti ratione satisfactiones illi, postulantes [postulatæ jus com munionis in hunc modum dissolvunt, dicentes: Antequam Martinus noster huc adveniret, vestro hic perordinante [perendinante] Germano, nullorum mentio miraculorum erat. In adventu vero nostri antistitis, piis ejus id obtinentibus meritis, et signorum frequentia evidens exhibetur, et ex impensæ per eum salutis respectu, hujusmodi nobis beneficia proveniunt. Ut autem ex animo vestro omnis super hoc dubietatis scrupulus excludatur, leprosus hic, qui præ oculis est, in medio, si placet, præsulum sanandus inferatur. Si vero a Martini latere leprosi latus positum convaluerit, et Germmani lateri ejusdem latus adjunctum in lepra perstiterit, virtutis auctori Martino miraculum ascribatur. Si autem e converso, a Martini parte [latere] leprosi pars posita non curatur, et Germano pars inhærens sanetur, ad Germani meritum [merita] patefacta virtus et miraculum transferatur. Acquiescunt utique, et prolata judicii sententia ab omnibus approbatur.

VI. In argumentum igitur agnoscendæ veritatis, in medio præsulum leprosus ponitur. Decursis [decursa] itaque nocte illa vigiliis et (orationibus *deest*

(200) *Sancti corpus Martini Aurelianis usque transmittunt.* Eadem refert et jam citatus Majoris Monasterii monachus.

(201) *Cum duodecim Castri-Novi Burgensibus.* D « Plurimum, inquit idem monachus, jam dictæ civitati confert Castri Novi contigua affinitas, cujus viri adeo illustres, ut auri, et argenti, varii, et grisii, diversarum insuper specierum, et totius mundialis gloriæ copia exuberantes purpurati incedant. » Castellum novum sancti Martini vocatur in Chartulario rerum Vindocinensium, charta 28 his verbis: « Quod si forte, quia ut dicit, litteras vult discere, in civitate Turone, vel apud castellum novum sancti Martini voluerit habitare, ibi quoque præbebimus ei, et suo homini tres tantum panes. »

(202) *Cum thesauro incomparabili Antissiodorum.* Historia dominorum Ambaziensium: «Mortuo autem Carolo Calvo, Dani, qui in infidelitate remanserant, cum Huasten duce suo Gallias tribus [al. tringinta, qui quidam, sexaginta) annis infestantes beati Martini corpus Antissiodoro canonicos transferre compulerunt. » Et tabulæ Majoris Monasterii: « Ipsum sancti Martini monasterium, quod juxta urbem erat, concrematur, monachi et clerici trucidantur, et venerabile corpus sancti antistitis Antissiodorum defertur.» — Melius *Autisiodorum.* Sic enim Ammianus Marcellinus lib. XVI; *Percurso eodem itinere Antisiodorum pervenit.* Unde et apud Frodoardum *Antisiodorensis episcopus*, et in Nithardo lib. I, *Autisiodorensis pagus.* Dicitur tamen et *Altissiodorum*, quæ Ptolemæo quondam *Antricus*, uti docet Hericus in Vita sancti Germani, his verbis:

Celtica qua medios exporgit Gallia tractus
Urbem haud incelebrem Galli posuere priores,
Antricus a priscis olim vocata refertur,
Ætas posterior pinnas, et culmina avitis
Mœnibus imposuit, duri munimina belli:
Ex augmentatis verso cognomine muris,
Sive sequax usus dicas Autissiodorum,
Seu mutilare velis, et dixeris Altiodorum,
Nomine diverso res est cumulatior una.

Altiodorum pro *Altissiodorum*, versus causa dixit

A *in impr.*), laudibusque, mane illucescente, convenientibus utrinque partibus, medietas hominis a Martini parte posita, sana et incolumis reperitur. Pars autem altera, occulto Dei judicio, salvanda [sananda] differtur. Ut autem per miraculum evidentius fides eluceret clarius, atque celsior [fides certior, clariusque eluceret], leprosi iterum pars sananda versus Martinum vertitur. Et mane facto, sub oculis omnium, homo totus ex integro alteratus in salutem invenitur. Sopita igitur est mutualis hæc contentio, et Martini cultoribus ex tunc et deinceps infirmantium universa cessit in pace oblatio. O admirabilis [admirandæ] urbanitatis Germanum pontificem, qui cum tanti meriti esset, ut mortuos suscitaret, in domo sua hospiti suo tantum detulit honorem, ut in signorum exhibitione B eo se videri vellet inferiorem! O signipotentis Martini attollenda præconia, qui pontificalis ministerii dignitatem ubique in omnibus, licet exsul, observans, et civitatem exsilii sui susceptricem miraculorum gratia illustravit, et suis sequacibus benignum, largum et affluentem se semper exhibuit! Elapsis postmodum quampluribus annis, pace Ecclesiæ reddita, Rollone fidei restituto, Turonici viri Dominum et patronum suum requirendi gratia Antissiodorum profiscuntur.

VII. (203) Conveniunt igitur Armarium [Januarium] ejusdem urbis episcopum, ut eis suæ licentia permissionis, proprium reducendi pontificem copia tribuatur. Quibus ille tale fertur dedisse responsum. Nolo ecclesiam meam tanto defraudari, thesauro. quia episcopus factus eo vestitam [investitam] inveni. Videntes itaque Turonici, se per eumdem episcopum nihil proficere, ad regem Francorum, qui tunc temporis erat, meliora sperantes resiliunt: humili prece eum [rogantes ac (*voces hæ desunt in impr.*)] obsecrantes interpellant, ut Turoni [Turonis] et Martinum suum restitui jubeat, et urbem pastoris absentia, eo recepto, in gaudium convertat. Ad quos rex ait: Cum utraque civitas regii sit juris, et ab utraque nobis indifferenter serviatur, indignum ducimus, ut Antissiodorum, quæ de thesauri hujus possessione saisita est, præjudicii violentia spoliemus, et Turonum [Turonim] vestram, quæ huc usque illius vestituram [investituram] amisit, investiamus. Decedentes [decidentes] itaque Turonici [a spe sua], ad propria frustrati revertuntur. Cogunt igitur concilium cum Adalando [Adlando] (204) Turonensi archiepiscopo, Raimone Aurelianensi (205), et Mainoldo Cenomannensi (206), [et sancto Lupo Andegavensi] et cleri plebisque multitudine coacta, consilium ineunt quid facto opus esset. Eo tempore vir illustris Gastinensis comes Ingelgerius (207), Hugonis ducis Burgundiæ nepos (208), Lochiæ et Ambaziæ dominus (209), strenuus armis, summa potestate et probitate præditus erat, et Andegavensem consulatum (210) ex regio numere nuper sibi impartitum procurabat. In Antissiodorensi etiam urbe aulam propriam, et

C (203) *Conveniunt igitur Armarium.* Armarius hic, Annarius, sive Abnarius, aut ut quidam codd. habent Januarius, neque in tabulis Autissiodorensis Ecclesiæ, neque in Chronico Roberti sancti Mariani monachi, qui præcipue res archiepiscoporum Senonensium, et Autissiodorensium episcoporum scripsit, reperitur. Quare non dubium quin corruptum sit nomen, ejusque loco forte reponendus Umbaldus, qui post Wallam Ansegisi Senonensis archiepiscopi fratrem, Autissiodorensem rexit Ecclesiam. Obiit enim circa annum 900, tribus videlicet annis post reversionem corporis sancti Martini, quæ, sicut adnotat ipse sanctus Odo, contigit anno 887.

(204) *Cum Adalando.* Corruptum et alterum verbum, imo corruptius adhuc quod tabulæ quædam præferunt, hunc archiepiscopum Adlandum, Adelerandum, Adelardum, Adalardum et Aulandum differenter appellantes. Rectum et verum nomen illi D fuit Adalaudus, fratremque habuit Raimonem Aurelianensem episcopum, sicut testantur Gesta consulum Andegav. his verbis: « Turonensium nobiles, atque pontifices Adalaudus et Raimo, ambo germani fratres, et ex Aureliænensi urbe nobiliter nati. »

(205) *Raimone Aurelianensi,* fratre scilicet Adalaudi archiepiscopi, quem et Rennerium quidam nominant.

(206) *Mainoldo Cenomanensi,* qui male *Mannardus* in tabulis apud Democharem excusis.

(207) *Gastinensis comes Ingelgerius,* Filius scilicet Tertulli, quem (ut legitur in historia Andegav.): « Carolus Calvus ob merita sua charum habens, uxorem ei cum aliquanto beneficio in Landonensi castro tribuit, nec non etiam cum aliquibus terris tam in pago Gastinensi, quam in locis aliis per Franciam casatum fecit. »

(208) *Hugonis ducis Burgundiæ nepos.* Ex Petronilla filia, sicut eadem consul. Andegav. Historia docet his verbis: « Circa id tempestatis mortuo Tertullo in Francia, filius ejus nomine Ingelgerius, hæreditates ipsius possidens remansit, sub Carolo Calvo tamen generatus. Namque Tertullus nobilem duxerat uxorem ducis Burgundiæ filiam, nomine Petronillam, quæ hunc filium peperit. »

(209) *Lochiæ et Ambaziæ Dominus.* Ex parte conjugis Adendis, sive Adelendæ, Adalaudi Turon, archiepiscopi neptis: « Adelerodus [Adalaudus] enim, inquit Chronicum Andegav. et Raymo, ambo fratres germani, Turonensium et Andegavorum pontifices, neptem suam Adendim nomine cum alodiis suis, scilicet Ambazio, Buzenciaco et Castellione ei in conjugium copularunt. » Quod ipsum etiam testatur Historia consulum Andegavensium, his verbis: « Pontifices Adalaudus et Raymo, ambo germani fratres, et ex Aurelianensi urbe nobiliter nati cives, neptem suam Adelendam nomine ei in conjugium copularunt, tradentes ei cum puella per auctoritatem regis et optimatum patrimonia sua, quæ eis in Aurelianensi pago et Turonico hæreditate legitima proveniebant. Nam alodium agnationis eorum erat Ambazium villa tunc tantummodo, et in colle habens ruinas castelli antiqui olim a versutis Normannis deleti. » Sed quod de Lochia, sive Lochis, uterque scriptor tacet, historia vetus rerum Ambaziensium supplere videtur, cum ait: « Rex prudens Carolus cuidam nobili viro de Aurelianensi pago nomine Adelaudo, Lochas castrum, et duas partes Ambaziaci oppidi tribuit. » Si enim Adelaudus nepti suæ res omnes, quas in Turonico pago possidebat, dotis nomine contulit, sequitur quod neque Lochas, sive Lochiam, cujus erat dominus, sibi retinuit.

(210) *Andegavensem consulatum,* imo et Aurelianensem vicecomitatum, et regiam Turonorum præfecturam. Chronicon Andegavense: « Postea vero Ludovicus filius Caroli Calvi vicecomitatum Aurelianensem, et præfecturam Turonorum, et dimidium Andegavis comitatum ei in casamento dedit. » Et

vineas (211), et prædia [habebat (*abest in impr.*)] A suburbana, et possidebat. Cum igitur tantum [in tantum] virum hujus negotii peragendi commoda confluerent, allegationis suæ officio fungi ab universis acclamatum est. Cum autem ad eum ob istius modi causam nuntios dirigere procurarent [disponerent], per subvenientem Dei, ut credimus gratiam, sancti Martini, ut ei moris est, oraturus intravit ecclesiam. Exiens autem ab ecclesia ab universis cum gaudio suscipitur, et ab omnibus ei honor debitus et reverentia defertur. Cum in medio eorum consedisset, tanquam a Spiritu sancto præmonitus in hæc verba prorupit: Viri Turonici, viri divitiis affluentes, cum divite ingenii vena calleatis, et prudentia et fortitudine polleatis; miror admodum, et vehementer obstupesco, cur gaudium ves- B trum, lumen patriæ [vestræ (*deest in impr.*)] vestrum, inquam, antistitem Martinum tam longo exsilio relegatum, vestra id agente incuria, reducere neglexistis. Cui illi cum lacrymis aiunt: Gratias vobis agimus, et primum Divinitati, quæ tuo id imperavit [inspiravit], cordi, ut de talibus nobiscum dissereres, et nobis in desiderio positis, desiderii nostri desideratum commonitorium faceres. Non est, inquiunt, domine mi, nostræ, ut putas, incuriæ: sed regis Franciæ pigra segnities nos impedivit, et Antissiodorensis antistitis pervicax violentia nobis Martinum nostrum cum multo labore et instantia requirentibus denegavit [denegat]. Quoniam igitur obstinati illius antistitis cor induratum est; et quasi alter Pharao factus est; non vult di- C mittere virum Dei, nisi in manu forti Proinde te, domine, cui nobilitas et strenuitas, et probitas etiam et potestas suppeditant, communi et humili supplicatione [rogamus et (*absunt hæc in imp.*)] obsecramus, ut zelo Dei, et beati Martini amore ductus, huic te conformes allegationi, et ipsum et cum ipso gaudium huic luctuose restituas regioni.

VIII. Videns igitur vir illustris Ingelgerius, universitatis illius post Deum spem in se penitus poni, lacrymas supplicantium miseratus et vota, promittit se injunctum sibi negotium pro viribus exsecuturum. Collecta igitur tam peregrini exercitus quam proprii multitudine non minima, sex fere millibus tam militum quam equitum secum electis, Antissiodorum venit. Continuant interim Turonici ex sui præcepto pontificis unius hebdomadæ jejunia, et suum sibi reddi Martinum Deo supplicant jugi oratione, et precum instantia. Stupet Antissiodorum [Antissiodorensis] civitas armato milite et insperato se repleri. Diei igitur crastinæ aurora illucescente, peregrinus comes impiger, postquam in ecclesia ante dilecti archipræsulis Martini corpus cum lacrymis orans, peregrinationis suæ preces et vota persolvit; convenit episcopum super depositi restitutione, dicens? pontificis nomen cum te et honor delectet, cur hujus prænominis [pronominis] etymologia perdita, virtutum pontem non facis, sed subvertis, et gregi tuo factus forma deceptionis et doli, vestigiis [tuis] inhærentem a sublimi veritatis via dejicis, et in perditionis præcipitium ire compellis? Cur necessitatis tempore thesaurum fidei tuæ commissum, dilationis [dilectionis] innectens moras, reddere contemnis? Unum ergo tibi ex duobus elige: aut Turonicis suum Martinum, dilationis cessante mora, restitue, aut te nullatenus redditurum responde. Cui episcopus in his verbis stomachatus ita respondit: Non decet peregrinum cum armata manu loca sancta invisere, nec sanctorum pignora viribus et armis velle sibi vindicare. Hodie tamen cum tuis patienter sustine, et quid super hoc acturus sim, crastina tibi dies declarabit. Communicato interim cum coepiscopis, qui tunc forte aderant, consilio, quis actionis hujus exitus vel finis esse valeat, percunctatur. Cui Siagrius Eduensis (212), una cum Domnolo Tricassensi [Trecensi] (213), ad ipsum sapienter respondit. Non decet episcopum aliena rapere, vel cujuslibet depositum fraude vel violentia velle subripere. Beati siquidem Martini corpus, hostili urgente gladio, a Turonicis huc allatum, et ab eis penes te repositum novimus. Quod ergo a fidelibus fideliter tibi commissum est, tu quandoque [quoque] fidelis restitue, et fidei læsæ damna resarciens, exasperato comiti verbis eum lenibus, et officiis demulcens, postulata concede. Nisi enim spontanee, et cito reddideris, ad tui dedecus et ignominiam ablatum protinus tibi [te invite] videbis. Fac igitur de necessitate virtutem, et antequam imminens extorqueat necessitas, palliata [et] prudens præstet liberalitas. Acquiescit episcopus, et Andegavensi allocutione blanda delinito optatum exponit thesaurum. Adfuit etiam et divinæ memoriæ abbas Herbenus [Hebernus] coram episcopis, una cum Ingelgerio, jam sine sociis. Divina siquidem providentia, et beati Martini oratione assidua mediante, jam promoti erant per universæ Burgundiæ

historia consulum Andegavensium: « Postea vero ipse rex prædictus vicecomitatum Aurelianensis civitatis in casamento dedit, deinde apud Turonos regiam præfecturam assecutus terram illam a Normannis viriliter defendit. » Itemque paulo post: « Datus est etiam ei et dimidius comitatus Andegavis civitatis, quia ultra Meduanam in Andegavo alter comes habebatur. »

(211) *Et vineas.* Codex ms. v. c, Pauli Petavii senatoris Paris, addit: *Vini superlatini bajulas*, quod plerique vulgo *vin passelatin* dicunt. Sed cum hæ voces absint in editionibus antiquis, et etiam in duobus aliis ms. codd. quibus usus sum, illas ut glossulam potius quam genuinam Odonis textum existimem facile compellor.

(212) *Siagrius Eduensis*, antea *Fiagrius* in excusis, et in cod. Pauli Petavii *Nivernensis* pro Eduensi. Sed cum uterque nec in Eduensibus nec in Nivernensibus tabulis reperiatur, labor est ut de Nivernensi potius agi credam; tum quia Nivernensis et Autossiodorensis archiepiscopo eidem, nempe Senonensi sunt; tum quia sanctus Odo Siagrium hunc Autissiodorensis coepiscopum appellat: quod de Eduensi, qui Lugdunensis metropolitani suffraganeus, accipi non potest.

(213) *Domnolo Tricassensi*, nuncupatur et Domiollus a nonnullis, et etiam ab omnibus tam excusis, quam manuscriptis episcoporum Trecensium catalogis abest.

provinciam omnes et singuli in episcopatibus et abbatiis : scilicet ut qui cum exsultato [qui eo exsultatum] exsules advenerant, ab ipso exsulato, in ipso exsilii solo divitiis et honoribus sublimarentur. Denique ipsis mandavit [mandarat] per veredarios (214) sæpefatus abbas Herbenus [Hebernus], ut interessent ducatui, et ad evehendum corpus sæpe nominandi [sæpe nominati] antistitis : ut quem simplices monachi et exsules a loco proprio in exsilium adduxerant, jam episcopi et abbates constituti ipsum solum exsulem loco proprio restituerent. Quod et factum est. Celebrata igitur propria de S. Martino missa solemniter, Ingelgerius Andegavensis et Abnarius Antissiodorensis assumptum onus illud nobile suis imponentes humeris, repatriandi aggrediuntur iter. Deducunt pontifices cum hymnis et laudibus sancti antistitis reliquias, necnon et clerus devotus, et vulgi undequaque decurrens frequentia. Reversis vero deductoribus illis Martini, exercitus aggressum capit iter, et optato potitur triumpho. Debitum servitii pensum ab abbate et monachis, necnon et clericis Deo in dies devotissime exhibebatur, et missa quotidie celebrabatur. In nobili illo exercitu nullus mollis vel effeminatus : nemo ibi feminam, nemo rapinam noverat; sed [unusquisque] ex mercato competenti vivebat.

IX. Postquam igitur diœcesis suæ fines attigerat sacratissimi præsulis Martini corpus, mirum in modum et oves morbidæ pastoris præsentiam, et pastor recognovit quantam ovibus deberet diligentiam. Quamvis enim peregrinus inter extraneos miraculorum floruisset copia : inter suos tamen, utpote sibi a Deo commendatos, et copiosior ei fuit sanitatum gratia, et, si dici fas est, propensior benignovolentia [benevolentia]. Quicunque ergo qualicumque incommodo ægritudinis laborabant etiam non apportati, etiam non rogantes, dextra lævaque per totam provinciam mirifice sanabantur. Quam [quia] vera promissio Salvatoris dicentis : *Opera*, inquit, *quæ ego facio, qui credit in me, et ipse faciet, et majora horum faciet* (*Joan.* XIV, 12). In signis enim et sanitatibus, quæ [quas] ipse Dominus per se dignatus est exhibere, fidem etiam poscentium cooperari voluit, ut crebro Evangelia probant. Unde est illud : *Vides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVIII, 42). Per Martinum vero etiam non petentibus, etiam non accurrentibus, et quod majoris clementiæ est, etiam nolentibus subveniebat. Dum enim talia, tantaque virtutum insignia agerentur, quæ, etsi non viderent [videret], occultare fama non potuit. Ea percurrente duo paralytici, qui in villa cui nomen de Hedera est a prætereuntibus eleemosynam petentes, victitabant, dixerunt alter ad alterum : Ecce frater sub molli otio vivimus, nemo nos inquietat, omnes miserentur ; solus nobis labor est petere quod optamus. Licet, cum libuerit, somno indulgere, quieti vero jugiter : et, ut breviter dicam, ducimus in bonis dies nostros. Hoc [autem] totum nobis vindicat infirmitas hæc, qua jacemus. Quæ si curata fuerit, quod absit, necessario nobis incumbet labor manuum insolitus : quippe jam mendicare [mendicare quippe] inutile erit. Et ecce audivimus de Martino isto, in cujus diœcesi degimus, quod revertens ab exsilio in toto suo episcopatu neminem decumbentem præterit non sanatum. Nunc ergo, frater, acquiesce consiliis meis, et dicto citius fugiamus Martinum, ab ejus diœcesi exeuntes, ne forte nos sanitatum ejus copia comprehendat. Novum sane consilium, vota prorsus eatenus inaudita, tanto nolle carere incommodo, se, sibi reddi, effugere. Quid moror ? Placet utrique consultum, et aptatis baculis sub utraque ascella, reptando potius quam gradiendo, fugam arripiunt. Sed Martini pernix potentia prosequitur fugientes, comprehendit refugas, comprehensos et inventos invitos reparat sanitati. Quod illi in sese experientes, nec dissimulare poterant, nec audebant silere. Nimirum non nescii illum potentem perdere [prodere] ingratos qui et nolentibus subvenisset. Exclamant igitur, prædicantes miraculum, et homines loci illius, quo id contigerat, ad laudem invitant Martini. Nec sibi integrum fore arbitrati, donec baculos sui languoris indices ad Martini matricem ecclesiam detulerunt, palam omnibus exponentes et suæ perfidiæ fugam, et Martini etiam circa invitos clementiam. Porro accolæ mansionis, in qua signum hoc sanitatis celebratum est, in nomine signipotentis Martini ecclesiam condidere, quæ usque hodie Capella alba nominatur.

X. Ingresso itaque beato archipræsule Martino propriæ parochiæ fines (215), mirum in modum res

(214) *Ipsis mandavit per veredarios.* Antiquus veredariorum sive mutatoriorum equorum usus, quos tamen primum a Ludovico XI, Fr. rex institutos in Francia Philippus Cominæus scribit. Præter Josephum enim, Suetonium et Procopium, qui meminerunt illorum, etiam in veteribus Franciæ scriptoribus nihil frequentius. Historia consul. Andegav. in Fulcone Nerra : « Quo audito comes ad succursum suorum festinat, fingensque se Landonense castro suo ire, nocte et die equis sæpe mutatis equitat. » Et Marculfus lib. I Formul., cap. 11 : « Illustrem virum illum partibus illis legationis causa direximus, ideo jubemus, ut locis convenientibus eisdem a vobis evectio simul, et humanitas ministretur, hoc est veredos, seu paraveredos tantos. » Veredos et paraveredos dixit, quos Odo *veredarios* : Carolus Magnus in diplomate veteri *mansionaticos et paraveredos* : lib. II Capit. cap. 16, *paravreda* : Capitula episcoporum ann. 880. *mansuarios in carricaturis et paraveredis* : et Procopius lib. II de Bello Persico, *equos publicos, quos*, inquit, *veredos appellare consueverunt* : a *rheda*, scilicet Gallico nomine : unde et *eporedicæ*, boni equorum domitores apud Plinium libro III *a* c. p. 17, et *palefridus* apud Stephanum Tornac., et alios ævi medii scriptores, equus, *palefroi.*

(215) *Ingresso itaque beato Martino propriæ parochiæ fines.* Post annum scilicet tricesimum sextum, ex quo Rollo Gallias infestare cœperat, ut est apud anonymum Majoris Monasterii monachum. « Tricesimo, inquit, et sexto anno, postquam Francorum regnum a memoratis Danis, Rollone videlicet et Hastino infestari cœpit, corpus beati Martini ab Antissiodoro ad propria cum honore relatum est. In cujus reversione textus narrationis a beato Odone primo ecclesiæ ejusdem confessoris canonico et præcentore, postmodum Cluniacensi abbate editus, penes nos

inanimatæ et insensibiles, pastoris, sui sentientes adventum, grata congratulationis suæ signa prætendunt. Universæ siquidem arbores, et fruteta tempore brumali (216), repugnante licet natura, redivivis vestita foliis, et floribus vernant, et in sui ornatu, quantæ meritorum excellentiæ sit pater patriæ repatrians demonstrarunt. Itidem dextera lævaque in ecclesiis ejusdem parochiæ sine humano adminiculo signa divinitatis [divinitus] pulsabantur. Luminaria tam cereorum quam lampadarum divinitus accendebantur ; in duabus maxime ecclesiis, quæ nomini ejus dicatæ sunt notæ [dignoscuntur]. In priore, quæ Majus monasterium nuncupatur, in qua vivens in corpore lectioni, meditationi, vigiliis, jejuniis, et orationibus, die noctuque Deo incumbebat. In altera, quæ sancti Martini divitis Castri Nivi dicitur: de qua primo Rollonem fugiens sublatus fuerat, in qua etiam ab universis episcopis diœcesis

A suæ, a clero etiam et populo susceptus, in loco, quo [ubi] nunc adoratur, huc usque servatur. Domno igitur, ut diximus, Turonensi Martino, Turonum [Turonim] suam in millibus suis ingrediente (217), tota obviam ruit, et ab Adalaudo [Adalando] archipræsule Turonensi, et fratre ejus Raimone Aurelianensi, et Mainoldo Cenomannensi, et sancto Lupo Andegavensi, et a suffraganeis totius provinciæ episcopis, eis congratulanter, occurritur, et omnis sexus indifferenter desiderato diu Domino suo lætabundus occurrens, lacrymis, quas gaudium extorserat, perfunditur. Ab episcopis siquidem et abbatibus, a clero et virginibus, a populis et baronibus, a pueris etiam et senibus in ecclesiam suam cum cereis et cruci-

B bus, cum hymnis et laudibus gloriosus antistes gloriose deducitur, et in propriæ sedis pristino gradu cum debito honore et summa reverentia collocatur (218). Hæc est igitur gloriosa, solemnis-

habetur. » — *Propriæ parochiæ.* Id est, diœcesis, ut antea : *Postquam igitur diœcesis suæ fines attigerat.* Parochiæ enim interdum pro diœcesibus integris, et vicissim interdum diœceses pro curiis, sive parochiis, quæ multæ in una diœcesi. Capitul. lib. VI : *Unusquisque episcoporum habeat suæ parochiæ potestatem*, id est, diœcesis et totæ jurisdictionis. Et Sidonius epist. 16. lib. IX : *Peragratis forte diœcesibus domum veni*, id est parochiis, uti Jacobus Sirmundus ibi adnotavit.

(216) *Arbores et fruteta tempore brumali.* Chronicon Lemovicense breviter hanc, et antecedentes corporis sancti martini virtutes describit his verbis : « Anno Domini 879, corpus beati Martini propter Normannos Antissiodorum portatum miraculis claret. Sed propter oblationes monachis discordantibus inter Martinum et Germanum leprosus positus ex parte Martini sanatur, et alia nocte conversus perfecte mundatur, non impotente Germano, sed suum hospitalem honorante. Cum autem conversis Nortmannis reportatur Turonis, omnia virent, et contracti duo, qui fugiunt ante ipsum, inviti sanantur. »

C

(217) *Domno igitur Martino Turonum suam ingrediente.* Bene suam, quam et ab ejus præsentia corporis Guillelmus Brito præcipue commendat lib. III Philippidos his verbis :

Inde iter accelerat Turones festinus in urbem
Quam geminum nitida flumen circumfluit unda.
Hinc Liger, hinc Carus : medio sedet inter utrumque
Clara situ, speciosa solo, jucunda fluentis,
Fertilis arboribus, uberrima fruge, superba
Cive potens, clero, populis numerosa, referta
Divitiis, lucis, et vitibus undique lucens.
Quam sacrosancti præsentia corporis ornat
Præsulis eximii Martini, gloria cujus
Onnibus Ecclesiis summum decus accumulavit.

D

Imo bene suam, quæ et ab ejus nomine *Martinopolis* olim vocata est. Bernardus Sylvestris in Megacosmo ad Herricum :

Emicuit Ligeris, ubi Martinopolis inter
Sydereos fluvios Pictaque rura sedet.

Matthæus Vindocinensis præfatione in librum Thobiæ, quem Bartholomæo Turonensi archiepiscopo dedicavit :

Sol, cujus radios urbs Martinopolis orbi
Commodat, et totum partis honorat honor.

Et monachus Majoris Monasterii : « Sublimatur Martinopolis, quæ et Turonis, metropolitanæ dignitatis excellentia. »

(218) *In propriæ sedis pristino gradu collocatur.* Delatum fuerat sancti Martini corpus in abside, quam olim beatus Perpetuus fecerat. Relatum in eadem Turonum ab Ingelgerio, baronibusque pagi Turonici, præsules Adalaudus Turonensis, Raimo Aurelianensis, Lupus Andegavensis, et Mainoldus Cenomanensis, cum cereis et crucibus exceperunt, et infra ambitum altaris cum honore componentes, Ingelgerium ipsum thesaurarium, et defensorem ejus Ecclesiæ constituerunt. Hujus rei notitia debetur Heberno in præfatione libri Miraculorum post corporis illius reversionem sive depositionem factorum quæ sic habet : « Absida siquidem ubi corpus beati Martini continebatur, quam etiam detulerant ab Autissiodoro, fusilis erat, ex auro et argento quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, auctoremque operis beatum Perpetuum, insculptarum g designans suffragio litterarum et versuum, nec erat, rima, foramen, fenestra et ostium in ea. Hanc autem fecerat beatus Perpetuus, quando elevavit corpus ejus a terra, involutum prius in purpura rubea, et diligenter consutum, sicque in hanc absidam posuit. Fecit etiam altare quadratum et concavum ex lapidibus tabulatis quod magna tabula cooperuit, et cum aliis cæmentavit. Fecit etiam intus aliam absidam ex aurichaldo, cupro, et stanno fusilem, habens palmum in spissitudinem cum ostio fusili ; gumphiis, et virtevellis, et quatuor clavibus firmabatur. Fecit denique fredam desuper auro optimo, et lapididibus pretiosis tanto sacerdote condignam. Denique meruit idem consul cum venerabilibus episcopis Adalaudo Turonensi, et sancto Lupo Andegavensi, et Mainoldo Cenomannensi, et Raimone Aurelianensi corpus sæpe nominandi confessoris Martini infra ambitum altaris in altera absida componere, ipsumque ostium cum absida sigillaverunt, ita ut nec pateret aditus et introitus. Cum omni autem consilio dederunt Ingelgerio comiti præbendam beati Martini ipsi, et hæredibus ejus in perpetuum possidendam. Quia vero ecclesia ejusdem sancti tunc temporis carebat thesaurario et edituo, consulem Ingelgerium intronizaverunt, et thesaurarium constituerunt, et defensorem ecclesiæ fecerunt, et tutorem omnium possessionum ejus ubicunque essent, delegaverunt. Qui sedem thesaurarii et domos cum redditibus, quandiu advixit obtinuit. Omnes autem qui cum consule Ingelgerio erant, et ad corpus beati Martini reducendum fuerant evocati, maxime vero barones Turonici pagi, fœdaverunt societatem, et beneficium ecclesiæ largiti sunt. »

que exceptio, qua archipresul Turonensis Martinus A ab exsilio revertens ab alumnis suis officiose adeo excipitur, et in propria, ut dictum est, sede residens, omni petenti se, ut sui moris est, plurimum suffragatur. Hoc exceptionis celebre festum, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octogesimo septimo, a transvectione tricesimo primo Id. Decemb. celebriter agi ab Adalaudo [Adalando] archiepiscopo Turonensi, et a comprovincialibus episcopis celebrata synodalis sancivit auctoritas; quæ quando recolitur a Danis facta destructio, et Martini repatriantis celebris et jucunda a suis memorialis exceptio memoratur. Te igitur [ergo], o bone Martine, pie pater, pastor et patrone noster, nobis [obsecro] filiis et alumnis, necnon et veneratoribus tuis, more tuo bona confer, noxia submove, et orationum jugi instantia gaudia nobis vitæ interminabilis obtine. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

---

# II

# SERMO IN NATALI SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS.

(Bibliotheca Cluniacensis, pag. 1761, ex vet. ms. Martiniano).

---

Ad sancti ac beatissimi Odonis patris nostri, B cujus hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid, decerpsisse est. Cum siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda sit, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura: *Gloria Patris est Filius sapiens*, quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium nos genuit. Quidquid agitur in hac sancta plebe potest esse vitutis et gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo, omnium rivulorum puritas emanavit. Etenim, quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium civium in Deum provocavit affectum. Bene et congrue in hac die quam nobis beati patris nostri C Odonis ad paradisum transitus exsultabilem reddit præsentis psalmi versiculum decantavimus: *In memoria æterna erit justus*. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit angelorum. Qui jam gratiam Christi clarificatus invenit, qui mundi gloriam non quæsivit.

Dicit sermo divinus: *Ne laudaveris hominem in vita sua*. Tanquam si diceret: Lauda post vitam, magnifica post consummationem. Duplici enim ex causa, utilius est hominum magis memoriæ laudem dare quam vitæ, ut illo potissimum tempore, merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio noceat, nec laudatum tentet elatio. Lauda ergo post periculum, prædica securum. Lauda non navigantis felicitatem; sed cum pervenerit ad D portum. Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem vivens tuto possit, ac sine trepidatione laudari, qui et de præterito meminit se habere quod debeat, et de futuro videt sibi superesse quod timeat? Quis vero hominum in hoc corpusculo positus, debeat sibi quidquam vendicare de meritis, quorum iter dæmonum infestatio velut latronum obsidet multitudo, quibus omnes dies supplantatores invisi animarum laqueos tendunt innumerabilium mortium expavescendos? Navigantibus enim nobis per *hoc mare magnum et spatiosum*, in quo sunt *reptilia quorum non est, numerus, animalia pusilla et magna*, id est, diversa sunt genera inimicorum, qui secundum nostrarum virium quantitatem, compensato nobiscum agone luctantur.

In hujus itaque mundi pelago, nobis valde pertimescendum est, ne navim nostram aut procella tempestatis abripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat. Adversus hæc ergo multiformia seculi mala, castigatis et castis actibus resistamus. Beati autem Patris Odonis merita jam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statione composuit, et plenam cœlestibus divitiis, et æternis mercibus navim optato in littore collocavit, qui contra omnes adversarios scutum timoris Dei tandiu infatigabiliter, tenuit, donec ad victoriam perveniret.

Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unus cum vigili hoste conflictus? Quantis hic cæcis, a via veritatis errantibus, et de summa jam in profundum rupe pendentibus, amissum reddidit visum, et illum quo Christus videretur, reparavit intuitum? Quantorum auribus, sordis et infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cælestium mandatorum, pretiosum infudit auditum, ut vocanti Deo ad misericordiam, responderent per

obedientiam? Quantos intrinsecus vulneratos angelici oris arte, et orationum firmitate curavit? Quantos per longam incuriam, peccati labe resolutos, et quadam lepræ contagione perfusos, castigationibus et exhortationibus expiando, Deo in se operante, mundavit? Quantorum animas viventes in corpore, jam defunctas, et delictorum mole obrutas ac sepultas, ad emendationem tanquam ad lucem vocando, Deo resuscitavit, ut Domini sui admirandus imitator, jam mortuas Deo e contrario mortificaret vitali morte peccato? De quantorum ille cordibus, quos inhonesta iniquitas et impietas possidebat, fugavit luxuriam, dejecit iram, extersit invidiam, et velut de antiqua domo barbaris hospitibus perturbatis, revocando illuc fidem, castitatem, justitiam, misericordiam, habitatores pacificos intromisit, per eos in domicilium mentis caput horum bonorum Christus intraret, et appositis pœnitentiæ medicamentis, velut quatriduanum fetentem, increpationum fremitu suscitabat, et emendatione suscepta, de mediis mortis faucibus erutos, temporiva resurrectione vitæ restituebat?

Hæc itaque atque hujusmodi plurima gerens, quæ etiam ipsi plenius meministis, quæ quoniam proferre per nos atque expedire, ut dignum est, non potest sermo pauperculus, melius vobis ea vester dictet affectus. Summæ alacritatis instantia fuit cultor et custos animarum, cupiditatés resecans, iram comprimens, malitiam extirpans. His magis beatissimus Odo temporibus necessarius fuit, quibus tanta iniquitas, sumptis quotidie, de- A ficiente justitia, viribus convalescit. Et quidem ille in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa æterna patria conversatus est; cui mundus crucifixus fuit, ac mortuus; quidquid laboravit de activa, ad illam vitam transtulit, et quasi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens, semper de sinistra transmisit ad dexteram, et in cœlo reposuit sudores suos. Nam et si hoc opera ejus videntur, illuc operum merita transierunt. Illius ergo in quantum possumus, vestigiis insistamus, quibus per illam nimis arctam viam ad cœli ampla festinans, qua eum sequeremur, ostendit. Rapiat sibi de eo alter gratiam et speciem compunctionis, alter pigmentum candidissimum nitidæ castitatis, B pallorem ille abstinentiæ, ruborem iste verecundiæ. Ille ardentem in Dei rebus fidem velut aerium splendorem radiantem, atque hoc modo spiritualia interioris hominis membra componens, in corpus plebis suæ transeat ad cœlum. Et ad unam illius faciem omnem exornemus domum, id est, universam pingamus Ecclesiam Dei. Et videns nos, vel de æterni tremere judicii, vel futura beatitudine cogitantes, illa evangelica Christi vox nos possit assumere, Pater, rogo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, et nos quandoque ex hoc sæculo migraturos, patronus noster Odo in sedem suam et sinum suum velut Abraham peculiares accipiat, et in illa die incolumes oves suas, lætus pastor agnoscat. Ipso adjuvante qui vivit et regnat C in sæcula sæculorum. Amen.

# III

# LUDOVICI IV R. F. ET CONRADI IMP.

## PRÆCEPTA DUO

*De quibusdam ecclesiis et locis Cluniacensi cœnobio concessis tempore sancti Odonis Cluniacensis abbatis II.*

(Bibliotheca Cluniacensis, pag. 265).

### I.

*Præceptum Ludovici Francorum regis de Salustriaco, Chaviniis, piscatura Osœ, Camberiaco. Savigniaco et Amberta.*

(Anno 939).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ludovicus pacificus, Augustus et invictus gratia Dei rex. Sicut certum est, quia Deus potentes non adjicit, sine quo potestas non est; ita quoque liquet, quod potentum opera interrogabit, et ob hoc nobis summopere curandum est, ut cum vel prodesse, vel obesse, ipso disponente, possumus, nostrum posse D sub ejus nutu penitus subigentes, quod honori sanctæ ejus Ecclesiæ proficiat certatim faciamus. Quapropter cunctis tam regibus, quam reliquarum dignitatum personis præsentibus vel futuris notum sit, quod petiit a nobis quidam fidelis noster Hugo filius Richardi vir illustrissimus, et marchio, quatenus quoddam monasterium nomine Cluniacum, quod a Willermo viro magnifico in honore primorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, per manus Bernonis cujusdam reverendi abbatis constructum est, per hoc nostræ auctoritatis præceptam, sicut ab antecessoribus auctum est, et per privilegia apostolica

ab omni inquietudine vel dominatu omnium hominum absolvamus, sit vero ipse locus, juxta quod ipse Willermus sub terribili et magna adjuratione constituit, ad apostolicæ sedi per testamentum. ad tuendum. non ad dominandum subjugavit, ab omni sæculari dominatu tam regum, quam cunctorum principum, seu propinquorum ejusdem Willermi, quin et omnium hominum penitus liber et absolutus. In ordine vero monastico persistat, et secundum tenorem testamenti, quod inde fecit, administret; habitatores autem in ordine regulari degentes; abbatem sibi secundum regulam sancti Benedicti de semetipsis post Odonem, qui nunc præest, eligant. Res quoque suas communes, quas vel nunc habent, aut in futuro acquisituri; sive nostra scilicet libertate [*forte*, liberalitate], sive quorumlibet largitione, sunt sine cujuslibet dominatione, aut contradictione possideant. In nundinis nullum teloneum solvant. Homines eorum liberos ac servos nemo sine ipsorum voluntate distringat, Decimas suas indominicatas ad hospitale habeant. Ecclesias vero suas, cum omnibus suis decimis, sicut per privilegium Romanum, et per scripta episcoporum acquisierunt, teneant et pessideant. Cortes vero quas per præcepta antecessorum nostrorum, sive aliorum regum acquisierunt, inconvulsas teneant ac possideant. Nominantur autem ipsæ cortes in Matisconensi pago Salustriacus et Chavinias, et tertia pars piscinæ, cui vocabulum est Osa, cum mansis et piscatoribus ad ipsam partem pertinentibus. Et in Lugdunensi pago Camberiacus et Savigniacus, ex parte Hugonis ac Lotharii regum. Item in eodem pago Amberta, quam Bernardus a Ludovico imperatore, per præceptum acquisivit. Prædia nihilominus seu possessiones, atque aloda quæ prædicto monasterio a diversis personis, Christique fidelibus, suis temporibus condonata sunt, in quibuscunque pagis vel vicariis constiterint, cum omnibus suis appendiciis jure suo perpetualiter vindicent. De silvis, ubi partem habent, et terris, nullus, nisi per ipsorum voluntatem terraticum accipiat. Secundum sane excommunicationes apostolicorum, quæ privilegiis insertæ sunt, et secundum contestationem quam præfatus Willermus imprecatus est. Nos quoquo in Christi nomine præcipimus et contestamur, ut nunquam alicui mortalium, regi videlicet, episcopo, vel comiti quolibet pacto subjiciatur, sed juxta traditionem, quam nostris diebus tenere videntur, eis vivere liceat. Quod si exorbitaverint, judicio Dei, sive regulæ correptioni reserventur, et donatio Deo et sanctis ejus facta nullatenus rescindatur. Quod verius ut credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, de annulo nostro subter adnotari jussimus.

Signum Domni Ludovici gloriosissimi regis.

Gerardus notarius ad vicem Artaldi episcopi recognovit.

Actum in Querceco juxta Doniacum villam super fluvium Carum, XII Kal. Jul. indict. 12, anno 4, regnante Ludovico rege, in Dei nomine feliciter Amen.

II.

*Præceptum Chounradi regis, de Tusiaco in pago Lugdunensi.*

(Anno 943.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chounradus nutu omnipotentis Dei serenissimus rex. Convenit unumquemque nostrum Ecclesiæ Dei pro se, suisque omnibus Deo fideles sublimare ac subvenire, quatenus noverit omnium fidelium nostrorum memoria præsentium ac futurorum. Qualiter Hugo comes consanguineus noster adiit regiam magnitudinem nostram, ut hoc quod nobis reddit, videlicet Thosiacum villam in pago Lugdunensi, et quidquid ad hanc legitime pertinere videtur, terras, vineas, prata, silvas, aquas, aquarumque decursus, piscatorias, omnes servos utriusque sexus, pro nostro seniore bonæ memoriæ Rodulfo rege, et remedio animæ nostræ ad monasterium Cluniacum, quod est constructum in honore beatorum Petri et Pauli apostolorum, præceptum secundum morem regium concederemus; quod et fecimus. Volumus namque, ac firmiter decernimus, ut super insertus locus omnem obtineat vigorem, et quidquid hic aspexerit ad super memoratam villam, cum omnibus suis adjacentiis, et appendiciis quæsitum, et acquirendum, totum et ad integrum, sine ullo obsistente et contradicente. Ut autem hoc nostrum præceptum ab omnibus observetur, et a nemine unquam violetur, manu propria firmavimus, et de sigillo nostro confirmare jussimus.

Signum Domni Chounradi piissimi regis.

Data VIIII Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 943, anno . . . . . . regnante domno Chounrado rege filio Rodulfi feliciter. Amen.

# IV.

## DONATIO LEOTALDI

### COMITIS MATISCONENSIS

*Monasterio Cluniacensi facta.*

(Bibliotheca Sabusiana, p. 168, ex chartulario ecclesiæ Cluniacensis.)

Sacrosanctæ ecclesiæ in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli fundatæ, in pago Matisconensi in villa Cluniaco, quam dominus Odo abbas ad regendum habere videtur. Ego Leotaldus, Dei gratia

comes Matisconensis, nec non et uxor mea Ermengardis, pro Dei amore et æterna retributione, ut pius Deus animas nostras et parentum nostrorum Alberici atque Tholosanæ, Manassei et Ermengardis, nec non Geraldi amici nostri, seu omnium fidelium Christianorum tam vivorum quam et defunctorum liberare dignetur de pœnis inferni. Pro ipso amore cedimus atque donamus ad ipsam casam Dei aliquid ex rebus nostris in pago Lugdunensi in villa Dardanico super fluvium Sillia (218*), quæsitum est inquirendum, cum omnibus appenditiis et servientibus supermanentibus, quidquid ibi visi sumus habere totum ad integrum ad ipsam A Dei casam ad stipendium fratrum ibidem Deo jugiter servientium. Si quis vero donationem istam contradixerit, iram Dei incurrat, et auri libras quatuor componat, et donatio ista firma permaneat stipulatione subnixa S. Leotaldi, S. Ermengardis, qui donationem istam fieri et rogaverunt firmare; S. Gaufredi comitis, S. Nardoyni, S. Leodegarii, S. Racherii, S. Geraldi, S. Gothofredi, S. Gosberti, S. Iwicheranni, S. Mayoli, S. Odeylardi, S. Alberici, S. Ardradi, S. Wichardi, S. Adalgarii, S. Bononis. Data per manum Berardi die Mercurio II Kal. April. Anno 12 regnante Rodulpho rege.

(218)* Sillia (vulgo *la Seille*), fluvius est qui in Ararim influit, non longe a Ratenella vico.

---

## V.

# TESTAMENTUM WILLELMI

## Cognomento Pii.

## *Arvernorum comitis et ducis Aquitanorum*

## DE CONSTRUCTIONE CLUNIACENSIS LOCI (219).

(Anno 910.)

(Bibliotheca Cluniacensis, pag. 1.)

Cunctis sane considerantibus liquet, quod ita Dei B dispensatio quibusque ditibus consulit, ut ex rebus quæ transitorie possidentur, si eis bene utantur semper mansura valeant præmia promereri. Quod

(219) *Testamentum Willelmi de constr. Clun. loci.* Willelmum hunc, seu Guillelmum Arvernorum comitem, et Aquitanorum ducem, plerique moderni non fundatorem, sed restauratorem tantum cœnobii Cluniacensis affirmant: maxime Bugnonius, Guillelmus Paradinus, lib. I, Annal. Burgundiæ, Petrus Sanjulianus Baluræus, lib. II et III Antiquit. Matisconensium, et Jacobus Severtius in parte II, de Matiscon, episcopis. Hi omnes Warinum, seu Guarinum comitem Matisconensem et Cabilonensem, primum tam celebre monasterium exstruxisse, ac Hildebaldum Matisconensem episcopum in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecravisse dicunt: idque sub anum 12 vel 13 Ludovici Pii, Caroli Magni filii. Sed cum Bugnonius antiquo diplomati, ex quo fundationem hunc probare contendit, annum etiam Christi 828 C addit, rem suspectam facit, ut inquit Nicolaus Vignerius in Chronico rerum Burgundionum, ac magis quæ de ipso Warino scribit, cum ipsum Matisconæ comitem institutum solummodo post imperatoris Ludovici restitutionem affirmat. Credibilius foret testimonium quod Severtius profert e gazophylacio ipsius abbatiæ Cluniacensis, his verbis conceptum, « monasterii Cluniacensis primus fundator Guarinus, alias Gerimus comes Cabilonensis et Matisconensis, regnante Ludovico Pio Caroli Magni filio, circiter annum 820, quod postea ab Hungaris devastatum, a Guillelmo Aquitaniæ duce restauratum fuit. » Credibilius, inquam, foret, si non innumeræ diplomatum, chartarum, ac etiam librorum ejusdem cœnobii auctoritates, huic uni auctoris incerti testimonio præponderarent. Agapitus enim II papa, Ludovicus Ultramarinus, rex Francorum, et alii plurimi Guillelmum Arverniæ comitem, ac ducem Aquitanorum prima hujus religiosi totoque orbe famosi monasterii fundamenta jecisse passim in suis bullis ac præceptis asserunt. Sanctus Odilo abbas Cluniacensis V, in Vita sancti Majoli prædecessoris sui, Glader Rodulphus et ipse monachus Clun. lib. III Historiæ Francorum, cap. 5; itemque scriptor Chronici Cluniacensis qui sancto Hugone abbate VI vixit, idem constanter affirmant. Chronici verba sic habent: « Anno Incarnationis Dominicæ 910, Willelmus dux Aquitanorum venerando Petro Pauloque venerandum Cluniaco construxit monasterium. » Sed et auctores alii multi, ac vetustissimi cum Cluniacensibus momimentis consentiunt, illamque primam Guillelmi Pii fundationem unanimiter agnoscunt. Scriptor Vitæ sancti Hugonis abbatis sancti Martini Eduensis fragmentum vetus historiæ Francorum, Ademarus sancti Martialis Lemovicensis monachus in historia Aquitaniæ, Chronicon sancti Petri Vivi Senonensis, Martinus Polonus, qui tamen male Guillelmum hunc principem Burgundiæ vocat, Ordericus Vitalis monachus Uticensis, Lexoviensis diœceseos, et auctor anonymus historiæ Francorum, qui Philippi Ludovici Pii filii tempore scripsit: quanquam hi duo postremi Girardum etiam male pro Guillelmo habent. Illorum omnium testimonia protulimus in bibliotheca ipsa Cluniacensi, paginis 5, 7 et 8. Addamus nunc et alia duo perantiquorum æque scriptorum. Anonymus enim, sed eruditus auctor libri II Vitæ sancti Genulfi: « His temporibus, inquit, Willelmus comes Arvernorum erat dux Aquitanorum, qui Cluniacense fundavit cœnobium. » Et Ademarus quidam filius Raimundi in chronologia abbatum sancti Martialis Lemovicensis. » Hujus abbatis, Fulberti scilicet VI, anno decimo nono obiit Guillelmus dux, comes Arvenis, qui Cluniacum cœnobium ædificavit. »

videlicet divinus sermo possibile ostendens, atque ad hoc omnino suadens, dicit : *Divitiæ viri redemptio animæ ejus* (*Prov.* XIII). Quod ego Willelmus dono Dei comes et dux sollicite perpendens, ac propriæ saluti, dum licitum est, providere cupiens, ratum, imo pernecessarium duxi, ut ex rebus quæ mihi temporaliter collatæ sunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar. Quippe quia in his videor excrevisse, ne fortassis totum ad curam corporis redarguar in supremo expendisse, quin potius cum suprema sors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reservasse. Quæ scilicet causa nulla specie vel modo congruentius posse fieri videtur, nisi ut juxta Domini præceptum : *Amicos mihi faciam* (*Luc.* XVI, 9) pauperes ejus, utque hujusmodi actio, non ad tempus, sed continue peragatur, monastica professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem. Ea siquidem fide, ea spe, ut quamvis ipse cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, susceperint : *Justorum mercedem accipiam* (*Matth.* X, 41).

Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Christique misericordiam postulantibus qui sibi successuri sunt, et usque ad sæculi consummationem victuri, notum sit, quod ob amorem Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, res juris mei sanctis apostolis Petro videlicet et Paulo de propria trado dominatione [donatione] Cluniacum scilicet [Cluniacum scilicet villam] quæ sita est (220) super fluvium qui Grauna [Granna] (221) vocatur, cum cortile et manso indominicato, et capella quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Petri apostolorum (222) principis, cum omnibus rebus ad ipsam villam pertinentibus : villis siquidem, capellis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, farinariis extitibus et regressibus ; cultum et incultum cum omni integritate. Quæ etiam res sunt sitæ in comitatu Matisconensi vel circa, suis unaquaque terminis conclusæ (223). Dono autem hæc omnia jam dictis apostolis ego Willelmus et uxor mea Ingeldberga, primum pro amore Dei, deinde pro anima senioris mei Odonis regis (224), pro

Recentiorum vero, qui fundationis ejusdem per Guillelmum ducem factæ meminerint, non parvus etiam reperitur numerus. Platina siquidem in Vita Adriani III, papæ, Chronicum Chronicorum, Jacobus Bergomensis in supplemento, Robertus Gaguinus lib. VI Histor. Francorum, Joannes Bouchetus in annalibus Aquitaniæ Nicolaus Vignerius in Chronico rerum Burgundionum ad annum 910, et Genebrardus libro quarto Chronologiæ, verbis in illam expressissimis consentiunt.

(220) *Cluniacum scilicet quæ sita est.* Situm et etymologiam Cluniaci sic describit Glaber Rodulfus libro tertio Historiæ Francorum, capite quinto, de ordine sancti Benedicti agens : « Ad ultimum quoque, inquit, prædicta videlicet institutio jam pene defessa, auctore Deo, elegit sibi sapientiæ sedem, vires collectura, ac fructificatura germine multiplici in monasterio scilicet cognomento Cluniaco, quod etiam ex situ ejusdem loci acclivo, atque humili tale sortitum est nomen : vel etiam, quod aptius illi congruit, a cluendo dictum, quoniam cluere, crescere dicimus. Insigne quippe incrementum diversorum donorum a sui principio in dies locus idem obtinuit. » Sed et aliam hujus nominis originem affert Petrus Damianus libro sexto epistolarum, epistola ad Ugonem abbatem et monachos Cluniacensis mononasterii his verbis : « Unde cum te, felix Cluniace, considero, hoc tibi nomen impositum non sine [illegible] dispositione perpendo. Hoc quippe vocabulum ex clunibus et acu componitur, per quod videlicet arantium boum exercitium designatur. Bos enim in clunibus aculeo pungitur, ut aratrum trahat, et arva proscindat. Illic enim humani cordis ager excolitur, unde seges illa colligitur, quæ promptuarii cœlestis ædibus infercitur. » Et post pauca : « Convenienter itaque Cluniacum agrum dixerim, in quo videlicet Dominici boves infatigabiliter arant, dum eos divini terroris aculeus stimulat : et velut acu clunium pars postrema transpungitur, cum ultimi terrore judicii mens humana terretur. »

(221) *Super fluvium, qui Grauna vocatur.* Alius cod., *Grannam*, Glaber Rodulfus *Graonam* vocat.

(222) *Et capella, quæ est in honore sanctæ Mariæ et sancti Petri.* Hæc forte capella, quam Warinus comes ædificavit, et Hildebaldus episcopus consecravit non in honore sanctorum Petri et Pauli apostolorum sicut Paradinus et Sanjulianus asserunt verum ut habent ipsa Willelmi ducis verba « in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Petri apostolorum principis. » Nec dubito quin inde manaverit error illorum, qui monasterium ipsum Cluniacense constructum a Warino rati sunt. Erat autem et alia jam tempore ipsius Warini comitis ecclesia condita Cluniaci, sicut memorat diploma Ludovici Pii sanctoque Romano dicata a Flodomeo quodam, quem Sigismundi et Gothomari filiorum Gundebaldi Burgundionum regis tutelam ab initio gessisse Begatius in suis Commentariis auctor est.

(223) *Suis unaquaque terminis conclusæ.* De terminis sacri banni Clunianensis cœnobii agunt Petrus Albanensis episcopus, Urbanus II papa, Calixtus item II papa, et alii Romani pontifices passim in diplomatibus suis.

(224) *Pro anima senioris mei Odonis regis.* Hic Odo filius fuit Roberti Andegavensis comitis « quem Franci (sicut habet fragmentum vetus Histor. Franc.), licet reluctantem, tutorem pueri, Caroli scilicet Ludovici Balbi filii, regnique elegere gubernatorem : qui mente benignus, et reipublicæ hostes opprimendo strenue præfuit, et parvulum optime nutrivit, atque adolescenti et sua repetenti patienter regna refudit. » Erat tunc comes Parisiensis, Aquitaniæque dux, sicut Abbo Floriacensis lib. I [illegible] *Franci conjurantes contra Carolum eum a regno expulerunt, et Odonem hunc pro eo regnare constituerunt* ; ut inquit auctor libris II Vitæ sancti Genulfi, c. 17. Quod quidem magnarum inter eum et Carolum discordiarum initium et causam fuisse patet ex Flodoardo lib IV Histor. Eccl. Rem capp. 2, 3 et seqq., licet Odo ipse nec integris etiam in regno duobus substitit annis. Hunc igitur Guillelmus, tanquam Arvernorum, comes Aquitaniæ ducem, non tanquam Aquitanorum dux Francorum regem, seniorem suum, id est dominum appellat. Nec enim Guillelmus fuit Aquitaniæ dux, nisi post Odonis obitum, sicut nos docet Abbo lib. II, Seniorem vero pro domino solitum usurpari notissimum est ex veteribus monimentis. Chartularium Majoris Monasterii, quod est rerum Vindocinensium, charta 129 : Quorum tamen omnium largitionem est convenientia, ut suum seniorem, a quo ista in beneficium tenet, annuere faciat. » Usurpatur et pro principe largo modo. Sic enim in

genitoris ac genitricis meæ (225), pro me et uxore mea, salute scilicet animarum nostrarum et corporum: pro Avanæ nihilominus, quæ mihi easdem res testamentario jure concessit (226), pro animabus quoque fratrum ac sororum nostrorum, nepotumque atque omnium utriusque sexus propin- A quorum, pro fidelibus nostris qui nostro servitio adhærent; pro statu etiam ac integritate catholicæ religionis. Postremo vero sicut omnes Christiani unius compage charitatis ac fidei tenemur, ita pro cunctis præteritorum scilicet, præsentium sive futurorum temporum orthodoxis, hæc donatio fiat.

testamento Bernonis infra: « Obsecro vos, o principes et seniores, quicunque terenarum rerum judices estis. Franci vulgo *seigneur*, et *seigneur de fief* dicunt.

(225) *Pro genitoris ac genitridis meæ.* Genitor hic Guillelmi fuit Bernardus, ut notat sanctus Odo lib. I Vitæ sancti Geraldi cap. 32, et post eum Guido Coquille in Historia Nivernensi, qui et ipsum comitem et marchionem Nivernensem exstitisse affirmat. Genitricem autem ejusdem Ermengardim appellat idem sanctus Odo loco citato cap. 34.

(226) *Pro Avanæ nihilominus, quæ mihi easdem res testamentario jure concessit.* Avanam Warini comitis Maticonensis et Cabilonensis uxorem intelligit, quam Ludovicus Pius in diplomate Albanam et Albam, Sigebertus et auctor Fasciculi temporum Avam, Bernardus Guidonis et Chronici Lemovicensis scriptor Annam, Petrus Saujulianus Evam, Nicolaus Gillius Inam, Ludovicus Golutus lib. IV Commentariorum republicæ Sequanicæ Yvam, ac tandem Joannes Trithemius in Chronicis Hirsaugiensis monasterii Aviam male pro Ava nuncupat. Ut autem qualiter hæc Cluniacum villam, et res ad eam pertinentes, Willelmo comiti testamentario jure concedere potuerit, intelligatur, notandum est ex Bugnonio, Leduardum XIII. Masticonensem episcopum, habuisse a Carolo Magno Cluniacum hanc, seu agrum in quo postea condita est ea villa, velut in augmentum dotis ecclesiæ cathedralis sancti Vincentii. Leduardi successores retinuerunt usque ad Hildebaldum XVIII, ejusdem sedis pontificem. Qui quidem Hildebaldus villam illam cum Warino Masticonensi comite, et Avana conjuge sua, pro quibusdam rebus aliis in pagis Nivernensi et Arvernico sitis permutavit, ut ex diplomate Ludovici Pii imperatoris, qui et permutationem ipsam auctoritate sua confirmavit anno imperii sui 12, dici potest. Verum quia diploma hoc non aliud esse videtur ab illo, cujus testimonio Burgonius astruere conatur Warinum comitem, primum monasterii Cluniacensis fundatorem exstitisse, proferam integrum ex Chartulario Cluniacensi, bibliothecæ clarissimi præsidis Jacobi Augusti Thuani. In illo enim ne verbum quidem ullum de cœnobio. Tantum abest ut fundationis aut constructionis ejus meminerit. Est autem hujusmodi:

*Donatio Ildeberti* [*Hildebaldi*], *episcopi Malisconensis a Varino et Ava* [*Alba*, et *Albana* infra] *uxore sua, de villa Cluniaco.*

« In nomine sancti Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia imperator Augustus. Si enim ea, quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostri confirmantes edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissum mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis Hilduinus abbas, et sacri palatii summus capellanus, innotuit serenitati nostræ, eo quod Hildebaldus Matescensis Ecclesiæ episcopus, et vir illuster Warinus comes de quibusdam rebus pro communi utilitate et compendio nuperrime inter se commutationem fecisssent. Dedit interea prædictus Hildebaldus episcopus ex ratione episcopatus sui eidem Warino comiti, et uxori suæ Albanæ [*al.* Avæ], ad eorum proprium perpetualiter ad habendum in eodem pago Matescense villam, cujus vocabulum est Cluniacus, cum ecclesia in eadem villa, et cum casis, domibus, ædificiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, exitibus et regressibus cum mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia, et ex omnibus eorum, et ad integrum quidquid ad ipsam villam aspicere videtur: nec non in pago Nivernense villam, cujus vocabulum es Aptannacus, cum ecclesia ibidem constructa, cum mansis, domibus, ædificiis, vineis, campis, B pratis, pascuis, aquis, aquarumve de cursibus, silvis, exitibus et regressibus et cum mancipiis ibidem commanentibus, vel cum omni agnatione eorum, omnia, et ex omnibus quantumcunque ad ipsam villam aspicere videtur. Et contra in compensatione hujus rei dedit memoratus Warinus comes, et uxor sua Alba [*sup.* Albana] de rebus proprietatis eorum, eidem Hildebaldo episcopo ad partem ecclesiæ suæ in eodem pago Matescensi villam cui vocabulum est Genuliacus, cum ecclesia ibidem constructa, cum mansis, domibus, casis, ædificiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, fariniis, exitibus et regressibus et cum mancipiis ibidem commanentibus, cum agnatione eorum, omnia, et ex omnibus, quantum ad ipsam villam aspicere videtur, et eorum possessio esse dignoscitur. Et in pago Nivernensi villam, cujus vocabulum est Calda Aqua, cum casis, domibus, ædificiis, man- C sis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus et regresssibus et cum mancipiis ibidem commanentibus cum omni agnatione eorum, omnia, et ex omnibus quantumcunque ibidem eorum proprium esse videtur. Nec non et in ducatu Alvernico, in pago Donobrense [Donobrensi], villam cujus vocabulum est Lituinias, cum casis, domibus, ædificiis, mansis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, et cum mancipiis ibidem commorantibus, cum agnatione eorum, omnia, et ex omnibus, quantucummque eorum proprium esse dignoscitur. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas, præ manibus habere professus est, sed pro integra firmitate petiit celsitudini nostræ ut ipsas commutationes denuo per nostrum mansuetudinis præceptum plenius in Dei nomine confirmare deberemus: quorum petitioni denegare noluimus, D sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illis concessisse, atque in omnibus confirmassse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo, teneat, atque possideat, vel quidquid exinde facere, vel judicare voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subtus jussimus sigillari. »

« Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovit.

« Data III Nonas Junias, anno 12, Christo propitio, imperii domini Ludovici piissimi Augusti, Indict. tertia.

« Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen. »

Mortuo igitur Warino comite Masticonensi, Avana et ipsa conjux ejus moriens, quidquid juris habebat in Cluniaco, Willelmo Aquitanorum duci reliquit.

Eo siquidem dono tenore, ut in Cluniaco in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium regulare construatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant, teneant, habeant atque ordinent. Ita duntaxat, ut ubi venerabile orationis domicilium, votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conversioque [conversatioque] cœlestis omni desiderio et ardore intimo perquiratur et expetatur. Sedulæ quoque orationes, postulationes atque obsecrationes Domino diriguntur, tam pro me, quam pro omnibus, sicut eorum memoria superius digesta est. Præcipimus siquidem ut maxime illis sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de sæculo egressi, nihil secum præter bonam voluntatem attulerint, ut nostrum supplementum fiat abundantia illorum. Sint ipsi A monachi cum omnibus (227) præscriptis rebus sub potestate et dominatione Bernonis abbatis (228) qui quandiu viverit secundum suum scire et posse eis regulariter præsideat. Post discessum vero ejus habeant iidem monachi potestatem et licentiam quemcunque sui ordinis, secundum placitum Dei atque regulam sancti Benedicti promultam [promulgatam], eligere maluerint abbatem (229), atque rectorem, ita ut nec nostra nec alicujus potestatis contradictione contra religiosam duntaxat electionem impediantur. Per quinquennium autem Romæ ad limina apostolorum ad luminaria ipsorum concinnanda [continuanda], decem solidos (230) præfati monachi persolvant, habeantque tuitionem ipsorum apostolorum, atque Romanum pontificem defensorem (231), et ipsi monachi corde et animo pleno B prælibatum locum pro posse et nosse suo ædificent.

(227) *Sint ipsi monachi cum omnibus.* Primorum Cluniacensis cœnobii monachorum numerum perexiguum fuisse testatur imprimis auctor Vitæ sancti Hugonis abbatis sancti Martini Eduensis. *Perparva*, inquit, de monasterio hoc loquens, *primitus fratrum conciola est in eodem constituta loco.* Et Glaber Rodulfus duodecim tantum ab initio convenisse, sed ingentem copiosamque segetem ex illo paucissimo semine procedentem innumerabiliter excrevisse memorat. Ejus verba sic habent lib. III Hist. Francor. cap. 5 : « Quod etiam cœnobium in primo, non amplius quam quindecim terræ colonias dicitur in dotem accepisse, fratres tamen duodecim numero inibi memorantur convenisse. Ex quorum veluti optimo semine multiplicata stirpe Domini exercituum innumerabilis magnam orbis plagam cognoscitur replesse. » Multiplicata, inquam, est adeo stirps hæc Domini, ut Petrus etiam Venerabilis abbas Cluniacensis IX, tempore suæ assumptionis in abbatem, plus quam trecentos in hoc monasterio religiosos exstitisse testetur in libro quodam Statutorum, quem edidit, hoc modo : « Notum facio igitur ego frater Petrus humilis Cluniacensis abbas, omnibus istud legentibus, quod quando ad hoc officium ante octo et viginti annos assumptus sum, magnam quidem ecclesiam, religiosam, et famosam inveni, sed pauperrimam, magnarum expensarum, et comparatis redditibus cum expensis, nullorum pene redituum. Trecenti erant, vel eo amplius fratres, nec centum de propriis sumptibus domus illa procurare valebat. » Multitudo magna, et quæ fere ad annum usque 1346, sine diminutione, nisi fortasse parva, duravit. In catalogo enim abbatiarum et prioratuum ab hoc inclyto cœnobio dependentium, reperitur, quod, « ante magnam mortalitatem, quæ incœpit anno Domini 1346, et duravit per tres annos, erant ibi communiter ducenti sexaginta religiosi. » Ab hoc retro tempore non fuit certus monachorum Clun. numerus, sed positi sunt ibi secundum facultates.

(228) *Sub potestate et dominatione Bernonis abbatis.* Sic auctor Chronici Cluniacensis, qui sancto Hugone Cluniacensi abbate vivit : « Willelmus, inquit, dux Aquitanorum Cluniaco sanctissimum Bernonem ordinavit abbatem. » Unde patet illos omnes male scripsisse, qui sanctum Odonem primum Cluniacensem abbatem numerarunt. Hujus autem Bernonis meminere præter Joannem monachum in Vita sancti Odonis, sanctum Odilonem in Vita sancti Maioli, et Glabrum Rodulphum loco jam allegato, scriptor Vitæ sancti Hugonis abbatis Eduensis, Ludovicus Ultramarinus in præcepto quodam, Sigebertus Gemblacensis ad annum 895. Vincentius Belvacensis lib. XXVI Speculi historialis cap. 53, Chronicon sancti Petri Vivi Senonensis ad annum 908. Fasciculus temporum, qui perverse ducem hunc Aquitaniæ nuncupat, Bernardus Guidonis ad annum 899, auctor anonymus Historiæ Francorum tempore Philippi regis Ludovici Pii filii, Chronicon Lemovicense, Platina, Chronicum Chronicorum, Volaterranus in Anthropologia, lib. XXI, Antonius Floreminus archiepiscopus in Chronicis, Jacobus Bergomensis, Joannes Trithemius lib. II, de Viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap 9, lib. III, cap. 213, et in Chronicis monasterii Hirsaugiensis ad annum 892, Petrus de Natalib. lib. XI Catal. sanctorum, cap. 64, Nicolaus Gillius in Annalib. Franciæ, Joannes Bouchetus in Annalib. Aquitaniæ. Guillelmus Paradinus lib. I Annalium Burgundiæ, Nicolaus Vignerius in Chronico rerum Burgundionum, Genebrardus lib. IV Chronologiæ, Arnoldus Wion in ligno Vitæ, Martyrologium monasti- C cum Benedictinum, Petrus Sanjulianus in Antiq. Cabilon. ac demum Ludovicus Gollutus lib. II, IV, et aliis Commentariorum reipublicæ Sequanicæ. Ex quibus Gollutus alicubi Wernerium, Bouchetus et Guillelmus Paradinus lib. de antiquo Statu Burgundiæ Brunonem : reliqui Bernonem appellant. Et quidem ipsum ex antiquis Burgundiæ comitibus fuisse testes sunt aliqui. Sed quinam ejus parentes exstiterint non usque adeo certum est. Unus Guil Paradinus patrem ejus Chilpericum nescio quem, Gollutus matrem Yvam comitissam, quæ et eadem procul dubio cum Ava et Avana, de qua supra, nominant. Nos nihil pronuntiamus.

(229) *Habeant monachi potestatem eligere abbatem.* Sic Ludovicus Ultramarinus Fr. rex in præcepto suo de Salustriaco : « Habitatores autem in ordine regulari degentes, abbatem sibi secundum regulam sancti Benedicti de semetipsis post Odo- D nem, qui nunc præest, eligant. »

(230) *Per quinquennium autem Romæ decem solidos.* Agapitus papa : « Sane ad recognoscendum, quod prædictum cœnobium sanctæ apostolicæ sedi ad tuendum atque fovendum pertineat, dentur per quinquennium 10 solidi. » Sed paulo aliter, Ordericus Vitalis lib. XI Historiæ suorum temporum : « Ratum est, ait, et chartis legentibus liquido patescit quod G. Aquitanicus Cluniacense cœnobium in allodio suo construxit : et illud, Romam pergens, Romano pontifici devotissime commisit, nec id frustra fieri voluit. Nam ipse tunc 12 aureos papæ obtulit, et exinde totidem singulis annis dari decrevit. »

(231) *Habeantque tuitionem ipsorum apostolorum atque Romanum pontificem defensorem.* Acta synodalis definitionis inter sanctum Hugonem abbatem Cluniacensem et domnum Droconem Matisconensem episcopum. « Nam in conspectu totius sancti concilii lectum est monimentum, quod comes ille Willelmus primus loci fundator et oblator instituit

Volumus etiam ut nostris successorumque nostrorum temporibus prout opportunitas atque possibilitas ejusdem loci se dederit, quotidie opera misericordiæ pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic testamento inseri, ut ab hac die nec nostro nec parentum nostrorum, nec fascibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur iidem monachi ibidem congregati. Neque aliquis principum sæcularium (232), non comes quisquam, nec episcopus quilibet, non pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum ; et in Deum omnesque sanctos ejus, et tremendi judicii diem contestor, deprecor, ne invadat res ipsorum Dei servorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet (233) aliquam personam [alicui personæ], non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat. Et ut hoc nefras omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans subjungo. Et obsecro vos, o sancti apostoli [et gloriosi principes terræ], Petre et Paule, et te pontifex pontificum apostolicæ sedis, ut per auctoritatem canonicam et apostolicam quam a Deo accepisti, alienes a consortio sanctæ Dei Ecclesiæ et sempiternæ vitæ prædones et invasores atque distractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaque voluntate dono. Sitisque tutores ac defensores jam dicti loci Cluniaci [Cluniacensis] et servorum Dei ibi commorantium ac commanentium ; harum quoque omnium facultatum propter eleemosynam et clementiam, et misericordiam piissimi Redemptoris nostri. Si quis forte, quod absit, et quod per Dei misericordiam et patrocinia apostolorum evenire non æstimo, vel ex propinquis [vel extraneis, vel ex qualibet conditione, sive potestate, qualicunque calliditate contra hoc testamentum (234), quod pro amore Dei omnipotentis ac veneratione principum apostolorum Petri et Pauli fieri sancivi, aliquam concussionem inferre tentaverit, primum quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferatque Deus partem *illius de terra viventium* (*Apoc.* xxii, 19), et deleat nomen ejus *de libro vitæ* (*Apoc.* iii, 5), fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo : *Recede a nobis* (*Job.* xxi, 14), et cum Dathan et Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, et vivos infernus absorbuit (*Num.* xvi, 31), perennem incurrat damnationem. Socius quoque Judæ Domini proditoris effectus æternis cruciatibus retrusus teneatur, et ne ei in præsenti sæculo humanis oculis impune transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum Heliodoro et Antiocho, quorum alter acris verberibus coercitus vix semivivus evasit (*II. Mach.* ix, 9) ; alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, et scatentibus vermibus miserrime interiit ; cæterisque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerare præsumpserunt, particeps existat, habeatque, nisi resipuerit, archiclavum totius monarchiæ Ecclesiarum, juncto sibi Paulo obstitorem, et amœni paradisi aditus contradictorem, quos si vellet, habere poterat pro se piissimos intercessores. Secundum mundialem vero legem, his quibus intulerit calumniam centum auri libras (235), cogente judiciaria potestate compul-

ubi, videlicet præter Romanum pontificem, nullum jus, nullum dominium cuicunque mortalium, vel cuilibet prorsus Ecclesiæ dereliquit. » Notitia libertatis loci Cluniacensis sancitæ a domno papa Urbano II in ipso cœnobio : « Nam pius ille Willelmus istius olim monasterii institutor, nulli alii advocato, nulli patrono, nulli regi, vel principi curam ipsius tutelamque commendavit, nisi Deo et beato Petro, ejusque vicariis, Romanis scilicet pontificibus. » Item Paschalis II, ad archiepiscopos et episcopos Galliarum scribens : « Cluniacense, inquit, cœnobium ab ipso fundationis exordio sanctæ Romanæ Ecclesiæ est oblatum. »

(232) *Neque aliquis principum sæcularium.* Agapitus papa scribens Aymardo Cluniacensi abbati. « Quia petistis, inquit, a nobis, quatenus monasterium Cluniacense in illo statu, quo a Guillelmo duce per testamentum manere decretum est, nostra apostolica auctoritate decerneremus, etc., inclinati precibus tuis tibi ad regendum committimus. Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet, vel quæ deinceps tibi traditæ fuerint liberum a dominatu cujuscunque regis, aut episcopi, sive comitis, aut cujuslibet ex propinquis ipsius Guillelmi. » Et Ludovicus Caroli Simplicis filius : « Sit vero ipse locus, juxta quod ipse Willermus sub terribili et magna adjuratione constituit, et apostolicæ sedi per testamentum ad tuendum non ad dominandum subjugavit, ab omni sæculari dominatu tam regum, quam cunctorum principum seu propinquorum ejusdem Willermi, quin et omnium hominum penitus liber et absolutus. »

(233) *Non procamiet, non beneficiet, Procamiare,* et *concamiare*, pro commutare ac permutationem facere frequentissimum in antiquis chartis et testamentis. Inde *camium, cambium, concamium, concambium*, et *excambium*, pro commutatione sive permutatione : quam et adhuc hodie vulgo dicimus *échange*. Consueta vero fuit hæc monasteriorum fundatoribus prohibitio, ne scilicet illi quos defensores ac patronos constituebant, monasteria ipsa permutarent unquam, alienarent, [aut in beneficium traderent. Sic Henricus I, rex Francorum præcepto suo muniens congregationem beatorum apostolorum Petri et Pauli et sanctæ Genovefæ virginis Paris. « Quæ olim, a quodam antecessore suo Francorum rege Clodoveo, hortatu et persuasione beati Remigii Rhemorum archiepiscopi fuerat fundata. Statuimus, inquit, et regali auctoritate præcipimus, insuper et sigilli nostri impressione firmamus ut nullus succedentium regnum vel principum Parisiacensem urbem tenentium prædictam congregationem unquam alicui jure beneficii tradat, vel aliquo commutationis genere a suo patrocinio vel procuratione alienet, sed de regali defensione habeat cum utilitate honestatam, et de principis possessione, si quando hoc contigerit, præsentem et indeficientem tuitionem habeat simul et solamen. »

(234) *Contra hoc testamentum.* Testamentum pro præcepto, charta, diplomate, vel instrumento principis. Odo Clun. abbas lib. ii Vitæ sancti Geraldi comitis Aureliacensis, cap. 4 : *Ut sua Domino consecraret, Romam profectus est, et Aureliacum insigne prædium beato Petro apostolorum principi, facto solemniter testamento, delegavit.* Sed hoc notius est, quam ut probatione indigeat.

(235) *His quibus intulerit calumniam, centum auri libras.* Usitatum tum erat, et etiam postea, pecu-

sus, exsolvat, et congressio illius frustrata nullum omnino obtineat effectum. Sed hujus firmitas testamenti omni auctoritate suffulta semper inviolata ac inconcussa permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum Bituricæ civitatis publice.

Willelmus. Ego hanc autoritatem fieri et firmari rogavi, ac manu propria roboravi.

Sigillum Ingelbergæ uxoris ejus.

Sigillum Madalberti (236), peccatoris Bituricensis archiepiscopi.

Signum Adalardi episcopi (237), P. Alto, peccator episcopus, S. Wilelon, nepotis ejus, S. Armanni, S. Wigonis S. Ugberti, S. Stephani, S. Veracli, S. Gotbransin, S. Eufredi vicecomitis, S. Gentardi comitis, S. Ignardi, S. Ursonis Græci, S. Rataldi, S. Rumberti, S. Ismengrii, S. Rotberti, S. Otberti, S. Guiberti [Girberti], S. Bermondi, S. Girardi, S. Ambladi, S. Aleardi, S. Achedei, S. Windonis, S. Grimberti, S. Umberti, S. Arnaldi, S. Armandi, S. Walonis, S. Roberti, S. Bodonis, S. Athonis, S. Girbandi, S. Ismendonis, S. Lotberti, S. Tertberti, S. Bernardi, S. Geraldi, S. Truanni.

Anno undecimo, regnante Carolo rege, indictione 13. Ego Oddo levita, ad vicem cancellarii scripsi et subscripsi.

niariam pœnam chartarum seu testamentorum sanctionibus addere. Sic Otho imp. in præcepto de sancto Mayolo Papiensi : « Si quis igitur hoc nostræ stabilitatis præceptum fregerit, componat centum libras auri, medietatem cameræ nostræ, et medietatem Cluniacensi monasterio. »

(236) *Sigillum Madalberti.* Quidam hunc Moalbertum, alii Maalbertum appelant. Fuit autem ordine quinquagesimus primus inter archiepiscopos Bituricenses, seditque temporibus Arnulphi imperatoris, et Caroli Simplicis Francorum regis.

(237) *Signum Adalardi episcopi.* Adalardus hic fuit episcopus Claromontensis, de quo Odo in Vita sancti Geraldi, et nos forte plura ibidem.

# VI.

## TESTAMENTUM DOMNI BERNONIS

### ABBATIS

*Cui primo fuit commissum regimen monasterii Cluniacensis per Guillelmum **Pium**, fundatorem dicti monasterii.*

(Anno 926.)

(Bibliotheca Cluniacensis, pag, 9).

Ex quo divina dispensatio post dilivium constituit, ut homo homini præstet, quicunque secundum Deum tam in Veteri Testamento, quam in Novo aliis præfuerunt, quantum possibile fuit, procurarunt, ut consultum subditis in posterum esset. Quod et beatum Benedictum, et alios quamplures nostri ordinis instructores fecisse, sibique successores, dum adviverent, elegisse, multa documenta probant. Quapropter tam regalis potestas quam sacerdotalis auctoritas, sed et principum sublimitas, nec non et reliquorum fidelium, quos forte hanc scripturam audire contigerit, ignoscat universitas. Quod ego Berno omnium abbatum extremus abbas, supremum diem jam vicinari agnoscens, duos ex nostris fratribus, Widonem videlicet meum consanguineum (238), atque Odonem adæque dilectum, una cum fratrum consensu mihi succedere delegavi, ac post meum decessum, vice mea, Deo largiente, fungi præcepi. Ita scilicet ut dilectus noster prædictus Wido cœnobio Gigniacensi (239), Balmensi, Æthicensi, cum cella quæ dicitur sancti Lauteni, et cum omnibus rebus ad prædicta monasteria pertinentibus regulariter præsit, præter villam quæ dicitur Alafracta, et res quasdam quæ fuerunt domni Samnonis in eodem pago consistentes ; et quartam partem Caldariarum quæ sunt sitæ in loco qui dicitur Leodonis (240), et medietatem prati quod fuit domni Saymonis [*forte*, Simonis]. At vero charissimus Odo Cluniacum, et Masciacum (241), atque Dolense

(238) *Widonem videlicet meum consanguineum.* Nepotem Bernonis et discipulum vocat Chronicum Cluniacense his verbis : « Venerabilis igitur pater Berno habuit discipulos sanctos, scilicet Odonem, Adhegrinum, et Widonem venerabilem nepotem suum, quem abbatiæ Balmensis abbatem fecit. »

(239) *Cœnobio Gigniacensi.* Cœnobium hoc ipse Berno fundavit, ac primus illius abbas exstitit. Chronicon Lemovicense ad annum 890 : « Hoc tempore claruit in Burgundia Berno ex comite abbas Gigniacensis cœnobii a se fundati. » Idem Sigibertus ad annum 895 ; Vincentius Bellovacensis lib. XXIV Speculi histor. cap. 53 ; Bernardus Guidonis in Chronicis, Trithemius, et alii.

(240) *In loco qui dicitur Leodonis.* Burgum Ledonis vocat Eugenius III papa, et donationem seu venditionem quamdam monasterio Clun. factam a Willelmo Matisconensi comite memorat.

monasterium (242), ita cum rebus ad eadem loca pertinentibus, Deo favente, suscipiat, ut ea pro viribus regulariter disponat. His igitur ita dispositis, obsecro vos per reverentiam, quam sanctæ fidei et religioni debetis, o principes et seniores, quicumque terrenarum rerum judices estis, ut hanc scripturam mea vice loquentem, in quolibet nostro conventu libenter audiatis ; et sicut lex divina jubet, bonis consentientes sitis, et tam prælatos prædictos, quam et monachos, et loca cum rebus ad ipsa pertinentibus, in eo statu, quo et per regalia præcepta, quin etiam et per apostolica privilegia dudum sancita sunt, et nunc a me decretum est, permanere consentiatis. Quod si quælibet vel inter ipsos, vel aliunde controversia, quæ nobis discernenda sit, forte succreverit, justitiam sustentetis, et calumniam reprimatis, quo fiat illud quod in auctoritatibus nostris insertum est ut omnium bonorum, quæ in præfatis locis geruntur, A sicut adjutores fueritis, ita quoque participes esse possitis. Villam autem quæ dicitur Alafracta, cum omnibus ibidem pertinentibus, et quartam partem de caldariis quas Leodonis habemus, verum etiam jamdicti prati medietatem ad Cluniacum trado, eo tenore ut per singulos annos census duodecim denariorum Gigniaco (243) pro vestitura reddatur. Nec injustum videatur si Cluniaco easdem res assigno, quoniam ibi sepulturam mihi locavi, et locus ipse quasi posthumus, morte domni Guillelmi quondam inclyti ducis (244), atque nunc mea imperfectus, deseritur (245). Et certe pauperior est possessione et numerosa fraternitate. Et ut hoc inferam, si post filios priores et priorem locum, quibus testamentum feci, nobis alios divina largitas et locum, et filios B ampliare dignata est, ratum debet videri, ut posteriores filii non exhæredentur; sed aliqua pars hæreditatis nostræ eis proficiat, qui quamvis in alio loco, tamen eidem domino, id est beato Petro, in cujus

(241) *Masciacum.* Monasterium in Aquitania, quod a Ludowico Pio Caroli Magni filio constructum docet auctor incertus, sed coætaneus, in ejus Vita. Sic enim ait : « Et quidem multa ab eo sunt in ejus ditione reparata, imo a fundamentis ædificata monasteria, sed præcipue hæc : Monasterium Menatæ, monasterium sancti Savini, monasterium Masciacum, » etc.

(242) *Atque Dolense monasterium.* Est hoc Dolense seu Burgi Dolensis monasterium in Biturigib. « quod Eblo Bituricus, » ut in Ademari Chronico legitur, « cœpit ædificare in honore Dei Genitricis, et postea integravit filius ejus Rodulfus, ubi magnam cohortem monachorum congregavit regulariter degentem. » Fragmentum Histor. Franc. Eblonem C hunc, *Eblonem Biturigensium principem*, auctor libri II Vitæ sancti Genulfi, cap. 17, *Abbonem* vocat. Scribitque Bernardus Guidonis, quod « Paschalis II, ad Gallias veniens, ecclesiam hanc beatæ Mariæ virgini in castro Dolensi dedicavit. »

(243) *Census duodecim denariorum Gigniaco.* De hoc censu Sigibertus ad annum 912 : « Berno, inquit, abbas moriturus, Odonem olim musicum constituit abbatem Cluniacensis cœnobii, ea conditione, ut ecclesia Cluniacensis solveret annuatim ecclesiæ Gigniacensi censum 12 denariorum. » Idem scribunt Vincentius Bellovacensis lib. XXIV, cap. 59 ; auctor Chronici Lemovic. Bernardus Guidonis, et alii. Verum crescente fama religionis monasterii Cluniacensis, factum est tandem et ipsum Gigniacense juris ejus membrum. Petrus Venerabilis epistola 33 libri I Catalogi abbatiarum et prioratuum a Clun. cœnobio dependentium et varia summorum pontificum diplomata, D

(244) *Et locus ipse quasi posthumus morte domni Guillelmi quondam inclyti ducis.* Hinc patet Guillelmum Pium Aquitaniæ ducem incæpisse tantum, non perfecisse Cluniacense cœnobium. Sed si Platinæ credimus, curam ejus integrandi reliquit Eblo Pictavorum comiti, qui sibi in Aquitaniæ ducatu, et comitatu Arvernorum successit. Sic enim scribit in Vita Adriani III papæ, de fundatione Clun. monasterii loquens : « Ante tempus vero Guillelmus moriens monasterium imperfectum reliquit, Eblo comite Pictaviensi instituto, qui rem ipsam ex testamento curaret. » Eadem habet Joannes Bouchetus in Annalibus Aquitaniæ : visiturque charta quædam ipsius Ebli comitis in commentariis Aquitaniæ Galliæ, cujus initium est : « E. Pictavensis comes, et Aquitanensis dux, Dei gratia adepto principatu hæreditario, et per donationem mei Willelmi gloriosæ recordationis viri, decrevimus cœnobium augmentare in Cluniaco. » Verum illa, sicut et aliæ plures inibi relatæ, falsi redarguuntur a multis. De morte autem ducis Willelmi non conveniunt omnes. Aute Bernonem obiisse, vel hic ipsius Bernonis testamenti locus indicat : sed quo anno, non usquequaque certum. Auctor vetustus chronologiæ Cluniacensium abbatum, decessisse scribit anno 918. Ademarus monachus in commemoratione abbatum Lemovicensium basilicæ sancti Martialis, ad annum 19 Fulberti, abbatis VI, qui fuit Incarnationis annus 920, refert. Et Flodoardus usque ad annum 927 vixisse, testatur in Chronico. Mortuus est autem Arvernis, et « in Brivatensi vico apud sanctum Julianum martyrem sepultus, » ut inquit jam citatus chronol. Clun. scriptor.

(245) *Atque nunc mea imperfectus deseritur.* Qui Bernonem Cluniacensis cœnobii constructorem dixerunt, ut Sigebertus, Vincentius Bellovacensis, Trithemius, et alii, nequaquam falsi sunt, Construxit enim ipsum primus, sed favente sibi, necessariosque sumptus suppeditante Willelmo Aquitaniæ duce. Præceptum Ludovici regis, Caroli Simplicis filii : « Monasterium nomine Cluniacum, quod a Willermo viro magnifico in honore primorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, per manus Bernonis cujusdam reverendi abbatis constructum est. » Glaber Rodulfus lib. III Histor. Franc. cap. 5 : « Construxit igitur prædictum cœnobium primitus pater monachorum Balmensis monasterii Berno vocatus, jubente Willermo piissimo Aquitanorum duce, in pago Matisconensi, super Graonam fluviolum. » Et sanctus Odilo in Vita beati Maioli, « Favente Willelmo, Christianissimo Aquitanorum principe, beatæ memoriæ abbas Berno nomine, in partibus Burgundiæ, cespite Matiscensi, pago qui vocatur Cluniacus, monasterium cœpit construere, et in quantum potuit in eadem constructione elaborare studuit. » Sed quod subjungit, « et piæ devotionis affectum laborioso certamine ad laudabilem perduxit effectum, » aliquantisper a vero discedere videtur. Quanquam enim qui Vitam beati Hugonis abbatis sancti Martini Eduensis, abbatisque Bernonis contemporanei scripsit, « protinus incœptum opus, atque in brevi tempore perfectum, » affirmet; tamen et ipse Berno morte sua monasterium hoc imperfectum remansisse nos docet, et Joannes Italus monachus Cluniacensis Odonem Bernonis successorem *cœptum pridem perfecisse*, auctor est libro secundo Vitæ sancti Odonis.

nomine utrumque locum construximus, servituri sunt. De cætero tam prælatos quam et omnes fratres, præsentes videlicet, et futuros, per misericordiam Dei, qui præsens respicit, deposco, ut inter vos unanimitas ita perseveret, quatenus, modum conversationis huc usque retentum, tam in psalmodia, quam in observatione silentii, sed et in qualitate victus et vestitus, et insuper in contemptu rerum propriarum, si non melius, saltem sicut huc usque fecistis, sic deinceps custodiatis. Si autem, quod absit, ab aliquo eorum fuerit pertinaciter erratum, præcipimus, per sanctæ regulæ auctoritatem, ut utriusque loci priores ad corrigendum errorem sibi mutuo suffragentur. Si quis autem, quod absit, hanc nostram institutionem in aliquo A fregerit, deterreat eum vox divina quæ dicit: *Maledictus qui transfert terminos proximi sui*, id est institutionem præceptorum suorum et conatus ejus penitus frustretur. Dispositio vero nostræ, quæ, ut credo, per charitatem utriusque locis cupit esse consultum, Deo disponente, et beato Petro patrocinante inconvulsa parmaneat.

Signum Bernonis abbatis, qui hanc chartam fieri, et firmari rogavit.

Signum Widonis moderni abbatis, qui hoc consensit.

Signum Odonis abbatis.

Signum Geoffredi.

Signum Wandanberti.

Anno quarto, regnante Radulpho rege.

ANNO DOMINI DCCCCXLIII,

# CAPPIDUS STAVRIENSIS

FRISIUS SACERDOS.

## NOTITIA HISTORICA IN CAPPIDUM.

(Apud Fabric., Bibl, med. et inf. Lat.)

Cappidus Stavriensis, Frisius sacerdos, auctor creditur *Vitæ sancti Odulphi presbyteri*, qui circa annum 860 vixit, vulgatæ a Surio 12 Junii. Traditur etiam scripsisse *Vitas sanctorum Lebuini, Otgeri et Plechelmi*. Nam de *Genealogia principum, ducum ac regum Frisiæ*, et *Historia Ecclesiastica gentis Frisonicæ*, quas ei tribuit incendioque absumptas dolet Suffridus Petri (*De script. Frisiæ*. pag. 57), video viros doctos non minus quam de multis aliis ab eo ex antiquitate ultima Frisiorum jactatis dubitare.

# CAPPIDI STAVRIENSIS

FRISII SACERDOTIS

## DE VITA SANCTI ODULPHI PRESBYTERI.

(Apud Surium, Acta SS. 12 Junii).

1. Temporibus Ludovici, piissimi imperatoris, vir quidam venerabilis fuit e Francorum nobili prosapia ortus. Dicebatur is Bodgis, et ex eo procreatus est Odulphus. Qui, simul atque e sacratissima baptismatis unda renatus est, cœlesti quoque rore divinitus est irrigatus. Porro ubi desiit ad materna pendere ubera, litterarum studiis traditus, et sanctis ac Deo devotis hominibus, ut ab illis canonica religione imbueretur, commendatus est. Præstitit autem illi Deus tantum discernendi studium, tantamque ingenii facilitatem, ut illos etiam, qui ipsum ætate antecedebant, ipse longo post se intervallo relinqueret, ætatemque suam, licet annis necdum maturam, divinis disciplinis, et dogmatibus egregie ornaret. Porro cum ætate accrevit ei etiam sapientia et sanctitas, idque adeo, ut iis, qui per id tempus Deo religiose servire conabantur, novus quidem Samuel ortus videretur. Quibus sane adeo gratiosum illum divina gratia effecit, ut unanimiter ab illis omnibus amaretur et ob vitam probabilem summæ venerationi haberetur. Atque ille e diverso par pari referens, sincero animi affectu eos quoque diligebat. Jam vero puer religiosus ac venerabilis, in ipsis ab adolescentia initiis id se meditari et appetere declarabat, quod postmodum reipsa complevit, non immemor illius dominici sermonis: *Qui amat patrem plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* x); itemque: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et*

*tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (*Luc.* IX). Quorum ille adhuc puer crebro memor, et die ac nocte sæpe illa tacitus secum revolvens, piis moribus et sanctis operibus plane apud se statuit Deo perpetuo servire, spiritalique matri sanctæ Ecclesiæ inseparabiliter adhærere.

II. Itaque sanctus adolescens, viris quidem probatis imprimis clarus, sed tamen soli Deo servire sollicitus, per virtutum gradus semper ad sublimiora tetendit, donec in virum perfectum evaderet. Mentem atque animum, quemadmodum solent sancti homines, ad cœlestia continenter erigere, et mundanæ vanitatis ac pompæ inanis illicebras declinare statuit, ut in illum quoque competeret, quod in psalmo legitur : *Ibant de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). Sic ergo in cunctis virtutibus proficiens, etiam ecclesiasticorum ordinem gradus ascendit, et presbyterii est benedictionem adeptus, regis altissimi sacerdos effectus. Tum vero mox apud se decrevit studio piæ conversationis ad quoddam sacræ religionis monasterium se conferre. At parentes eum dehortabantur ne id faceret, sed potius ad ipsorum se voluntatem accommodans, Ecclesiam Oroschattanam administrandam susciperet, illic enim et natus et educatus erat. Victus tandem precibus eorum, morem eis gessit ea in re, quamvis invitus, Sed non diu post visum est ei adire summæ reverentiæ locum Trajectum, antiquitus Witteinburg dictum, idque ea mente et consilio, ut illic cum cæteris Dei famulis, christo ibidem militantibus quoad viveret, præponenenti Deo fideliter serviret. Memoria ergo retinens, quod in Evangelio Salvator ait : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* IX). Posthabito patre, neglectis propinquis, contemptis agris, familia, rebus et facultatibus omnibus, ad locum illum Christo duce profectus est, rebus quidem pauper, sed meritis dives. Nihil jam in hoc mundo habere volebat, ut a Domino juxta illius promissionem centuplum acciperet, et vitæ æternæ hæres esse mereretur.

III. Erat per id tempus Trajecti episcopus eximia sanctitate, Fredericus nomine, qui virum Dei cum multo gaudio et honore excepit. Fecerunt idem omnes servi Dei qui illic erant adnutati, ex animo sibi gratulantes tam sanctum, tamque religiosum ad ipsos Dei famulum accessisse. Nec potuit diu illos celare quod oculo divinæ majestatis non latuit. Sed cum aliquantisper apud illos moratus esset, omnibus ardens cœlesti lumine lucerna resplenduit. Erat enim in vigiliis strenuus, in jejuniis potens, in oratione sedulus, in sacra lectione studiosus, in eleemosynis largus in curandis pauperibus celebris, in hospitalitate fervens, in rebus ecclesiasticis distribuendis prudens. Denique quibus post antistitem præfectus erat, eos omnes mirum in modum antecedebat. Neque aliter vel ab omnibus illis, vel ab ipso etiam præsule, quam monasterii Pater vocabatur, atque ab ejus ore omnes cupiebant accipere consilium. *Omnibus enim omnia factus* era cum Apostolo, *ut omnes Christo lucrifaceret* (*I Cor.* IX).

IV. Ea tempestate Frisiones, homines feroces, in tam fœdos erant prolapsi errores, ut is quem diximus episcopus, neque per seipsum, neque per suos archidiaconos eos posset in viam veritatis revocare. Itaque litteras per hominem fidelem misit Trajectum ad virum Dei Odulphum, rogans eum, ut qua posset celeritate, trajecto maris sinu, ad ipsum veniret. Litteris illis acceptis, Christi servus mirifice exhilaratur, perinde ac si ad cœlestes epulas invitaretur, cupiens cum suo pastore, si ita res poscat, in tam pio agone pro Christo sanguinem suum fundere. Cum autem ad episcopum pervenisset, ille viso eo, immenso perfusus gaudio, cum pacis osculo eum humaniter excepit. Deinde mutuo sese consolantes, et ut summi regis præcones generosos decebat, gladio spiritus egregie accincti, per Ecclesias pariter profici, iterum atque iterum eas invisere, habere conciones ad populum evangelica eruditione ad veritatem reducere cœperunt. Denique, crebro admonendo, arguendo, increpando homines qui antea instar luporum sævi et rapaces fuerunt, salutari doctrina in oves mansuetas converterunt. His ita gestis, antistes ille, communicato cum clericis, nec paucis ejus religionis laicis viris consilio, virum Dei obnixe rogat, ut intra illius terræ limites velit permanere, et populum nuper ad sanitatem revocatum suis eruditionibus confirmare et ab antiqui hostis mortiferis faucibus eripere. At vir Dei plane recusat, asserit se ætate gravem, ad id ministerium pares vires afferre non posse. Contra episcopus suis cum precibus flectere conatur. Cedit tandem sanctus vir, et pastoris sui jussa capessit, populique votis obsecundat, ea tamen conditione, ut liceat ei aliquot exactis annorum curriculis Trajectum revisere, ubi se in Christi famulatu vitam finiturum promiserat.

V. Volens igitur suo muneri non deesse vir plenus Spiritu sancto, non cessabat semina verbi Dei spargere in populum, cœlorum regnum multa instantia prædicare, omnibus seu prudens et fidelis dispensator, divini sermonis præbere alimoniam, fortioribus solidum cibum, infirmis, ex Apostoli sententia, lac offerre (*I Cor.* III). Ita factum est ut omnes ex ejus sanctitate gaudio replerentur. Cum autem eo ministerio perfunctus esset se recepit ad suos Trajectenses, Deum laudans quod ejus fretus ope tot animas lucratus esset. Etsi autem jam longo fractus esset senio, attamen animo vincens ætatem, nihil de Dei servitio et solitis pietatis exercitiis remisit. Perseveravit enim in jejuniis assiduis, in vigiliis Deo gratis, in sanctis precibus, in largissimis eleemosynis, sibi parcus, aliis omnibus pro Christi nomine largus : nihil terrenum sibi acquirere cupiens, ut posset bonis æternis frui.

VI. Claruit vero etiam prophetiæ spiritu, ita futura prædicens, ac si jam coram fieri cerneret. Quod ut certus testatiusque fiat, ex plurimis pauca afferemus. Cum jam discessurus esset ab eo loco, qui

Staverem dicitur priusquam se daret itineri, ingens ad eum convenit Frisonum multitudo, ejus saluberrima adhortatione muniri cupientium. Ille vero Domino eos commendans, bene precatus est eis, amanterque admonebat, ne a via veritatis unquam deflecterent, certi non sine gravi animadversione id se facturos. Et ego quidem, inquit, sat scio non vos permansuros in sana doctrina : sed ea causa gentiles barbari in vos incurrent, quod mihi jam vobis ante prædicenti incunctanter credere potestis, iique vestram regionem populabuntur, vosque et res vestras secum in captivitatem adducent. Evenit utrumque postea, sicut erat a sancto viro prænuntiatum.

VII. Ingens saxum ad domus ejus ostium jacebat. Illud ergo digito demonstrans iisdem : Scitote, inquit, futurum esse, ut absque ullius hominis opera saxum istud in flumen devolvatur : ubi etiam latitabit sub undis, donec vos divinæ pacis eritis beneficio destituti. Cum autem videritis iterum absque humano opere ad littus emergere, non dubitetis me, licet jam extinctum, vos revisere, vobisque pacem a Deo impetratam asportare, mansuram apud vos donec superbia, perjuriis, homicidiis, adulteriis atque omnivariis flagitiis eam rursus a vobis excludatis, irato Deo propter maleficia vestra. Hujus quidem vaticinii et signi admirandi permulti testes hodieque supersunt, qui se id suis oculis conspexisse asseverant; saxumque illud ibidem in ecclesia immobile perdurat, ut credentium confirmetur fides, et increduli pudefiant.

VIII. Ecclesia Trajectensis, e vita sublato episcopo, pastore orbata fuit. Mox collecti clerici cum beato viro tractabant de eligendo successore. Diu autem illis inter se contendentibus, tandem elegerunt Ecclesiæ præpositum Crastum. At ille rebus valde locuples, arroganter ac tumide dixit ad illos : Habeo abunde multa : cur in meos humeros tantum onus conjicitis? Iis verbis commotus beatus Odulphus, quid, inquit, ais, miserrime? Spernis plane, sed quod consequi non mereris. Quod si nolebas in te recipere, diceres saltem te tanti honoris culmine indignum. At nunc propter opes immensas apostolici ordinis spernens dignitatem, prope diem ex hac luce subtraheris. Dixit vir Dei, et sermonis veritatem hominis mors declaravit. Interim qui ex clero convenerant, cum animis vacillarent, singuli qui ipsis cum primis idoneis viderentur, elegere. At Christi sacerdos non ad personam, sed ad meritum respiciens, dicebat posse inter ipsos inveniri magis idoneum, nec tamen vituperabat ab ipsis electos. Itaque ostendit eis presbyterum quemdam, Hungerum nomine, qui licet vultu deformis esset, attamen nescientibus hominibus, sed non nesciente Deo, meritis insignis erat. Eum ergo homines elegerunt, et statuto tempore consecratus est episcopus. Cujus sane tantæ fuit vitæ integritas, ut post Willebrodum et Bonifacium sanctos episcopos, in illa sede nullus repertus sit, qui usque ad supremum vitæ diem excolendis virtutibus par illi fuerit. Apparet inde non temere eum a sancto Odulpho aliis prælatum fuisse.

IX. Jam senectus premebat sanctum virum Odulphum, et ad ecclesiam absque scipione proredi non poterat. In ipsius autem scipionis suprema parte ceream affixerat tabellam, in qua solebat, oblata occasione, nomina fidelium adnotare, donec ea in libro vitæ describeret. Quodam autem die, præ animi vigore et alacritate oblitus imbecillitatis suæ, cum ad Dei cultum properaret, in domicilio suo reliquit scipionem illum. Paulo post opera maligni dæmonis inflammatum est domicilium illud, et cum omni suppellectili conflagravit. Erat autem vir Dei occupatus laudibus divinis, sed cum cerneret valido igne jam correptum domicilium, ad solita præsidia se contulit, Deum orans ne loca sancta ignis invaderet : non admodum curans excidium cellulæ suæ. Exaudivit vero Deus preces ejus, moxque incendium repressum est, nec quidquam præter viri Dei domicilium exussit. In mediis autem flammis adeo scipio mansit illæsus, ut ab igni cera indurata videretur, nec minutissimo quidem apice ex illo abolito. Quo insigni miraculo Deus ostendere voluit, quanti apud ipsum meriti esset sanctus Odulphus. Scipionem autem illum in ejus defuncti sepulcrum defixere fratres, qui illic ita mansit fixus usque ad beatæ memoriæ Ratbodi episcopi opera.

X. Adventante tandem tempore, quo vir beatus ab optatam cœlestis patriæ gloriam erat transiturus, modica febre correptus, sensit adesse migrandi tempus. Accitis igitur fratribus, indicavit eis diem obitus sui. Sub ipsam autem mortis horam rursus fratres sibi adesse voluit, et cum ipso cantare psalmos pro exspectatione decessus sui. Omnibus denique ex ipsius præscripto rite peractis, valefecit fratribus, rogans eos ut pro ipso Dominum precarentur, se quoque pollicens pro ipsis et loco illo ejusque habitatoribus perpetuo Domino preces oblaturum. Inde mox ad Dominum se convertens, nihilque trepidans ad mortem (quippe qui mortem ipsam in lucro poneret), hilari mente dixit : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*Psal.* XXX) : sub quibus verbis sanctissima illa anima corpore egressa est : simulque suavissimi odoris fragrantia illic diffusa est, ita ut omnes inæstimabili suavitate replerentur, perspicueque inde liceret animadverti, beatissimos angelicos spiritus animam illam e corpore abeuntem suscepisse. Ejus festus dies celebratur pridie Idus Junii. Fiunt autem per ejus merita non solum Trajecti (ubi ejus reliquiæ habentur apud sanctum Salvatorem), sed etiam in Staveren innumera miracula in honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MCCCCXLVI.

# MARINUS PAPA II

## NOTITIA HISTORICA

(Apud Cocquelines, Bullar., privileg. Romanorum pontif. ampl. Collect.)

Marinus secundus, seu Martinus tertius dictus, natione Romanus, in locum Stephani papæ sine mora subrogatus est. Sedit in pontificatu temporibus Constantini Porphyrogeniti in Oriente, Othonis Magni in Occidente impp. annos 3, menses 6, addunt quamplurimi dies 13. Sed, cum Pagius ex ipsis Agapeti successoris litteris, eum pontificem jam fuisse 15 die Junii, anno 946, ostendat, tertius Vignolii catalogus ex cod. Vat. sequendus videtur, in quo nonnisi anni, 3 m. 6 assignantur. Obiit itaque Marinus circa diem 5 vel 6 mensis Junii, anno 946.

# MARINI PAPÆ II
## EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

### I.

PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ II PRO MONASTERIO VIZELIACENSI.

(Anno 953.)

[Apud Acher. *Spicilegii* tom. II, 504.]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, GUIDONI religioso abbati Vizeliacensis cœnobii, omnique congregationi ejusdem monasterii in perpetuum.

Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus, in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et veneratione beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum; in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque a præfatis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus: inclinati precibus tuis libenter fieri decrevimus. Unde et constituimus et apostolica auctoritate censemus, atque per hoc nostrum apostolicum privilegium confirmamus, ut nullus rex aut pontifex, vel abbas aut comes, vel qualiscunque magna vel parva persona, avaritiæ cupiditate corruptus aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, o venerabilis Wido abbas, qualicunque modo insurgere in tua vita aut de tuo honore tibi molestias inferre, vel de omnibus rebus monasterii quæ tibi tuisque prædecessoribus a nobis nostrisque antecessoribus per paginam privilegii concessa atque firmata sunt, aliquas invasiones vel rapinas sive violentias inferre, si non vult, auctoritate Dei et sancti Petri et nostra apostolica excommunicatione, a corpore et sanguine

A Domini Jesu Christi et ab ingressu ecclesiæ disjunctum esse. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbate ipsius monasterii invita-
B tus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus: sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memoriæ papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat
C quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit: nos vero aptioris utilitatis gratia sub habitu monachorum esse congruenter decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque

se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt deleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Azonis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario, indictione 1.

Data II Nonas Februar, per manum Benedicti episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domini nostri Marini summi pontificis et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli anno 1, in mense Februar., indict. 1.

## II.

### PRIVILEGIUM MARTINI PAPÆ II PRO MONASTERIO S. BONIFACII FULDENSI.

(Anno 943.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, pag. 318.]

Marinus episcopus, servus servorum Dei, Hadamaro religioso abbati venerabilis monasterii sancti Christi martyris Bonifacii et per eum in eodem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium Salvatoris a sancto Bonifacio primitus constructum et a te noviter ædificatum in loco Boconia erga ripam fluminis Fulda privilegii sedis apostolicæ infulis decoretur et sub jurisdictione nostræ cui Deo auctore deseruimus Ecclesiæ constitutum nullis alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; idcirco piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem vel episcopum in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit inconcusse dotatum permaneat locis et rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus in jura ipsius venerabilis monasterii divina pietas augere voluerit ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul vel quacunque dignitate persona hanc nostri privilegii chartam quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Theodori notarii regionarii atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martio et indictione prima.

Datum VI Kal. April. per manum Nicolai primicerii summæ aspostolicæ sedis, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Martini summi pontificis et universalis junioris papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli primo in mense, et indictione prima.

## III.

### MARTINI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA BENEVENTANA.

(Anno 943.)

[Apud Ughelli, *Italia Sacra*, tom. VIII, pag. 50.]

Marinus episcopus servus servorum Dei, dilectissimo atque merito honorabili Joanni sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ episcopo, tuisque successoribus in perpetuum.

Cum summæ et apostolicæ dignitatis Christi in hac divina præfectura nitor dignoscatur præfulgere, et in exercendis Dei laudibus sui impensius studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastorali compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus sedis apostolicæ... decoratur et antiquos terminos eidem concessos ab antecessoribus nostris pontificibus confirmaremus piis tuis desideriis faventes, hoc nostra auctoritate id, quod exposcitur, effectum mancipamus; concedentes tibi tuæque sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ, quæcunque legaliter, et rationabiliter antiquo jure tempore prædecessorum tuorum visa est possidere, id est Bivinum, Asculum, Larinum, Sipontum, et ecclesiam sancti Michaelis archangeli in monte Gargano cum omnibus earum pertinentiis, et omnia prædia cum Ecclesiis, familiis utriusque sexus, et massis, totaque infra tuam parochiam loca, ditione antiqua tuæ religioni, successoribusque tuis concedimus dominanda, et legaliter, atque canonice disponenda cum omnibus suis pertinentiis, sive sint civitates, seu quæcunque castra possessa dudum ab antecessoribus tuis episcopis, constituta siquidem insuper censura, divini sub judicii obtestatione, et validis, atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam alterius dignitatis potestate præditus homo præsumat, sive sit illa magna, sive parva persona, aut Græcus in tua sancta Beneventana Ecclesia aliquam vim facere, vel de iis, quæ ei pertinere videntur quoquo modo auferre, aut alienare, vel eis minuere terminos, et nec quamlibet militiam, aut fracturam, molestiam in eadem inferre quocunque tempore, nec licentia sit, ut dictum est ex eo, vel omnibus eidem pertinentibus, nunquam magnæ parvæque personæ auferre, ut prætato juxta id, quod a nobis statutum est, eadem venerabilis sancta Beneventana Ecclesia apostolicis constitu-

A tionibus, atque privilegiis consistens ornata, inconcussa dotata permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ Ecclesiæ Beneventanæ statuta sunt, refragare, aut in quoquam transgredi, sive Græcus sit, seu quicumque alter homo, qui dominationem aut primatum habere voluerit per se, aut per alterum quemlibet hominem in præfatis Ecclesiis, sine voluntate et jussione Beneventani episcopi, et illi, qui eos fortasse recipere præsumpserint, omnes pariter sub eodem nostro apostolico, et descripto inviolabili anathemate permaneant, et in nullam ecclesiam intrare præsumant, aut aliquod officium ecclesiasticum faciant, at non qui pio intuitu observator, et in omnibus existit custo- B diens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro multipliciter consequantur, et vitæ æternæ participes mereantur. Scriptum per manus Stephani scriniarii S. R. E. in mense Octob., indict. 2. Bene valete.

Datum III Idus Novembris per manum Nicolai primicerii sanctæ apostolicæ sedis. Anno Domini propitio pontificatus domini nostri Martini summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli 2, in mense, et indict. suprascripta 2.

## IV.

### PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ II PRO MONASTERIO CASSINENSI. C

(Anno 944.)

[Cattula, *Hist. Cassin.*, p. 94.]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio BALDUINO, venerabili abbati monasterii Christi confessoris Benedicti, siti in monte qui Castrum Cassinum vocatur, sanctæque tuæ congregationis successoribusque tuis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animos alacri devotione implere suffragiis; ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium, Deo, procul dubio promeremur quando venerabilia loca opportune ordi- D nata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis quatenus confirmaremus, et concederemus vobis monasterium Christi confessoris beati Benedicti, situm in monte Castro Cassino, ubi sacratissimum corpus ejus humatum esse videtur, cum omnibus rebus adjacentiis sive pertinentiis tam in monasteriis vivorum quam et ancillarum Dei, necnon et cellis, ac prædiis ubicunque vel qualitercunque ad jura ejusdem monasterii pertinere dignoscitur omnia in integrum. Monasterium vero imprimis Domini Salvatoris positum ad pedem ipsius montis, atque monasterium sanctæ Dei Genitricis et virginis Mariæ quod Plumbarola vocatur; itemque et monasterium sanctæ Mariæ in Cingla, quod nunc infra civitatem Capuanam ædificatum est; imo et monasterium sanctæ Sophiæ quod infra civitatem Beneventanam ædificatum est; atque monasterium Sanctæ Mariæ situm in finibus Beneventanis in loco qui dicitur Canneto, juxta fluvium Trinium, necnon et monasterium Sanctæ Mariæ intra civitatem Cosenciæ ancillarum Dei cum omnibus, ut diximus, rebus et adjacentiis per diversa loca tam in finibus Beneventanis quam et in Apulum, et Calabritanis, quam etiam in finibus Marchiæ, necnon et in finibus Marsorum, sive ubi longe lateque per diversis locis una cum colonis, et colonabus seu servis et ancillis utriusque sexus ad ejusdem monasterii jura pertinentibus, ita ut privilegiis sedis apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re, piis desideriis faventes, hoc nostra auctoritate id quod expositur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfatis monasteriis ditionem quamlibet habere vel auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus. ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem præsumat celebrare omnimodo, sed a præsenti secunda indictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus detinendum, et cum Dei timore regendum et disponendum, statuentes insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione, sed et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut neque ullus unquam præsumat quispiam alius cujuscunque sit dignitatis præditus et potestatis, vel etiam quæcunque magna parvaque persona in eodem monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus, et possessionibus vel ecclesiis sibi subjectis, vel quidquid denique ei pertinere videtur quoquomodo offerre aut alienare, sed nec quamlibet militiæ aut jacturæ molestiam ibidem sive pacis, sive barbarici temporis firma stabilitate decernimus sub juridictione sanctæ nostræ Ecclesiæ permanendum. Promulgamus nempe, et hac auctoritate beati Petri apostolorum principis coram Deo et terribili ejus futuro examine, et hujus nostri apostolici privilegii atque constitui sancimus, ut loca quæ ab abbate cujuslibet qui nobis in eodem præfato monasterio Sancti Benedicti commutata vel concessa sunt, necnon et alias locorum possessiones quæ a regibus ac ducibus vel gastaldeis, et cæteris Christianis in eodem sancto loco largita atque oblata sunt, aut in postmodum illi concessa fuerint firma, stabilia, ac in jure ipsius prædicti monasterii existenda, atque in perpetuum permanenda statuimus, nec licentia sit, ut dictum est, ex ejus vel omnibus eidem monasterio pertinentibus tanquam magna parvaque persona auferre, aut profecto juxta id quod subjectus eisdem venerabilis locus apostolicis constitutis atque privilegiis consistit inconcusse dotandus permaneat, et liceat eisdem monachis de sua congregatione abbatem semper eligere. Etiam licentia vobis

sit pro confectione chrismæ vel oblatione, et ordinatione presbiterorum seu diaconorum, et subdiaconorum, et altaria consecrandum qualem vobis placuerit episcopum invitandum. Hymnum vero angelicum per dies Dominicos et festibus omni tempore ad missarum solemniis dicendum concedimus, et liceat vobis signum pulsare tam in diurnis, quam in nocturnis horis quando vobis placuerit, tam in jam dicto monasterio, quam et in cellis ejus, et nullus episcopus prohibeat populum Dei ingredi, tam in monasterio, quam et in cellis suis ad audiendum verbum Dei. Insuper etiam volumus ut nullus episcopus præsumat in jamdicto monasterio, vel in subjectis suis ecclesiis sacerdotes excommunicare, vel ad synodum provocare, aut abbatem, et monachos qui ibidem in tempore fuerit, liceat etiam vobis clericum, seu sacerdotem, vel diaconum, seu subdiaconum de qualicunque episcopatu fuerit suscipere ab habitandum, vel monachicum habitum recipiendum cum rebus suis absque prohibitione omnium episcoporum, et liceat vobis, tuorumque monachis tibi subjectis judicare tam monasterium virorum, et cœnobium puellarum absque sæculari potestate, et prohibitione cujuslibet episcopi; si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit, et quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jamdicti monasterii statuta sunt refragare aut in quoquam transgredi, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, et cum diabolo, et ejus atrocissimis pompis, et Juda Jesu C Christi Domini nostri traditore, æterni incendii supplicio concremandus sit deputatus. At vero qui pio intuitu observatos et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti, et ad cultum Dei respicientibus, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro per intercessionem beati Benedicti multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps, effici mereatur. Scriptum per manum Leonis notarii, et regionarii, atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario per indictionem suprascriptum secundam. Bene valete. Data XII Kal. Februarii per manum Benedicti episcopi sanctæ Sylvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ anno, Deo propitio, pontificatus domni nostri Martini summi pontificis, et universalis secundi papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo in mense Januario, indictione secunda.

## V.

### BULLA MARINI PAPÆ II PRO MONASTERIO S. VINCENTII VULTURNENSI.

(Anno 944).

[Muratori, *Rer*, *Ital. Script.* I, I, 432.]

MARINUS episcopus servus servorum Dei, LEONI venerabili abbati ex monasterio Christi martyris Vincentii, quod situm est in partibus Samniæ, territorio Beneventano super fontem Vulturni fluminis, et pro te cunctis successoribus tuis in eodem venerabili monasterio regulariter promovendis in perpetuum.

Quoniam pia sollicitudine convenit nos pro universis Dei Ecclesiis semper invigilare, et tota mentis intentione venerabilium locorum integritates procurare, ideo utilitate illorum, et maxime pro quiete monachorum, optamus subsidia conferre, ut divinæ misericodiæ remunerationem in sidereis arcibus consequamur. Igitur quia petistis a nobis, ut monasterium beati Vincentii martyris, una cum omnibus sibi pertinentibus, monasteriis, cellis, capellis, terris, et castellis, servis, et ancillis, cum universis redditionibus suis sub jurisdictione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore servimus, nostri privilegii auctoritate muniremus, idcirco, tibi, tuisque successoribus legitimis abbatibus illud concedimus detinendum, ut nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur, sed cum omnibus sibi subjectis monasteriis, et cellis, videlicet monasterium beati Petri apostoli positum juxta fluvium Sabbati territorio jam dicto Beneventano, monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ in loco Sano, monasterium Domini Salvatoris, quod positum est in Alife, monasterium sanctæ Mariæ in loco Apinianici territorio Marsicano, monasterium sanctæ Mariæ in duas basilicas, monasterium sanctæ Mariæ in duas Castanieto, monasterium sanctæ Mariæ in Palere, territorio Domo, monasterium sanctæ Mariæ in Planisi, monasterium sancti Petri in Vipera cum ipso casale Leonis, monasterium sancti Petri in Tontole, monasterium sancti Petri in trite, monasterium sanctæ Mariæ in Musano, monasterium sanctæ Mariæ in Arole, monasterium sancti Georgii in Salerno, monasterium sancti Vincentii in Capua, monasterium sancti Martini, et sanctæ Crucis in monte Marsico, monasterium sanctæ Columbæ in Sora, monasterium sancti Mauri, et sancti Valentini in Atine, monasterium sancti Donati cum inclyta valle Sorana. Hæc omnia, et cum omnibus sibi jure pertinentibus rebus sub tutela sedis apostolicæ nostræ ita recipimus, ut quamlibet Christianitatem indigentes in præfato venerabili monasterio, qualis episcopus ad invitandum volueritis, habeatis omnimodo potestatem. Similiter D ad ecclesias consecrandas, et ordinationem de sacerdotibus, et diaconibus per tempora faciendam, et de omni gradu ibidem adimplendum. Protestamus etenim, ut nullus episcopus debeat exinde sacerdotem, vel diaconum ad suam synodum provocare, nisi sua fuerit propria voluntas, aut abbatem, vel monachos quoquomodo judicare, vel excommunicare. Volumus, et apostolica injungimus auctoritate vobis vestrisque supradictis abbatibus de qualicumque Ecclesia sacerdotes, vel clericos, si venerint ad habitandum in congregatione fratrum, sive monasticum suscipiendi habitum se contulerint, statim recipiantur. Chrisma vero a quali episcopo vobis voluntas fuerit impetrandi, liceat semper secundum quod diximus sub apostolica nostra potestate. Et omnem

cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato venerabili monasterio quamlibet ditionem habere, præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Statuentes apostolica insuper censura, sub divini judicii obtestatione, sed et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus prohibemus, ut nullus unquam præsumat cujuscunque dignitatis præditus potestate, vel in eodem venerabili monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus, et possessionibus, vel Ecclesiis sebjectis, vel quidquid de his, quæ ejus esse videntur, quomodo auferre, aut alienare, sed nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam ibidem, sive pacis, sive barbarici temporis aliquo modo inferre, dum præfatum perenniter, ut dictum est, monasterium firma stabilitate decernimus sub jurisdictione sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanendum. Promulgantes nempe, et hac auctoritate beati Petri apostolorum principis coram Deo, et ejus terribili examine per hujus privilegii nostri constitutionem sancimus ac decernimus, ut loca, quæ a quolibet episcopo, vel abbate commutata sunt, nec non et diversorum locorum possessiones, quæ a regibus, ducibus, principibus, castaldeis, et a cæteris Christianis, concessa, largita, vel oblata sunt in eodem sancto et venerabili monasterio, aut in postmodum concessa, vel oblata fuerint, ipsius jure monasterii in perpetuum permanenda statuimus ; nec licentia sit, ut dictum est, et ejus, vel omnibus ejusdem monasterii pertinentibus cuiquam magnæ parvæque personæ auferre, ut pro recto, juxta id, quod subjectum idem venerabile monasterium apostolicis constitutis, atque privilegiis consistit, inconcusse permaneat. Et liceat eisdem monachis de sua congregatione abbatem semper eligere ; et liceat ipsi abbati suos judicare monachos non solum virile, sed et muliebre monasterium sibi subjectum. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei nostri pro stabilitate jam dicti venerabilis monasterii statuta sunt, refragare, aut in quoquam transilire voluerit, anathematis vinculo innodatus, et cum diabolo et angelis ejus, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandus deputetur. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens hujus nostri privilegii constitutum ad cultum Dei respicientem, benedictionis gratiam a Domino Deo nostro misericordissimo multipliciter conservatur, et vitæ æternæ particeps fieri mereatur. Bene valete. Scriptum per manum Adriani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martio, indictione secunda. Data per manum Stephani primicerii defensorum summæ apostolicæ sedis anno pontificatus domni Marini sumni pontificis secundi 2 in sacratissima sede beati Petri apostoli.

---

VI.

MARINI PAPÆ II BULLA PRO ECCLESIA SABINENSI.

(Anno 944).

[Sperandio, *Sabina sacra*, p. 331.]

Marinus, episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo fratri Joanni episcopo Sabinensi ejusque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamine pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium. Igitur quæ postulastis a nobis quatenus concederemus, et terminaremus tibi episcopatum Sabinensem, qui est ad honorem sanctæ Mariæ, Dei genitricis, qui ponitur in Foronovo cum omnibus suis, quæ juste et legaliter ei competunt, inclinati precibus vestris confirmamus et corroboramus tibi episcopatum, per hanc nostram apostolicæ præceptionis paginam, cujus est a latere flumen Tybur, currens usque ad territorium Utriculanum rivus, qui vocatur Votivus ; exinde ascendit ad finem Narniensem loco, qui vocatur Prata, et ab ipso affine provenit in confinio, et devenit in Scapua, procurrens in confinio Reatino; et ab ipso affine venit in montem qui vocatur Tancia ; et ab ipsi affinibus venit in morum Sabellianum, veniensque in cacumine montis Nigri, pergensque in casalem longum in ipsum Staffilum ; et ab ipso affine pergit ad Leones montanianum, deinde pergit ad rivum qui vadit juxta sanctam Victoriam Trybilensem. Deinde ascendit in montem qui vocatur Carbo, et per Aquam Mensam devenit in flumen Torritii, et per ipsam faldata decurrit in Carzoli, et venit in Campum Sacrum. Igitur inchoantur, sicut præfati sumus, ipsi affines a flumine Tyberis pergens juxta portam sancti Valentini, et venit ad portam Pincianicam, et ab ipsa pergit ad portam Salariam, ubi est ecclesia sancti Millitis Romam, qui est juris cupradicti episcopatus Sabinensis, et exinde venit ad Silicem qui est juxta sanctum Laurentium, et ab ipso affine venit ad Septem Fratres, et per ipsos fines venit in Silice, qui est juxta sanctam Anatoliam quæ est posita subter montem qui vocatur Rasiono, ibi est ecelesia Petri, quæ est juris ipsius episcopi, et exinde venit in Silice qui vadit juxta sanctum Vincentium, pergensque in sanctum Stephanum in fine rivi, et deinde per ipsos affines ascendit in cacumine montis Januarii, et exinde venit in montem qui vocatur Possode ; et pergens per terra montium, deinde veniens in Campum Sacrum, cum universis popularibus atque ecclesiis, et omnia quæ sub ejusdem episcopo adjacere, et pertinere videtur, tam in vasis, tamque castris, villis, et casalibus seu inter eamdem ecclesiam sacrarum vasa aurea vel argentea, vel qualiacunque fictilia, aut codicibus, vel indumenta, vel quibuslibet rebus mobilibus, vel immobilibus quæ ad eumdem episcopum pertinere dignoscitur, sit Integriter, quomodo prædecessoribus tuis episcopis, et pristinis pontificibus nostris exauritum fuit concedi-

mus tibi, tuisque successoribus in perpetuum detinendum, reddendum, ordinandum tam monasteria, quam etiam cæteras ecclesias, quæ in ipsis affines, cum omnibus quæ superius leguntur et concluduntur. Itemque statuimus presbyteris, et diaconibus, et omnibus clericis in minoribus ordinibus persistentibus, cum diaconissis et ancillis Dei sint tibi, tuisque successoribus subjecti, ut sancti Patres statuerunt, necnon ut ipsi persistant sub lege et censura vestra, vestrorumque successorum in perpetuum, et absoluti sint a cæteris potestatibus, ita ut nullus absque vos constringat, aut deducat in palatium pro quibuslibet querimoniis, neque forum ab eis aliquis exigat, quæ sunt de sorte Dei, ideo non oportet eos ministrare in omnibus sæcularibus quomodolibet, sed in potestate vestra, vestrorumque successorum permaneant in perpetuum cum decimis et primitiis, vel ea quæ pro mortuis testantur. Sunt omnia hæc sub jure vestro, vestrorumque successorum in perpetuum, ita ut nullus dux, nullus comes, vice-comes, nullaque alia, illa magna, parvaque persona cujuscunque dignitatis vel cujuscunque ordinis, hanc nostram apostolicam dignitatem, auctoritatem, et vestri episcopatus confirmationem, in aliquo lædere, minuere, vel retractare præsumat ; quod si quis fecerit, nostro anathemate feriatur, (245*) et in perpetuo damnationis chaos absorptus, et regno Dei alienus, et cum impiis æterno incendio, vel [supplicio condemnando sortemque capiat cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio per indictionem secundam. Bene valete. Datum per manum Gregorii, Dei providentia secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Marini, summi pontificis, universalis papæ, in sacratissima sede B. Petri apostoli, mense, etc.

VII.

EPISTOLA MARINI PAPÆ II AD SICUM CAPUANUM EPISC.

(Anno 942-46.)

[Tosti, *Storia di Montecasino*, I, 215.]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, SICO, Capuanæ Ecclesiæ episcopo.

Quamvis ab hac sacratissima sede beatorum apostolorum Petri et Pauli, apostolorum principum, contra statuta canonum, atque antiquorum Patrum decreta in episcopali ordine consecratus sis, non te contra tanto erigere debueras, nec tibi convenire licuerat, quanta et qualia a probatissimis viris Deum timentibus de te referuntur. Nam, sicut Cœlestinus papa in suis decretis confirmat, nulli sacerdoti licet canones ignorare, quanto magis te eos perscrutare convenerat, qui in episcopali culmine constitutus, te ipsum prius, deinde alios imbuere debueras. Sed quia laicali mente et habitu in principali aula nutritus ad famulandum, ut auditu didicimus, perstitisti, sæcularia magis quam jura episcopalia meditaris, magisque conventiculum laicorum quam clericorum cœtus desideras. Immemor, imo nescius illius Chalcedonensis concilii capitulo octavo, quod episcopus nullo modo ad comitatum ire debeat, et cætera in eodem capitulo nono, ut nullo modo improbitas episcoporum nitatur ad comitatum pergere, et reliqua. Hæc et alia multa magis contra teipsum, quam contra canones exerces ; insuper ignorans studia litterarum non cum disciplinatis neque peritissimis, qui te quiverant instruere, sed cum vilissimis atque indisciplinatis laicis et clericis imperitis quotidie vaga atque sæcularia meditaris. Unde nec Deum nec hominem metuens, plurima contra sacram Scripturam agere pertentas. Sed, quod mirum, cum etiam quod benefactor tuus instituit, qui te ab Agarena emit gente, tu contumacia atque imperitia ductus, nec Deum nec sanctos canones metuens, ausus es rumpere, nec veritus es transgredere quod præcessor tuus venerabilis antistes, qui canonice est ordinatus, instituit et sub anathematis vinculo religavit, et canonica confirmavit auctoritate, in tantum hoc pro nihilo duxisti, ut sicut Scriptura cujusdam doctoris testatur, imperito et in disciplinato tuo diacono, ecclesiam monasterii sancti Angeli de Monte, jam multis annis sub regulari tramite monachorum confirmatum, tradens, ut ibi, sicut quondam, saltationes et vacationes fiant. Certe si Dei timorem in animo contineres, non hoc perpetrari sed contradicere debueras, etiamsi, quod non credimus, filius noster tuus princeps, qui ut agnus innocens in talibus perseverat, facere voluisset, etsi, quod absit, ille in talibus consentit, tuis eum credimus machinationibus seductum. Unde præsciens omnia Deus, et cuncta suo libramine discernens, justo ejus judicio eum contra te benigne irritavit, ut te in exsilium mitteret, qui prius corpus, nunc animam moliris occidere. Igitur in his et in aliis et imperitum ostendens, quia nihil interrogando scire debueras quod concilium Chalcedonense in capitulo vigesimo quarto de monasteriis testatur ; sed quia negligendo nec interrogando ordinem cononicum prosequeris, de hoc usque ad tempus sileam. Sed quia ecclesiarum sancti Angeli de Monte pro amore tui diaconi contra sanctam institutionem subtractam de congregatione monachorum judicasti, hunc a tuo consortio, nisi quando justa morem tibi ministraverit, censemus esse privatum. Ecclesiam vero sancti Angeli de Monte volumus ad monasterii redire vigorem, sed hæc necesse est ut nostris roborentur præceptis. Quapropter Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, et omnium SS., et septem universalium canonum auctoritate te excommunicando, mittimus, ut ab omnibus his supra memoratis præcavere te, atque emendare summopere studeas, etc.

(245*) Hic locus sic nobis restituendus videtur : « et i. p, d. c. maneat a., et.....condemnandus, sortemque..... Christi ; qui autem custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionem et gratiam. » etc. EDIT.

deas, et eamdem ecclesiam sancti Angeli de Monte, quam vester prædecessor venerabilis antistes cum consilio principis benefactoris tui huic monasterio dedit, et canonica auctoritate confirmavit, insuper anathematis vinculo innodavit, ad monasterium præfatum, a præsenti hora restituas. Et convocatis universis Ecclesiæ ordinibus, taliter confirma, ut in perpetuum ibi sit monasterium, et semper sit sub custodia et dominio sancti Benedicti vestræ civitatis, et te ibi tuisque successoribus in nullo molestiam ingerentibus, nisi quantum a prædecessore tuo sancitum est. Si vero huic nostræ exhortationi et præceptioni inobediens fueris, sis Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium simul sanctorum, atque venerabilium septem universalium conciliorum auctoritate necnon et Spiritus sancti judicio omni sacerdotali honorem et nomine alienus, et omni officio clericatus exutus, ita ut si ulterius ausus fueris more pristino aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo tibi liceat communiones vel satisfactionis spem habere, sed in perpetuum anathematizatus, corpus et sanguinem Domini vicino tantum mortis periculo percipias.

## *DUBIA*

### I.

### PRIVILEGIUM MARINI PAPÆ II PRO ECCLESIA HAMBURGENSI.

(Anno 946.)

[Lappenberg, *Hamburgische Urkund.*]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo ADALDAGO, sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ archiepiscopo et confratri nostro, paternam dilectionem et perpetuam in Christo benedictionem.

Cum piæ desiderium voluntatis et laudandæ devotionis intentio apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda ut ea quæ legaliter geruntur, et æquitatis formæ conveniunt, nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabilli jure, Deo auctore, debeant permanere. Et ob hoc apostolicis promulgatis sanctionibus propria unicuique quæ rationi suppetunt, possidenda fas exigit confirmari. Et quoniam postulasti ut privilegium tuæ faceremus Ecclesiæ et apostolica tuitione roboravissemus, eamdem in pristinum manere statum concedimus. Et apostolico jure firmamus tibi tuæque sanctæ Hammaburgensi Ecclesiæ successoribusque tuis illam dignitatem et fines proprios, cum prædiis omnibus et parochiis et omnibus rebus mobilibus vel iumobilibus, cum mancipiis utriusque sexus possidere et tenere, quam piæ memoriæ Gregorius, antecessor noster, Ansgario, antecessori tuo quem archiepiscopum in tua ordinavit Ecclesia, concessit, stabilito scilicet jure et cunctis finibus, quas Lodovicus, piæ memoriæ imperator, et Lodovicus, ejus filius, tuam voluerunt habere Ecclesiam, et imperiali diffinierunt potestate. Decernimus autem, ut potestatem habeas ordinandi episcopos infra tuam parochiam et diœcesim, ita tamen, ut sub tua tuæque Ecclesiæ, salva dignitate ipsius maneant potestate. Si quis autem contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire tentaverit, et quoquomodo in parte vel in toto frangere nisus fuerit, sit excommunicatus a corpore et vivifico sanguine Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei Ecclesiæ aditu et conventione separatus. Observator autem hujus nostræ admonitionis et jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei, beatorumque apostolorum et nostram, qui eorum fungimur vicariatione.

Scriptum per manum Benedicti, cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione sexta.

### II.

### BULLA MARINI PAPÆ II CONFIRMATORIA OMNIUM JURIUM AC BONORUM ECCLESIÆ ADRIENSIS.

(Anno 946.)

[Muratori, *Antic Ital.* tom. I, col. 947]

MARTINUS episcopus, servus servorum Dei.

Convenit apostolico moderamine poscentibus benivola compassione succurrere, et poscentium sacræ devotioni impartiri assensum : ex hoc enim lucri potissimum primum apud conditorem præponitur Deum, quoniam venerabilia loca ad meliorem fuerint statum sine dubio producta. Atque ideo, quia juste et rationabiliter nostro apostolatui humiliter postulastis quatenus sanctam Dei Ecclesiam Adriensem beati Petri apostoli Domini per præsentis nostri privilegii auctoritatem concederemus et confirmaremus omnes possessiones et proprietates ejusdem Ecclesiæ Adriensis, id est, insulam, quæ vocatur Adriana, una cum tota silva sua et portubus, quod est portus Laureti, et portus Gauri, omnia in integrum persistente usque in mare, et a portu Laureti usque in canale Fea, et usque in canale Falce una cum venationibus, piscationibus, aucupationibus suis in integrum. Simul massam Quinto, et silva Lapario, et Lathualo, et canale Trionis, seu canale de Aira et canale de Palo, seu Conchagatula usque in piscaria Cythiu, et Corrigio Susorum. Atque totam insulam inter Athicem et Tartarum, cum silva, et manegium atque massam Gavello in integrum, et villa Martiana in integrum, seu fundum Roda cum silva et valle sibi pertinente usque valle Fraxinita et Lavigie et Valentina. Sicque Argelem majorem et Grignano, sive contra massa Pedrulio, seu fundum Pontecli usque in Vibo Carario, et fundum Lamando, et prædicta massa Pedrulio persistente usque in Stillo de Baldo. Insuper confirmamus et corroboramus in prædicta sancta Ecclesia Adriense plebem sanctæ Mariæ, quæ vocatur Corna Cervina persistente a canale de Finale usque in Gauro ; et plebem sanctæ Mariæ in Stornio, quam diruit flumen Padus, et persistente a rupta Jovianea usque in fossa Opilea, usque in fossa Corrulo in integrum : atque plebem sancti Georgii in Tamara, una cum massa Copario, et fundo Ambioso usque in valle Fraxineta in integrum. Sicque plebem san-

cti Martini in Roviolam in integrum, et plebem sancti Donati in Pedrulio, habeat, teneat, possideat suprascripta Ecclesia Adriensis in integrum. Ideoque per præsentis nostri privilegii auctoritatem confirmamus in prædicta Ecclesia Adriense massa Cappaciana et Lendenaria, una cum silva sua usque in flumen Athicem, seu Sulicini, et Tribano, et Mardinagus, seu Anguillaria, et Capite Argelle. Quapropter nostra apostolica præceptione, sive *ex præceptione dilectissimi filii nostri Ugonis serenissimi regis*, præcipimus ut nulla neque persona hominum cujuscunque conditionis vel gradus sit, sive dignitatis vel religiositatis, licentiam habeat in rebus et possessionibus prædictæ Ecclesiæ ingredi sine consensu episcopi, vel qui præest ipsi Ecclesiæ, neque minuere, neque dominare sive per hospitalitationem vel per commendationem, vel aliquam violentiam facere præsumat. Sed potius, ut præfati sumus, omnino in tempore salvas et illæsas persistant una cum omnibus tam clericis quam laicis et deservientibus, seu residentibus ejusdem Ecclesiæ, et omnes earum res mobiles et immobiles, se seque moventes in integrum stare quiete et pacifice vivere omnium hominum remota controversia. Nam, quod non credimus, siquispiam hanc nostri privilegii auctoritatem violator repertus fuerit, sciat se in iram beati Petri apostolorum principis, et filii nostri *Ugonis regis* et nostram, casurum. Et prædicta Ecclesia cum suis pertinentiis ut superius legitur, sub beati Petri apostolorum principis, et nostra nostrorumque successorum protectione permaneat. Insuper nisi a malo resipuerit, sciat se compositurum auri optimi mancusios mille, medietatem nostro sacro palatio, medietatem prædictæ Ecclesiæ. Qui vero pio intuitu custos et observator in omnibus existerit, benedictionis gratiam, vitamque æternam cum omnibus sanctis sine fine habere mereatur in sæculas æculorum. Amen.

Scripta per manum Gregorii scriniarii Romanæ Ecclesiæ.

Data patriarchio Lateranensi III Idus Junii. Bene valete.

Ego Benignus episcopus Ostiensis manu mea subscripsi.

Ego Grisogonus episcopus Portuensis manu mea subscripsi.

Anno ejus sedis secundo, et domni Ugonis quarto, indictione XII.

Et ego Dominicus, Christi misericordia sanctæ Adriensis Ecclesiæ notarius, vidi hanc authentici privilegii paginam, scriptam per manum domni Gregorii scriniari Romanæ Ecclesiæ, nihil addens vel minuens, exemplavi anno Dominicæ incarnationis 951, quarto decimo die exeunte mense Aprilis, indictione XIV, tempore domini Eugenii papæ et Conradi regis.

Ego Romeus domni Henrici regis notarius autenticum hujus exempli vidi et legi, sicuti hic continetur (246).

### III.

### MARINI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO NONANTULANO S. SYLVESTRI.

(Anno 942-46).

[Marini, *Papiri diplomatichi*, 11]

MARINUS episcopus, servus servorum Dei. THEODORICO religioso abbati venerabilis monasterii sancti Sylvestri... territorio Mutinensi, necnon omnibus subjacentibus, et in perpetuo...

Quæque ad laudem Redemptoris Dei et Domini Salvatoris nostri Jesu Christi pertinere noscuntur, et ad stabilitatem venerabilium locorum respiciunt, cum magno sollicitudinis studio nos convenit apostolica et rationabili censura procurare; quatenus ex hoc juges eidem propitiatori nostro Domino Deo efficacius persolvi possint carminum laudes, et nobis, qui licet immeriti, divina tamen gratia præveniente, pastoralem regiminis curam gerimus, opima in sidereis arcibus remunerationis præmia ascribantur. Igitur quia constat religiositatem tuam nobis detulisse præceptum prædecessoris nostri Domini Adriani, et Joannis reverendæ memoriæ pontificum de prædicto monasterio, et omnibus ei pertinentibus locis ac possessionibus, quæ petistis, ut per nostri apostolici privilegii paginam confirmaremus. Unde nos, precibus vestris inclinati, et a præsenti prima indictione in perpetuum sæpedictum monasterium successorum tuorum abbatum ditione et potestate cum omnibus sibi pertinentibus confirmantes, irrefragabili jure decernimus permanenda, id est, monasterium sancti Sylvestri, qu.... a Nonantula territorio Mutinensi. Quapropter auctoritate beati Petri apostoli, cui a Domino Deo nostro cœlorum regni claves traditæ sunt, et potestas ligandi atque solvendi cœlo terraque concessa est, promulgantes decernimus, et firma stabilitatis censura statuimus, ut ipsum venerabile monasterium cum omnibus locis, mansis, fundis, casis, casalibus domibus, atque familiis, servis originalibus, simulque rebus, et possessionibus, nec non aquismolis, olivetis, vel quidquid in quibuscunque... videtur vel potestate legaliter donatum vel largitum fuerit, aut quolibet modo juste evenerit, tenere et possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat. Et nulli unquam liceat regum... episcoporum... vel actorum parvæ vel magnæ personæ in prædicto venerabili monasterio, vel in eis, quæ eidem venerabili monasterio pertinere videntur; quocunque modo incumbere, aut invasionem facere... accedere, vel missarum solemnia celebrare, nisi abbate fuerit invitatus; quatenus hoc, quod ad laudem et utilitatem supradicti sancti monasterii statuimus, firma

(246) Pugna est inter annos Marini papæ et Hugonis regis. Anno quoque 944 decurrebat indictio II, non indictio XII. Animadverte etiam verba illa *ex præceptione dilectissimi filii nostri Hugonis serenissimi regis*, ut alia omittam. Cæterum si bulla hæc sincera dicenda esset, haberemus *mancusios mille componendos medietatem sacro palatio*. Lateranensi.

stabilitate permaneat. Interdicentes omnino episcopo, in cujus parochia esse videtur supradictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quicquam, sed neque ullo modo baptismales Ecclesias sibi vindicet.

Et ego Henricus, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarius, una cum Bartholomeo clerico sancti Petri ad Vincula, horum supradictorum exemplorum authentica privilegia, domnorum videlicet A Adriani, Joannis atque Marini papæ, videns atque perlegens, ut in eis continebatur, sic in suprascriptis continetur exemplis, et ea fideliter exemplavi, et signum feci. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ conscriptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem, etc.

Datum Laterani Idus junii, pontificatus nostri anno sexto decimo.

---

ANNO DOMINI DCCCL.

# COSMAS JAPYGUS

## MATERIENSIS.

## NOTITIA HISTORICA IN COSMAM JAPYGUM

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

Cosmas Japygus, Materiensis, circa annum 950 traditur carmen quoddam composuisse in honorem Theopompi episcopi, Theonæ et Synesii ; quorum martyrium Diocletiana persecutione passorum celebrant 21 Maii, Incipit :

Contulit agminibus fratrum pia munera Christus :

Præmisso exordio ad Gregorium Ligum, monachum Nonantulanum ;

Cosmas Gregorio monacho dedit ista benigno.

Subjicitur hymnus cujus initium :

Celsum triumphum martyrum.

Edidit ex Nonantulano codice Ughellus tomo II Italiæ Sacræ, ubi de Mutinensibus episcopis, pag. 111, 112.

---

# COSMÆ JAPYGI

## CARMEN

## IN HONOREM SS. THEOPOMPI ET SOCIORUM.

(Apud Ughelli, Italia sacra II, 111,)

### *MONITUM UGHELLI.*

Sanctorum Teopompi et sociorum res gestas legibus in pervetusto membranaceo codice abbatiæ Nonantulanæ, longe diversas ab iis quas Petrus de Natalibus lib. v, cap. 35, recensuit in catalogo ; quorum initium, post præfationem, eorumdemque nominum interpretationem, est hujusmodi : *Passio sanctorum Theopompi episcopi et Theonæ, qui est Synesii.* In fine vero : « Martyrizati sunt autem beatissimi Martyres Theopompus episcopus et Theonas, qui et Synesius, sub Diocletiano impiissimo imperatore, anno primo persecutionis ejus apud urbem Nicomediam, pridie nonas Januarii, regnante vero Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum Amen. » Cujus vero civitatis Theopompus fuerit episcopus, in actis non exprimitur, sed tantum Nicomediæ sub Diocletiana persecutione passus dicitur, una cum Synesio, quorum dies festus celebratur Nonantulæ 4 Januarii, quo die passi sunt, de quibus Martyrologium Romanum 21 Maii, et Baronius in notis, ubi perbelle demonstrat haud potuisse Theopompum Nicomedie episcopum esse in Diocletiana persecutione, cum temporum ratio parum consentire videatur. Anthymus enim Nicomediensis episcopus, qui sub Diocletiani persecutione ob Christi confessionem martyrii gloriam capitis obtruncatione suscepit, sancto Cyrillo ejusdem civitatis

episcopo successit, ut testantur acta sanctorum martyrum Indes et Domnæ, quæ recitat Metaphrast. VII Kal. Julii, ex quo Lipom. 6, et Surius tom. VI. Porro in honorem sanctorum Synesii et Theopompi quidam Cosmas Materiensis ante 700 annos hæc carmina cecinit inscripsitque ad Gregorium Nonantulanum monachum, inepta quidem et sine sale, sed Christiana antiquitate redolentia, quæ ex eodem vetustissimo codice Nonantulano excerpsimus, dum ibidem abbatis munere fungeremur.

---

Cosmas Materiensis Gregorio Ligo.
Cosmas Gregorio monacho dedit ista benigno
Carmina levitico qui eluit officio.
Ob meritum magni Theopompi præsulis almi,
Obque Synesii seu Theone tanei.
Sæpius is celsam rogitavit namque catervam
Scribendi causam nos celebrare piam.
Mox operam dedimus. Græco de fonte Latinus
Murmuret ut citius gesta sacrata pius.
Annuat ut Dominus nobis sua munera Christus ;
Addat opem precibus, cœtus ovans Lygeus.
Salvet amor famulum Christi fideique peramplum.
Sufficiat proprium tempus in orbe probum,
Amen.
Cosmas martyribus sacris carmen dedit actus
Gregorii precibus mente pia Japygus.
Feliciter.
Contulit agminibus fratrum pia munera Christus.
Orgia ferre Deus contulit agminibus.
Sumere plena rosis, at lipsana sacra violis
Martyricis sertis, sumere plena rosis.
Agmina sunt Domini, nam rubra cruore suavi.
Sacra nidore poli, agmina sunt Domini.
Martyriale decus, Theopompus splendet et artus.
Antula gestat opus, martyriale decus.
Reddit opes magicis, liberato restibus atris.
Tersa Synesi vis, reddit opes magicis.
Ymnidicos modulos, reboate lyges lapidosos.
Reddite per campos, hymnidicos modulos.
Intulit en nitida vobis Nicomedia fulcra.
Bebrua dona sua intulit en nitidia.
Vestibus athleticis, redimitos pangite notis.
Sit salus ut tectis, vestibus athleticis.
Semper agens Itala, stomachum pagatque caterva.
Annua det jubila, semper agens Itala.
Cantica jam socii, reboemus hinc Theopompi.
Rata sonent graphii, cantica jam socii.
Ordo boet cumuli, et nunc præit magne Synesi.
Inclyta sancte tui, ordo boet cumuli.
Suscitat impietas decimam pestem per eoas,
Christicolis machinas, suscitat impietas.
Angit opum cupidus, tinctum Dioclitianus.
Rex violare genus, angit opum cupidus.
Multa sibi stolidus nam fecerat idola pravus,
Ethnica dans latius, multa sibi stolidus.
Nil valuit nocuo cultu veneratus Apollo.
Dira Diana sacro, nil valuit nocuo.
Eximius rutilans, adit at Theopompus et instans,
Destruit atra solans, eximius rutilans.
Ista miser macida, stant idola vana nec alma.
Tota magis nocua, ista miser macida.
Auctor et omnipotens Deus est, orbis sola fingens
Cuncta manu retinens, auctor et omnipotens
Trinus honore jugi, sobolis seu flaminis almi,
A Vivit in arce poli, trinus honore jugi.
Spirat et irradiat proprios, terris quoque mandat;
Germina cuncta novat, spirat et irradiat.
Rejice vana minax, cole jam pia votus et audax,
Effectusque ferax, rejice vana minax.
Gaudeat ut Dominus de te Deus inclyte Christus,
O Dioclite meus gaudeat ut Dominus.
Rex ferus obstupuit, quisnam foret isque requirit.
Ista loquens timuit, rex ferus obstupuit.
Indit opem gregibus, Theopompus senes amandus,
Pontificem Bithynus, indit opem gregibus.
Rex furibunda vice, magicum boat hunc magis esse,
Et lacerat nocue, rex furibunda vice.
Cuncta flagella piis spondit moribundaque membris,
Indere dans scapulis, cuncta flagella piis.
B Bella magus agitat, dum menfica duraque monstrat.
Victus ad astra volat, bella magus agitat.
Sumpsit enim Theonas, rudimenta per undas.
Martyrii metas sumpsit enim Theonas.
Ecce beate tibi, præsul dedit alma Synesi.
Nomine lege poli, ecce beate tibi.
Trutinat excidua, sphæra tauri membra perempta
Et tua prorsus aqua, trutinat excidua.
Pavit amara pium, dulcem dedit affola gustum.
Impia plasta virum, pavit amara pium.
Angit amens oculum, Cæsar sacri reparatum.
Inspiciens origum, angit amens oculum :
Aspera supplicia, stabilis Theopompus ad acta.
Pandit ovans tenua, aspera supplicia.
Inde pius gladio jugulatus in æthera tuto
Gestat amœna loco, inde pius gladio.
C Vivit in arce nimis, Theonasque Synesius arvis.
Sat catapalastus equis, vivit in arce nimis.
Funera dum relevat Nicomedia plebs et adornat,
Ecce Nonanta micat, funera dum relevat.
Lygurici populi, vobis sunt ecce patroni.
Jam venerate dati, Lygurici populi.
Cantica sacra Deo resonet polus ordine trino.
Intonet omnis homo cantica sacra Deo.
Trina manens maculas nostras lavet alma potestas,
Expiet ipsa feras trina manens maculas.
Regna tuis famulis tribuens, Deus, annue votis.
Redde vicemque bonis, regna tuis famulis.
Amen.

Hymnum.

Celsum triumphum martyrum
D Pangamus omnes annuum,
Devota mente maximum
Christo ferentes canticum.
Psallamus at Theopompi
Mox bella, seu Synesii
Virtutis acta lucidi,
Pro regis alti muniis.
Hi namque vitæ gaudia,

Præsentis ac suavia,
Secli linquentes ardua
Gestant parata bravia.
Nam rex prophanus idolis
Impellit hos ut spurcidis
Litarent, nec flectit aris,
Tetris angit suppliciis.
Sed cuncta forti pectore,
Postquam flagella strenue,
Christi vicerunt munere.
Tenent coronas fulgide.
Nos ergo fratres supplices
Poscamus ut nos utiles
Reddant ad hymnos cœlites,
Regnique dent participes.
Sit Trinitati gloria,
Sit laus, decus, victoria
Patri ceu Nato maxima,
Cum Pneumate per sæcula.
Amen.

---

ANNO DOMINI DCCCCLIV.

# JOANNES ITALUS

CLUNIACENSIS MONACHUS.

## NOTITIA HISTORICA IN JOANNEM ITALUM.

(Oudin, Comment. de Script. eccles., tom. II, p. 434).

Joannes Italus, Cluniacensis monachus, patria Romanus, natione Italus, ac professione canonicus, quem sanctus Odo, abbas Cluniacensis anno 939 Romam profectus, hinc secum adduxit usque Ticinum, ibique monachum instituit, ut constat ex ipsius Joannis Itali verbis, libro I Vitæ sancti Odonis, num. 2 et 4. Inde cum illum aliquandiu in peregrinationis locum assumpsisset, priorem postea ordinavit, ut non semel legitur in libro II, num. 4, 7 et 10. Num Cluniaci, an Romæ ad sanctum Paulum, vel alibi, incerta res est : quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10 et 21. *Se Neapolim missum esse monasterii sui cogente necessitate* idem Joannes testatur, num. 21. Bienniumque lib. III, num. 5, computat totum illud temporis spatium, quo sancti Odonis socius fuit. Scripsit autem Vitam sancti Odonis abbatis Cluniacensis libris tribus, mandans litteris quidquid vel ipse per istud intervallum ejus factis aut dictis vidit atque audivit, vel ab aliis postmodum assequi potuit. Porro cum sanctus Odo anno 942, die 18 Novembris mortuus sit, non procul ab hoc tempore hanc abbatis sui Vitam scribere agressus est. Opusculum istud a se compositum Salernitatis monachis sibi amicis atque familiaribus olim, dedicavit Joannes Italus, quem multi postea imitati fuerunt. Eamdem enim Odonis Vitam circa, annum 1120 scribendam suscepit Nalgodus Cluniacensis monachus, in compendium simul ac meliorem ordinem Joannis opusculum redigens. Habetur hæc Vita sancti Odonis a Joanne Italo composita, in Collectaneo Laurentii Surii, tomo VI, ad diem 18 novembris. Itemque hæ duæ Vitæ Joannis et Nalgodi, in Bibliotheca Cluniacensi, cum notis Andreæ Duchesnii. Denique sæculo V sanctorum ordinis divi Benedicti, pag. 124 et sequentibus, 150 et sequentibus. Agunt de Joanne Italo Vitæ S. Odonis scriptore, Gerardus Joannes Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 40, pag. mihi 324 ; Joannes Mabillon et Andreas Duchesnius, locis allatis.

---

## VITA SANCTI ODONIS

ABBATIS CLUNIACENSIS II

*Vide supra in Prolegomenis ad sanctum Odonem.*

---

# JOANNIS ITALI

## IN LIBRUM SUUM DE MIRACULIS [247].

*PROLOGUS.*

(Pez, Codex diplomatico-historico-epistolaris).

Sæpe hortatus es, nobilissime vir atque clarissime consul, Domine Pantalee, me infimum Joannem, omnium monachorum sacerdotumque ultimum, ut aliqua, quæ in libris seu historiis Græ-

(247) Exstat opus in cod. Benedictoburano, manu sæculi XII circiter exarato, licet ejus auctor sæculo VII vel IX non videatur recentior.

eorum inveniuntur, quæ in Latinis non sunt, in A Latinum converterem linguam. Sed ego sæpius opposui tibi rusticitatem mei sermonis, considerans tantæ latitudinis pelago me ad transmeandum non posse sufficere cum tam parva scientiæ navicula, cum sint tanti sermones tantique libri, ut confidenter dicam, si surrexissent Ambrosius, Augustinus, Hieronymus atque Gregorius, qui fuerunt doctissimi in utraque scientia, divina scilicet et humana, et fuerint in eloquentia veluti quatuor paradisi flumina, ipsi quidem per multa tempora haberent quæ facere possent. Quanto magis ego, cum sim minimus omnium, et in utraque scientia minus eruditus, et sensus præ ætate jam sit diminutus, et oculi caligaverint mihi? Sed et hæc per multa tempora cum in corde meo versarem, et nescirem utrum tibi obedirem, aut ignorantiam meam silentio tegerem, quandoque tuis devictus adhortationibus, nec non et confisus in benevolentia. Patrum fratrumque, in quorum manibus ventura sunt hæc capitula seu narrationes, qui benigne eas corrigere et emendare studebunt, aggrediar hoc opus injunctum, invocando adjutorem Spiritum sanctum, qui aperit ora mutorum et linguas infantium facit disertas. Unde precor vos omnes qui lecturi estis; quod corrigendum est, corrigite; quod emendandum, emendate, et mihi, quæso, veniam date.

---

ANNO DOMINI DCCCL.

# LAURENTIUS

## CASSINENSIS PRIMUM MONACHUS, POSTEA INCERTÆ SEDIS EPISCOPUS

### NOTITIA HISTORICA

(Apud Mai, Spicilegii Romani tom. V.)

Petrus Diaconus in libello De viris illustribus Casinensibus, cap. 6, hæc habet: Laurentius Casinensis cœnobii monachus, scientia antecessorum suorum post sanctissimum Benedictum, nulli inferior, factus episcopus, etc., sermonem de beati Benedicti vigilia elegantem composuit.» Sedem Laurentii episcopalem Casinensia monumenta non designant; ipsum tamen circa annum Christi 950 floruisse tradit Marus in adnotationibus ad Petrum Diaconum. Sequentem ergo sermonem ex codice Vaticano 1202, olim Casinensi, Longobardicis litteris scripto et mire picto, libenter profero.

---

# LAURENTII

## SERMO IN VIGILIIS SANCTIS PATRIS BENEDICTI

Almifici Patris nostri Benedicti, o venerabillima B concio, celebraturi solemnia, cunctipotentis Dei, qui perfectionis culmen ei scandere concessit, supplices flagitemus clementiam, quatenus mens nostra, vitiorum emundata rubigine, sic sui patroni devote præstoletur adventum, ut ejus præsentiam lætabunda mereatur amplecti. Nullatenus siquidem dubitandum est, hunc sacratissimum patronum adesse nobis præsentem, cum ejus gloriosam festivitatem devotionis colere studemus affectu. Et quidem, cum omni tempore observantes almifica sua mandata pietate solita dignetur invisere, munireque non desinat, in hac tamen sua sanctissima solemnitate speciali quadam humanitate suis interesse dignabitur famulis, qui utique specialius solitoque more devotius omni industria sua student præcordia comere [sic] ad C tantum Patrem excipiendum. Siquidem illius cum capitis constat esse potissimum membrum, qui evangelica intonans voce dicere est dignatus: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic et ego in medio eorum ero (*Matth.* XVIII, 20). Si ergo caput, Christus, videlicet nobis in suo nomine congregatis adesse dignatur, ejus utique membra nullatenus absunt. Si autem ei membra, electi scilicet omnes, generaliter assunt, quanto magis gloriossissimus patronus noster Benedictus, ejus adhærens suos fovet clientes, eorumque precamina votaque salubria studet apud eumdem Altithronum commendare? Quem utique tanto facilius nostram impetrare salutem ab eodem Deo et Domino nostro haud dubie credimus, quanto post beatos et sanctos apostolos præ cunctis pene terrigenis, et meritorum

gloria sublimatus, et miraculorum ingentium efficaciis eminentius exaltatus est. Denique meritorum ejus insignia sic humanis omnimodo admiranda sunt sensibus, ut eorum modulum nimis excellere videantur.

Puerili namque sub ævo sancti flaminis gratia potitus, ita senili factus est sapientia, ut relictis paternis opibus, spretaque pompa humana, quam quidem liberalibus maxime artibus studentes assequi tunc conabantur, postremo nutricis sibi obsequentis spreto solamine, arduum peteret institutum. Callem quoque perdifficilem, tantum suis effecit sequacibus exemplo operum doctrinaque melliflua facilem, ut herilis vox passim experiatur, qua dicitur: Jugum quidem meum suave est, et onus meum leve. Nam cujus doctrina eftatuque mirifico, imo præcipuo exemplo tanta monachorum phalanx divinis se mancipavit præceptis, nisi ejus, qui Deo præsule, ea quæ luculenter et suaviter docuit, opere efficaciter adimplevit? Quam dignanter autem Deus ejus approbaverit famulatum, hinc liquido claret, quod eum, quem multis in exemplo vitæ proponere destinaverat, in cavernis montium diu latitare nequaquam permisit. Ut enim in ejus vita legitur, quam beatus Gregorius dulciter edidit, et primo cuidam presbytero refectionem sibi in paschali solemnitate præparanti præcipere dignatus est, ut suum devotissimum famulum in scopulorum abruptis inedia confectum inviseret, et postmodum subulcis et aliis quamplurimis eum voluit manifestari. Digno procul dubio sanctoque judicio, quatenus tam emicans virtutum exemplis lucerna, tamque prænitens signorum efficacia gemma, diu sub latibuli modio non esset occulta.

Porro quanta sit eum comitata prodigiorum efficacia, nullam scire diffido, cum utique tam sint insignia, ut post sanctos, ut præfatum est, apostolos, ei specialiter quodammodo a Salvatore dictum fuisse videatur. Majora his facies, credens in nomine meo. Vere in ejus nomine credens, tot aliaque exhibere miracula voluit, quem omnibus sepositis hujus labantis vitæ prosperis, est amplexus. Unde jure cœlitus ei collata est virtus excelsa, qua utique examini cadaveri vitam orando restituit; et inter cætera innumera, solo intuitu vinctorum lora brachiorum dissoluit. Dolium quoque omnino vacuum oratu supplici lecytho manare potenter exhibuit. Placidum necnon puerum æquorea demersum in unda, sui pepli [sic] apparitione per Maurum æque beatum stabili reddidit solo: et reliqua quæ pene toto orbi terrarum et notissima et celebria fore non ambigo. Digne ergo a nobis suis servulis debita celebratur solemnitate, qui corporea tranquille deposita sarcina, ad æthera transmigravit palatia, illa suscepturus ineffabilia præmia quæ humana æstimatione propter sui magnitudinem plene non possunt considerari.

Merito quoque in ejus sacrosancta solemnitate spirituali tripudiamus jubilo, qui vigilum comitatus A obsequio per stratam polico decoratam ornatu, cœlorum tripudians alta conscendit. Nempe dignum est, ut ejus amplectamur devota exultatione solemnia, quem e terris abstractum sua Christus ditavit munificentia. Non ab re est eum præ cæteris sanctis devotius celebrare, cujus, divina annuente clementia, quotidie experimur juvamen. Porro valde est indecens ut eum sua propria concio, conatu quo valet, glorificare negligat, quem exteræ quæque, proculque positæ provinciæ, meritorum ejus spiculis illustratæ, devotissimis obsequiis venerantur. Sed interim quibus potissimum hic noster beatissimus Pater delectari dignatur obsequiis, ejus sanctæ institutionis regula perlecta diligenterque perscrustata, perpendamus quatenus B ejus sequentes tramitem deviis quibusque possimus vigilanter carere dumetis [sic]. Inter cætera nimirum quæ celeberrima idem Pater edocuit instrumenta virtutum, charitatem quæ est perfectionis vinculum, humilitatemque quam constat omnium reliquarum esse custodem virtutum, præcipue commendavit. Psallendi quoque officium quam caute moderateque, et ut ipsius utar elogio, qua gravitate nobis exhibendum præceperit, vestra charitas minime ignorat. Dicit enim inter cætera: sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostræ. In quibus verbis luce clarius indicat, non se vocum dulcedine, immoderateque sublimata cantilena, sed potius inspectione vis verborum, salubrique delectari compunctione.

C Studeamus itaque, dulcissimi fratres, in hac ejus præcipua solemnitate charitate fervidi, mentis humilitate decori, cantilenæ suavitate salubriter compuncti, tanti Patris celebrare memoriam, cujus patrociniis ubique mereamur muniri. Sed quia, sicut idem sanctissimus dicit, ea quæ agenda sunt, oratu debent inchoari, aliquantisper illius supplicemus patrocinatui, quatenus devote cœpta feliciter consummentur. Igitur, te nostrum pastorem, cernua mente, tuæ flagitamus bidentes, ut nostri dignanter misertus, solitas offeras cunctisatori Deo pro tuo grege preces; ab antiqui hostis nos tuos famellulos incursionibus pie tuearis; charitatis nos pollere virtute misericorditer facias; charismatum omnium affluentium clementer largieris D tuis clientulis, ac quandoque tuis nos facias aggregari cœtibus. Me quoque tui encomii præsumptorem litterariæ peritæ minus edoctum, famulorum scilicet tuorum vernaculum ultimum, tuo, quæso, protege patrocinio, quatenus omnes pariter tuo munere ditati, nostrorum impetremus facinorum veniam. Interea nostræ paginæ calx breviter hujus excellentissimi Patris nostri summam concludat.

Sed quando nostra inertia faceto lepidoque sermone hujus plene valet enarrare meritorum insignia? Cum etiam Plato vel Demosthenes eloquentiæ, sicut aiunt, torrentes, si ab Erebi faucibus, in quo cruciantur, resurgerent, tanti præconia Patris potius possent stupere quam loqui. Quandoquidem tanta eum tonantis clementia insignivit beatitudine,

ut et polica regnajustitiæ stemmate laureatus possideat ovans, et sua pignora, quibus Cassinense beatur cœnobium, a regibus terræ cernuo summissoque venerentur adoratu. Tantis enim miraculorum prodigiis etiam nunc apud suum honorificum larem præpollet, ut ejusmodi rumoris tonitruum transmarinos ultramontanosque principes ad sui pertrahat potenter obsequium. Nec immerito sane terrenis a principibus venerabiliter honoratur, qui regum omnium regi colla summittens, in omni studuit vita sua dignissime famulari. Ipse siquidem per prophetam dignatus est polliceri : ego glorificantes me glorificabo.

Vere quidem insigniter hunc nostrum sacratissimum Patrem glorificavit et glorificat, non tantum in æthereis regnis, sed etiam coram hominibus in terris quo totus agnoscat orbis quanta beatitudinis gloria exaltatur, qui pro ejus nomine studuit in hac vita salubriter humiliari. En illum quem spelaca [spelunca] tenuerunt aliquantulum latitantem, nunc paradisus retinet exsultantem ; et quem arva quondam habuerunt confectum jejuniis, nunc Olympi gaudia complectuntur tripudiis. En illius vestigiis, quem olim sola Campania noverat, nunc reges terræ litant devotissima oscula necnon permunifica munera. Jam nunc ergo, Pater excellentissime patrum, tuam cernui flagitamus clementiam, ut nobis opis tuæ porrigas dexteram. Obstrue, quæso, nostri misertus iniquorum (*Cob.* cicorum) ora crudelia qui tuas fraudulenter gestiunt illicere vernulas. Da solamen tuum, Pater, tuis clientulis quos ad tuum imitandum callem pertraxisti clementius. Pande dignanter, poscimus, iter quo ad patriam pervenitur, quatenus ex tuo grege nullum nanciscatur periculum ; ut olim tibi collata talenta communi Domino geminata de nobis restituens, duplici præmio potiri merearis. Nos quoque immeriti per tuum interventum saltem evadamus supplicium, quos ob meritorum qualitatem consecuturos ambigimus præmium. Præstante Domino nostro Jesu Christo qui te, beatissime Pater, adeo sublimavit ut nullo sanctorum (*ita cod.*) post beatos apostolos inferior videaris ; ipso utique qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

---

ANNO DOMINI DCCCCLVI.

# AGAPETUS PAPA II.

## NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, conciliorum amplissima Collect. XVIII, 405.)

Agapetus Marino successit, anno Christi 946, tempore Constantini VIII. Hic post multas synodos in causa Hugonis et Artaldi celebratas, Rhemensem archiepiscopatum Artaldo adjudicatum confirmavit. Brunoni Coloniensi archiepiscopo, Ottonis fratri, pallium petenti concessit. Debellatis ab Ottone rege magna victoria Danis, iisdemque in Christianam religionem acceptis, gratulatus est Hamburgensi Ecclesiæ, ejusque privilegia a majoribus accepta innovavit (ADAM. lib. II, c. 2).

Hujus tempore post obitum Lotharii Berengarius regnum Italiæ invasit. Otto imperator vero ab Adelheide filia Rodulphi relictaque Lotharii uxore, et Agapeto pontifice, fugata tota Berengarii familia, pro suppetiis ferendis sollicitatus, Adelheidem reginam, olim Lotharii conjugem, uxorem accepit. Idem regnum integerrime defendit. Agapetus, cum novem annis, mensibus septem et diebus decem munere pastorali bene functus fuisset, ex hac vita migravit.

---

# AGAPETI PAPÆ II.
# EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

### I.

AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 946.)

*Confirmatio privilegiorum quæ Marinus II papa Fuldensi monasterio concessit.*

[*Cocquelines, bullar., privileg., amp. Collect.*, I, 250.]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, HADAMARO religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribusque tuis abbatibus in perpetuum.

Summam gerentes sollicitudinem omnium venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, de eorum stabilitate satagere studemus. Hoc namque studio, et divina placatur clementia, et laus Ecclesiæ Christi procuratur ; nam

potiori et nos fiducia pro impetranda venia delictorum, æternam pietatem ardemus implorare: et ideo reverentia tua postulavit a nobis quatenus jam dictum venerabile monasterium Domini Salvatoris a sancto Bonifacio episcopo constructum in loco qui vocatur Boconia erga ripam fluminis Fuldaha, privilegii sedis apostolicæ munimine decoretur, et sub jurisdictione sanctæ nostræ cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ, constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur: de qua re piis desideriis tuis faventes, hac nostra apostolica auctoritate id, quod exposcis, effectui mancipamus secundum privilegii seriem, quod ab antecessore nostro bonæ memoriæ Marino hujus almæ sedis præsule inibi perpetualiter factum nobis ostendere sategisti: et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, aut auctoritatem, præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare; ut profecto juxta id, quod subjectum, apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat, locisque, ac rebus, tam eis quas moderno tempore tenet, vel possidet, quam quas futuris temporibus in jura monasterii divina pietas voluerit augere ex donis, et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. De cætero vero hoc deliberantes, decernimus, ut congruis temporibus, nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu, animus gressusque rectitudinis a veræ norma justitiæ aliquo modo retorqueatur; et neque regi, neque episcopo cuilibet, vel comiti, vel aliæ magnæ parvæque personæ licitum sit quamlibet vim inferre, sive aliquam controversiam facere in rebus et familiis ejusdem sæpe dicti venerabilis monasterii.

Auctoritate nostra etiam interdicimus, ut nulla femina inibi ingredi unquam præsumat, nemo in eodem venerabili monasterio, vel in cæteris ejus locis placitum habeat, nemo servos, vel colonos ad aliquod servitium astringat, illis tantum exceptis personis, quibus abbas ad utilitatem suæ necessitatis assensum præbuerit.

Eligendi sibi abbatem, quando opus fuerit, fratres inter se potestatem habeant, secundum regulam sancti Benedicti sine ullius personæ contradictione, tibique, dilecte fili Hadamare, quia te bene eruditum, et eloquentem virum novimus, verbum Dei prædicare auctoritate sancti Petri, et concedimus, et præcipimus. Igitur statuentes apostolica censura decernimus per hujus decreti nostri paginam, ut quicumque cujuslibet Ecclesiæ antistes, vel quacunque dignitate prædita persona hanc privilegii nostri auctoritatem, quam prærogativa principis apostolorum firmamus, temerare præsumpserit, nisi cito resipuerit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate roborata. Qui autem custos et observator hujus nostri privilegii [adde exstiterit] benedictionem et gratiam a Domino consequatur.

Scriptum per manus Leonis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobris, indictione V. Datum VII Kal. Novembris per manum Stephani, primicerii summæ apostolicæ sedis, anno, Dei propitio, pontificatus domni Agapeti summi pontificis, et universalis papæ II, in mense Octobris, indict. V.

## II

### AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD ATENULFUM PRINCIPEM BENEVENTANUM.

(Anno 946).

*Hortatur ut monasterium S. Sophiæ monachis Casinensibus restituat.*

[Apud Gattula, *Hist. Cas.*, 53.]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, ATENULFO, Beneventano principi, salutem et apostolicam benedictionem.

Officii nostri consuetudo deposcit vigilantes, et diem judicii exspectantes, ut in melius proficiant, admonere, negligentes corrigere, juxta illud apostolicum: « Argue, obsecra et increpa (*II Tim.* IV, 2). » Hinc in alio loco Dominus per prophetam dicit: « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ejus, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech*, III, 18). » Nostræ igitur mentis benevolentiam a dilecto filio nostro Balduino abbate audientes, unde valde gaudentes sumus, quod nos ad ecclesiarum exaltationem promptos audivimus. Sed quia nos constringit omnium Ecclesiarum pastoralis cura sollicite vigilare, sicut nobis noster spiritualis filius Balduinus, reverentissimus monasteriorum Pater, retulit vestris dominationibus, in bono quod cœperatis non permansisse. Unde valde mœremus, et dolentes sumus, quod monasterium in honore sanctæ Sophiæ intra Beneventanam civitatem positum, et sub ditione beati Benedicti Patris monachorum in Cassino monte constituto ab ipso suæ constructionis exordio ita permanente, vestris autem temporibus audacter statuta regum, et universalium apostolicorum virorum præ oculis non habentes, jam dictum monasterium sanctæ Sophiæ inaudita temeritate sub ditione monasterii beati Benedicti subtrahere non formidastis, sed eumdem monasterium jam dictum Balduinus reverendissimus abbas canonica auctoritate, et regum, et apostolorum præceptis legalibus recollectum in ipsius sancti monasterii ditione revocatum. Prædecessori autem nostro Marino pontifice eum ad se vocante idem ipsum monasterium invadere præsumpsistis. Idcirco omnimodis monemus, et pro Christi amore obsecramus, ut jam dictum monasterium repetenti supradicto abbati in integro reddere

debeatis, et ulterius de monasterio sanctæ Sophiæ Cassinensi cœnobio molestiam non faciatis, et si, quod absit, aliter feceritis, sicut in nostrorum prædecessorum pontificum præceptis sancitum est, ita et vos sub anathematis vinculo innodandum nihilominus sciatis.

### III.

AGAPETI II PRIVILEGIUM PRO PARTHENONE ESSENENSI.

(Anno 946.)

*Parthenonis Essenensis privilegia, petente Hatewiga abbatissa, confirmat.*

[Marini, *Papiri diplomatichi*, 35.]

Agapetus episcopus, servus servorum Dei. Hathewigæ religiosæ abbatissæ, et monasterio Asindæ ab Altfrido quondam præsule constructo, suisque successoribus in perpetuum.

Tunc summæ apostolicæ dignitatis apex in hoc divini prospectus nitore dignoscitur perfulgere, cum in exercendis Dei laudibus impensius studebit sui laboris exhibere certamen. Igitur quia postulastis a nobis per interventum domni et gloriosi regis Ottonis, quatenus privilegium datum a prædecessore nostro domno Zacharia papa prælibato monasterio, cui vocabulum est Asindæ, ab Alfrido præsule constructo, quod flammarum adustione cum prædicto monasterio combustum est, nostra apostolica auctoritate vobis idem privilegium noviter concedere juberemus, et decimam, quam permissu prædicti domni apostolici, et assensu episcoporum totius cleri. Guntharius Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus earumdem sanctimonialium victui atterminaverat, et electionis arbitrium, ut quando abbatissa defuncta fuerit licentiam habeant sanctimoniales, quam ibidem fuerit intrinsecus, de semetipsis quæ digna fuerit, et Deo placita, eligere abbatissam. Et ut privilegiis apostolicæ sedis idem monasterium decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore, deservimus Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur ; pro qua re piis desideriis vestris faventes, id quod exposcitis effectui mancipamus, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictu, ut nullus unquam præsumat quispiam cujuscunque sit dignitatis, vel quantumcunque magna pravaque persona, de rebus aut possessionibus, vel quidquam quæ ei pertinere videntur quoquo modo auferre, aut alienare præsumat, sed nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam ibidem sive pacis, sive barbarico tempore firma stabilitate decernimus sub jurisdictione sanctæ nostræ Ecclesiæ permanendum. At vero qui pio intuitu observator hujus nostri apostolici privilegii exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur.

### IV.

AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD LEONEM ET BENEDICTUM IN ECCLESIAS TRIVENTINAM ET TERMOLENSEM INTRUSOS.

(Anno 947.)

[Apud Mansi, *Concil.* XVIII, 412.]

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Leoni presbytero et monacho, et Benedicto æque presbytero, irrationabiliter a nobis consecratis episcopis, et ipsum ordinem... vestientibus.

Misimus jam vobis litteras quatenus veniretis ad nos, et satisfaceretis accusationibus et querelis quas adversus nos habet Joannes episcopus sanctæ sedis Beneventanæ, qui interpellavit super nos atque ostendit privilegia facta nostris antecessoribus pontificibus S. R. E. et apostolicæ sedis cum districto anathemate, ut nullus aliquis præsumat minuere terminos prædictæ Beneventanæ ecclesiæ, et quod Triventina et Termolensis ecclesiæ antiquitus subditæ fuissent Beneventano episcopo, pariterque ei omnes aliæ ecclesiæ, quæ constructæ vel construendæ sunt infra terminos istarum et aliarum per civitates et castra, cunctaque loca Beneventani principatus ditioni subjecta, et quia renuistis venire, et rationem reddere, cognovimus, vos non per ostium intrasse, sed furtive, ut fures et latrones aliunde irrupsisse, et indebite episcopale ministerium usurpasse ; cumque nova præsumptio surrexerit, ut videtur, ut plebes quæ subditæ sunt sub diœcesi et.... episcopatus ipsius Beneventanæ provinciæ contra instituta canonum per præmium et datum elegerunt vos sibi per simoniacam hæresim episcopos, ideoque excommunicamus vos ex auctoritate B. Petri apostolorum principis, ut neque in eisdem plebibus, hoc est Triventina et Termulana ecclesia, episcopalem cathedram.... præsumatis, nec in nulla alia ecclesia permissum habeatis aliquod episcopale officium peragere. Nos denique cognoscentes quod licet illud ab antiquis possessum est pontificibus, et omnia et parochias, et diœceses integre Beneventano principatui retradimus, renovamus atque confirmamus eidem Joanni Beneventano episcopo, ejusque successoribus in perpetuum possidendum, a nostrorumque successorum nullo aliquid minuendum, propterea admonendo, mandando excommunicamus, auctoritate beati Petri apostolorum principis, clericos et cunctam plebem Triventinam et in Termolis consistentem ut si.... sine gastaldeis ministerialibus seu clericus, vel populus ipsarum civitatum præsumpserit quærere supradictos Leonem monachum et Benedictum æque presbyterum in ipsis civitatibus excipere ad pontificalem ordinem exercendum sub anathematis vinculo meneant constricti. Si quis autem, quod non optamus, ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ Beneventanæ Ecclesiæ statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, aut minuere terminos, sciat se anathematis vinculo innodatum, sed et cum Juda Domini traditore, et cum omnibus

impiis æterno supplicio condemnatum. At vero A qui pro intuitu observator et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Datum per manus Stephani primicerii sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, anno, Domino propitio, pontificatus domini Agapeti II papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, ind. v.

V.

AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD ADALGARIUM HAMBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 948.)

*Junctionem Bremensis Ecclesiæ cum Hamburgensi, et cætera Hamburgensis jura confirmat.*

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Adalgario S. Hammaburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolicæ moderationi pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentibus animos alacri devotione impertire; ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum procul dubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ad meliorem fuerint statum sine dubio producta. Igitur quia postulastis a nobis quatenus archiepiscopatum Hammaburgensis Ecclesiæ totum integrum vobis confirmaremus, sicut a prædecessore D. nostro Nicolao hujus apostolicæ sedis decretum est; inclinati precibus Hadamari Fuldensis abbatis, apostolica auctoritate concedimus cum omnibus generaliter atque specialiter locis ad eumdem vestrum archiepiscopum pertinentibus, scilicet omnia quæ vestri antecessores suis laboribus acquisiverunt, vel etiam amor æternæ patriæ ibi a Christicolarum fidelibus largita sunt largiuntur; cum illis etiam, qui nunc suo tempore divina protegentia ad Christi conversi sunt fidem, videlicet episcopis Danorum, Norvenorum, Suvevonum, nec non omnium septemtrionalium partium; pallium quoque, et ejus usum in prænominatis a prædicto papa factis habendum tibi, et omnibus successoribus tuis perpetuo decernimus. Deinceps vero D nullum archiepiscoporum, vel Coloniensem, vel alium quemlibet in vestra diœcesi ullam sibi vindicare decernimus potestatem; quinimo et ipsis et omnibus omnino suademus cultoribus religionis, ut adjutorium, et solatia vo is in omnibus administrent; quatenus pro gratia hujus beneficii plenam recipere mercedem a Domino mereantur, cum omnia, quæ proficua ecclesiæ probantur exhibere, et divinis non impugnantur præceptionibus, efficienda et præbenda omnipotentis Dei auctoritate, et beatorum apostolorum Petri et Pauli esse non dubitamus, et hoc nostro decreto decernimus, secundum prænominatæ bonæ memoriæ Nicolai papæ sanctionem, et reverendissimi regis Ludovici votum, ipsas prædictas diœceses, Hamburgensem scilicet, et Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse et vocari; omnem quoque adversantem vel contradicentem, atque piis nostris studiis quolibet modo insidiantem, anathematis sermone percutimus, perpetuæque ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolorum, more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus muniamus. Apostolica itaque auctoritate, et Bernhardo episcopo Alverstadensi, Thidardo Hisdenensis ecclesiæ, et cæteris conterminalibus episcopis insuper jubemus et eos monemus, ut te in omnibus adjuvent, quatenus sacerdotale ministerium explere et animarum lucra Do- B mino Jesu Christo facilius acquirere valeas. Auctoritate ergo apostolica et censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdicto statuimus, et nulla persona magna vel parva, cujuscunque ordinis, aut dignitatis sit, omnia quæ a nobis, vel prædecessoribus nostris ecclesiæ tuæ et tibi concessa sunt violet; quicunque autem mutaverit, vel in aliquo violare præsumpserit, nisi resipuerit, auctoritate Dei, et B Petri, et nostra, qui ejus fungimur vicariatione, perpetui anathematis vinculo sit innodatus. Qui vero custos et observator ejus exstiterit benedictionis gratiam, et cœlestis retributionis a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Arronis notarii regionarii, C atque scriniarii S. R. E. in mense Januario, indictione VI. Data IV Nonas Januarii per manum Andreæ arcarii sanctæ sedis apostolicæ in sacratissima sede B. Petri apostoli, indictione VI.

VI.

AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD WINDILGARDEM ABBATISSAM.

(Anno 948.)

*Monasterium Gandersheimense in Saxonia constructum, sub protectione sedis apostolicæ recipitur variisque donatur privilegiis.*

[Apud Coquelines, *Bullarum collect.* I, 251.]

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Windilgardi, abbatissæ venerabilis monasterii Ganderescheimensis, construti ab Ottone comite de Saxonia, aliisque suæ sortis abbatissis in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotioni conditoris piæ conservationis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulavit a nobis Hathumarus venerabilis abbas, ut per ejus interventum atque deprecationem vestrum monasterium Gandereschein situm juxta fluvium Aternam, apostolica auctoritate vobis confirmaremus, sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ, constitutum, nullius alterius ecclesiæ jnrisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes [per] hanc nostram auctoritatem id, quod poscitur, effectui mancipamus, et ideo omnem cu-

juslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere auctoritate nostra, præter sedem apostolicam prohibemus. Auctoritate namque beatorum apostolorum Petri et Pauli jubemus ut nullus rex audeat, præter licentiam vestram, monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id, quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse ditatum permaneat locis ac rebus, tam his, quæ tempore moderno habet, vel possidet quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere, et donis, oblationibus, decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Quando autem abbatissa ipsius monasterii de hoc sæculo migraverit, nulli sit licitum, aliquam ibidem ordinare abbatissam, nisi ex ipsa congregatione, si talem invenerit, quæ digna Deo sit. Et si fortasse ibidem inventa non fuerit, tum rex habeat potestatem talem ibidem ordinare abbatissam quæ digna Deo placere possit. Constituimus etiam per hujus decreti nostri paginam, ut quacunque dignitate prædita persona hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a cœtu sanctorum omnium extorris existat, ut nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta, perpetualiter inviolata permaneat, apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manus Stephani scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Januario indictione sexta. Bene valete. Datum III nonas Januarias per manus Andreæ divini, respectus gratia, arcarii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus Agapeti, summi pontificis, Junioris, papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, secundo.

VII.

AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. BONIFACII FULDENSI.

(Anno 948).

*Monasterii Fuldensis, « noviter renovati » privilegia confirmat.*

[Dronke, *Codex diplom. Fuld.*, p. 320].

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Hadamaro venerabili abbati et per eum in monasterio a sancto Bonifacio primitus constructo atque noviter renovato suisque successoribus abbatibus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris a sancto Bonifacio primitus constructum et a te noviter ædificatum in loco Boconis erga ripam fluminis Fulda privilegii sedis apostolicæ infulis decoretur et sub jurisdictione nostra Deo auctore cui deservimus Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ juridictionibus submittatur : idcirco piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem vel episcopum in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locis et rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet quam quas futuris temporibus in jura ipsius venerabilis monasterii divina pietas augere voluerit ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate persona hanc nostri privilegii chartam quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario et indictione VI.

Datum IV Nonas Januarias.

VIII.

EPISTOLA AGAPETI PAPÆ II AD GERARDUM LAUREACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 948).

*Dissidium ecclesiarum Laureacensis (hoc est Pataviensis) et Salisburgensis componit. Salisburgensi occidentalem Pannoniam attribuit; Laureacensi, utpote antiquiori, benedictionis et sedis honorem, orientalem Pannoniam, regiones Avarorum, Moravorum, Sclavorum : potestatem libere prædicandi per omnes Sclavorum terras, episcopos ibi ordinandi, omniaque auctoritate apostolica constituendi.*

[Apud Mansi, *Concil.* XVIII, 405].

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, fratri dilectissimo et reverendissimo Gerardo sanctæ Laureacensis Ecclesiæ archiepiscopo, in Christo salutem.

Petitiones tuas pro renovandis sive approbandis Ecclesiæ tuæ privilegiis , venerabilis Fuldensis monasterii abbas Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna benevolentia nostræ experientiæ suggessit, pariterque jurgia et disceptationes gravissimas inter te et Heroldum archiepiscopum, pro utrinque suscepta in una provincia pallii auctoritate exortas, flebiliter nuntiavit : quod et ipsi ex debita pastorali cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta et universalis Ecclesia, cui auctore Deo præsidemus, a religiosis atque pacatis sacerdotibus suis, et in charitate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur ; discordantibus autem et adversum se hostiliter inflante superbia

animum tollentibus, præsertim tantis pontificibus, velut evulsis sustentaculis casura, non sine magno periculo et vigoris sui detrimento a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum deforis inter vos pro pallii honore pertinaciter hujusmodi contentio exercetur : agitur ut in fraterna æmulatione decor sacerdotii intus evacuetur.

Inde ergo, frater, officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente dissidium sanctæ Dei Ecclesiæ, atque scandalum sine consilii et utilitatis vestræ respectu diutius nutriatur : ad sequestrandum litem vestram accedimus nos arbitres, tam ex sollicitudine a domino regiminis injuncti, quam amborum vestrorum amore ad hoc permoti ; ita videlicet ut et de prælibata conflictus vestri querimonia rationabilibus judiciis rite justitiæ satisfaciamus, et vos omni explosa controversia in fraternam concordiam Christo moderante revocemus.

Notum est igitur, litterisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac apostolica sede debeatur. Lauriacensem autem urbem antiquitus metropolitanam fore, et archiepiscopi sedem, cui sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in privilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus, ita quoque inventis quibusdam exemplaribus chartæ vetustate admodum attritis in archivio sancti Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ, et immanissima Christianorum persecutione, a doctoribus istius sedis catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse ; et exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniæ provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus provinciis, illarumque pontificibus, usque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctæ Lauriacensis præfuit archiepiscopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit atque funditus desolavit. Inde quidem contigit, ut episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque alio translata, simul etiam archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab apostolico vicario Bawariorum regno, Arno primus sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ subrogatur archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacris scripti historia. Modo autem mortalibus propitiante Christo, ab hostibus sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ quiete et in habitandi securitate concessa, non alibi quam ibidem fraternitatis tuæ cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronizamus te eidem Ecclesiæ sanctorum Patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed et beatæ memoriæ domini Leonis papæ, a quo excellentia tua pallio ac privilegio donata est, sanctiones atque statuta exsequentes : ac sæpe dictam sanctam Lauriacensem Ecclesiam potestate et vice beati A Petri apostolorum principis absolvimus, et archiepiscopamus, et in culmen metropolitanum sublimamus, et privilegia nobis transmissa manu propria munimus et corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi pallium cum præsenti præcepto secundum usum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Illisque ex amussi ita ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras, et dissensiones præfata ex causa derivatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sicut utrique vestrum modo susceptus servetur pallii honor illæsus, hortantes quatenus apostolice instituti, amodo non in contentione et æmulatione maneatis. Constat quidem quod canonice singulis provinciis singuli ordi- B nantur metropolitani. Proinde distribuere atque determinare ita vobis parochias, bonum et pacificum æstimamus : ut divisis duabus. Noricæ regionis provinciis, Heroldo archiepiscopo occidentalis Pannoniæ cura committatur et custodia : tibi autem successoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem sanctæ Lauriacensis ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assurgit, in benedictionis et sedis ordine prælatis atque præpositis, providentiam orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum atque Maraborum (248) sed et Sclavorum, qui modo Christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium, credimus, nostramque apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, et pro arbitrio vestro C ubi opus est episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus. Quod si jam dictus Heroldus archiepiscopus deinceps, suorumve quispiam successorum, minime diffinito limite contentus, sed interdictam atque a sua potestate separatam diœcesim repetere pervicaciter conatur, nec a prohibitæ contentionis schismate per istas nostras apostolicas traditiones atque determinationes compescitur : ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus privetur, atque secundum jus pristinum, superior Hannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuorumque successorum ambæ perpetualiter subjaceant ditioni. Allubescentes autem assensumque præbentes istis nostris saluberrimis D decretis benedicimus et catholicos approbamus : resistentes vero, atque infirmare vel omnino pervertere contendentes, anathemate Maranatha sanctæ Trinitatis districte percutimus, et apostolica sententia, qua mulctati Anania et Saphira exspiraverunt, damnamus, et cum blasphematoribus sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

## IX.

EPISTOLA AGAPETI PAPÆ II AD AYMARDUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

*Privilegium abbatiæ Cluniacensis.*

[Apud Mansi, *Conc.* XVIII, p. 408.]

Agapetus, servus servorum Dei, dilecto filio

(248) Hoc est Moravorum, qui et *Maravi* et *Moraci.*

AYMARDO venerabili abbati monasterii Cluniacensis, ædificati in honore beatorum aspostolorum Petri et Pauli siti in pago Matisconensi, et per te in eodem monasterio, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini benevola compassione pie poscentium votis succurrere, et alacri devotione his præbere assensum. Ex hoc enim potissimum præmium a conditore omnium Deo promerebimur. Igitur quia petistis a nobis, quatenus monasterium prædictum in illo statu quo a Guillelmo duce per testamentum manere decretum est, nostra apostolica auctoritate decerneremus, sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ subjectum esse : inclinati precibus tuis, tibi ad regendum concedimus. Itaque sit illud monasterium cum omnibus rebus, vel quas nunc habet, vel quæ deinceps ibi traditæ fuerint, liberum a dominatu cujuscunque regis aut episcopi, sive comitis, aut cujuslibet ex propinquis ipsius Guillemi. Nullus ibidemcontra voluntatem monachorum prælatum eis post tuum decessum ordinare præsumat : sed habeant liberam facultatem, sine cujuslibet principis consultu, quemcunque secundum regulam sancti Benedicti voluerint, sibi ordinare ; nisi forte, quod absit, personam suis vitiis consentientem eligere malueriut. Hoc quicunque voluerit, cum Dei zelo prohibeat. Decimas vero, quæ olim ad vestras capellas pertinuerunt, et per modernam quasi auctoritatem, sive licentiam, a quolibet episcopo substracta sunt, vobis ex integro restituimus. Capellas autem, si aliquæ jam factæ, vel faciendæ inibi sint, ita manere concedimus, ut vestris ecclesiis nihil ex decimis minuatur. Hoc vero quod dilectus filius noster Bruno episcopus de prædictis capellis vobis concessit, ratum et firmum esse decrevimus in perpetuum. Præterea, quidquid ex vineis, vel culturis ad vestram partem pertinet, partem quoque decimarum, ad hospitale vestrum pertinere sancimus. Simul et de his rebus, quas percepturi estis. Hoc etiam quod Leobaldus, ad prædictum monasterium dereliquit. Simul et illud quod Magiona, vel alicubus rebus, quæ ad id monasterium pertinere debent. Confirmamus etiam nostra apostolica auctoritate abbatiam Carilocensis cœnobii, quæ eidem collata est monasterio, abbatias S. Joannis, atque beati Martini suburbio Matiscensi sitas, nihilominus in perpetuum constare decernimus ad prædictum locum, ut nullus episcopus vel comes, vel aliqua persona inibi temerari ausu quidquam ordinare præsumat, sine jussione rectoris jam dicti loci. Similiter censemus de Celsanicas Alodo Hecfredi comitis, quem filius noster Stephanus, justa lance causam examinans, pro omnium remedio Christianorum prælibato delegavit loco. Præterea villas omnes quæ pertinent ad idem cænobium Cluniacense, soliditate apostolica roboramus, Solustriacum videlicet, Caninias, Seneciacum, Arpagiacum. sanctum Victorem, et Scociolas, Kaerdasemscum, Dabormacum, et Piscatoriam, quam Osam vocant ; Tosciacum, et ecclesiam sancti De-
A siderii, Ambariacum, et Saviniacum alodum, quem Engelbaldus dedit, et alodum quem Waldo, veniens ad conversionem, dedit. Similiter et Amberiam, et ecclesiam S. Abundi, quam Artaldus moriens ad prædictum reliquit cœnobium. Ecclesiam sancti Saturnini, cum omni alodo, quem Geraldus archiepicopus dedit prædicto cœnobio. Et quia ordo monasticus summam desiderat immunitatem : ita vobis concedimus, sicut locis sanctis ubique reverentia debetur, ut nullus vestra municipia, aut res quaslibet, sine vestro consultu distringere, aut invadere ullo modo præsumat. Sane, ad recognoscendum, quod prædictum cœnobium sanctæ apostolicæ sedi, ad tuendum, atque fovendum pertineat, dentur per quinquennium x solidi.
B Si quis autem contra hanc saluberrimam nostram constitutionem resistendo venire tentaverit, aut aliquid horum corrumpere conatus sit, et omnia quæ in hoc privilegio sancimus non observaverit, sciat se sub divini judicii obtestatione, anathematis vinculo æternaliter, nisi resipuerit, innodatum, et a regno Dei alienandum, et cum diabolo sine fine cruciandium. Qui vero nostræ hujus saluberrimæ sanctionis custos et observator extiterit, a Christo Domino benedictionem, et a sanctis apostolis mundi judicibus absolutionem hic et in futuro consequi mereatur.

Scriptum per manus Leonis notarii regis, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Mart. per indictionem VII.

C

## X.

### AGAPITI PAPÆ II EPISTOLA AD WILLIARIUM ABBATEM.

(Anno 950.)

*Confirmat sententiam Ottonis magni in materia immunitatis S. Maximini.*

[Apud Hontheim, *Hist. Trevir.*, I, 284.]

AGAPETUS, servus servorum Dei, reverentissimo abbati WILLIARIO, totius charitatis exhibitionem in Christo.

Nuntios vestræ almitatis ad sacrorum apostolorum limina, pariterque nostram apostolicam dignitatem directos, Asolfum videlicet atque Guntharium cum magna benevolentia suscepimus, ac illorum legationem præsenti omni Romano clero clementer audivimus. Scimus vero, ipsis referen-
D tibus, sæpe ac multum vos vexatos a Ruotberto, quamvis in hoc minime, in aliis tamen venerabili archiepiscopo, eo quod vobis commissum monasterium sibi commissæ ecclesiæ vellet subdere injuste, nisi vos tuerentur hinc justum judicium ex regia dignitate serenissimi Ottonis prolatum, inde chartæ Caroli Magni, atque aliorum antiquorum regum in medio recitatæ. Ergo omnis ordo Romani cleri, annuente nostra apostolica dignitate, decrevit ut super monasterio vestro, dico autem illo quod in vicino Trevirensium murorum in honore S. Joannis evangelistæ fundatum, sanctis sanctorum confessorum Maximini, Agritii atque Nicetii corporibus dicatum, immobiles permaneant sententiæ in chartis conscriptæ, Ottonis regis præ-

cessorumque ejus, regum Francorum videlicet, ut in præsenti et in posterum sub regia tantum potestate permaneat, neque unquam ulli alteri personæ subjaceat, excepto abbati, quem ejusdem monasterii fratres communi concordia secundum regulam elegerint. Si vero prædictus archiepiscopus, aut aliquis successorum ejus, seu alius quilibet fratrum, qui sunt, vel erunt in eodem monasterio, quietem impie, crudeliterque turbaverit, nisi primo præsenti conscriptione, ac deinde ab apostolica dignitate admonitus resipiscat, non ut pastor, sed sicut mercenarius tractetur. Idcirco si in tam pertinaci duritia perstiterit, ad ultimum nostra apostolica auctoritate excommunicatur, et insuper bonis regibus, ac ducibus, justisque judicibus resistentibus compos voti sui nunquam fiat.

Scriptum per manum scrinarii S. Romanæ Ecclesiæ. Data II Kal. Martii, indictione VIII. Bene valete (249).

## XI.

### AGAPETI II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SS. GERMANI ET MICHAELIS CUXANENSIS.

(Anno 950.)

*Confirmat privilegia monasterii Cuxanensis.*

[Apud D. Bouquet, *Recueil des historiens*, IX, 227.]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, GONDEFREDO religioso abbati venerabilis monasterii sancti Germani atque sancti Michaelis, quod est situm in valle Confluente in locum qui vocatur (Saint-Michel de Cusan) Coxano et post te tuis successoribus abbatibus ejusdem monasterii in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudo insistit et cura pro universis Dei Ecclesiis vigilandum ne aliqua necessitatis jactura dispendia consequantur. Igitur quia Soniarius religiosus presbyter et monachus vice vestra ante nostram præsentiam veniens postulavit a nobis quetenus confirmaremus tibi tuique successoribus abbatibus supradictum monasterium in integrum, cum omnibus finibus suis, terminis et adjacentiis, suisque omnibus pertinentiis in perpetuum; inclinati tuis precibus, pro omnipotentis Dei et sancti Petri amore, jam dictum monasterium cum finibus et suis terminis, sicut incipit a parte orientis, a fronte per summitatem Serræ quæ pergit de Bovaria ad Jovem de Celerano, et vadit ab ipso monte qui dicitur Laccarias, et sic vadit per ipsas Laccarias usque in monte Canigone, et a meridie afrontat in monte Canigonis et descendit per Serra A super Miliarias, et pervenit ad crucem super curtes, deinde ad Chero Clarinto, et pervenit per summitatem de Serra usque in rivo Merdario, et ab occidente ipsa Serra de Chero Clarinto, et pervenit in rivo Merdario, et ducit usque in fluvium Tede, et a parte circi affrontat in strata publica quæ ducit ad Duas Sorores, et pervenit per ipsam viam publicam usque in Litterano, deinde subtus sancto Felicio, et pervenit usque in alode sanctæ Mariæ, et villa Tauriniano cum ipsa ecclesia sancti Fructuosi, cum decimis et primitiis, et ecclesiam sancti Martini de Clerano, et ecclesiam sancti Andreæ, quæ est fundata in villa Catellano cum suo adole, et villam de Torrente cum finibus et terminis, sicut in scripturis vestris veridicis reso- B nat, et valle Taresago et curtes, et cella sancti Vincentii cum suo alode, sicut in vestris continetur scripturis, et alode Tonegale, Manzunculas, Ocenias, Tres-Valles, Lare cum ecclesia sancti Andreæ, cella sancti Thomæ cum suo adole, ecclesia sancti Petri quæ est fundata in villa Inforcadis, Laguna cum sua ecclesia et alodiis vestris in his locis. In comitatu Rossilionense, in villa Miliarii, in Camelas, in Relano, in sancto Felice, in valle ventosa, in monte Auriolo, in villa Insula, in valle Locas, in Pulo Nadalino, in valle Vincano, et in Saorla,, in Arbussolas, et in Planicolas, et Interrivos, et in valle Molegica, in villa Orto Falguerias, in villa Arriano, in villa Folioliis, in Verneto, in Corneliano, in valle Foliano, in valle C Savrra, in Torre sindo, in Pino, et in Campelias, et in Segondaniano, in Juloss, et in Flazano, et in Angerro, et in Enne, et in Porciliarios, et in Evole in Altino. Et in comitatu Cerdeniense, in villa Sallàgosa, in Onzes, in Annes. In Fenioletense, in villa Tavernulas, in Sauriniano, sive in Perolas, Vallemagna cum sua ecclesia, et in valle Stavia. In comitatu Bergitano, in ipso villare de Gilmari, in ipsa villa de Canes, et in cæteris locis ubicunque res monasterii rejacent. Et in comitatu Rossilionense, et in valle confluentis, et in comitatu Cerdaniense, et in comitatu Femioletense, vel in Bergitano, in his locis supradictis et in comitatibus, quantum ipsum monasterium habet et in scripturis vestris continetur vel reso- D nat, et in ante auxiliante Deo acquisituri estis, cum finibus et terminis, limitibusque vestri monasterii. Simul et concedimus vobis de vestris locis primitias et decimas, et oblationes recolligendas ad jam dictum monasterium cum omnibus suis pertinentiis... sanctæ Romanæ Ecclesiæ,

(249) Suspectæ mihi fidei semper visa est præsens bulla pontificia, præsertim ratione *formæ*; sane cuivis in hujus ævi monumentis modice versato, facile apparet eam illius sæculi stylum et usum Romanæ curiæ parum sapere. Quod autem ad *materiam* attinet, nullatenus ea ad immunitatem ecclesiasticam, seu proprie dictam exemptionem pertinere potest; constat enim ignota illi ævo adhuc fuisse, exempta a jurisdictione episcoporum monasteria. Hoc observavit et probavit inter alios Van Espen Jur. Eccl. Univ. P. III, tit. 12, c., II. 21 seq. Certe in concilio Confluentiæ in Treviris sæculo X, præsentibus Carolo Franciæ et Henrico Germaniæ regibus habito, legitur: « Quatenus ecclesiæ quorumcunque monachorum in singulis parochiis sitæ episcoporum divinitus subdantur regimini, eisque obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis sollicite exhibeant. Ipsi procul dubio monachi episcopi suis in omnibus obediant. » Unde apparet, Patres hujus synodi supposuisse, monachos episcopis suis eo tempore indistincte fuisse subjectos; nulla exemptos inter et non exemptos differentia.

cui Deo auctore deservimus, vobis per hujus privilegii seriem vestrum monasterium et loca seu ecclesias ubique pertinentes, et a præsenti nona indictione in perpetuum tibi tuisque successoribus servis Dei inibi commorantibus cœnobiticam vitam ducentibus stabilimus Dei cum timore regendum, detinendum, et secure atque quiete sub norma et apostolica tuitione permanendum ; sed sub nullius alius cujusquam potestatis subjicimus. Item apostolica auctoritate jubemus Christi fidelibus benigne secundum Deum hospitio recipiendis. Et tu cum ab hac luce fueris subtractus, a nulla persona ibi eligatur abbas secundum Deum a prædicta congregatione. Præcipimus autem apostolica auctoritate, ut nulla magna parvaque persona aliquam vim aut invasionem in supradicto monasterio aut in suis rebus unquam facere præsumat Pro quo sub divini judicii obtestatione et anathematis interdictione promulgantes decernimus ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel nulla [præsumat] hujus nostri apostolici privilegii auctoritatem frangere. Nam quod non credimus, qui aliter agere præsumpserit, sciat se excommunicatum et anathematis vinculis innodatum, et a regno Dei alienatum, et in voraginem tartareumque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator exstiterit, gratiam benedictionis a Christo Domino Deo nostro multipliciter consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Decembrio per indictionem supradictam. Bene valete.

## XII.

### AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD WISADUM URGELLENSEM EPISCOPUM.

(Anno 951.)

*Ecclesiæ Urgellensis privilegia confirmat*

[Apud D. Bouquet *ubi supra*, p. 230.]

AGAPETUS, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo WISADO sanctæ Urgellensis Eccclesiæ episcopo, tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum procul dubio promeremur, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus supradictum episcopatum Urgellensis Ecclesiæ cum omnibus suis ædificiis, seu et villis, ecclesiis, parochiis, casis, vineis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, saletris, arboribus, pomiferis, fructiferis vel infructiveris diversi generis, puteis, fontibus, rivis, molendinis, piscariis aquis aquarumque discursibus, castellis, montibus, vallibus, collibus, rupturis adjacentiisque eorum cultum vel incultum, nec non et pertinentiam ejusdem episcopii, scilicet Cerdaniensis pagus, Libianensis, Bergitanensis, Paliarensis quoque, atque Ribacurcensis, Jestabiensis, atque Cardosensis, Anabiensis ac Tirbiensis, et locis sanctæ Deodatæ cum finibus suis, et Fenœris cum finibus suis, et Submonte cum finibus suis. . . . . Confirmamus etiam et tertiam partem telonei ejusdem episcopii, cum pertinentiis mercati, vel cum omnibus ad ipsum episcopium ex suis omnibus locis ubicunque generaliter et in integro pertinentibus infra supradictum episcopatum, a territorio Urgellensis, Cerdaniensis, Bergitanensis, Palliarensis atque Ribacurcensis. Item et confirmamus tibi tuisque successoribus de ipsius supradicti episcopii locis et pertinentiis primitias et decimas. Necnon et iterum stabilimus ut nulla quælibet persona clericis vestri episcopii consistentibus injuste ad districtionem aut ad injustam legem deportare cum laicali persona præsumat. Nam quia supradictum episcopium cum omnibus rebus ubicunque sibi pertinentibus a Francorum regibus per præcepti paginam firmatum et solidatum est regali auctoritate, ita et nostra apostolica auctoritate firmamus, ut amodo et in antea quidquid vos vestrique successores legaliter acquisituri fueritis futuris temporibus, ex præsenti anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 991, decima indictione, inclinati precibus vestris, per vestra regalia præcepta et hujus privilegii seriem in perpetuum vobis vestrisque successoribus confirmamus et stabilimus detinendum, possidendum, et cum Dei timore dispensandum atque regendum ; ut nullus rex, nullusque princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque ulla parva magnaque persona aliquam vim aut invasionem in eodem episcopio, neque in suis pertinentiis unquam facere præsumat. Pro quo sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto promulgantes, decernimus ut nullus nostrorum successorum pontificum neque ulla magna parvaque persona audeat neque præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquibus agere injuste, neque frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, in aliquibus frangere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei et sancti Petri apostoli atque nostra, qui ejus fungimur vicariatione, anathematis vinculis indissolubiliter innodandum ; et a regno Dei alienandum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi incendio concremandum ; et in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator exstiterit, benedictictionis gratiam et cœlestis retributionis a justo judice Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur. Amen. Bene valete.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, atque scrinarii, sanctæ Romanæ nostræ Ecclesiæ, in mense Decembrio, in supradicto anno, indictione supra nominata.

## XIII.

### AGAPETI II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARIÆ RIVIPULLENSI.

(Anno 951.)

[Apud D. Bouquet *ubi supra*, p. 229.)

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Arnullo religioso abbati venerabilis monasterii sanctæ Mariæ virginis Dei genitricis dominæ nostræ, quod est situm in comitatu Ausona, in valle Riopollensi inter duo flumina, et post te in eodem venerabili monasterio tuis successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, ac petentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promeremur, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis quatenus supradictum monasterium cum suis locis, videlicet ecclesiis, parochiis, villis, fundis, casis, casalibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis, torculariis, aquarum viis, molendinis, cum suis caputaquis et suis piscatoriis, cultum et incultum, sive etiam et in locis, et quantum in circuitu ipsius monasterii habere dignoscitur, confirmaremus vobis, etc. Statuimus autem ut, quando abbas ipsius cœnobii de hoc sæculo migraverit, neque a regibus, neque a comitimus, neque a qualicunque persona pro cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inanis gloria, ibidem abbas sit constitutus; sed a cunctis servis Dei ejusdem supradicti cœnobii secundum Deum et secundum sancti Benedicti Patris regulam digna persona eligatur abbatis. Situm namque est supradictum cœnobium territorii Ausonis in valle Riopullensi inter duo flumina. Item etiam constituimus tibi tuisque successoribus de supradicti cœnobii locis et pertinentiis primitias et decimas. Necnon et iterum stabilimus ut nulla quælibet persona menachis suprascripti vestri cœnobii consistentibus injuste inferre districtionem, aut ad injustam legem deportare cum laicali persona præsumat. Nam quia supradictum monasterium ubicunque cum suis pertinentiis a Francorum regibus per præcepti paginam firmatum et solidatum est regali auctoritate, ut superius insertum est, amodo et inantea quidquid vos vestrique successores legaliter acquisiti fueritis futuris temporibus, a præsenti decima indictione, inclinati precibus vestris, et per suprascripta regalia præcepta, et hujus privilegii seriem, ut superius missum est, in perpetuum vobis vestrisque successoribus confirmamus et stabilimus detinendum et amodo dispensandum atque regendum, ut nullus rex, nullus princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque ulla parva magnaque persona aliquod damnum aut invasionem in eodem cœnobio, neque in suis pertinentiis unquam facere præsumat. Pro quo sub divini judicii obtestatione et A anathematis interdicto promulgantes decernimus ut nec magna parvaque persona audeat neque præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquibus agere injuste, neque frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, in aliquibus frangere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei omnipotentis, et sancti Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur vicariatione, anathematis vinculis indissolubiter esse innodandum, et a regno Dei alienandum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandum, et in voraginem tartareumque chaos mersus cum impiis deficiat. Qui vero custos et observator exstiterit, B benedictionis gratiam et cœlestis retributionis a justo judice Domino nostro Jesu Christo multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps esse mereatur.

Scriptum per manum Stephani notarii regionarii atque scriniarii sanctæ Eccclesiæ Romanæ in mense [Decembrio, indictione supradicta decima. Bene valete.

## XIV.

### AGAPETI II EPISTOLA AD SUNIARIUM ABBATEM

(Anno 951.)

*Monasterii Crassensis privilegia confirmat*

[Apud D. Bouquet *ubi supra*, p. 231.]

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, C Suniario religioso abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, dominæ nostræ, [quod est] situm in comitatu Carcassense, super fluvio Urbionis, et pest te in eodem venerabili monasterio tuis successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis cum alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium, a conditore omnium, Deo procul dubio promeremur, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur, quia per vestrum legatum, videlicet Arnulfum humilem abbatem (Rivipullensem) postulasti a nobis quatenus monasterium su- D pradictum confirmaremus; cum omnibus suis locis, videlicet ecclesiis... villabus, casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, garricis, areis, et torculariis, aquis, aquarum viis, molendinis cum suis caputaquis et suis piscatoriis, cultum vel incultum; sive etiam et in his locis, in comitatu Carcassense, villam Agrifolio, cum ecclesia sancti Cyrici cum terminis et finibus suis, villam etiam Verzeliano cum ecclesia sanctæ Mariæ et cum terminis suis, et villam Cucuniano cum ecclesia sanctæ Mariæ et terminis suis, medietatem etiam, et quantum in jam dicto comitatu ipse locus... antea... confirmamus; et in comitatu Tolosensi, vel in vicariis suis ecclesiam sanctæ Mariæ et sancti Salvatoris, et sancti Joannis in Ercino, et locum Camboni cum omnibus ad se pertinentibus; et

quantum ibi Simplicius archilevita concessit cum suis consanguineis, sicut in eorum scripturarum serie resonat, vel in antea in ipsis acquisituri estis locis : et in comitatu Redense quantum ibidem præfatus Simplicius archilevita concessit, tam in parochiis quam et in cæteris locis, villam etiam Boxamauream et Aureliosam cum omnibus juribus illorum ; et in suburdio Petrapertusiense hoc quod dedit Rogerius in Cucuniano, Retgas in Ollito cum ecclesia,... in Paterno cum quantum de villa Corneliano usque ad jam dictum, sicut ibi Holiba concessit ; Villam Corneliano cum ipsa ecclesia, villam Stagello cum sua ecclesia... quarumlibet in villa Gologias cum ecclesia sua, medium Vernettum cum sua ecclesia, villam Ripas Altas cum sua ecclesia, et ipsum Villarem cum sua ecclesia, villam Coningos cum sua ecclesia, et in villas Palsas, et in villa de Canonæ piscaturas ; et in comitatu confluente quantum habetis in prata et in bonaria ad se pertinentia ; in comitatu Gerundense ecclesiam sancti Felicis, in villa Lorostaria, et sua ecclesia ; in comitatu Bisuldinense ecclesiam sancti Stephani et sancti Peregrini, seu et villam Enuscho et Mediano cum ecclesia et sua pertinentia ; et quod habent in Barcinonense, et in Oriellense, et in Sardariense, et in Cabastense, et in Albiense, et in Minerbense, confirmamus, et in comitatu Narbonense villam Erciam cum sua ecclesia, et in insula Sici ecclesiam sancti Petri cum sua pertinentia, et quantum ibi dedit Remigius archilevita, et in Tolosano villa... et Palmam et in villa Alianto et Fabriciano et Ferrales, Fabarios sancti Stephani et sancti Genesi : vel in villa Milano quantum ibidem habent. In comitatu Ausana ecclesiam sancti Martini, cum suis decimis et pertinentiis, seu et in villa R....ano et villare Asenario, quantum ibidem habent ; et in Salmas prope Narbona et juxta stagnum quantum ibidem habent, vel cum omnibus ad suprascriptum monasterium in integro pertinentibus : et confirmamus vobis pontaticum, raptaticum, salinaticum, toloneum, sicut reges vobis per præcepti paginam concesserunt. Statuimus autem ut, quando abbas dicit monasterii de hoc sæculo migraverit, neque a regibus, neque a comitibus, neque a qualicunque persona pro cupiditatis pecuniæ causa, neque pro qualicunque favoris inanis gloria, ibidem abbas sit constitutus, sed a cunctis servorum Dei eidem monasterio secundum Deum eidem monasterio secundum sancti Benedicti Patris regulam... eligantur abbates. Situm namque est supradictum monasterium territorio Carcassense juxta pago Narbonensis. Item et confirmamus tibi tuisque successoribus de ipsius sancti monasterii locis et pertinentiis, primitiis et decimis : necnon et iterum stabilimus ut nulla qualibet persona monachis vestri monasterii consistentibus injuste... aut ad injustam legem deportare cum laicali persona præsumat. Nam quia supradictum monasterium... a Francorum rege præcepti paginam firmatum et solidatum est... ita et nostra apostolica auctoritate ut superius insertum est,... inclinati precibus supradicti legati vestri Arnulfi abbatis, et per suprascripta regalia præcepta et alia privilegia... in perpetuum vobis vestrisque successoribus confirmamus et stabilimus detinendum, et Dei cum timore et a modo dispensandum atque regendum, ut nullus rex, nullus princeps, nullus comes, nullus marchio, nullus judex, neque nulla magna parvaque persona aliquam vim aut invasionem in eodem cœnobio, neque in suis pertinentiis unquam facere præsumat. Pro quo et sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto promulgantes decernimus, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, et, ut superius posuimus, nulla magna parvaque persona audeat neque præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegium in aliquid agere, neque frangere tentet. Si quis autem, quod non credimus, in aliquo frangere tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei omnipotentis, et sancti Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur vicariatione, anathematis vinculis indissolubiliter esse innodandum, et a regno Dei alienandum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterno incendio concremandum, et in voraginem tartareumque chaos demersus cum impiis deficiat.

Scriptum per manum Stephani, notarii atque scriniarii sanctæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembri, per indictionem supradictam decimam. Bene valete.

## XV.

### AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM CONCESSUM MAIMBODO MATISCONENSI EPISCOPO.

(Anno 946-954.)

*Ecclesiæ S. Vincentii Matisconensis canonicorum privilegia et possessiones confirmat.*

[Apud Mansi, *Concil.* tom. XVIII, col. 411.]

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Maimbodo Matisconensis Ecclesiæ episcopo, perpetuisque successoribus in perpetuum.

Cum omnium sanctarum Dei ecclesiarum status a beatorum apostolorum principis Petri doctrinis provehatur, et ab ejus fulcimine lapsa quæ sunt resolidantur ; oportet merito sanctam Matisconensem Ecclesiam minorationem suæ diœceseos patientem, suarumque dignitatum copia carentem cito restitui, ut honorem suum non amittat. Cognoscentes igitur ipsam in omnibus quassatam, convenit ad ejus relevationis statum auxiliatricem nostram perrigere dextram : quatenus B. Petri apostoli fonte potata, Christo juvante, suis redintegretur honoribus ; et ideo omnium sanctarum Dei ecclesiarum cultores comperiant atque fideles, eo quod Maimbodus, dilectus episcopus, spiritualis filius noster, suggessit, apostolicæ almitati nostræ, quatenus concederemus suis canonicis et laicis in ecclesia S. Vincentii martyris commorantibus, aliunde ibidem non ordinare

episcopum nisi qualem canonici una cum prædictis religiosis laicis inter se elegerint, sicut sacri censent canones; etiam concedimus sibi suisque successoribus, ut honor debitus omni tempore impendatur. Prænominatis etiam canonicis concedimus atque confirmamus omnes res, quæ per præcepta regum vel largitionem bonorum Christi fidelium utriusque sexus in eodem loco collatæ sunt, ut irrefragabiliter sine alicujus contradictione in perpetuum habeant. Abbatiam vero S. Clementis martyris, quæ est in suburbio præfatæ civitatis cum omni integritate et ecclesiis atque terris et ancillis, colonis et colonabus sibi pertinentibus; nec non et ecclesiam S. Desiderii in Vergiaco villa sitam cum terrula S. Petri ex episcopatu in prænominata villa conjacente, simulque ecclesiam S. Romani in Cathenaco [*al*, Cadeniaco] villa sitam. Verum etiam nonas et decimas et ex furtis [*f.* furnis] præfati pagi, atque tertiam partem nemoris juxta Ararim fluvium ab amne, villaque Adolani latam, sicut pius Ludovicus rex dilectus filius noster annuente prætaxato Maimbodo præsule de decimis et terra, pariterque consentientibus Hugone marchione et Leothaldo moderatissimo comite, cujus animus in augmento præfatæ ecclesiæ omnino flagrabat, concessit. Itaque nos per hoc nostrum apostolicum privilegium concedimus detinendum perpetualiter cum decimis S. Albani martyris et Gisario: ita ut amodo et deinceps quidquid in eodem loco donata vel concessa sunt, vel divina pietas in posterum augere voluerit quacunque persona, absque alicujus impulsionis molestia teneant et possideant. Ea vero ratione ut nullus rex, dux, comes, aut exactor vel publicus minister super eos aliquam angariam aut districtionem seu gravamen atque imperationem imponere præsumat, nisi quantam fideles canonici prædicti loci alicui personæ ob suam bonitatem concedere voluerint. Statuentes atque promulgantes coram Deo et terribili ejus examine, per hujus nostrum apostolici privilegii firmamentum sancimus, et beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus, et tam apostolicæ sedis obtestamur futuros pontifices, quam qui ecclesiasticas ministraverint functiones, vel etiam magnas parvasque personas, ne quispiam, quacunque sit dignitate præditus, de omnibus istis capitulis, quæ a nobis concessa sunt quoquomodo licentiam habeant a sæpe sæpius nominato loco, atque specialiter apostolicæ exorationis gratia conjuncta disjungere aut alienare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ ecclesiæ, ordinate statuta sunt, refragare in aliquo aut transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate B. Petri apostolorum principis, cujus immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum. At vero qui pio intuitu custos et observator in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constitutum ad cultum Dei respiciens, benedictionem æternam a misericordissimo Domino Deo nostro percipiat et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

## XVI.

### AGAPETI PAPÆ II EPISTOLA AD ARVERNOS.

(Anno 946-955.)

*Prædones a monasterio Celsiniacensi arceantur.*

[Apud D. Bouquet, *Recueil des historiens*, IX, 232.]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis in Arvernio habitantibus, perpetuam pacem, æternamque salutem in Christo Jesu.

Immensa suspendimur admiratione, cur illi, quibus inter vos pastoralis cura commissa est, oculos habeant mentales clausos; sanctam Ecclesiam, ita, ut nobis suggessum est, sinant pravorum rabie lacerari, vastari, rebus propriis exspoliari, non opponentes se murum pro domo Israel, nec in prælio in die Domini stantes, ut obvient sua auctoritate raptoribus et prædonibus: sed videntes inhonorari suam ipsorum matrem, tacent, nec aspera redarguunt invectione patratores. Videmur enim terribilem illam vocem aut ignorare, aut nullatenus omnino pertimescere, quæ dixit: « Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jer.* XLVIII, 10). » Unde generaliter omnibus vobis condolemus, timentes ne ira Dei a sanctuario ipsius, id est a prælatis insipiens, in oves eorum justo grassari permittatur judicio. Nostis quam plurimis, fratres, et qui ignorat, cognoscat locum Celsinianias, ex quo fundatus est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialiter esse contraditum, ejusque sub tuitione ab initio mansisse, quem speciali amore diligendum esse decernimus, atque omni tempore multiplici sublimandum honore judicavimus. Nec immerito, nam salutiferum monastici ordinis aroma ex eodem loco surgens, nunc in nostris partibus, Deo donante, flagrare utiliter videtur. Quapropter rogamus et obsecramus, magnaque prece deposcimus ut prædicto loco reverentiam exhibere curetis, ibique Deo militantes nullus inquietare præsumat. Si quis autem de terra ad jam dictum monasterium pertinente, vel eosdem monachos, aut de ipsorum familia aliquid injuste contra voluntatem abbatis ejusdem cœnobii tenet, nostra apostolica auctoritate præcipimus ut hoc sine dilatione reddere festinet. Quod si non fecerit, ante nostram præsentiam jubemus ut veniat rationabilem causam dicturus. Si vero et hoc contempserit facere, terribilis anathematis innodatus nostra excommunicatione, qui vices beati Petri, licet indigni, agere videmur, cujus [terras] injuste invadere non timet, plectatur atque vulneretur. Specialiter ergo nostra ex parte obsecrando præcipimus domno Stephano (Arvernensi) episcopo, in cujus diœcesi Celsinianias mona-

sterium situm est, ut omnes res ejusdem monasterii vastantes, vel aliquid mali familiæ monachorum ibidem consistentium inferentes, gladio excommunicationis ferire non differat, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ tandiu sequestret, donec digna satisfactione emendare cogantur.

## XVII.

### AGAPETI II EPISTOLA AD LANDULFUM CAPUANUM PRINCIPEM.

(Anno 946-955).

*Monet ne monasterii Capuani libertatem offendat.*

[Gattula, *Hist. Cas.* 190].

Agapetus episcopus, servus servorum Dei, Landulfo, Capuano principi.

Audivimus, quod sine maxima cordis mœstitia loqui non possumus, Cassinensis cœnobii monachos inhoneste et turpiter conversari. Quod quam perniciosum et quam scelestum sit, nullus fidelis ignorat, nam ut Propheta testatur ; « Lapides sanctuarii in capite platearum dispersi sunt (*Thren.* IV. 1), » cum hi, qui in monasterio sicut beati Benedicti regula continet, Deo servire debuerant per castella et plateas ambulantes habitare videantur, et propterea regularem vitam relinquentes, et propriæ voluntati, et illecebris servientes sicut beati Benedicti regula continet, non Dominicis, sed suis inclusionibus pro lege est eis desideriorum voluptas. Quod malum in caput quondam Landulfi tui genitoris respicit, qui quasi monasterium intra Capuanam civitatem ædificans, non ob Dei reverentiam, sed temporis gloriæ honore cupidus parvipendens animarum periculum, suo dominatui monasterium subdere cupiens, perverso more cum morbido grege recumbere desiderans, ut totius possessio jam dicti monasterii suis quasi jure hæreditario relinqueretur. Unde gravissime dolemus, et miramur tanti viri cæcam cupiditatem non retractantis quod incensa et subversa ecclesia Cassini, res ejus accepit contra sententiam Prophetæ dicentis : « Omnes principes qui dixerunt : Hæreditate possideamus nobis sanctuarium Dei ; Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti, et sicut ignis qui comburit silvas, et velut flamma incendens montes (*Psal.* LXXXII, 13-15). » Quæ ab illo, si fieri potest, Deus avertat. Frequenter autem monitus, dum adviveret, coram episcopo suo sicut ipse Balduinus abbas testatur, culpabilem se reddidit, et supradictum monasterium cum omnibus suis rebus eidem abbati in integrum restituit, nullam sibi, aut suis posteris dominandi potestatem ulterius relinquens. Nos vero modo gratias Deo referentes ob reverentiam beati Patris Benedicti Cassinensi præfato monasterio cum eodem abbate ordinandum decrevimus Capuanum monasterium et nostræ auctoritatis privilegio corroborandum, et hoc ex autoritate Dei et beati Petri apostolorum principis constituimus, et ordinamus ut in ipso Capuano monasterio, quod non Dei amore sed sæculari cupiditate ædificatum est, unus, aut duo,
A aut multum tres senes monachi de quorum vita non dubitetur relinquantur ad regendum et custodiendum. Cæteri vero monachi omnes majores et minores cum omnibus monasterii rebus ad proprium cœnobium Casini montis revertantur ibi Deo famulantibus, sub ipsius beati Patris Benedicti regula degentibus, sicut antiquitus a nostris prædecessoribus et ab imperatoribus et regibus definitum, et promulgatum est, ut sub nullius principis ducis, aut gastaldei, vel alicujusque magnæ parvæque personæ, aliquo modo subderetur dominio, ita et sub nostra et regum tuitione, sub abbatis ordinatione, Dei cum timore perenniter regendum atque dispensandum. Nam, quod non credimus, qui aliter agere præsumpserit, aut aliquam ordi-
B nationem de ipso monasterio facere tantaverit, sive de rebus supradicti monasterii invadere præsumpserit, et hanc nostram apostolicam jussionem in aliquibus frangere tantaverit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei beati Petri apostolorum principis, atque nostra, qui ejus fungimur in caricationem (*sic*), esse excommunicatum, et ab ingressu ecclesiæ, et corpore et sanguine Christi privatum, et a consortio Christianorum segregatum, iterumque sciat se per privilegii sanctionem sub anathematis vinculis innodatum ; qui vero custos et observator, atque adjutor exstiterit, benedictionis gratiam, et cœlestem retributionem a Christo Domino Deo nostro multipliciter consequatur. Hanc autem apostolicam jussionem præfatum mo-
C nasterium pro futuro testimonio habere jubemus.

## XVIII.

### EPISTOLA AGAPETI PAPÆ II AD WILLIHELMUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

(Anno 955.)

*Idem privilegium tribuit quod Maximus II Fridurico concesserat.*

[Apud Wurdtwein. *Epistolæ S. Bonifacii*, p. 375].

Fraternitatis amore acti fideque antiquorum circumcincti ea vobis sanctæque Moguntinæ Ecclesiæ, cui præestis denegare ignoramus, propter quæ vestros nuntios ad sanctam sedem principis apostolorum et ad nostram apostolicam dignitatem missos cognoscimus et quæ nostri antecessores vestris antecessoribus denegare. Scimus vero
D vestris litteris intimantibus sancto Bonifacio vestro antecessori a Gregorio secundo, Gregorio tertio, nec non Zacharia, nostris antecessoribus, nostro utique prædecessore, nec non prædecessore nostro Marino Fridurico nostro confratri, vestro prædecessori, collatum, ut in partibus totius Germaniæ Galliæque provisor sanctæ Moguntinæ sedis, vicarius missusque apostolici teneretur. Ita ut si quos invenisset viros a recto tramite justitiæ deviantes, cujuscunque essent personæ ad se vocare, ubi loci vellet monere, corrigere, synodumque constituere, ubi vellet, potestatem apostolici haberet. Inde quia vos fidem subjectionemque et cætera, qui omnes sanctæ Mogontinæ sedis priores provisores fassi sunt, fatemini, eumdem vobis potes-

tatem concedimus, quam priores nostri viri apostolici vestris prioribus concesserunt: quatenus vice nostra sceleratos et pravæ vitæ homines habeatis potestatem corripere, et ad viam veritatis vestris exhortationibus revocare, et ut scitis noster vicarius missus in partibus Germaniæ Galliæque, ubi ubicunque episcopos, presbyteros, diaconos vel monachos etiam cujuscunque personæ homines contra canones et constituta sanctorum Patrum, sive contra ecclesiasticam regulam excessisse reperiens, apostolica auctoritate juxta canones et instituta sanctorum patrum illos corrigere et ad viam veritatis reducere non omittatis. Synodum etiam vobis provisori metropolitano Moguntinæ sedis constituere, ubi placeat concedimus partibus Germaniæ Galliæque sine alicujus contradictione personæ. Si quis vero, quod absit, vobis vicario apostolici velit aliquo contradicere vos apostolicam sedem appellando, sciat non ante nos terminetur tempore a vobis constituto illum apostolica benedictione privari, et anathematis vinculo religari. Sanctæ etiam Mogontinæ sedi privilegium conscribimus, ut si quis eam cujuscunque sit personæ antiquo... re hu... habito vedit deprædari ipse deprædetur, et nisi resipiscat æterno vinculo anathematis apostolica majestate circumalligato, cui potestas data est ligandi atque solvendi, mancipetur, et in die omnium proditore, judicii dico, inde reddet rationem.

## XIX.

AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SS. STEPHANI, DIONYSII ET SYLVESTRI IN CAPITE (250).

(Anno 955).

[Marini *Papiri diplomatichi*, I, 38].

In nomine Domini. Hoc est exemplum infra scripti privilegii scripti in charta carticina cujus tenor per omnia talis est in eo quod legi vix potuit.

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo LEONI (251) filio religioso et presbytero et monacho atque a novis institutum et ordinatum abbatem venerabili monasterio sanctorum Christi martyrum, Stephanii et Dionysii, et confessoris Sylvestri qui appellatur cata Pauli (252) quondam papæ tuisque success... abbatibus et monachis in eodem monasterio commorantibus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et post etiam animi alacri devotionem in perpetuum assensu ex hoc venerabili El...tissimum præmium lucrum apud conditorem omnium Domino veniam promerentium sive venerabilia loca sanctorum ordinata ad meliorem fuerit sine dubio statum perducta. Igitur quia tua religiositas nostro apostolatui humiliter petiit quatenus..... ederemus et confirmaremus vobis et vestris successoribus in perpetuum prænominatum monasterium cum ecclesiis omnibus suis ædificiis et pertinentiis tam infra se quamque

(250) E' questo un insigne e per morti titoli importante monumento. cosi in avesse il notaro Ognissanti saputo, o potuto meglio leggere nell' an. 1277, allorchè esisteva l' original papiro : tuttavia dicasi altrettanto di quello che viene appresso, che è in tutto e per tutto la medesima cosa con questo, ma con varianti grandissime, e tutti e due con molti spropositi, siccome tutti gli altri che ci vengono da chi faceva professione di leggere le vecchie carte ne' secoli XII, XIII e XIV. Dell' uno e dell' altro aveasi contezza dallo storico della chiesa di S. Silvestro *in capite* Giovanni Giachetti (*Inconol. Salvat.*, etc. R. 1628 p. 80, e *Istor, della chiesa di S. Silv.* R. 1629 p. 10 e segg.), e del primo anche dal Crescimbeni (*l'Ist di S. M. in Cosmed.* p. 10), ed ora d'all'ab. Carletti, che recentemente stampo un' altra istoria di tal chiesa (p. 11, 24, 179, 181, 184, 214): ne recano degli squarci, e la sottoscrizione di quel notaro, in cui in vece di *privilegio carticinio*, chi respondeva alla carta carticinia nominata da principio, lesse il Giacchetti, che non ne intendeva force il significato, *privilegio exemplato*. La bolla presente cita l'Oldoino nelle giunte al Ciacconio, ove di Agapito II et l'Ughelli ove delle vescovo di Nepi Sergio.

(251) Di un abate di tal nome si ha memoria in una lacera pergamena publicata dal Carletti (p. 186), ma perchè all' an. 988. nel pap. CVI, ricordasi pure un Leone ab. di S. Silvestro, non possiam dire a qual de' due spetti la pergamena che potrebbe anche parlarci di un terzo ab. Leone.

(252) Cioè *ad Pauli (domum)*, e si sa che tal chiesa fu veramente edificata nella casa del pontefice Paolo I (*V. Il Beranio ad an* 761 *n.* 2). Non doveva poi il Carletti (p. 11) dichiarare una tal denominazione *vocabolo corrotto*, che non una, ma du voci furono alloro nascere, ed era allora, e più secoli prima, molto adoperata la Greca preposizione *cata* in voce della Latina *ad;* nel papiro LXXV, troveremo *cata ipso Zenobio*, e nel codice papiraceo di Baviera p. 33) i monastteri di S. Giovanni *cata paterie* in casa pateria malamente trasformato posteriormente *Bolla di Alessandro III presso il ch. signor conte Fantuzzi.* Monum. Rav. t. II, p. 139), e di S. Maria *Senodochie carta portam S, Laurentii* (p. 14 c 18). L'Alessandria presso all'Isso fu d'all'anonimo Ravennate detta *cata Isson*, e corrottamente *Catisson* nella tavola Pentingeriana, e sono ai Romani notissime le chiese di S. Andrea *cata Barbara*, e di Stefano *cata Galla patricia*, e il cimiterio *ad nymphas cata Bassi*: ed ebbero pur essi a due miglia fuori della porta Appta un monumento, che appellavasi forse da qualche basso rolievo, in cui il carbero, *ta cane tricapita*,..,...... come dice una carta del registro Sublacense del 850 pubblicata da mons. Galletti (Primic. p. 187), nella quale pero credo fosse, o dovess' essere scritto *cata cane tricapite* Aggiugnero a questi esempi, da aggiugnersi tutti ai citai dal Du-Cange alla voce *cata*, tre iscrizioni, una riferita di sopra nelle note al pap. IV, in *cui* in REGIONE QUINTA DOMV ET HORTV CATA QI. ANNIBONIV. la seconda sta, non pero intera, nel portico di S. Pietro con una donazione di S. Gregorio piuttosto II, che III ed ha CATA PETRUM VESTARARIUM (V. il Bollar. Vat. t. I, p. 18), che manca ai vesterari del lodata Galletti, tra' quali meritavasi l'anzianità, e CATA GEMMULV. MAG. MIL., del qual Gemmulo si ha un ricordo nel registro de' patrimoni e fondi della Chiesa Romana, che dicono avere appunto Gregorio II *locato Gemmulo militi fundum, Maurici fundum via Nova, via Prenestina, milliaro plus minusve ex corpore Musse Varcaricno Deusdedit* nell-append. alla breve Istoria del card. Borgia p. 10); nella terza iscrisione finalmente sono la parole ANIMA SANTA CATA NOMEN BENEDICTA, non intese dal Fabretti (c. 10, n. 469), che credette dover emendare il CATA in casta, e con tal nome chiamo la defunta, che erasi detta veramente Benedetta: e volendo l'autore di quel breve epitafio dir cosa assai ovvia, che era cioè costei benedetta di nome ed di vita, o di fatto, uso acconciamente la frase *cata nomen.*

etiam simulque circa se, et montem quem Augustum sancti Angeli in cacumine ip..... montis una cum vineis et terris circa eumdem montem et ecclesiam sancti Nicolai in integrum cum omnibus suis pertinentiis sicut affines signant ab uno latere via publica quæ ducit sub arcora forma quæ appellatur Virginis, et a s.... latere ipsa forma; ipsa forma Virginis et montem quem Pinzi; et a tertio latere muro istius civitatis Romæ, et portam sancti Valentini, et a quarto latere muro istius civitatis, remeante usque in Posterulam quæ sanctæ Agathæ, et via juxta Posterulam quæ pergit juxta suprascriptam ecclesiam in viam publicam, atque terra sementaria quæ detinet Constantio nobili viro, nec non et via publica quæ pergit in Posterula a Pigna, cum B ecclesia sancti Blasii et pergit ad suprascriptam formam Virginem cum terris.... beneficiis. Nec non et confirmamus vobis monasterium integrum sancti Valentini (253), cum omnibus suis ædificiis et adjacentiis, et ubique ejus pertinentiis dictum foris porta sancti Valentini juris suprascripto vestro monasterio; verum etiam et concedimus atque confirmamus vobis Pontem Molvium in integrum cum omni ejus ingressu et egressu et datione et tributu pari modo et terra vacante sementaricia tritici modiorum plus minus, cum omnibus ad eas pertinentibus sita ante suprascriptam portam sancti Valentini juxta sæpe dicto muro hujus civitatis Romæ, et affines, ab uno latere Fossant, id est, Carbonaria inter ipsum murum, C et eadem terra exinde tendit usque in fluvio majore..... via publica quæ ducit et reducit ad sanctum Valentinum, et a quarto latere juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Imo et alia terra sementaricia cum omnibus suis in integrum, et cum omnibus ad eam pertinentem, posito ipso manus dextra ibi euntem ad sanctum Valentinum cum arco majore infra eam, qui appellatur Passarana... in loco quem

A orto Pisce, inter affines ab uno latere jam dicta via publica, et a secundo latere fontana aquæ vivæ quæ est communalem inter suprascripto monasterio et hæred... quondam Gregorio (254) mansionario scolæ confessionis B. Petri et reducentem usque in caput de pariete antiqua, et a tertio latere terram de venerabili monasterio Ciriaci sancti, quod appellatur Via Lata, et recte per limitem ducente sursum per planum montis quem Bussitulo, et a quarto latere, via publica quæ descendit per vallem qui dicitur a suprascripto Bussitudo, et exit in viam Flaminiam. Nempe et confirmamus vobis casalem integrum quem Girulo cum diversis arboribus suis, et cum omnibus ad eum generaliter pertinentibus; sicuti vobis perscripturarum series pertinere videntur posito supra dictam partam sancti Valentini milliari ab urbe Roma plus minus unius, inter affines ab uno latere via publica in qua est silex antiqua, quæ descendit usque in Sanguinaria et a secundo latere formellum aquæ vivæ quæ exiit sub monte de supradicto Girulo seu pratum de venerabili monasterio sancti Ciriaci, et a tertio late, mons qui est supra jam dictum montem sancti Valentini seu terra sementaricia juris vestri supradictique monasterii quam detinent hæredes quondam Romani a Campo Martio; et a quarto latere... Itemque confirmamus vobis casalem unum in integrum quem Pelajolum cum terris suis rationabilibus, campis, pratis, pascuis, montibus, planitie in quo fuit ecclesia sancti Sylvestri quæ est in desertis posita, et cum omnibus ad eam generaliter pertinentibus sicuti olim in suprascripto vestro monasterio in commutationem dedit per commutationem cartula Albericus omnium Romanorum senator (255) quondam in qua, et ille cum suis fratribus ac sororibus propriis manibus subscripserunt et consenserunt, videlicet Constantius nobilis vir, Ser-

(253) Della chiesa di S. Valentino fuori della porta del Popolo, di S. Valentino detta percio alcuna volta, delle sue vicende, e memorie vedasi l'agiografo Enschenio nel t. II del Febbraro (p. 151), ove quanto si legge altrove è detto, e come fu una delle venti badie privilegiate di Roma, delle quali Giovanni diacono, e Pietro Mallio nelle lor opere pubblicate dal Mabillone (*Mus. Ital.* I, II, p. 100, 574). D Spettano ad essa due vecchie lapidi de secoli X e XI, una esistente nel portico di S. Maria in Cosmedin, e l'altra nella chiesa di S. Silvestro *in capite* nell' altare di S. Dionigi, trasportatevi certamente dopo che tal chiesa fu demolita: e s'intende bene come una andasse a ripararsi in S. Silvestro, al cui monastero era sino dal tempo di Sergio II (Carletti p. 179) unita, ritenendo pero suoi monaci ed abate, e l'altra sara stata nelle vicinanze di quella basilica portata, Dio sa come a quando, e vi fu in più pezzi trovata al cominciare del secolo XVII, siccome imparo dal codice delle Iscrizioni Doniane, ch'è nella Barberina (p. 533, V, *il Crescimbeni* p. 81). Per esse si è da alcuni scrittori niente critici asserito che presso a S. Maria in Cosmedin ebbevi anticamente altra chiesa di S. Valentino, di cui niuna memoria pote mai rinvenire il Crescimbeni, il quale ben s'avvide che le due iscrizioni appartenevano ad una medesima chiesa; ma perchè allora non era stata ben letta ancora quella di S. Silvestro, attribuita al I e non al II Niccolò, penso che lo stesso abbate Tebaldo fosse nell' una e nell' altra nominato (p. 99), il che è falso: è bensì vero che due Tebaldi fecero de' bei doni e vantaggi a quella chiesa o monastero, ma il primo non si dice fosse abbate, come lo fu il secundo, ed abate sicuramene di S. Valentino, e non di S. Silvestro, siccomte penso il Giacchetti (*Ist. di. S. Silv.* p. 41), ed ora anche il Carletti (p. 34 e 179). cui solo deesi l'esatta stampa ed incisione in legno della lapide, non pero sempre interpretata e supplita benissimo. Ma persuaso com' egli era, che l'abate nominatovi fosse di S. Silvestro, travasi nell' impegno di sostonere che i lavori enunciativi si facesser tutti nella chiesa di questo santo, e non nella estramurana di S. Valentino.

(254) Avea già il Torrigio nelle grotte Vaticane (p. 527) notato in grazia di una malmenata membrana dell' archivio della basilica Vaticana dell' anno 1037, che i custodi, e cubiculari della confession di S. Pietro facevan corpo, e si dicevano ancora *mansionarii schalæ confessionis beati Petri*, come questo Gregorio si dice.

(255) Di questo nobilissimo e potentissimo senatore di tutti i Romani (che cosi amo di chiamarsi), e de' fratelli suoi accennero alcune cose nelle note al pap. C.

gius sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ episcopus, cum A Bertha et alia Bertha, propter vallem sancti Viti, quem in venerabili monasterio sanctæ Agnetis supradictus Albericus donavit; quem de vestro monasterio suprascripto fuit posit. Jam dicta foris porta miliario ab urbe Roma juxta fluvium Tyberis, inter affines ab uno latere quem Gurgini, et a secundo latere fluvium Tyberis, seu terra sementaricia cum prato suo de venerabili monasterio sancti Basilii, situm in scola Mortuorum, cum alia terra. Item cum prato suo de venerabili monasterio sanctæ Mariæ quam in Aventino, et terram item cum pratu sito de Gregorio a Campo Martio, et a tertio latere fundus sex columnarum, et montem quem Mollario, et a quarto latere... juris... Similiter et pratum unum in integrum sicuti detinetis foris pontem Solarium in locum quem Fliscari qui est inter affines ab uno latere Fossatum, et a secundo latere pratum... et a tertio latere.... et a quarto latere pratum quem detinet Benedictus sanctæ Silvæ (256) Candidæ episcopo, juris etiam et casalem in integrum quem Gallorum seu Balneolum et Paccianum, sive quibus aliis vocabulis sicut vel ab origine fuerunt, sicuti olim Joannes qui dicebatur Oudino per donationem Cartula in suprascripto vestro obtulit monasterio cum terris sationabilibus, criptis arenariis, campis, pratis, pascuis, ædificiis parietinis adjacentibusque, planitie et puteis fontibus; cultum vel incultum, cum omnibus quæ ad eum generaliter et in integrum pertinentibus situm foris ponte Salario, miliar, ab ipso ponte plus minus unius, inter affines, ab uno latere casale quod fuit Roserii Petri stante; et a secundo latere pariete antiqua et terra quæ olim fuit quondam Maczoni filio sacellarii, quem nunc detinet Ylpizo nobil. vir; et a tertio latere terram Setephani de Theodoro (257) præfecto, et a quarto latere criptæ quem Serpentaria et aliam terram vacantem juxta se juris venerabilis monasterii sancti Viti. Nam et alias terras sementericias petias duas integris ibi ipso posito juxta ipsum casale et juxta suprascriptam criptam de ipsa parte ipsius criptæ inter affines a duobus lateribus, terra quæ olim fuit suprascriptæ Rosæ superinstant. A tertio latere terra de hærede Leonis Camburlingo, et a quarto latere via publica juris suprascripti monasterii sancti Viti. Itemque Columnam (258) majorem unam in integram quam Antonino cum cella sub se et terram vacantem in circuitu suo sicuti undique a via publica circumscriptæ esse videntur, sita intro hanc civitate; parimodo et foris pontem Numentano casalem unum in integrum quem Lampati cum omnibus ad eum pertinentibus inter affines a tribus lateribus fluvium qui Tiverone circumdatur, et a quarto latere Fossatum et via publica juris monasterii sancti Laurentii quod appellatur Palacina. Necnon et cesina una ad modiorum plus minus cum criptis arenariis, parietinis disectis et cum omnibus ad eam pertinentem, sita foris portam sancti Joannis, miliar. ab urbe Roma plus minus.... inter affines a duobus lateribus terra de Adriano nobili viro, filio Adriani quondam (259) archarii; et a tertio latere terra de hærede quondam Stephani Chaumati; et a quarto latere forma aquæductio. Enimvero et aliæ terræ sementariciæ ibi ipso positæ cum diversis arboribus suis sicuti B vobis per scripturarum series pertinere videtur cum omnibus ad eas pertinentibus posit. foris suprascriptam portam miliar. ab urbe plus minus sexto inter affines ab uno tatere terra Stephani Denimentis.... del Theodoro præfecto, et a secundo latere terra de hærede quondam Theodoro de Aventino, et a tertio latere terra quem Morani; et a quarto latere supra scripta forma aquæductio, et fundum quem septem bassi cum suis pertinentiis, inter ea et alia terra et aliæ cesæ sational. sicuti detinetis in locum quem Mil. fixo foris ipsam suprascriptam portam sancti Joannis. Præterea confirmamus vobis fundora tres integras unum quem Pontem de Nono intra ipsum pontem cum diversis terris sationalibus et arboribus suis, C sive criptis arenariis, parietinis suis diversis, et disertis, et sint in opere cooperte, cultum vel incultum, et cum omnibus ad eas generaliter et in integrum pertinentem posit. foris sæpedictam portam sancti Joannis quæ Via Latina nuncupatur, miliario ab urbe Roma plus minus nono, et inter affines ab uno latere suprascripta forma aquaductio quæ appellatur Claudia, et prædicto ponte quem Nono, et a secundo latere jam præfata forma quæ dicitur Abeberatorium, et a tertio latere suprascripta Corte de Moreni, et a quarto latere limitem quem ducit juxta criptam quem Ardenda juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Itemque et alium fundum in integro quod dompnicaria, in quo est ecclesia deserta cum criptis parietinis suis, D cum terris sationalibus et diversis arboribus suis pomiferis et fructiferis diversi generis, cultum vel incultum, omnibusque ad eum pertinentem, situm supracripta Via Latina juxta prænominatum fundum quod a Ponte de nono inter affines ab uno latere ipsum fundum, a secundo latere rivo decurrente qui Papati; a tertio latere via publica cum silice antiqua, et a quarto latere forma

(256) Manca alla serie Ughelliana il presente vescovo, o diro meglio non vi sta egli al suo posto, giacchè il Benedetto nominato vescovo di Selvacandida all anno 884, è il Benedetto di questa Bolla, nè la Bolla che l'Ughelli cita, è di Marino I, ma di Marino II dell' anno 944; si veda il Gattola nell' *Istoria Casinese* (t. I p. 95), e il Mabillone negli *Annali Benedettini* (t. III p. 435, 437).

(257) Non conobbe questo profetto di Roma il contelori.

(258) Circa in dritto, ch'ebbe sopra la colonna Antonina il monastero di S. Silvestro *in capite* vedi il Crescimbeni (*l. c.* p. 13), il Carletti (p. 182), e la bella iscrizione dell' an. 1119 presso il Galleti (*Inscr. Rom.*, t I, p. 506). La colonna Trajana ancor essa appartenne una volta al monastero di S. Ciriaco: vedi il detto Galletti (*Primic.* p. 323), e il Martinelli (*Primo trofeo della II croce* p. 106).

(259) Costui era arcario nel 943, siccome consta da una carta che reca lo stesso Galletti (*ivi* p. 198).

majore et fundum quem septem vassia cum omni ad ejus pertinentia, etiam et fundum alium in integro quod Casana cum aliis diversis locis et vocabulis suis, videlicet, valle Marciano, casa Pretiosa; monte qui Paulelli, et campo qui Albanensis, vel si quis aliis vocalibus sunt vel ab origine fuerunt cum sationalibus silvis et diversis arboribus suis atque aquimolis molentibus, sicut ecclesiam desertam quæ sancti Petri et cum omnibus ad eam generaliter in integro pertinentibus posito jam dicta via Latina, miliar. ab Urbe plus minus decimo, inter affines ejus, ab uno latere terra ubi olim fuerunt prata, quæ appellantur Pauli; a secundo latere fundus quam Civitella, et a tertio latere vinea de supradicto monasterio via publica quæ descendit ad locum ubi dicitur Sella sancti Petri; et a quarto latere ecclesia deserta quæ appellatur sanctæ Mariæ in Diaconia, et exinde sicuti descendi per fossatum usque in prædictum... vel si quis aliis affines sunt aut ab origine fuerunt juris venerabilis monasterii sancti Andreæ apostoli et Bartholomei qui appellatur Honorii. Imo et ecclesiam unam in integro quæ sancti Angeli, cum vineis seu terris circa se sive procul a se, et cum omnibus ad eas generaliter et in integro pertinentem, sicuti, ad manibus vestris detinetis, sita patrimonii Appiæ territorio Albanens., milliario ab urbe Roma... plus minus, in monte quem Crescentuli inter affines a duobus lateribus terra ipsa de Monte de hærede quondam dominico qui dicebatur Cacainbocte, et sicuti dicitur a termino et arboribus designate; et a secundo latere Clasura secute ducente per arboribus et latus terra quem tenente Petro medico perveniente atque in termino qui est latus vineæ de venerabili monasterio sanctæ Mariæ, quod in Aventino appellatur, et a tertio vel quarto latere. Item vinea de supra dicto monasterio quæ appellatur in Aventino, simulque vinea... in integro cum introitu suo atque reddimen ad Calcatorio, et cum omnibus ad eam pertinentem posit. in territorio Albanens. miliario ab urbe Roma... plus minus, affine ejus ab uno latere vineæ quæ fuerunt de Aczo Accariti, et vinea de venerabili monasterio sancti Laurenti foris muro, et a secundo latere vinea de Aczo de Albano, et a tertio latere vinea de supradicto monasterio sanctæ Mariæ de Aventino, et a quarto latere, item vinea de prænominato monasterio sancti Laurentii foris muro, et vinea... Item vineæ petiæ quatuor in integro cum reddimen ad calcatorio et introitu suo, et cum omnibus ad eam pertinentibus eidem territorio, in loco quem Rufi, inter affines a duobus lateribus vineæ domne Marocze, et a tertio latere vinea... et a quarto latere vinea de venerabili sancti Sabbe, quæ appellatur Cellanova, cum introitu per ipsam vineam, a Silice Majore, atque vinea... cum reddimen ad calcatorio et introitu suo a Silice

(260) Conobbe quest' Orso primicerio il si spesso nominato M. Galletti per una carta Farfense che lo ricorda come morto nel 1003 (p. 80).

A Majore, et cum omnibus ad eam pertinentem territorio Ariciens. posit., in loco quem ad Cucuruczli, inter affines ab uno latere supradicta Silice, et a secundo latere vinea... et a tertio latere via quæ ducit ad parietem qui appellatur longum; et a quarto latere vinea... Et concedimus vobis casalem in integrum quem Zizinni, cum ecclesia sanctæ Mariæ, vineis, terris, seu aquimolum, et scriptis sicut manibus vestris detinetis, jam dicto territoro Albanens. post., miliario ab urbe Roma plus minus tertio decimo juris vestarii nostri majoris, præstante auri solid. tres; inter affines, ab uno latere casale sanctæ Heuphemiæ, et vinea de Urso dudum primicherio (260), et a secundo latere vinea de item hærede quondam Gausberti, et a tertio B latere via publica et pastinum de Stephano venerab.; et a quarto latere casalem quem Luczano; etiam et duo petiæ de vineis in loco quem Honori territorio Aritiensi sicuti in manibus vestris detinetis, nempe in supradicto territorio Aritiens., in loco quem... vinea in pede de Silice Majore; inter affines ab uno latere ipsa supradicta Silice; et a secundo latere vinea... et a tertio latere... et a quarto latere vinea... juris venerabilis diaconiæ sanctæ Mariæ quam Cosmidi. Pari modo concedimus atque confirmamus vobis medietatem in integrum de uno filo Salinæ, in loco quem Fossatum majorem, sicuti vobis per scripturarum series evenit quondam dominico qui dicebatur Cacainbocte; inter consortes, aliam medietatem de hærede quondam Leoni, quod est ipsum in integrum C filum, inter affines, ab uno latere, filum Benedicti, et a secundo latere, filum Salini, de supradicti hærede dominici; et a tertio latere supradicto Fossato majore; et a quarto latere... Item filum de hærede quondam Joannis majoris, juris... Similiter et alium filum unum in integrum quem sancti Sylvestri in loco quem Campo Malo, inter affines, ab uno latere... et a secundo latere ejusdem præfati vestri monasterii. Etiam et confirmamus vobis aquimolum molentum unum in integrum in fluvium Tyberis justa schola Saxorum possit. sicuti vobis eumdem aquimolum largivit quondam Alto Achomatos, inter affines, ab uno latere aquimolum... et a secundo latere aquimolum Benedicti Virgarii portæ sancti Petri cum aliis D consortibus suis; et a tertio latere Portum majorem ipsius fluminis, et a quarto latere via publica unde descenditur ad ipsos aquimolos, cum ligamentorio et introitu suo, et cum omni conciatura sua cum omnibus sibi pertinentibus sicuti a Joanne prædecessore nostro, per præcepti paginam in vestro obtulit monasterio; similiter per privilegii paginam vobis concessit atque confirmavit in supradictum fluvium Tyberis ante cloaca, cum aqua post te. ad alium aquimolum faciendum; et inter hos fines ab uno latere, aquimolum venerabilis monasterii sanctæ Mariæ in Capitolio, et aquimolum Leoni (261) proto

(261) Notissimo proto scriniario, che si trasmuto poscia in Leone VIII (*V. il Galletti* l. c. p. 142).

scriniarii, et a secundo latere medietatem ipsius fluminis, et a tertio latere aquimolum Teophilati quidem (262) nomenculator, et aquimolum venerabilis monasterii sancti Ciriaci quod appellatur in Via Lata, et a quarto latere via publica juris cui existens. Nempe et monasterium in integrum quem sancti Terentiani cum omnibus subscriptis cellis suis, videlicet sancti Stephani atque sanctæ Mariæ, sive cellam sancti Benedicti et sancti Sylvestri, et sancti Valentini, vel cum omnibus suis ædificiis, et adjacentiis ejusque ubique pertinentiis situm territorio Polimarcensis, juris venerabilis monasterii sancti Christi martyris Laurentii, quod appellatur Foris Muro, hujus adeo..... servant civi. Rom. præstante. Præterea confirmo vobis Paternum in integrum cum vocabulis suis; idemque et Massam in integrum quem Majana cum universis locis vel vocabulis suis, scilicet curte, Tujanum, Pollejanum, Anticuum, Sutanum, Oceanum, Betujanum, Terentianum, Centumcelle, sive quibus aliis vocaculis nuncupantur, cum vineis, terris, sylvis, casis, colonis et colonabus utriusque sexus ibidem residentibus, ac pertinentibus, campis, pratis, sylvis, salectis, arboribus pomiferis, vel infructiferis et diversi generis; puteis, pontibus, rivis atque perennis ædificiis parietinis : cultum vel incultum cum omnibus ad eas generaliter et in integrum pertinentibus posit. territorio Ortano, miliar. ab urbe Roma plus minus quadragesimo, juris supradicti vestri monasterii. Pariterque stabilimus vobis diversis casalinis sitis intro eadem civitate Ortano etiam et terris omnibus immobilibus locis quæ juris supradicti vestri monasterii pertinent, tam infra ipsa Ortana civitate quamque etiam et de foris diversis locis nuncupatur, et Cartulæ inde veredice factæ. Et iterum in eodem Ortano territorio confirmanus vobis ecclesiam sancti Christi martyris Juvenalis cum omnibus suis in integris pertinentibus, sicuti ab eodem Ortano episcopio vobis pertinere videtur. Iterumque etiam et stabilimus vobis omnibus immobilibus locis, quæ supradicti monasterii vestri pertinet infra civitate Gallisana, et in ejus ubique territorio sive in his fundum trium, quam Cazanum, Casinianum, et Cesa Narniens. Verum etiam et massa quem Preciliana..... vobis concedimus cum omnibus ad eam generaliter et in integro pertinentibus sita territorio Sabinens. juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et inter affines, ab uno latere Massa quem Pausa et a secundo latere rivo de Utriculo, quem Butino; et a tertio latere res de monasterio sanctæ Mariæ; et a quarto latere res de monasterio sancti Salvatoris; etiam et confirmamus vobis fundum Campi Mort. ultra Albatum, qui est inter civitate Ortana. . Verumtamen et confirmamus vobis omnes res quæ jurisdictione supradicti vestri

A monasterii pertinet in territorio Nepesino et Casamala quod est fundum quem Casanova et Bovarico atque Boltejano una cum servis et ancillis utriusque sexus ibidem residentibus ab eodem dicto jam vestro monasterio pertinentibus; nec non et confirmamus vobis ea quæ per scripturarum series ejusdem monasterii in jam dicto monasterio territorio ab Alto quondam Achomato vobis pertinet. Iterumque et confirmamus vobis Casalem in integrum quam Pacianum cum omnibus ad eum pertinentibus posito territorio Sutrino simulque et omnes res confirmamus vobis quæ Jus et ditione supradicti vestri monasterii pertinent in toto territorio Collinens. et in locum quem Valle et Tintoriscii et in monte quem de Asca, sive in sancto

B Cassano, et in Curte atque in Baccaricia cum vineis et terris sationabilibus, sylvis cum pantano suo majore, una cum colonis et colonabus inibi commorantibus ad ipsum supradictum vestrum monasterium pertinentibus, supradictorum immobiliorum locorum juris sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ et supradicti monasterii, vel aliorum priorum locorum cujus, jura consistunt; etiam et confirmamus vobis Casalem unum in integro quæ Ruscitulo cum omnibus suis generaliter et in integro pertinentiis situm territorio...... via Flaminia miliar. ab urbe Roma plus minus quarto decimo cum omnibus fundis vel vocabulis suis videlicet Sergianum, Staturianum, qui et Nuce prædia vocatur, seu Saburiam atque Pontianum;

C necnon et Bavianum sive quibus aliis vocabulis vocatur cum casis, vineis, terris, sylvis et cum omnibus finibus, terminis limitibusque suis inter affines ab uno latere via publica qui ducit in Fossato de hærede quondam Joannis (263) grammatici et recte per ipsum Fossatum in rivo qui descendit in Ponte quem Veneni.,... et ab alio latere per ipsa suprascripta via publica recte ducente per Montecello qui ducit in rivo, et deinde per terram sementariciam in via de Solaro, et exinde per limite in Puteo, et ab ipso Puteo secute in supradicto Ponte Veneno. Vel si quis aliis affines sunt aut ab origine fuerunt juris qui assistent. Denique porro et confirmamus vobis casalem unum in integrum quem villa rustica, sive quo alio vocabulo nuncupatur, cum universis fundis vel vocabulis suis, cum casis, vineis, seu terris et sylvis, campis, pratis, pascuis, diversis arboribus, criptis arenariis, fontibus cultum vel incultum, et cum omnibus finibus, terminis limitibus suis, et omnia ad eum generaliter et in integrum pertinentibus, posito territorio.... miliari ab urbe Roma plus minus. Præterea et stabilimus atque confirmamus vobis immobilibus locis omnibus quæ in Romam et ubique foris Romam præfati monasterii vestri legaliter pertinent ut cartula inde veridice

(262) Ecco un altro *nomenclatore* di nomen Teofilatto, di cui non ci ha parlato il diligentissimo e laboriosissimo vescovo di Cirene, che non dee esse ricordato nella nostra Bolla quello. chel tal fu negli anni 826 e 829 (Galletti p. 165, 183).

(263) Si aggiunga ai pochissimi grammatici del secolo x, de quali è a noi pervenuto il nome : era vivo nell' anno 906, ed è ricordato da Sergio III nel papiro xxiv, e lo è più di un secolo dopo ne' papiri xlvi e xlviii.

facta pensionem solvantur. Supradictis autem locis quæ usque nunc soliti estis solvere pensionem singulis quibusque indictionibus solvere jubemus vobis, focis autem cæteris supradictis quæ per annorum curricula non fuit pensionem a vestris antecessoribus neque a vobis solvant, et per negligentiam actionariis hujus nostræ sedis et vestris jure consistentibus sine vestrorum antecessorum et sine vestra contentione ostatis solvatis, neque amodo deinceps persolvatis. Inclinati precibus vestris pro inviolabili restauratione et stabilitate supradicti monasterii per hujus præsentis præcepti seriem supradictum monasterium et immobilibus locis, servis et ancillis, colonos et colonas ut superius per ordinem exaratos leguntur a præsenti tertiæ decimæ indictioni in perpetuum concedimus et stabilimus tibi, tuisque successoribus abbatibus, et servorum Dei ejusdem venerabilis monasterii detinendum, omnemque quam indiget meliorationem fabricam seu defensionem prænominata loca ut superius leguntur indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatur; nullaque præterea ad dandum annue pensionem ab vobis mora proveniat. Sed ultro actionarii sanctæ nostræ Ecclesiæ et nostrorum piorum locorum apto tempore persolvantur. Unde et sub terribili atque tremendi futuri examinis diem, et maximis sub anathematis interdictionibus Domini nostri et beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus. Nulli quoquo modo nostrorum successorum pontificum licere vel aliæ magnæ parvæque personæ cujuscunque sit honoris præditus vel dignitate qualibet, exquisitione aut ingenii arte dissolvere hæc quæ a nobis pio intuitu ad laudem Redemptoris nostri constituta atque confirmata sunt, nec penitus ex eisdem locis vel possessionibus atque rebus et facultatibus, familiis etiam aut peculiis; vel quidquid ad eumdem venerabile monasterium pertinere dignoscitur, auferre vel alienare, potius autem omnis ut prælatum est in eodem sancto loco perenniter in integrum permaneant, promulgantes sancimus ut per omnipotentis Dei nostri virtutem sub terribili anathematis obligatione omnino obtestantes decernimus, nullus unquam præsumi quamlibet contrarietatem aut malitiam in eodem monasterio vel pertinentibus ejus a causis sive locis aut familiis A inferre vel placitum tenere, sive distractum facere, nisi per tuam tuisque successoribus licentiam. Si quis autem ex nostris successoribus pontificibus, aut ex quocunque homine potente vel inferiore, magna scilicet parvaque persona cujuscunque sit honoris præditus vel dignitate, præsumpserit quocunque argumento vel exquisita occasione hæc quæ a nobis ad cultum Dei statuta atque confirmata sunt, distrahere aut diminuare vel in quoquam temere aut refragare, et, quod non optamus, quemlibet locum aut possessionem vel quidquid, prædicto monasterio pertinere dignoscitur, auferre aut alienare ex eodem sancto loco conatus fuerit, sciat se Domini nostri et beati Petri principis apostolorum auctoritate insolubili anathematis in- B nodatus, et a regno Dei alienus, contrarios sibi sentiens omnes sanctos ejusdem monasterii quiescentibus, et cum ipsis ante tribunal Dei omnipotentis in tremenda examinis diem distractus, ejusdem sanctis faciat rationes, atque cum diabolo ejusque atrocissimis pompis et cum Juda traditore Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et omnibus impiis deputatus et in tartareo igne et inextinguibili incendio et voragine chaos demersus concrementur in æternum. Porro qui inventi fuerint ipsum monasterium defendere, et omnia quæ in hoc apostolico nostro privilegio præcepto continentur adnexa custodientes integra mentis sinceritate servaverint, a dextris inveniantur Dei in locum lucis constituti, et omnes sanctos Dei qui C in eodem monasterio quiescunt firmos habeant protectores eorumque suffragiis et in præsenti vita adjuventur et in futura beatitudine cœlestis regni gaudia cum angelis Dei et omnibus sanctis et electis per infinita consequantur sæcula.

Scriptum per manum Leonis notarii regionarii atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mens. Aprilis. ind. suprascripta tertia decima. † Bene valete. Datum VIII Kal. Aprilis per manus Marini episcopi (264) sanctæ Polimartiensis Ecclesiæ et bibliothecarii summæ sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, domni nostri Agapiti summi pontificis et universalis junioris pp. in sacratissima sede beati Petri apostoli, nono et ind. suprascripta tertia decima (265).

Ego Omnia sanctus sanctæ Romanæ Ecclesiæ D judex et notarius sicut in dicto privilegio Carticino

(264) Non fu all' Ughelli ignoto questo vescovo e bibliotecario (t. I, p. 114) per una Bolla di Giovanni XII, e per una carta del registro di Sublaco connobolo il Muratori (A. *m.* æ. t. VI p, 203), M. Giorgi (in crit. ad pag. ad an. 955), e M. Galletti (*l. c.*, p. 101): e per una carta pur di Sublaco si è saputo che era vescovo di Bomarzo almeno sin dall' an. 942 (Muratori *l. c.* † v. pag. 773: Giorgi, *l. c.* ad an. 942). Ma per la serie de' bibliotecari non si vien a sapere di qual Chiesa fosse vescovo, perchè nol dice egli in un'altra Bolla dello stesso Giovanni dell' an. 956; del qual papa, e non del XIII, e molto meno dell' an. 972, come scrisse il Ciampini (ex lib. Pont. p. 23), e come sta ne' Concilii (t. XII p. 879 dell'ed. Ven.) è per certo l'altra diretta a Berengario vescovo Verdunense morto nel 959 (*Gall. Christ.* t. XIII p. 1180); le quali Bolle sono tutte scritte, come in nostro papiro, dallo stesso scriniario Leone, in quale per errore, credo, di chi copiolla dicesi *scriptor S. R. C.* in un' altra Bolla di Agapito dell' an. 955, stampata ora nella Storia della Linguadoca (*Preuv*, t. III, p. 95).

(265) Lo stesso probabilmente che in una pergamena dell-archivio di S. Maria Maggiore de' 12 luglio 1309, si nomina *notarius et nunc notariorum urbis camerarius*. Altri Ognissanti Romani nel 1318, ci dà il papiro che segue, e reca mons. Galletti l'iscrizione sepolcrale di uno di esse morto nel 1394 (Iscr. Rom. t. III, an. 20, n. 42); dice poi l'Amideno che la nobile famiglia *Omnia sanctus* è la stessa che la Mancini; le venne force si bel nome dall' esimia bontà di uno, usando molto i Latini ad imitazion de' Greci, che dicevano πάντα, εκάτα, πάντα, ὅσιος, etc., le frasi *omnia, cuncta, in omnia, per omnia, in omnibus, per cuncta, in cunctis, magnus, lautus, su-*

inveni in eoque legi potuit non cancellato, non abraso, non vitiato, viso, lecto et sic obscultato diligenter coram discretis viris domnis presbytero Giptio sancti Apollinaris et Bartholomeo sanctæ Mariæ de Caccabari, cleri urbis et Romanæ fraternitatis rectoribus per sedem apostolicam deputatis, et eorum auctoritate decreto atque mandato et coram infrascriptis testibus litteratis ad hæc specialiter vocatis et rogatis, scilicet domno Jacobo archipresbytero sanctæ Mariæ in Via, domno Ægidio presbytero et rectore ecclesiæ sanctæ Luciæ de Confinio, et domno Raynaldo presbytero et rectore ecclesiæ sancti Andreæ de Urso, domno Jacobo priore ecclesiæ sancti Andreæ de Columna, domno Thoma canonico ecclesiæ sancti Laurentii in Lucina, domno Angelo Ronterii canonico ejusdem ecclesiæ sancti Laurentii, et domno Angelo Scholari nato domni Jacobi Consolini judicis. Sic de verbo ad verbum nihil addito vel detracto eatenus quatenus legi potuit scripti et fideliter exemplatus sum ac in publicam formam redegi. Rogatu venerabilis et religiosi viri domni Matthei (266) abbatis venerabilis monasterii sancti Sylvestri de Capite in Urbe, ordinis sancti Benedicti et conventus ejusdem decreto etiam et auctoritate atque mandato supradictorum rectorum sub ann. Domini 1267 indict. 5, mens. Julii 27. In quo quidem privilegio carticino suspensa erat bulla plumbea filo serico violacei coloris cui ab uno latere cruce media hæ litteræ circulariter legebantur : AGAPITUS, et in medio erat quoddam signum stellam quodammodo repræsentans, ex alio vero latere hæ litteræ apparebant cruce ibi posita : PAPÆ.

Locus † signi notarii.

† Ego presbyter Gyptius sancti Apollinaris cleri urbis et Romanæ fraternitatis rector, habens fidem huic publico instrumento fideliter exemplato ideo me subscribo.

† Ego magister Bartholomæus de Caccabari, rector cleri urbis et Romanæ fraternitatis habens fidem huic publico instrumento fideliter exemplato, ideo me subscribo.

† Ego domnus Jacobus, archip. sanctæ Mariæ in Via testis prædictus me subscribo.

† Ego presbyter Ægidius, rector ecclesiæ sanctæ Luciæ de confinio prædictus testis me subscribo.

† Ego presbyter Raynaldus, rector ecclesiæ sancti Andreæ de Urso testis prædictus me subscribo.

† Ego Jacobus, prior ecclesiæ sancti Andreæ de Columna testis prædictus me subscribo.

† Ego Thomas, canonicus ecclesiæ sancti Laurentii in Lucina supradictus testis me subscribo.

† Ego angelus Ronterii, canonicus ecclesiæ sancti Laurentii testis prædictus me subscribo.

† Ego Angelus, legum scholaris natus domni jacobi Consolini judicis prædictus testis me subscribo.

† Ego Jacobus, Consolinus judex et nunc camerarius judicum Urbis, habens fidem huic instrumento et privilegio fideliter exemplato me subscribo sub annis Domini millesimo CCLXXVII, ind. 5 mensis Augusti 26.

† Ego Adenulfus, judex et rector judicum habens fidem huic instrumento et privilegio fideliter exemplato, me subscribo.

† Ego Maximus, Petri Odonis judex et nunc camerarius judicum huic privilegio fideliter exemplato, me subscribo.

## XX.

### AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARTINI DE LENIS.

(Anno 955.)

[Apud D. Bouquet, *Recueil des historiens*, IX 233.]

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, SEGARIO religioso abbati venerabilis monasterii sancti Martini, qui vocatur Lenis, qui est in ripa de flumine Atace in valle Bolicarnea, et per eum in eodem venerabili monasterio in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis ecclesiis ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Ideo convenit nos pastoralis tota mentis integritate procurare et sedule eorum utilitatum subsidia illis conferre, ut Domino nostro omnipotenti id quod pro ejus sanctimoniis, honore etiam et laude atque gloria ejus divinæ majestatis, venerabilium ut nostrorum erat contulisse locis, sitque acceptabile, nobisque ad ejus locum locupletissima misericordia dignum hujusmodi pii operis insidere in sidereis conferatur arcibus remuneratione. Igitur quia petistis a nobis quatenus ecclesiam sanctæ Mariæ quæ est in Coronulas, cum terris et vineis et cum omni redhibitione sua, pari modo et ecclesiam S. Stephani quæ est in Bolorda, item cum terris et vineis et cum omnibus pertinentiis suis ; simili modo et ecclesiam S. Joannis quæ est in Combreto, cum omnibus suis pertinentiis ; pariterque et ecclesiam S. Petri quæ est in Petralata, item cum terris et vineis ; verum etiam et villam de Buxo et Petrus, cum terris et vineis et silvis et aquimolis suis ; similiter in villa quæ dicitur Cassanges, cum casis et vineis et terris, et medietatem de villa quæ dicitur Barosa, nec non in vico Adasate cum terris et vineis ; pari modo et villa quæ dicitur Artosol, cum omni sua pertinentia : pariter infra comitatu Feniolotense, et comitatu Rodense, et Rosselione, tuæ religiositati.... in perpetuum concedere deberemus. Ita sane ut a vobis vestrisque successoribus singulis quibusque indictionibus pensus nomine rationibus ecclesiasticis decem argenti solid.... denarios duodecim difficultate postposita persolvatur..... de nostra meliora-

*blimis*, *sanctus*, ed, ὕστερον πρώτερον *sanctus omnia* disse Aurelio Vittore (*in Cæsar* c. 9), *omnia sanctus* avea detto Tertuliano nel libro della Penitenza.

(266) A questo abate Matteo diresse quattro lettere nel suo breve pontificato (*Reg. in Arc. Vat.* an. 1, ep. 43, 62, 207).

tione seu definitione indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatur; nullaque præterea ad dandum annue pensus a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctæ nostræ Ecclesiæ apto tempore persolvant; statuentes apostolica censura, auctoritate beati Petri apostolorum principis, sub divini judicii obtestatione anathematis interdictum ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ ipsa prænominata loca a potestate et ditione jam fati monasterii auferre præsumat. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hunc nostrum apostolicum præceptum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo innodari, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterno incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobris, indictione XIII. Bene valete.

### XXI.

#### AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO MONTIS CASSINI.

(Anno 955).

*Balduino abbati Casinensi ejusque successoribus monasterium S. Stephani in territorio Terracinensi situm concedit.*

[Tosti, *Storia di Monte Casino*].

AGAPETUS episcopus, servus servorum Dei, BALDUINO dilecto filio, et abbati venerabilis monasterii Cassini Montis, et omnibus ejus regulariter intrantibus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et justi desiderii congruum impertire suffragium. Atque ideo quia postulastis a nobis quatenus concederemus vobis monasterium sancti Christi protomartyris Stephani, quod per longam vetustatem in ruinis, et in desertis positum est cum ecclesiis, seu cellis, aquis, rivis, cum terris, campis, pascuis, silvis, cultis vel incultis, et cum omnibus ad suprascriptum monasterium generaliter in integrum pertinentibus, positum territorio Terracinense, et inter has fines. A primo latere casale qui vocatur Vorke, et casale Clevini; a secundo latere pede montis devolvit quomodo ascendit per pedem montis sub ipso monte, per pedem montis sancti Lacui, et veluti vadit in monte de Campilla, et per rivum Balani, et montem de Montania, et casale Rustizanu et Tauri. A quarto vero latere casale Sallissanu, et Plage, et Baleranum usque in rivo David et revertit in casali Barkas. Juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, vobis tenendum perpetuis temporibus concedere deberemus, inclinati precibus vestris per hujus præcepti seriem supra scriptum monasterium cum omnibus ad eum pertinentibus, sicut supra legitur, a præsenti quarta decima indictione vobis vestrisque successoribus in perpetuum vobis concedimus detinere deberi; statuentes atque promulgantes sub divini judicii observatione et anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ subtrahere præsumat, quæ ipsum locum ad restaurandum, et ad pristinum gradum revocandum, a nobis per remedium animæ Stephaniæ spiritualis nostræ filiæ recepistis. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum præceptum ire tentaverit, sciat se auctoritate Dei, et beati Petri apostolorum principis anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienum. Qui vero pio intuitu custos, et observator hujus nostri apostolici constituti in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam, et misericordiam a justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Acritioneri scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione supra scripta, quarta decima. Bene valete. Data septime decimo Kalendas Novembris per manum Andreæ divini, respectu gratiæ, arcarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno, propitio Deo, pontificatus domni Agapiti, summi pontificis, et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, anno decimo, in mense, et indictione suprascripta.

### XXII.

#### AGAPETI PAPÆ II PRIVILEGIUM PRO CELLA S. MARIÆ ET S. HUNNEGUNDIS HUMOLARIENSI.

(Anno 955).

[Colliette, *Mémoires du Vermandois*, I, 563].

In nomine sanctæ et inseparabilis Trinitatis: AGAPETUS, Christi adminiculante misericordia, sanctæ Romanæ sedis antistes.

Si sanctis petitionibus præstabiles voto piorum assensum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum sit universis catholicæ matris Ecclesiæ filiis, quod misit ad nos filius noster gloriosæ indolis puer, scilicet Lotharius rex Francorum, paternitatem nostram humiliter obsecrans, ut quamdam cellam in pago Viromandensi sitam, in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, et sanctæ Hunegundis virginis constructam, apostolicæ auctoritatis præsidio muniremus, quam suggerentibus genitori suo Ludovico videlicet regi, et sibi ipsi æque regi, comite Adalberto, et idoneo satis viro Eiberto, qui eamdem abbatiolam jure beneficii possidebat, ad sacræ religionis venerabilem cultum erigere conatur, atque regiæ potestatis præcepto corroborare nititur: cujus petitioni congaudentes, ecclesiastici vigoris manum exerimus; et ex aqua fulcimur auctoritate præcipimus ut præfatam abbatiam nemo unquam sæcularium possideat, neque ex rebus ejusdem cellæ quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non comes, non episcopus, nec quilibet princeps, quacunque potestate præditus, nisi forte tuendi et defendendi causa, et hoc non nisi ejusdem loci regularis abbatis fiat permissione. Si quis vero pro hac adipiscenda pecuniam, vel quod libet munus regi

aut cuilibet principi dederit, sive promiserit, subin- A ferendæ maledictioni subjacebit. Sit igitur eidem cellæ abbas, secundum regulam sancti Benedicti constitutus, et monachi regulari districtioni subjecti, quos de rebus ejusdem cellæ aliquod dispendium perpeti, cum omni imperio prohibemus. Res ergo ejusdem ecclesiæ sunt Humolarias villa, in qua cella constructa est, cum mansionibus cunctis ad se pertinentibus: Merulfi curtis cum adjacentiis suis; Eudoldi curtis cum appenditiis suis; Caviniacus cum mansis ad se pertinentibus. In villa quæ dicitur, Frisia super fluvium Summam, duodecim mansi quos pro commoditate piscium eidem ecclesiæ perpetualiter habere liceat..... Si quis vero contra hujus apostolici privilegii tutelam aliquid molitus fuerit..... hunc..... excommunicamus..... ut sub hujus anathematis vinculo pœnaliter innodatus, sit anathema maranatha. Fiat, fiat.

---

ANNO DOMINI DCCCLXI.

# SANCTUS ODO

ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

## VITA SANCTI ODONIS

*Auctore, ut videtur,* OSBERNO *monacho Cantuariensi.*

(Apud Mabil. Acta sanctorum ordinis S. Bened. ex manuscripto codice Thuano-Colbertino).

## OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Etsi hujus Vitæ scriptor antiquitatem vel ex B manuscripto codice sapiat, non tamen ejus nomen ætatemve signat codex Thuano-Colbertinus, ex quo hanc Vitam descripsimus. Is auctor mihi videtur esse Osbernus Cantuariensis monachus sub Lanfranco archiepiscopo, qui Osbernus de Vita Odonis Cantuariensis archiepiscopi librum unum scripsisse apud Pitseum memoratur. Incertum est an Willelmus Malmesburiensis hunc libellum præ oculis habuerit in concinnando Odonis elogio, quod libro I de Gestis pontificum Anglorum inseruit. Dubitandi ratio inde petitur quod Willelmus in nonnullis rebus, levioris tamen momenti, cum Osberno (sic eum vocare interim liceat) non convenit. Osbernus quippe ait, Odonem suæ electioni in sedem Cantuariensem repugnantem non prius consensisse, quam missis Floriacum legatis abbatem arcessierit, quia eum ad monachatum indita cuculla initiatus fuisset: Willelmus habet Odonem, *transito mari, apud Floriacum monachilia accepisse*, Osberno Gervasius Dorobernensis monachus C Willelmo Bromtonus suffragatur. Osbernus addit Odonem mortuum ecclesiæ custodi apparuisse, ut Elfsinum, in Cantuariæ cathedram simoniace intrusum, verbis suis compesceret: Willelmus Elfsino ipsi factum ostentum tradit. Ad hæc quædam Willelmus commemorat, ut de sancti Wilfridi facta per Odonem translatione, aliaque nonnulla, de quibus Osbernus silet.

2. Ambo in id conveniunt, defuncto Vulfhelmo Cantuariorum antistite, cum regis ac populi vota in Odonem concurrissent, hanc constantius, *ut qui nondum amicisset monachum*, renisum fuisse, *ne morem majorum ambitione sua turbare videretur. Nullum enim ad id tempus, nisi monachili schemate indutum archiepiscopum fuisse*, inquit Willelmus, quod aliis verbis tradit Osbernus. Godwinus sectarius *errorem* vocat, atque certum esse Nothelmum aliosque nonnullos sæculares, ut vocant, presbyteros Cantuariensi Ecclesiæ ante Odonem præfuisse. Verum nullo argumento id certius rescire potest Godwinus, quam Odo ipse aut Willelmus, primorum temporum viciniores: nec constat Nothelmum monachatus expertem fuisse. Beda quidem in præfatione ad Historiam Anglorum Nothelmum duntaxat *religiosum Lodinensis Ecclesiæ presbyterum* vocat: at hoc nomine donare solebant monachi sacerdotes; et Beda ipse in epistola ad Nothelmum illum, *venerabilem fratrem nostrum Nothelmum presbyterum* appellat; quæ verba monachum designant potius quam presbyterum sæcularem. Monachum induit Odo, simulque ipsa monasticarum vestium susceptione professus est sub annum 937, quo tempore Floriacense monasterium ad strictiorem regulæ cultum revocatum fuit opera Odonis abbatis Cluniacensis. Ab eo itaque Odo monasticum habitum susceperit, prætermissis Cantuaritis aliisque Anglicanis monachis, quorum absevantia in tanta opinione tunc non erat. Eadem causa Oswaldum aliosque Anglos illexit ad cœnobium Floriacense, ex quo Abbo in Angliam missus est non minus causa pietatis quam eruditionis.

3. Inter alia Odonis facta, quorum in sequenti libello nulla mentio est, præcipuum videtur illud quod de corporis sancti Wilfridi episcopi Eboracensis translatione ab eo Cantuariam procurata legitur tum apud Willelmum, ubi de nostro Odone, tum apud Eadmerum in libro de Vita S. Wilfridi, edita in parte prima Sæculi III Benedicti, pag. 226 et 227. Addit Willelmus curasse Odonem, ut heroico metro Wilfridi Vita texeretur; idque exsecutum fuisse Fridegodum quemdam, cujus poema *Patrologiæ nostræ, tom.* CXXXIII damus. Subdit Willelmus

synodalem Odonis epistolam ad suffraganeos A suos *tempore Edmundi regis* directam, qua eos hortatur, *ut ne tepide et negligenter in regimine animarum conversentur*, qua in epistola Odo *non mediocre*, ut Willelmo visum est, *litterarum dedit indicium*, sed majus pietatis ac sollicitudinis pastoralis. Hæc epistola ab eo scripta est, ut puto post constitutiones ab ipsos latas sub eodem rege, apud Spelmannum editas, in quibus cavetur de officio regis, cleri et magistratuum. In capite 6, monachos hortatur *ut in omni humilitate et obedientia die noctuque* vota sua *adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis, ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt : sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, et lectione sacra, et continuis orationibus se exercentes.* Ad hæc Eadmerus in prologo ad Vitam sancti Wilfridi memorat Odonis libellum B nostri de Vita et conversatione ipsius Wilfridi. Sed libellus iste sine dubio non alius est quam Fridegodi carmen, cui in codicibus nonnullis præmissa est Odonis epistola, in qua hæc verba : *Igitur venerabillimas beati confessoris Christi Wilfridi reliquias indecenti sentinosæ voraginis situ marcidas, imo (quod dictu quoque meticulosum est) prælatorum horripilatione neglectas, cum inde favente Deo, scilicet a loco sepulcri ejus, quidam transtulissent, reverenter excepi, atque intra ambitum metropolitanæ, cui gratia Dei præsideo, collocavi. Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, et editiore eos entheca decusare, et excerptis de libro Vitæ ejus flosculis novo opere pretium duxi carmine venustare*, id est per Fridegodum : quod tamen Eadmerus, et forsan alii nonnulli, Odoni tribuerunt. Nescio an certiora sint quæ de aliis Odonis scriptis habet Pitseus, qui ei insuper tribuit librum unum ad Floriacenses pro nepote suo Oswaldo; alium item de reali præsentia corpori Christi in Eucharistia, itemque librum unum epistolarum, et alium diversorum poematum.

4. Quod superest, Eadmerus, Willelmus Malmesburiensis, Matthæus Westmonasteriensis, aliique Odonem *sanctum* vocant, et post eos cardinalis Baronius in tomo X Annalium, tametsi in Martyrologio Romano locum non habet Odo. Eum die quarta Julii ad Dominum migrasse ex Capgravio aliisque scriptoribus Anglicis Maiheuvius docet, non septima Februarii, qua die de sancto Odone agit Molanus in Additionibus ad Usuardum. Laudatur maxime in sequente Vita S. Dunstani per Osbernum.

---

*Odo paganos parentes relinquit.*

1. Venerabilis Christi confessor Odo, nobilibus sed paganis (267) parentibus oriundus, sicut rosa e spinis floruit, vel quasi pretiosum de vilibus vasculis aroma processit. Nam ex impia illa senatorum multitudine fertur genus habuisse, quæ olim sceleratissimum prædonem Inguarem comitata, navali manu in regnum Anglorum est advecta. Hos ille nativitatis principes sortitus, et eorum accuratissima educatione pueriles annos translatus, C festinabat Christianorum conventicula indesinenter adire, divinos qui ab illis dicebantur sermones magna animi oblectatione audire, donumque revertens quæ audierat parentum auribus sedulo infundere. Super quibus bonorum studiorum primordiis pater impius impie irritatus, prohibeat omnino ne Christum nominaret, neve paternas institutiones Christianæ religionis veneratione immutaret. Verum ille, prohibentis imperium penitus despiciens, magis ac magis Ecclesiæ limina terere, et divini Verbi intento animo semina percipere, et quæ cœperat absque pavore domi nuntiare. Hinc iterum pater supra humanum modum exasperatus, gravissima illum correptione affligit, jusque hæreditatis, quod ad illum lege primogeni- D torum venire debebat, subtrahit. Tum puer exsultans in Domino quod talem pro ejus nomine proscriptionem subiret in terra propter quam ascribendum se esse consideret in cœlo, dimissis parentibus, parentum divitiis, nudus et omni mundano decore privatus aufugit.

*Athelmum adit; litteris studet.*

2. Adito itaque duce quodam, nomine Athelmo, qui tempore regis Eluvredi et Christianissimus, et inter cæteros optimates regni Anglorum unus de sublimioribus erat, postulabat se illius potentia et auctoritate a parentum suorum furore defendi. Qui bona adolescentis indole gaudens, nec dignum aliquatenus esse judicans, ut tale decus paganis ritibus sub patris imperio deserviret, paterno affectu illum suscepit, defensione munivit, auxiliis necessariis simul et non necessariis fovit, deinde Græca ac Latina lingua magistris edocendum tradidit, quarum linguarum plerisque tunc temporis in gente Anglorum usus erat, a discipulis beatæ memoriæ Theodori archiepiscopi profectus; factusque est in utraque lingua valde gnarus, ita ut posset poemata fingere, prosam concinnare, et omnino quidquid ei animo sederet, luculentissimo sermone proferre.

*Ordinibus initiatur.*

3. Post hac sacramento baptismatis renatus, clericali tonsura decoratus, usque ad subdiaconatus ministerium domini sui admonitione perductus est : in quo gradu per aliquot annos ita sanctitate vitæ et prædicationis sinceritate pollebat, ut quicunque illum agnosceret, Spiritus sancti templum esse non dubitaret; omniumque testimonio dignus esset qui ad altiora Ecclesiæ ministeria, licet ætas ejus (quantum ad instituta canonum spectat) hoc prohiberet, provehi deberet. Unde suasus a domino suo ut ad sacerdotium se sineret transferri, quatenus ab illo divinum quotidie officium audiret, cujus vitam castissimam, manus vero munditiæ plenas agnovisset, ille, objecta immatura ætate, quantum potuit obstitit. Postmodum vero, ratione simul et antiquorum exemplorum auctoritate victus, religioso desiderio cessit; leviticam stolam humero circumdedit, parvoque tempore elapso summorum quoque mysteriorum sacrator accessit. Ex quo tempore tam ipse dux quam cæteri pene omnes regalis palatii principes in summa eum veneratione habere; secreta male actæ vitæ ei aperire, et de his emendandis ejus consilio libenter credere.

(267) Nempe ex *Danica feritate*, ut scribit Willelmus, Bromtono *natione Danus. Severo* cognomen tribuunt nonnulli *fide digni*, teste Maiheuvio, sed recentiores, quos inter Pitseus.

*Romam adit cum Athelmo, eumque sanat. In Angliam revertitur.*

4. Interea dux regi suggessit habere se desiderium proficiscendi Romam et sanctis apostolis ibidem supplicandi : moxque regia licentia simul ac munificentia donatus, adjuncto sibi venerabili presbytero Odone, cum magno comitatu profectus est. Sed cum itineris aliquantulum peregissent, acerba tactus infirmitate acriter cœpit ægrotare, adeo ut vix reciproci flatus posset aera spirare. Cumque per sex continuos dies et languor augmentum, et commeatus acciperet detrimentum, septimo jubet omnem turbam cœpta via progredi, solo Odone secum retento, cujus ope in præsenti periculo maxime indigebat. Quem ad se post relictos illos flebili voce clamatum, orat ut pro sui liberatione Domino preces effundat, referens se indubitanter credere quod nihil ei divina pietas denegaret, quem a puero magna gratia acceptum haberet. Tum venerabilis Odo, animo ad Deum erecto, toto corpore terra procumbit, magnosque divinæ clementiæ singultuum imbres effundit ; surgensque de solo postulat sibi repletam vino phialam deferri; super quam invictæ crucis signaculum edens, humiliter vinum viro porrexit, atque ut in Domino per omnia confideret fideliter admonuit. Bibit itaque homo quod erat in calice, et eodem momento cum redderet phialam, redditam sibi omnimodam sentiebat medelam. Proinde curvatus ad genua presbyteri, gratias refert, ascensoque equo præmissos comites volucer insequitur, quos celeri cursu viam terentes sequenti die impigro et ipse volatu attingit. Viso autem illo omnes præ gaudio lacrymas fundunt; sed præstitæ salutis auctorem cognoscentes amplius mirantur. Romuleam igitur ad urbem usque progressi, et inde ad patrios lares feliciter reversi, immensam tum regi, tum cæteris in palatio degentibus in adventu suo lætitiam præstant.

*Ethelstano regi fit charus.*

5. Post dies duce ipso, ac post ducem præfato rege de præsenti vita sublato, Eduardus, filius ejusdem regis, in regnum successit, et illud pluribus annis prudentissime rexit : in cujus diebus venerabilis Odo presbyterii gradum officio simul ac vitæ sanctitate insignis administrabat, regi notus, et acceptus ei, et omnibus admirandus ad omnes benignitate ac mansuetudine diffusus, omnium moribus juxta apostolorum se contemperans, ut omnes Christo lucrifaceret. Ubi autem rex Eduardus huic vitæ modum posuit, Ethelstanus filius ejus regni habenas sortitus est. Vir vero admirabilis Odo vitam, ut diximus, virtutum per omnia agens, magnus ab omni populo habebatur. Nec enim civitas super montem posita, vel lucerna in candelabra lucens poterat abscondi. Hinc processit ut sanctitatis ejus fama quotidie augmentando magnificata, ad aures quoque eximii regis Ethelstani mira cum laudis exaltatione perlata sit : qui hominem ad se evocatum, et vere Dei famulum esse certissime agnitum, suis cum amicitiis jungit, ac secretorum suorum præ cæteris conscium facit.

*Fit episcopus Schireburnensis.*

6. Inter hæc sedes episcopalis, quæ tunc temporis *Scireburne*, nunc autem *Seriberic* est, pastore viduata est. Sciens itaque rex Odonis vitam pontificatu omnino dignissimam, eum de suscipiendo episcopatu interpellare, ac ut ovium Dei pastor apostolicus loco defuncti fieri acquiesceret, magno cœpit studio renitentem obsecrare. Quid moror ? Tandem Ecclesiæ ac regiis precibus victus, quod sibi nimium grave testabatur, pontificale officium in præfata Scireburnensi Ecclesia pontifex factus administrare consensit. Præsidebat his diebus loco, dignitate, auctoritate et officio, Ecclesiæ Cantuariensi vir bonus et strenuus, Wlfelmus nomine, qui huic regis, cleri ac plebis electioni animo libenti consensum attribuens, eum pro suo jure in illam, ad quam electus erat, pontificii dignitatem debito cum honore sacravit. Sacratus autem et insignibus sacerdotalibus sacerdotaliter infulatus, quam gloriosum Deo habitaculum se præbuerit, quam erga animarum sibi commissarum lucra sollicitus fuerit, nescio utrum aliquis digne valeat eloqui, quantacunque sagacitate præditus ingenii. Unde quid de illis simplicitas puræ mentis advertere possit, scribere nolo : tantum opera miserentis Dei quæ in servis suis placita sibi simplicitate inhærentibus operari in beneplacito suo dignatur, eis consideranda propono.

*Anno 938 paganis superiorem præstat Ethelstanum.*

7. Anno inter hæc Dominicæ incarnationis nongentesimo tricesimo (268) octavo, regni autem Ethelstani victoriosissimi regis quartodecimo, congregatus est adversus regnum Anglorum immensus paganorum exercitus profanis legibus suis subjugando enervare, et enervando volens annihilare sacratissimas quas Angli servabant leges Christianorum : quibus nominatus princeps valida armatorum manu stipatu occurrens, pugnæ se dedit, et diutissime ac atrocissime pugnatum utrinque est. Duxerat autem secum in aciem rex sanctum Odonem, ejus meritis se multo maxime quam militum copiis confidens hostem victurum. Dum igitur hinc inde strages gravissima fureret, et ærumnosa res luctuosa contigit. Quo etenim rex ipse pugnabat, juxta capulum gladius confractus est, et regem quasi inermem hostibus exposuit. Inter hæc Odo a pugna remotus longiuscule stabat, ore et corde pro salute Christiani exercitus Christo supplicans, et vultum manus ac lumina cœlestibus pro hoc ipso indefessus extendens. Quid itaque rex vitali eventu facere posset fluctuabat, ut se armaret suorum quemquam exarmare nefas judicabat. Pars igitur adversariorum ubi regem fracto ense stare advertit inermem, fugam quam inire cœperat, versis vultibus in pugnam acriori cæde vindicare aggre-

(268) Eodem anno Chronologia Saxonica Bedæ subjuncta reponit hanc pugnam.

ditur. Tum subito intonat æther a clamore multitudinis, ut Deus succurreret, et celeri gressu Odo venerandus accurreret vociferantis. Advolat et quidnam sibi velit rex a se fieri lassabundus interrogat. Audit, et statim regi taliter inquit : Quid est hoc ? quo intendis ? Ensis tuus in latere tuo integer pendet, et tu eum fractum esse querereris? Redi ad te, ad vaginam manum extende, exsere illum, et ecce dextera Domini erit tecum. Nec formides, quia non prius continget solis occubitus, quam adversarios Domini tui, qui contra te insurrexerunt, fuga involvat aut interitus. Ad hæc quique audientium grandi stupore attoniti deflexis luminibus viderunt, quem prius non viderant, ensem in latere regis pendentem : quem rex in Deo confortatus arripiens, dextera lævaque cunctos occursantes, aut debilitavit, aut fugavit, aut morti funditus tradidit. Itaque juxta verbum famuli Dei factum est, ut simul et sol occumberet, et regi de hostibus victoria proveniret. Quid hinc gratiarum, quid laudum, quid votorum Deo per fidelem servum suum Odonem, per regem, per victorem exercitum, per totum regnum quo magnitudo istius victoriæ perlata est, sit persolutum quis enarret ? Magnificentia facti docebit audientes, quia non facile quisquam. Gloriosus autem Odo magnæ dehinc admirationis apud omnes habitus est, et vere præclarus Israelita comprobatus.

*Eadmundo cogente ad Cantuariæ pontificatum non acquiescit translationi nisi prius sit monachus.*

8. Post paucos hujus insignis victoriæ annos Ethelstanus bono fine præsentem vitam finivit (269), et frater ejus Eadmundus locum decedentis rex factus obtinuit. Hinc germani sui vestigia in bono æmulans, bonos quosque summo studio diligebat, et eos sibi familiares effectos, in his quæ Christianum regem decebant, sincero ac libenti animo audiebat. Præclare igitur inter alios beatus Odo ejus familiaritate potitus est, et eb eo pura mente dilectus. His diebus Wlfelmus pontifex Cantuariorum cunctis mortalibus debitum vitæ finem sortitus est. Ne itaque tanta sedes plus æquo pastore careret, reverendum Odonem rex convenit, suadens quatenus desolatæ Ecclesiæ per susceptionem super illam curæ pastoralis subveniret. Obstat ille, nec ullum suadenti præbet assensum. Dicit enim et indignum se tanta re ; et si dignitas aliquatenus aspiraret, tamen ne pontifex Ecclesia sua relicta ad aliam migret, canonum auctoritate fatetur prohiberi. Contra quæ et notam omnibus probitatem illius rex edisserit, et quod beatus apostolorum princeps Petrus de Antiochia Romam translatus fuerit, multique alii juxta veterum monumenta, librorum sedes suas ratione cogente mutaverint, luculento sermone proponit ; et adjecit ; Hujus quoque rei exemplum penes nos satis idoneum et clarum habemus, viros videlicet sanctos, Melitum dico antistitem Lundoniensem, et Justum Rofensem Cantuariam simili ratione, qua te sedem mutare suademus, fuisse translatos. Victus in his pontifex sanctus, aliud suæ contradictionis argumentum opponit. Cum primi, inquit, Patres ipsius Ecclesiæ, qui et Christianitatem regno Anglorum attulerunt, et omnes qui eis successerunt usque in præsens monachi, ut omnibus constat, exstiterint ; ego tam antiquam, tam sanctam, tam Deo acceptam, et tantorum Patrum auctoritate roboratam consuetudinem mutarem, infringerem, annihilarem ? absit ; imo noverit tota Britannia, et quæ adjacent insulæ omnes, me nullo unquam pacto consensurum ut ipse in clericali habitu constitutus per pontificatum Ecclesiæ Cantuariensi præsideam, cui nullus antehac qui monachus non fuerit, scitur præsedisse. Attamen quia me, ut intelligi datur, non tu solus, sed multi vocant, ut ibi pontifex fiam, nec meum est illis reluctando penitus contradicere, ne eum qui in ipsis habitat Deum offendam, commendans conscientiam meam ab omni istius honoris ambitione vacuam Deo, sanctum propositum monachicæ religionis, quod ab ineunte ætate desideravi, nec adipisci variis causis impedientibus merui, hac saltem, ut interim ita putetur, occasione assumam. Postmodum vero de pontificatu quo de agitis, ipse cui cuncta cordium secreta patescunt, agat, et hunc in eo constituat, quem idoneum ad hoc sua sapientia probat.

*Monachi vestem a Floriacensibus accipit ; fit dein archiepiscopus*

9. Hac viri sententia rex non modice exhilaratus, laudat sanctum propositum ejus, laudat admirandum et imitandum exemplum magnæ humilitatis ejus, laudat constantem virtutem animi ejus. Destinantur igitur post hæc sub celeritate nuntii ad abbatem cœnobii sancti Benedicti Floriacensis, sanctæ religionis habitum ad opus episcopi juxta præscriptum negotium exquisituri. Fama siquidem religiosissimæ conversationis, quæ apud Floriacum ipsis diebus, quaque terrarum ferebatur omnimodo fervere ; et contra studium ejusdem religionis, quod ob multiplices diversorum eventuum casus in Anglia usquequaque cœperat defervere, illuc mitti et inde cupitæ religionis effectum persuasit expleri : quod et factum est. Abbas quippe loci ipsius audito nuntio lætissimus efficitur, assumptisque secum nonnullis e fratribus suis, prospero cursu mare transvectus, Angliam ingreditur ; antistitem Odonem Deo in cunctis placere studentem alacer adit, et ei quam desiderabat sancti propositi vestem devotissime tradit. Spectabilis igitur pontifex Odo monachus habitu factus, qui jam olim monachicæ vitæ sacris fuerat actibus decoratus, quin jugum Domini super totam Angliam a rege et regno invitatus, imo compulsus susciperet, factus antistes Cantuariensis recusare ultra non potuit. Qualiter ergo suscepti regiminis officio usus sit qui nosse desiderant, ex vita ejus quæ et qualis ante sacerdotium et in sacerdotio fuerit paucis supra digessimus, sicut æstimo, possunt

(269) Nempe anno 941, et quidem VI Kal. Novembris, ex Chronologia Saxonica Non ergo ante annum sequentem contigit Odonis promotio in sedem Cantuariensem.

advertere. Exstitit enim et sanctitate laudabilis, et sapientia admirabilis, et constantia singularis.

*Edredum regem ungit. Eucharistiæ adversarios miraculo convertit.*

10. Rege autem Eadmundo in domo sua malitiose interfecto, frater ejus Edredus imperii dignitate functus, a glorioso Odone Cantuariorum summo pontifice in regem sacra est unctione perfusus. His diebus vir præcipuæ probitatis Dunstanus, Glastoniensis cœnobii dignissimus abbas, magnus apud regem, et honorabilis omni populo habebatur. Beatus autem Odo moribus et ætate grandævus, religione et industria pollens, auctoritate et modestia præstans, Christianis legibus totum regnum prudentissime nobilitabat. Rex ipse Deum timens, bonos quosque speciali amoris dulcedine fovens, malos vero, ne sua tyrannide bene agentes conturbarent, fortiter premens, boni principis mores et actus exsequebatur. Hoc ferme tempore quidam clerici, maligno errore (270) seducti, asseverare conabantur panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem in priori substantia permanere, et figuram tantummodo esse corporis et sanguinis Christi, non verum Christi corpus et sanguinem. Quorum enormem perfidiam beatus Odo destruere cupiens, dum quadam die in conspectu totius populi sacrosanctis missarum solemniis devotus intenderet, expressis lacrymis Dei omnipotentis clementiam in suo ministerio adfore postulavit, quæ ad depellendos hominum errores substantivam divinorum mysteriorum declararet proprietatem. Cumque ad confractionem vivifici panis ventum fuisset o ineffabilem Dei miserationem, o præsentem æternæ majestatis ostensionem ! confestim namque inter manus pontificis, fragmenta corporis Christi tenentis, sanguis guttatim defluere cœpit. Stans itaque pontifex, et præ gaudio uberes lacrymas fundens, innuit astantibus ministris ut illi potissimum proprius accedant qui nuper in fide titubaverant. Vocati igitur celeriter adsunt, atque in tantarum rerum consideratione perterrefacti, pavitanti voce exclamant ; O te inter homines felicissimum hodie, cui Filius Dei semetipsum in carne dignatus est revelare ! Et rursum: Exora, inquiunt, paululum, Pater, exora Domini majestatem, ut in pristinam formam præsens sanguis commutetur, ne nos propter infidelitatis errorem divina ultio sequatur, Oravit ergo sacerdos ; post orationem ad aram respexit, et ubi dimiserat sanguinem, consuetam vini reperit Speciem. Sumptis autem cœlestibus sacramentis, lætantibus cunctis qui tantis interfuere spectaculis, præcepit pontifex pro testimonio tantæ virtutis omnes undecunque pauperes aggregari, et solemne convivium eisdem præparari. Ipse autem cum suis in magna gratiarum actione lætitiam agebat, propterea quod omnis error de Dominico corpore in pectore suorum abolitus fuisset ; nec ultra panem in altari positum verum Christi corpus esse diffi-

A derent, qui verum sanguinem inde manare conspexissent.

*Mirum in restauratione ecclesiæ*

11. Aliud quoque divinum re vera miraculum in ecclesia cui præerat fecit ; imo ipse non fecit, sed qui solus habet divinitatem in illo fecit. Nam tectum ejusdem ecclesiæ, nimia vetustate corruptum, semiruptis per totum partibus pendebat. Quod ille renovare cupiens, murumque in porrectiorem celsitudinem exaltare desiderans, congregatis artificibus præcepit et quod dissolutum desuper eminebat penitus tolli, et quod minus in altitudine murus habebat jussit extolli. Sed quia clerus ac populus absque servitio divino esse non valebat, et tantæ magnitudinis templum non reperiebatur B quæ ad capiendam numerosæ plebis multitudinem sufficere videretur, deprecatus est pontifex Dominum ut quousque opus incœptum consummatum fuisset, nulla aut infusio imbrium, aut vis ventorum infra parietes ecclesiæ descenderet, quæ eos a divino opere prohibere valeret. Factumque est ut in tribus annis quibus ecclesiæ muri in altum porrigebantur, tota fabrica desuper pateret, nec tamen, non dico infra ambitum solius ecclesiæ, sed nec intra muros totius civitatis imber aliquando descenderet, qui vel clerum in ecclesia consistentem ab officio præpediret, vel populum ad ecclesiam concurrentem aliquatenus posset ab incœpto cohibere. Eratque res digna spectaculo, cum videres omnia civitatis pomeria aquis infundi, C et ejus mœnia nulla pluviarum inundatione madefieri.

*Edwium, regem libidinosum, per Dunstanum, tum per se emendare conatur.*

12. Cum autem rex Edredus transitoriam vitam vita perenni permutasset, Edwis filius supra memorati regis Eadmundi, in regem electus est. Qui moribus et ætate juvenculus, juvenum quos sibi comites atque satellites associaverat mox cœpit consiliis uti, spretis senibus, quos vita, moribus et ætate magna præditos industria et auctoritate constabat. Unde correptus a fortissimo milite Christi Odone, aliquantisper se temperabat, verens ne si illum omnimodis non audiret, regiæ dignitatis benedictionem ultra votum suum sibi dare differret. At ubi eadem benedictione potitus est, illico D quasi effrenis effectus, omnes cordis sui sequebatur affectus. Factus est igitur voluptatum magis quam Dei, luxuriæ quam sobrietatis, libidinum quam castitatis amator. Ibat itaque juxta desideria cordis sui, et iniqua gerens a suis benedicebatur. Super hæc ea die qua regni coronam in conspectu totius Ecclesiæ in capite gessit, gravis infamiæ notam tantæ gloriæ et sibi ingessit. Cum enim post officium ecclesiasticum una cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus cæterisque principibus regni jam pransus sederet, subito exsilivit, et relicto consortio omnium, in secretiorem sese cameram contulit, duarum feminarum illic eum ope-

(270) Hæc totidem verbis Maiheuvius refert ex Capgravio, qui primus hunc libellum jam edidit : sed Capgravium hactenus nobis recuperare non licuit.

rientium stupri ardore succensus infandum consortium expetens: quæ res confidentium mentes magni pudoris mœrore dejecit. Habito autem consilio inter eos quid facto opus esset, missus est ab archiepiscopo et primoribus is, cujus superius mentio facta est, venerabilis abbas Dunstanus, regem ab illicitis amplexibus abstrahere, et ad regiam sedem inter principes revocare; quod et factum est. Quapropter rex vehementi furore turbatus, Dunstanum suis omnibus spoliatum exsilio damnavit, et extra Angliam trans mare fugavit. Fecit et alia innumera mala, quæ quoniam alias latius, licet non omnia, digesta sunt, hic tantummodo paucis ea tetigisse sufficere ratus sum.

13. Quæ miles Dei omnipotentis Odo æquanimiter ferre non valens, iniquitatem illius publicus hostis effectus est. Siquidem ubi eum nec admonitionibus suis, nec obsecrationibus suis, nec increpationibus suis acquiescere velle ut se corrigeret vidit; pontificali auctoritate usus, unam de præscriptis mulieribus, quam et amplior potentia et obscenior impudentia dehonestabat, et notiorem hominibus fecerat, quaque nimium contumeliosis amplexibus rex frequentius abutebatur, missis militibus a curia regis, in qua mansitabat, violenter abduxit, et eam in facie deturpatam, ac candendi ferro denotatam, perpetua in Hiberniam exsilii relegatione detrusit. Quæ tamen post nonnullum temporis intervallum, jam obducta in cicatricem corporis forma, sed adhuc hiante impudicæ mentis deformitate, relicta Hibernia Angliam rediit, et Glocestram cæcati cordis obscuritate imbuta pervenit: ubi ab hominibus servi Dei comprehensa, et, ne meretricio more ulterius vaga discurreret, subenervata, post dies aliquot mala morte præsenti vitæ sublata est. Erat quippe summus pontifex Odo vir virtutum robore et grandævitatis maturitate ac constantia fultus, et omnium iniquitatum inflexibilis adversarius. Non hunc alicujus gaudi sæcularis illecebræ, non hominum minæ, non cujusvis damni perpessio poterat a rectitudine deterrere. Quapropter quia nec sperabat aliquid, nec expavescebat, omnium impotentium iram exarmabat.

*Eadgaro rege Dunstanum sacrat.*

14. Eadwio autem rege (si rex nominandus est, qui nec se nec alios regere novit), Eadwio, inquam, rege regno pro suis criminibus eliminato (271), et misera morte damnato, Eadgaro fratri ejus thronus regius super totam Angliam confirmatus est. Hic omnes pene antecessores suos morum probitate præcedens, cunctas iniquitates quæ diebus fratris sui emerserant, compressit, evertit, et pro posse in nihilum egit. Præterea mox ubi regnum obtinuit, reverendum abbatem Dunstanum ab exsilio revocavit, A et eum in episcopatum Wigornensem promovit. Qui electus pontifex in gradum suscepti honoris consecrandus, Cantuariam pro more advenit, seque ab ipsius sedis antistite, beato videlicet Odone, sacrari expetiit. Annuit ipse libens. Verum ut sanctum episcopum spiritu prophetiæ pollere in dubium nulli veniret, hominem qui ad Wiciorum pontificatum promovendus advenerat, in pontificem Cantuariorum sancti Spiritus operatione promovit. Super quo a circumstantibus cur sic ageret inquisitus, Scio, inquit, filii, scio quid operetur in me Deus. Et hunc quidem Wigornensis provincia me vivente pastorem habebit, sed tota Britannia eodem, me defuncto, rectore gaudebit; nec enim lege stringitur sancti Spiritus donum. Quæ pro- B phetia quam vera exstiterit, Ecclesia Dei, quæ ejus regimine, sicut prædixit episcopus sanctus, diu postmodum gloriata est, et usque hodie sacratissima illius intercessione munitur, optime novit.

*Moritur.*

15. Talibus igitur bonorum gratiis spectabilis vir Odo a Domino sublimatus, nequaquam se propter merita operum suorum extulit, sed semper ad meliora proficere studuit: quæ retro sunt oblitus, et in ea quæ ante sunt extensus, sequebatur ad palmam supernæ vocationis Dei, populumque sibi commissum more segetum feracium cœlesti doctrina, quasi pluviali gratia, quotidie irrigavit, quousque animam illius rex in cubiculum suum introduceret, et torrente voluptatis suæ inebriaret. C Raptum igitur ex hoc sæculo luculentissimum sidus urbis Cantuariæ Odo, gaudentibus angelis, sedem petiit (272) supernæ ac gloriosissimæ civitatis, ubi sempiterna exsultatione lætatur, et Christi faciem ineffabilis suavitatis dulcedine contemplatur, securus jam de præmio sui, atque de filiorum suorum salute sollicitus. Obiit autem præsentibus universis Ecclesiæ Christi filiis, quibus etiam flentibus promittebat quod bonum illis pastorem post obitum suum Dominus esset provisurus.

*Elfsinus simoniacus ei succedit; qui mortuo insultat; S. Odo custodi ecclesiæ dat mandata in Elfsinum, qui misere interit.*

16. Post cujus transitum obtinuit locum summi D sacerdotii Elfsinus Wentanus episcopus, cognomento Lippe, data pecunia principibus qui primi erant in palatio regis Eadgari. Nam et ante Odonem magna ad rapiendum sacerdotium cupidine agebatur, sed bonorum constantia episcoporum impediebatur. Unde cum die adventus sui Cantuariam solemni processione susceptus fuisset, accessit ad sepulcrum viri Dei, stansque super illud ita furialibus verbis defuncto exprobravit, dicens: Inepte, ecce tu mortuus es, et sub tellure putridus jaces, et

(271) Hanc excommunicationem Spelmannus refert ad annum 958.

(272) Odonis mortem anno 958 consignant Florentius Wigoniensis, Rogerius Hovedenus, et Mattheus Westmonasteriensis. At præferenda Chronologia Saxonica, in qua *Odo archiepiscopus obiisse* dicitur anno 961. Confer notas ad Vitam S. Dunstani infra ad annum 988. Odoni Willelmus annos xx regiminis, rectius quam Bromtonus, qui xxiv tribuit.

ego cum voluero de te potenter triumphabo. Te A vivente summus Anglorum pontifex esse nequivi, te obeunte factus idipsum sum juxta quod olim esse concupivi. Et inde, male ac decrepite senex, nullas gratias habeas, quia si ultra vivere potuisses, nec mihi, nec ulli vel participium habiti honoris tui concedere voluisses. Ita ille palam in præsentia eorum qui aderant dixit, et baculo tumbam sancti percutiens, trisulco furore quo tenebatur accensus inde recessit. Sed eadem nocte, dum mortalibus concessa requies esset, apparuit beatus Odo ecclesiæ Salvatoris digno custodi, vultum lacteum habens, vestimentum vero rosei coloris, ita virum alloquens: Dormis an vigilas? Dormivi, inquit ille, senior venerande, sed ecce vigilo, te loquente. At ille, Vade, inquit, ad electum sed non B a Deo episcopum Elfsinum, et hanc illi legationem ex meo nomine defer: Hæc mandat tibi servus Christi Odo. Non sum mortuus, sed vivo regi meo omnipotenti Deo. Atque ut hoc certissime experiaris, noveris quia sicut tu causa mei adhuc in carne viventis non evaluisti ad archiepiscopatum Cantuariensem pervenire, ita per me in cœlesti regno nunc viventem invasum honorem in proximo perdes. Audi ergo quæ dico, quoniam hesterno die verbis mihi derisoriis exprobrasti, baculo tuo sepulcrum meum percussisti : prædico tibi quia mare transfretabis, Alpes ascendes, sed nequaquam pallium patriarchatus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ obtinebis, nec unquam in apostolica ejus sede sedebis. Ille autem qui C hæc viderat, timens episcopi sævitiam, dissimulabat ista nuntiare. Sequenti nocte apparuit ei iterum sanctus Dei quæ ante dixerat dicens : sed nec tunc quæ audierat homo nuntiare audebat. Item tertia nocte adveniens vir Dei pontificali dignitate redimitus, increpavit præfati hominis socordiam, dicens : Si vitæ tuæ prosperitatem gnarus retinere desideras, moneo ne quod a me secundo audisti episcopo tuo revelare dissimules. Nam si feceris, in pœna tua te bene fecisse probabis. Tum ille experrectus, et admodum perterritus, mane facto perrexit ad episcopum incurvatusque toto corpore ante illum ait : Venit ad me, Pater honorande, speciosus ut angelus Dei gloriosus Odo prædecessor tuus, qui hæc tibi præcepit denuntiari : Quoniam, D inquit mihi die nudiustertiano verbis illusoriis exprobrasti, baculo tuo sepulcrum meum percussisti, prædico tibi quia mare transfretabis, Alpes ascendes, sed nequaquam pallium patriarchatus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ obtinebis, nec unquam in apostolica ejus sede sedebis. Quibus dictis dimisit a se episcopus relatorem visionis, parvipendens ea quæ audierat verba ineptæ, ut dicebat, comminationis. Sed evolutionis aliquantis diebus, omnia evenerunt quæ a sancto Dei prædicta fuerunt. Mari namque propter pallium deferendum transito, itinere aliquandiu prospere decurso, mox ut montana conscendit, nimio frigore resolutus, equos qui in ejus comitatu erant necari præcepit, pedesque suos eorum ventribus immisit. existimans nimietatem frigoris tali posse remedio propelli. Sed non cessante qui illum cruciabat divino furore, Domini majestatem impius blasphemavit, et sic pollutum suum spiritum in mediis ignibus exhalavit. Ita se demonstravit felix Odo Christo vivere, quem penitus mortuum infelix Elfsinus ausus est credere.

*Birthelmo remoto, succedit Dunstanus; Columba super sepulcrum S. Odonis, qui Segode dictus.*

17. Hoc ita mortuo Birthelmus, Dorsetensis provinciæ præsul, homo nimiæ pietatis ac simplicitatis, in pontificatum Cantuariorum substituitur. Verum ubi comprobatus est in exercendis ecclesiasticis disciplinis omnino quam oportebat minus vigere, jussus quod susceperat onus deseruit, et ad suum ovile quieturus humilis rediit. Igitur ut sententia Domini et prophetia beati Odonis servi sui veritas esse probaretur, Dunstanus, jam tunc Lundoniensis Ecclesiæ pontifex, a rege et regno eligitur, ac in patriarchatum totius Britanniæ glorioso Odoni dignissimus successor subrogatur. Cujus Dunstani, et hujus de quo agimus Patris Odonis illud inter alia non parvo cognoscendæ sanctitatis et beatitudinis illorum indicio est, quod Dunstano in die sancto Pentecostes missam ad altare Domini Salvatoris Cantuariæ celebrante, Spiritus sanctus qui super ipsum in specie columbæ apparuit, consumpto sacrificio in australem altaris partem, ubi venerabilis Odo tumulatus jacebat, divertit, et super tumbam ejus multis intuentibus requievit. Quæ res in tanta reverentia ab ipso Dunstano habita est, ut unquam post hoc ante sepulcrum illius transiret nisi genua flecteret. Cognomine quoque boni in materna lingua illum deinceps vocare solebat, videlicet Odo Segode [*al.* Thegood], quod interpretatur *Odo bonus*. Quo cognomine etiam usque hodie ab Anglis, sed maxime a Cantuaritis appellatur. His ita descriptis, gestæ rei series narrandi finem expostulat, quem hic quidem ponimus, et in eo Deum qui est finis et complementum omnium bonorum, consona voce laudamus, qui nomen suum in omni gente ita glorificat, ut quicunque illum timet et operatur justitiam, acceptus sit illi. Illi ergo sit laus et gratiarum actio per infinita sæcula sæculorum, amen.

Ut rosa de spinis, sic prodiit Odo paganis,
 Stigmata perfidiæ nulla parente trahens.
Contra vota patrum fidei complexus aratrum,
 Ut bonus agricola cordis arabat humum.
Sanguine sublimis, sublimior ordine morum,
 Clarus progenie, clarior ore fuit.
Vir sceleris purus occursabat sceleratis,
 Summi regna Patris amplificare studens.
Virtutumque phalanx illi præcordia tutans,
 Non in eo vitium passa tenere locum.
Hic precibus fusis hostilia tela fugavit,
 Qui nos dente petit, hic prece cædet aprum.
Qui super astra cluis, pro nobis, Odo, preceris,
 Multimodæ cladis in regione sitis.

# SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

## EPISTOLA IN VITAM WILFREDI ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS

(Apud Warthon, Anglia sacra, tom. II, pag. 50)

Orthodoxæ fidei famulitio ancillatis, eisdemque ecclesiastico antistantibus proposito quaquaversum orbis, tam instantibus quamque futuris, Odo Dorobernicarum opilio ovillarum in sanctæ humilitatis consectione collegium et in concessu inexhaustæ beatitudinis tripudium.

Sagax humanæ curiositatis industria dum jugiter aggeratim sibi provideat labilia, adeo plerumque protelatur philanthropia, ut intransmeabiles naturæ metas insolenter præteriens undecunque et jam inficiando conquirendum fore præordinet. Etenim ex quo paradisi terrestris primicola viperina minus præsensit eludia, dilatoque mortis compendio debita moleste cœpit afflictari solertia, insopibili fere mundialis enormitas grassatur parcimonia. unde et obstinatioris parcitatis silvescente propagine, fasque nefasque interdum non admodum discrete compaginat, Enimvero nobis inenacuabili [inenervabili] veritatis testudine galeatis congruit normalibus agenda rubricare methodis, eatenus præcipue ut cœnulenti flocci pendentes lucra commercii, propheticis concentibus studeamus aptari. Mihi autem dicentes, *Adhærere Deo bonum est :* qua in re ex diametro connectatur ; non ei famulari non bonum est. Siquidem quorsum hæ velint evadere minutiæ. hujusce micello brachilexii contignabo. Innumeras Anglorum imperium sustinuisse olim discordias) quibus et antiquorum vulnere domicilia patrum, et multa religiositatis unione fuscata, theorici cultus absol- A vere seminia, neminem ejusdem prosapiei phisilegam nescire profiteor. [Igitur venerabilissimas beati confessoris Christi Wilfredi reliquias indecenti sentinosæ voraginis situ marcidas, imo quod dictu quoque meticulosum est, prælatorum horripilatione neglectas, cum inde favente Deo scilicet et loco (273) sepulcri ejus quidam transtulissent, reverenter excepi, atque intra ambitum metropolitanæ, cui gratia Dei præsideo, Ecclesiæ collocavi.] Præsertim cogente illo evangelistæ testimonio, meo videlicet apologetico. *Quia ubicunque fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28). Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, et editiore eas entheca decusare, et excerptis de libro vitæ ejus flosculis, novo opere B pretium duxi carmine venustare. Illud quoque astruendum in calice, ne qui me caperato gangit suscendum [*f.*, suscipiendum] supercilio impidissimo [*f.*, limpidissimo] Dei nutui absurde nitatur refragari, dum fit in terra nihil sine causa. Quando quidem imperitate vitat illud comicum : *Auribus teneo lupum.* Porro acerbæ ternicositatis injectaque deperationis angelogias intrito universalitatis epithemate et ambrosio dictionalitatis collemate indulcabo, ringens cum giganticida Domino : *Ego in Domino speravi. Omnis sperans in Domino exsultabit et lætabitur in misericordia ejus. Ego igitur exsultabo et lætabor in misericordia ejus* (*Psal.* XXX, 7 *seqq.*).

(273) *A loco* apud Mabillon. Act. Benedictin. sæc. V, p. 283, ubi ista quæ uncis inclusa sunt reperiuntur.

# SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

## CONSTITUTIONES

*Tempore regis Edmundi, hoc est annum circiter Domini* 942, *in quibus cavetur de officio regis, magistratuum, et cleri, et de juribus Ecclesiæ rite conferendis.*

(Apud Mansi, Concil. ampl. Coll., t. XVIII, col. 393.)

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

In nomine sanctæ Trinitatis et unicæ divinitatis. Licet, nullis existentibus meritis, monita piæ exhortationis ausu temerario quempiam docere præsumam : tamen quia certantibus et videlicet laborantibus in stadio hujus vitæ, spirituale bravium auctore donorum Spiritu promittitur, et pastorum curæ populus Dei multiplicandus fide et numero caute conceditur ; ideo ego Odo humilis et extremus, divina largiente clementia, almi præsulis et pallii honore ditatus, quædam documenta. omni Christicolæ, ni fallor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum præceptis certissima comperi, ad consolationem domini mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti imperio ejus subjecti, in ista chartula coadunare decrevi. Unde devotissime obsecro, et clementissime hortor audientium mentes, ut si quando hæc recitanda audiant, interius videlicet in corde frequenti meditatione plantent; et multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pacatissimum in tempore messis sibi colligant.

CAPUT PRIMUM.

Primo capitulo præcipimus et mandamus ut sancta Dei Ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, et fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum ponere super Ecclesiam Dei, quia filii Ecclesiæ, id est filii Dei, ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambrosius ait : Ecclesia catholica libera est ab omni censu principis. In Historia Ecclesiæ : Si quæ domus agri, vel quælibet prædia a Christianis direpta sunt, sive sub fiscum regalem, sive in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum jus Christianis præcipimus revocari. Gregorius enim ait : Si quis Ecclesiam Christi denudaverit, anathema sit, si non satisfactione emendaverit. Et iterum : Quisquis Ecclesiæ Dei parochias vel usurpare per rapinam tentaverit, ab Ecclesiæ ministris excommunicandus est, et omnimodo a corpore Christi alienus. Audente enim extra milites qui Christum crucifixerunt, aliquid, qui Ecclesiæ ejus disciplinæ regulis obedire contemnunt ; Ecclesia enim habet potestatem ligandi atque solvendi.

CAPUT II.

Secundo capitulo admonemus regem, et principes, et omnes qui in potestate sunt, ut cum magna humilitate suis archiepiscopis omnibusque aliis episcopis obediant, quia illis claves regni cœlorum datæ sunt, et habent potestatem ligandi atque solvendi : nec se magni pendant in sæculari potentia, quia *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam* : habetque rex prudentes consiliarios, Deum timentes super regni negotia : ut populus bonis exemplis regis et principum eruditus, proficiat in laudem et gloriam Dei. Neminem injuste per potentiam opprimere : sine acceptione perso-
A narum inter virum et proximum suum judicare, advenis, pupillis et viduis protector esse, furtum prohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, pauperes eleemosynis alere ; quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus et omnibus in sublimitate positis ; qui et pro seipsis etiam, et pro universis sibi subjectis, in die districti examinis justo Judici rationem sunt reddituri.

CAPUT III.

Tertio, admonendi sunt episcopi, quetenus cum omni honestate et modestia in sanctæ religionis pietate prædicent et ostendant exempla bona omnibus. Ut suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant ;
B ne aliquis per incuriam pastoris, per devia cujuslibet ignorantiæ errans, lupinis pateat morsibus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat : quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque ullo timore vel adulatione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, et nunquam veritatem subterfugere. Neminem injuste damnare, neminem nisi juste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

CAPUT IV.

Quarto capitulo, admonemus presbyteros ut populum Dei bonis exemplis, habitu sancto doceant, et doctrina sancta erudiant et informent. Ut illo-
C rum conversatio in omni bonitate et modestia moribus populi excellentior sit quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incedentem, bene et laudabiliter enuntiat habitus ejus.

CAPUT V.

Quinto capitulo admonendi sunt clerici, ut canonice cum omni honestate et reverentia juxta sanctorum Patrum decreta vivant, præbentes bona omnibus exempla, quatenus in eorum bona conversatione laudetur episcopus, honoretur Ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, et illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hæreditatem venire efficiantur.

CAPUT VI.

D Sexto capitulo hortamur monachos, et omnes qui votum Deo voverunt, ut in omni humilitate et obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, parmanentes in timore Dei in ecclesiis ubi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt : sed secundum exempla apostolorum, lectione sacra, et continuis orationibus se exercentes, parati, præcinctis lumbis, ardentibusque lucernis, Patremfamilias exspectent, ut veniens eos faciat in æterna requie sine fine permanere.

CAPUT VII.

Septimo capitulo prohibemus et interdicimus omnibus Christianis injusta connubia, et incestuosa,

cum monialibus, vel cognatis, vel cum aliis illicitis personis. Sanctæ enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus episcopis, seu sacerdotibus cæteris, in basilica beati Petri apostoli constituit : Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes : Amen. Nos quippe eamdem apostolicam auctoritatem sequentes, simili modo jaculum maledictionis talibus imponamus, nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem pervenerit.

CAPUT VIII.

Octavo capitulo observamus : ut quando in aliquo conventu venerimus, tota intentione consideremus quod Psalmista nos admonet, dicens : *Dominus prospicit super filios hominum* (*Psal.* LII), et reliqua ; et iterum : *Dominus dissipat consilia gentium*, et reliqua usque *in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXI), ideo prævidendum est, fratres, ut sit concordia et unanimitas inter episcopos et principes, omnemque populum Christianum, ut sit unitas ubique ecclesiarum Dei, et pax : imo una sit Ecclesia, fide, spe et charitate, unum habens caput, quod est Christus, cujus membra se invicem adjuvare mutuaque charitate diligere debent, ut ipse ait: *In hoc cognoscant omnes*, et reliqua (*Joan.* XIV).

CAPUT IX.

Nono capitulo admonemus jejunium [*addendum* et orationem] cum eleemosynis caute et vigilanter conservare : istæ enim sunt tres alæ quæ ducunt sanctos ad cœlum. Quatenus quadragesimale jejunium, Quatuor Tempora, et alia legitima jejunia, videlicet IV feriam, et VI feriam, cum magna vigilantia observare studeatis : et super omnia Dominicum diem, et sanctorum festivitates, sicuti canon et exempla præcedentium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custodire procuretis, nec superstitionibus vanis consensum præbeatis : neque creaturam pro creatore magicis illusionibus adorabitis, quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.

CAPUT X.

Decimo capitulo mandamus, et fideliter obsecramus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est : *Decimam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis deferas in domum Domini Dei tui* (*Deut.* XII). Rursum per prophetam : *Afferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, et probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero benedictionem usque ad abundantiam : et increpabo pro vobis qui comedit et corrumpit fructum terræ vestræ, et non erit ultra in ea sterilis* (*Malach.* III). Unde et cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant de omnibus quæ possident dare decimas, quia speciale Domini Dei est : et de novem partibus sibi vivant, et eleemosynas tribuant. Veritatem autem facientes, in charitate maneamus in illo qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

---

# SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

# EPISTOLA SYNODALIS

## AD EPISCOPOS SIBI SUFFRAGANEOS.

(Apud Mansi ibid, col. 398).

---

Mirabili cunctipotentis polorum præsulis clementia opitulante, ego Odo Ecclesiæ Salvatoris Domini nostri Jesu Christi archiepiscopus, Dorobernensis civitatis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compaginatoribus, spiritali charitate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, præsentium prosperitatem æthereique decoris beatitudinem.

Si aliquo modo fieri posset ut totius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita ut imperiali munere nobis universaliter deservirent, libenter illa omnia distribuerem, meque ipsum insuper pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam meipsum a vestræ sanctitatis studio cupio et spero corroborari super eo in quo Dominus Deus nos operarios constituit. (274) [Et multa, quibus onus pontificatus exponit, subdidit : ] idcirco humiliter, quasi indignus, sed devotus, precor et hortor sanctitatem vestram, ne tepide et negligenter in regimine animarum convertemini, ut non in tempore tremendæ vindictæ conqueratur de vobis Dominus, dicens : *Pastores non pascebant gregem meum, sed semetipsos* (*Ezech.* XXXIV), et iterum : *Principes exstiterunt, et ego ignoravi* (*Ose.* VIII, 4). Sed potius curemus familiæ Domini, super qua nos constituit rectores, cibum dare in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam. Et quamvis meritorum qualitate non præsumam consolari et hortari quemquam quippe qui solus indignus, et innumerabilium culpa

(274) Quæ uncis sunt inclusa, puto esse Willelmi Malmesburiensis, qui hanc epistolam refert.

rum reus, gaudeo et indigeo fraternis admonitio- A nibus fideliter corroborari : tamen propter antiquam auctoritatem prædecessorum meorum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, et aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis, primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit: idcirco istos divinos apices ad utilitatem omnium vestrum charaxare decrevi, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis et ex nobis audiat, omnesque gentes, quæ undique regali imperio ipsius subjectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conversationis ovanter sequi ament et delectent.

---

ANNO DOMINI DCCCCLXI

# RORICO
# LAUDUNENSIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA

(Ex Gallia Christiana, tom. IX, pag. 520.)

Anno 949, « Laudunenses, ait Flodoardus in B Chronico, qui fidelitati Ludovici regis attendebant, eligunt sibi præsulem Roriconem diaconum, ipsius regis fratrem, filium nempe nothum Caroli Simplicis ; quem consecrat Artoldus archiepiscopus Rhemis, qui tamen non receptus Lauduno, apud Petræ pontem munitionem resedit. » Adfuit, anno 955, ordinationi Hadulfi episcopi Noviomensis. Anno 961, post mortem Artaldi archiepiscopi Rhemensis, archicancellarii munere functus est, usque dum Odalricus Artaldo succederet. Eodem anno monachos in abbatia Vincentiana restituit, submotis canonicis. Anno 962 adfuit synodo tredecim episcoporum in pago Meldensi, in qua intercessit cum Gibuino Catalaunensi quominus restitueretur sedes Rhemensis Hugoni, Arthaldi competitori ; eodemque anno manus imposuit ipsi Odolrico a Widone Suessionensi consecrato. Anno 969, consensit, III Non. Jun., donationi dimidiæ abbatiæ sancti Hilarii cum ecclesia, factæ monasterio sancti Vincentii. Anno 973 dedit ipse eidem monasterio ecclesiam sancti Medardi in villa Caprimiaco. Anno 976, « langore paralysi correptus, inquit Flodoardus in Chronico, post multas ac debitas Deo pro ipsa infirmitate redditas gratias, vita decessit, videlicet vigilia S. Thomæ apostoli post laudes Deo matutinales. » De eo Necrologium Vincentianum his verbis : « XIII Kal Januar, obiit Rorico episcopus Laudunensis, qui huic cœnobio alteram regulam instituit, et multas res cum terris et altaribus dedit. » Eum fuisse eruditum testatur Atso monachus in libro de Antichristo, quem rogatu Gerbergæ reginæ conscripsit.

---

# RORICONIS
## CONSTITUTIO

*De restituendis in monasterio S. Vincentii monachis*

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims,* tom. I, pag. 626.)

Auxiliante supernæ propitiationis clementia, Ro- C RICO, etsi indignus santæ Laudunensis Ecclesiæ præsulatum adeptus, considerans ultimæ evocationis sortem, ut cæteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum quam magno pressus gravamine, cœpi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic sedi, cui auctore Deo præsideo, profuturum, meis vero opinor consulendis criminibus pernecessarium. Siquidem in latere montis, cui præeminet civitas, in prospectu scilicet ejus, est ecclesia sita sancti Vincentii egregii martyris cultu et honore venerabilis, super qua fama ferebatur antiquis temporibus insigem fuisse monasticæ conversationis, quæ quidem moderno tempore destitutionis succumbebat penuriæ, donec prædecessor meus Adelelmus undecunque sumptibus duodecim canonicorum in ea serviturum conventum constituit ordine vivendi religiosum. Quo ita defuncto, crebrescentibus diversorum cladium malis pene ad pristinum prolapsa est desolationis detrimentum. Quod ego non æquanimiter ferens, maxime quia non tam sedis hujus episcoporum, sed etiam nobi-

lium, necnon laicorum habebatur sepultura, accito A generali conventu, ipsius consilio deliberatus, in antiquum, ut fama erat, conversationis monasticæ statum reformare, et prout dictabat temporis opportunitas quantulumcunque numerum monachorum aggregare. Evocatis igitur a monasterio sancti Benedicti supra Ligerim sito duodecim monachis, eis venerabilem Melchanum præfeci abbatem, eumque cum cæteris monachis in eodem cœnobio ad Deo serviendum constitui, quibus inter cætera beneficia a me collata secundæ sedis episcopatus dignitatem, ab antecessoribus nostris antiquis eidem Ecclesiæ concessa approbans, confirmavi : sepulturam quoque episcoporum, canonicorum, casatorum, custodum, matris Ecclesiæ capellanorum ac servientium et familiarium eorum, concessi etiam procinctum et districtum vallis et montis, etc. ; ut autem hæc auctoritas firmiori valeat vigore, tam proprio sigillo, quam clericorum nostrorum, et nobilium laicorum testimonio subter roborare censuimus.

Signum Roriconis indigni Laudunensis præsulis.

Statuimus ergo eam mittere venerandæ synodo, quæ habita est apud Montem Sanctæ Mariæ, in pago Tardanensi, mense Maio, ubi recitatum est hoc residente domino Adalberone archiepiscopo cum coepiscopis, atque communi assensu ab eis roboratum.

Adalbero sanctæ Ecclesiæ Remensis archiepiscopus subscripsi, et corroboravi.

Actum Laudini anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 961, indict. IV, Kalend. Octobris in anno VII Lotharii regis.

ANNO DOMINI DCCCCLXI

# ARTHALDUS

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS

## NOTITIA HISTORICA IN ARTHALDUM.

(Ex Gallia Christiana.)

« Nec mora, inquit Flodoardus, post obitum ipsius Seulfi Heribertus comes Rhemis venit advocans Abbonem episcopum Suessionicum, et Bovonem Catalaunicum. Quibus sibi junctis, tractans super electione rectoris hujus Rhemensis Ecclesiæ, tam clericos quam laicos ad voluntatem suam intendere fecit. Sequentes igitur ejus consilium, ne forte per extraneas personas episcopatus divideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem admodum parvulum, qui nec adhuc quinquennii tempus explesset. Qua re patrata ad regem properant, ejus auctoritatis impetrandæ gratia. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, præfatorum episcoporum consilio Rhemensem episcopatum committit Heriberto æquitatis censura disponendum atque regendum ab ipso. Qui etiam legatos Ecclesiæ cum Abbone præsule Romam mittere sategit, hujus electionis decretum secum ferentes, et assensum papæ super ea petentes. Joannes itaque papa, interveniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, episcopium Rhemense Abboni episcopo delegat, quæ sunt episcopalis ministerii ab ipso in eodem episcopo tractanda et finienda decernens. Heribertus itaque comes potestate potitus Rhemensis episcopii injuste privavit tam me qui non interfueram præmissæ electioni suæ, quam nonnullos alios et clericos et laicos beneficiis possessionum ecclesiasticarum, quibus a præcedentibus episcopis munerati videbamur obsecundationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis quibus sibi placuit impertivit. Interim, anno 927, synodus sex episcoporum Rhemensis diœceseos apud Trosleium, Heriberti comitis jussione convocata, rege tamen Rodulpho contradicente, patrata est. Per idem fere tempus, Odolricus Aquensis episcopus qui, ob persecutionem Sarra- B cenorum, a sede sua recesserat, in Ecclesia Rhemensi recipitur ab Heriberto comite, ad celebrandum episcopale duntaxat ministerium, vice Hugonis, ipsius comitis filii, tunc adhuc parvuli, concessa eidem præsuli abbatia sancti Timothei cum unius tantum præbenda clerici. »

Anno 931, id est forte 932, ut fert Chronicum Rhemense, orta simultate inter comites Hugonem et Heribertum, ac regem Rodulphum, hic, post tres hebdomadas, capta Rhemensi urbe, conjunctis sibi decem et octo episcopis ex Francia vel Burgundia, fecit ordinari hac in sede præsulem Artaldum quemdam ex cœnobio sancti Remigii monachum. Sed anno 940, Herbertus, Durocortoro iterum in suam potestatem redacto, Artaldum coegit abdicare se episcopatu. Tunc, anno insequenti, synodum apud Suessiones congregavit, cujus decreto Hugo, filius ejus clero et populo assentiente, archiepiscopus in basilica sancti Remigii conse- C cratus est a Rhemensis provinciæ episcopis. Cæteris ille ordinibus jam initiatus erat, minoribus quidem ab Abbone Suessionensi, diaconatu a Widone Antissiodorensi, sacerdotio a Widone Suessionensi. Anno 945, legati Rhemensis Ecclesiæ Roma regressi, pallium eidem deferunt a Stephano papa transmissum. Anno 945, summum Franciæ cancellarium gerebat. Anno 945 abbatis Remigiani jure ac titulo cessit. Anno 946, Durocortorum obsidetur a tribus regibus, Ludovico Transmarino Franciæ, Othone Germaniæ, Couraddo Galliæ Cisalpinæ. Hugo vero sentiens se tanto exercitui parem non esse, consilio habito cum Arnulfo Flandrensi Widone consanguineis, quid hoc in discrimine agendum esset (pactum namque erat ut eruerentur ipsius oculi, si urbem vi capi contigisset), sibi cavens, post tertium obsidionis diem cum suis

liber excessit ; sicque reges urbem ingressi, comitantibus episcopis Arthaldum iterum inthronizari fecerunt per Robertum, Trevirensem archiepiscopum, et Fredericum Moguntiacensem. Anno sequenti, Ludovicus rex Mosomagum castrum, quod Hugo Rhemis ejectus sibi retinuerat, obsidet ; sed nihil pro votis efficiens, recedentibus post aliquot obsidionis hebdomadas Lothariensibus, ipse Rhemos revertitur ; eoque paulo post, ad Othonem circa festum Paschæ profecto, cum quidam Hugoni principi subjecissent Durocortorum facile capi posse, hic conscripto milite, quasi mox capturus esset, eam urbem cum Hugone præsule aggreditur ; at regis et Artaldi militibus fortiter sese opponentibus, octavo postquam advenerat die illusus recessit.

Interim inter se tractant reges Ludovicus et Otho de finienda controversia pro archiepiscopatu Rhemensi, indictoque conventu super Charam fluvium, episcopi eam utrinque discurrunt ; sed, quia synodice congregati non fuerant, altercatio terminari non potuit. Igitur, medio mense Novembri, synodus habenda denuntiatur, relictoque inter moras archiepiscopatu penes Arthaldum, Hugoni remanere apud Mosomagum permittitur ; at hic repulsam ulturus veniens cum Theobaldo de monte Acuto, sororis suæ marito, villas Durocortoro contiguas vindemiæ tempore devastavit. Synodus igitur Virduni celebratur, præsidente Roberto Trevirensi præsule, cum Arthaldo Rhemensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Goslino Tullensi, Hildebaldo Transrhenensi, Israele Britone, præsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre, Agenoldo etiam et Odilone abbatibus cum aliis nonnullis ; ad quam Hugo canonice vocatus cum venire noluisset, Rhemensis episcopatus Arthaldo adjudicatus est. Sed cum res nimium implexa esset, nec commode per provinciales episcopos videretur posse componi, placuit anno sequenti plenum concilium convocari in ecclesia sancti Petri juxta Mosomagum ex diœcesibus Trevirensi ac Rhemensi. Veniens autem illuc Hugo præsul, et locutus cum Roberto Trevirensi archiepiscopo, qui ex legatione speciali concilio præsidebat, synodum noluit ingredi. Litteras vero Agapeti papæ misit ad episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed id tantum præcipientes, ut Hugoni Rhemense redderetur episcopium. Quibus lectis responderunt episcopi congruum non esse ut apostolicæ legationis mandatum a Roberto archiepiscopo coram regibus et episcopis susceptum intermitterent propter has litteras, quas insidiator et æmulus Arthaldi præsulis exhibebat ; sicque recitato Carthaginensis concilii capite 19, *De accusato et accusatore*, judicatum est ut, Arthaldo parochiam Rhemensem retinente, Hugo, qui ad duas jam synodos vocatus venire contempserat, a communione et regimine Rhemensis episcopii abstineret, donec ad universalem synodum se purgaturus occurreret, ipsumque capitulum mox in charta descriptum, definitionemque suam Hugoni miserunt, qui die sequenti, XIX Kal. Februar., eamdem Roberto pontifici chartam remisit, adjiciens se eorum judicio nusquam obtemperaturum.

Ad Arthaldum quod attinet, is dicitur fuisse Dodonis cujusdam frater. Postquam autem ex monacho Rhemigiano factus esset archiepiscopus Rhemensis, pallium acceperat post annum ordinationis suæ, missum sibi per legatos Ecclesiæ Rhemensis a Joanne papa, filio Mariæ, quæ et Marocia dicebatur, vel ab Alberico, patricio, fratre ipsius papæ. Tunc anno 933, præsederat cum Teutilone Turonensi antistite synodo Castri Theoderici, eodemque anno consecraverat Hibdegarium Bellovacensem, ac Fulbertum Cameracensem episcopos ; anno 935, concilium celebraverat finibus apud sanctam Macram, Wifredumque monachum ordinaverat in episcopum Tarvanensem ; anno 936, regem inunxerat Ludovicum Transmarinum in urbe Lauduno ; anno 939, Herbertum qui oppida quædam villasque Rhemensis Ecclesiæ detinebat excommunicaverat; anno 940 receperat sibi et Ecclesiæ suæ a Ludovico Transmarino Rhemensis urbis monetam jure perpetuo possidendam, et omnem comitatum Rhemensem eodem anno, postquam loco cedere coactus esset acceperat abbatiam sancti Basoli, et Avenacum monasterium.

Anno 948, post concilium Mosomagense, Agapitus papa, litteris restitutionis ejus susceptis, misit vicarium suum Marinum episcopum ad Othonem regem pro convocanda generali synodo. Congregata est illa eodem anno, VII Id. Junii, in palatio Ingulenheim, ibique coram regibus et episcopis recitatæ sunt litteræ Artaldi. Post quarum litterarum recitationem, et earum propter reges juxta Thudesticam linguam interpretationem, ingressus quidam Sigebaldus, præmissi Hugonis clericus attulit litteras, quas Roma detulerat, quasque jam in alia synodo Mosomi propalaverat, asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso, qui aderat, Marino vicario datas. Qui domnus Marinus proferens, litteras quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram synodo recitari ; in quarum recitatione repertum est prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Vido episcopus Suessionicus, Hildegarius quoque Belvacensis, Rodulphus Laudunensis, cæterique cuncti Rhemensis diœceseos episcopi easdem litteras ad sedem delegaverint apostolicam pro restauratione Hugonis in sede Rhemensi, et expulsione Arthaldi. Post quarum lectionem exsurgentes Arthaldus præsul et præfatus Rodolphus qui eisdem litteris nominabatur, Fulbertus quoque Cameracensis antistes, eas litteras refutarunt, astruentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstrepens, præcepit domnus Marinus, suggerens universæ synodo, ut sibi consilium et rectum judicium proferrent super hujusmodi calumniatore, et calumniarum in episcopo delatore. At illi postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de hujusmodi calumniatoribus, judicant et unanimiter censent eum quo fruebatur honore privari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exsilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio multatus, a conspectu synodi reprobatus abscessit. Arthaldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat non refugiens synodale judicium, episcopium Rhemense juxta canonum instituta, et sanctorum Patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant atque corroborant. Secunda consessionis die, post recitatas divinæ auctoritatis lectiones, et Marini vicarii allocutionem, suggessit domnus Robertus Trevirensis archiepiscopus, ut quoniam juxta sacræ legis instituta restitutum atque restauratum fuerat Rhemense Arthaldo præsuli episcopium, in ejusdem sedis invasorem synodale perageretur judicium. Præcepit itaque Marinus vicarius ut canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Jubentur ergo sanctæ legis proferri capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum canonum instituta, et sanctorum decreta Patrum, Sixti, Alexandri, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicaverunt, et ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Rhemensis Ecclesiæ pervasorem, donec ad pœnitentiam et dignam satisfactionem venire procuraret.

Eodem anno interfuit Arthaldus concilio Trevirensi, et Ludovicum Ludovici Transmarini filium *de sacro fonte suscepit*, id est, baptizavit. Hic vero desinit Flodoardi historia. Anno circiter 950 transtulit Avenacum idem præsul corpus sanctæ Berthæ

abbatissæ. Exstant anni hujus, et annorum 938, A 950 et 953 diplomata, ex quibus constat Arthaldum fuisse tunc summum regni cancellarium. Anno 952, reddidit Remigianis monachis abbatiam quamdam nomine Coslam in Vosago positam. Eodem anno clericis sæcularibus apud sanctum Basolum monachos substituit; iisdemque Rhemigianis dedisse fertur abbatiam sancti Timothei, quæ ad hoc usque tempus Rhemensium archiepiscoporum fuerat; sed hæc concessio Adalberoni potius referri debet; qua de re lege Bollandianos Aug., tom. IV. pag. 576. Anno 953 synodum coegit quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in Agro Rhemensi. Anno 954, prid. Id. Novembr., Lotharium regem Francorum consecravit in basilica sancti Remigii. Anno 958, Castrum Codiciacum ereptum Ecclesiæ suæ a Theobaldo Carnotensi comite expugnavit. Demum anno 961, prid. Kal. Octobr., morbo correptus mortalitatem explevit, sepultusque est ad pedes sancti Remigii.

Tunc adnitentibus Hugone comite aliisque Herberti liberis et episcopis quibusdam, ut Hugoni vacua jam sedes Rhemensis redderetur, Gerberga regina, et Bruno ejus frater, impedimenta objecerunt, quamvis Lotharius rex restitutioni Hugonis faveret; et in synodo ad Matronam in diœcesi Meldensi, coram præsulibus qui eo convenerant res discussa est, anno 962; sed nihil sibi de Hugonis causa inconsulto summo pontifice statuendum censuere, præsertim Rorico Laudunensis et Gibuinus Catalaunensis, cum a pluribus episcopis excommunicatus communioni ecclesiasticæ redintegrari non posset. Post allatum autem Roma responsum, rejecto Hugone, alius antistes ordinatur. De scriptis Arthaldi lege Historiam Litterariam Franciæ, tom. VI, pag. 297.

# ARTHALDI
## RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI
# EPISTOLA
## AD SYNODUM APUD INGELHEIM CONGREGATAM.

(*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, *I*, 614.)

Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis vicario B domno Marino, universæque sanctæ synodo apud Engelheim congregata, Arthaldus, divina propitiante clementia, Rhemorum archiepiscopus.

Domnus Agapitus papa litteras nobis et cæteris coepiscopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit ut ab hoc sanctitatis vestræ consilium convenire studeremus, ita instructi de omnibus, ut rei veritas de miseriis nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium cœperit litis hujus, quæ adhuc inter me et Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriveo archiepiscopo, Seulfum, qui archidiaconatus urbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum ejusdem sedis C eligimus. Qui pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet a loco depellare non valeret, concilio inito cum quibusdam laicis, scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsivit Heriberti comitis, quam dato jurejurando per eosdem consiliarios obtinuit, eo tenore ut post obitum ipsius ad electionem pontificis milites ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero comes fratrem Herivei præsulis, et nepotes ipsius, a participatione rerum Rhemensis episcopii separaret, quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Herivei præsulis a consiliaris Seulfi episcopi infidelitate ipsius senioris sui, accercitoque Heriberto comite cum pluribus suis, jubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos, a quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus quas ex episcopio possidebant, comprehensi sunt, atque deducti per Heribertum comitem ad Robertum regem, a quo etiam sub custodia sunt detenti usque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui episcopatus anno Seulfus episcopus, ut plures asserunt, ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque comes Heribertus urbem Rhemensem adiit, et ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam, de rectoris electione ad suum consilium, ceu juratum fuerat, intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo ut sibi committeretur idem episcopium, eo tenore, ut tam clericis quam laicis debitum honorem concederet et conservaret, nec injustitiam alicui faceret; sed ipsum episcopium æquo jure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad episcopale ministerium exsequendum rite ordinari valeret. Qui comes ad eamdem urbem regressus, res episcopii, prout sibi placuit, fautoribus suis divisit, cæteris abstulit, et absque ullo judicio vel lege, quos voluit rebus exspoliavit, vel ab urbe propulit. Odalricum denique Aquensem episcopum in eadem urbe suscipiens, episcopale inibi ministerium celebrare præcepit. Sicque annos sex, et eo amplius, idem episcopium suo dominio vindicavit, pro libitu proprio illud

tractans, et in sede præsulis residens tam ipse A quam conjux sua: donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum et regem Rodulfum atque Hugonem comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone et Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam episcopis quam comitibus, Rhemorum obsidet urbem, succensentibus sibi episcopis, et conquerentibus adversus eum, quod tam diuturno tempore contra divinæ legis auctoritates hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex admonet clerum et populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem et sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis tam clericis quam laicis qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum, qui clausi tenebantur, in id ipsum faventibus eli- B gitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus quam civibus portas urbis regi Rodulfo, et episcopalem benedictionem mihi tradentibus episcopis, qui erant ducem et octo, et suscipientibus nostram humilitatem tam clero universo quam reliquis civibus, intronizatus ab episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme novem tractavi, ordinans per diœcesim episcopos octo, et in episcopio multos, prout competens videbatur, clericos: quousque nono postmodum, anno postquam Ludovicum regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus. Gerbergam quoque reginam benedixeram, et sacro perfuderam chrismate, in- C stigatus Hugo comes iracundia, quod ei consentire vel conjungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto comite, et Willelmo Nortmannorum principe, Rhemensem obsidet urbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ: sicque derelictus, ad Hugonem et Heribertum compellor exire. A quibus coarctatus et conterritus cogor memet episcopali procuratione abdicare, et ita me propellentes in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autisiodori diaconus ordinatus fuerat, in urbem introducunt et civitate potiuntur. Ludovicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, et assumens secum simul cum D propinquis meis, quorum res Heribertus comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus et Hugo: solutaque obsidione oppidum ingreditur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed et laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, et quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam urbem late perpetrantur, Interea convocantur episcopi nostræ diœceseos ab Hugone et Heriberto satagentibus et quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium episcopum, cum aliis quibusdam legatis, mandantes ut ad eos venirem, ad consentiendum scilicet hujus ordinationis perversitati. Quibus remandavi quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, ubi adversarii et inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum devenirent, ubi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus advenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, veniensque prosternor coram ipsis, obsecrans ut propter amorem et honorem Dei tam mihi quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperant, et hoc omnimodis suadere, ut eis in hac ordinatione consensum præberem; promittentes res nonnullas episcopii mihi se impetraturos. At ego, postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseverantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, ut nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in episcopali honore me vivente manus imponeret; sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem apostolicam eos provocabam. Illis inde furentibus, ut possem exire de medio eorum, et Laudunum reverti, temperavi responsum, dicens ut mitterent mecum qui eis renuntiaret quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina et fidelibus ejus, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, et coram domina regina et fidelibus ejus inde me interpellante, iterum exsurgens præfatæ modum excommunicationis in eosdem episcopos jaculatus sum: vocationem quoque ad sedem apostolicam iterare curavi, excommunicans ipsum hunc Deroldum, ut id eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parvipendentes illi nostram excommunicationem, Rhemis accedunt, et quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt, quidam vero se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille scitur angustias pertulisse, et secum pertuli; et quando eum bello aggressi sunt Hugo et Heribertus, cum ipso eram, et vix evasi mortis periculum. Prolapsus itaque, auxilio et protectione Dei, de medio inimicorum, profugus et vagabundus loca invia quæque silvasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo et Heribertus affati quosdam amicos nostros sibi subditos, suadent ut me requirentes ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, et rebus quas ipsi petissent ditaturos. Requirentes ergo me amici reperiunt per diversa vagantem, et ita perducor a fratribus meis et amicis ad præfatos comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, ut eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, et sacerdotali me ministerio penitus adjurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore vitæ hujus præsentis, attestor. Districtus igitur, et coangustiatus ab eis, episcopii tandem rebus abrenuntiare compellor;

A sicque rursus ad sanctum Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quoadusque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti comitis nuntios, quod ab ea male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis hujusmodi pavefactus et impulsus, locum deserui, et abdita lustra silvarum vagabundus reperii: horisque silentibus, et itinere devio, Laudunum revertor, ibique susceptus a re- B ge secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus ejus, exspectans et deprecans misericordiam Dei, donec ipse est dignatus in cor domini regis Ottonis mittere, ut ad subventionem senioris mei regis, et nostram, properaret in Franciam. Denique, postquam domina nostra regina Laudunum propter absolutionem domini regis reliquerat, egressus inde ad dominum regem Ottonem cum seniore meo deveni rege, simulque Rhemos accessimus, cingitur itaque urbs exercitibus, et episcopi qui aderant me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domino rege Ottone, ut egrediatur, et pervasam deserat urbem. At ille nutans aliquandiu, et pro posse, ubi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subvenire, decernit exeundum, quærens ut liber cum suis dimitteretur abscedere. Permittitur itaque sanus exire cum omnibus qui secum voluere comitari: et quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente asportavit. Sicque cum regibus introgressus urbem, præcipior loco nostro et honori restitui. Susceptus igitur a dominis archiepiscopis, Rotber- C to Treverensi, et Frederico Moguntiacensi, comitantibus cæteris, et congratulantibus tam clericis ecclesiæ nostræ, quam reliquis civibus, ab ipsis restituor cathedræ episcopali. Hugo vero Rhemis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, et muniens contra fidelis regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges seniorem meum videlicet ac dominum Ottonem, super Charum fluvium, convenimus ad illud tam ego quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis hujus ab episcopis auditur: protulitque litteras ad sedem Romanam quasi ex persona nostra datas excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis episcopii nostri, quas me unquam dictasse, neque subscribendo aliquatenus corroborasse, protestatus sum, atque protestor. Et quia tunc synodus convocata non fuerat, id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis, altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Novembris habenda Virduni, utriusque partis episcopis annuentibus, denuntiatur. Interim vero sedes Rhemensis mihi regenda decernitur; idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante scilicet vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum, et regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Rhemensis episcopii contiguas urbi devenit, et omne pene vinum ex his colligens in diversos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, et Ecclesiæ nostræ homines captivi abducti, et ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem denuntiata Virduni celebratur, præsidente Rotberto præsule Trevirensi, præcepto domni papæ Romani, præsente quoque domino Brunone, cum episcopis et abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo evocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum episcopis, Adalberone et Gozlino, venire contempsit. Universa vero synodus mihi Rhemense regendum decernit episcopium. Indiciturque iterum synodus habenda die Iduum mensis Januarii, quæ et aggregatur, ut denuntiatum fuerat in ecclesia sancti Petri, ante prospectum castri Mosomi, a domino Rotberto, conveuientibus cæteris. Quapropter cognovimus tua industria stabilitum in Mosomo castro, quod est super fluvium Mosæ, in veneratione Dei genitricis Mariæ, monasterium monachorum religione decusatum, tuisque proprietatibus, ecclesiæque tuæ terris et ecclesiis dotatum, quod sub pagina B. Petri apostolorum principis decreti, nostrique, te orante suscepimus. Insuper locellum, qui a Stephano viro illustri atque ejus conjuge Freduide, *Tin* nomine, constitutus, sanctoque Remigio suppositus fuit, quem eidem monasterio Mosomo, quia per se ob exiguitatem rerum stare non poterat, contulisti, collatis rebus in compensatione B. Remigio, consentientibus fratribus. Ut autem cognoscat universa Ecclesia, nos unanimiter assentire: a te collata vel conferenda, seu a quibuslibet, in terris cultis et incultis, vineis, pratis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus, aquis, aquarum decursibus, in omnibus ad supradictum monasterium pertinentibus, B. Petri apostolorum principis, et nostri, firmamus decreto: quatenus sine livore oblatrantium locus quietus et inviolabilis jugiter permaneat. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, ire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ob laudem Dei, pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, frangere et in quoquam transgredi: sciat se auctoritate B. Petri, cujus quanquam immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterno incendio concremandum. At vero qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis præceptionem, benedictionis gratiam, et delictorum suorum indulgentiam consequatur, et vitæ æternæ particeps efficiatur.

Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili. Data per manus Andreæ episcopi, IX Kalend. Maii, anno pontificatus domini nostri sanctissimi et tertii decimi papæ septimo. Imperii autem D. Ottonis majoris Augustini XI, junioris vero V, in mense Aprili, indictione XV.

ANNO DOMINI DCCCLXIII.

# ODALRICUS

## RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

### NOTITIA HISTORICA IN ODALRICUM.

(Ex Gallia Christiana, tom. IX, pag. 56.)

Odalricus, sive, ut alii dicunt, Udelricus, vel Ulricus, Hugonis comitis et Evæ filius, e Lotharingia oriundus, parentes habuit ex sancto Arnulfo Metensi ortos, ut sanguine, sic et moribus et pietate clarissimos. Post administratam, si tamen Colvenerio fides, Ecclesiæ Rhemensis præposituram, electus est, favente Lothario rege, anno 962, et consecratus eodem anno ab episcopis Widone Suessionensi, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Noviomensi, et Wicfrido Virdunensi, acceptoque pallio ex decessorum more a Joanne XII summo pontifice, haud ita post ob claritudinem generis, et suæ dignitatis prærogativam, summus fit regni cancellarius a rege Lothario, quam dignitatem obtinebat annis 963 et 968. Quantæ vero strenuitatis vir fuerit et providentiæ in defendendis Ecclesiæ suæ bonis, Flodoardus in Chronico breviter retulit ad annum 965. Nam cum orta simultate pro episcopio Rhemensi, graves bellorum motus inter regem Franciæ et Heberti familiam exarsissent, in quibus tota pene provincia rapinis, incendiis, et urbium direptionibus attrita fuit, nonnulli proceres qui villas jure ecclesiastico nomine regio tueri videbantur, eas sensim ad se velut hæreditarias traxerant. Inter quos Theobaldus comes exstitit; quem vocari fecit Odalricus et renuentem excommunicationis mucrone pertulit, anno 964, propter Codiciacum Castrum, et quædam aliam sancti Remigii prædia, quæ improbe obtinuerat, et pertinaciter retinebat. Ille ad meliorem mentem rediens, quod male partum fuerat restituit; quem idcirco pontifex non absolvit modo, sed prædictum Castrum filio ejus Odoni qui eidem se commiserat indulsit.

Hoc motus exemplo Herbertus comes villam Sparnacum lubens reddidit. At Ragenoldus pertinax excommunicatus est pro villis quas pariter injuste retinebat; ipse vero loca quædam ejusdem episcopii cum suis hostiliter pervadens, rapinis devastavit, incendiisque. Anno 965 adfuit Odalricus conventui episcoporum coloniæ Agrippinæ celebrato, in quo fundatio ecclesiæ sancti Martini Leodiensis confirmata est. Laudatur munificus præsul quod ecclesiæ suæ Rhemensi villam Vindenissam in comitatu Regitestensi positam dederit, et quod vallem Rodigionis quam Hugo filius Rogeri comitis eidem ecclesiæ donaverat, postea posteris ejus usurpatam, ad ejus ecclesiæ liberam revocaverit, anno 967. Non reticendum tamen quod ipse propter cædem consanguinei cujusdam sui in burgo sancti Remigii indigne obtruncati, burgum omnem et universa quæ castro sancti Remigii contigua erant succenderit, vastaverit, neminemque deinceps ibi habitare permiserit. Obiit ex appendice ad Flodoardum *post septem suscepti regiminis annos*, hoc est anno 969, sepultusque archiepiscoporum Rhemensium primus in ecclesiastica metropolitana. De illo breviter Necrologium Rhemense in hæc verba: « Odelricus sive Odalricus archiepiscopus, VIII Idus Novemb., obiit, qui dedit nobis Vindemissam; pro cujus anima dantur pauperibus de communi 24 nummi cum totidem panibus et vino; sex pauperes clerici reficiuntur in refectorio. »

Sub eo præsule, V Kal. April. anno 966, celeberrimus Flodoardus, natus Sparnaci ad Matronam, presbyter primum et canonicus Rhemensis, deinde parochus Culmisciacensis (Cormici), tum, ut volunt quidam, monachus et abbas incerti monasterii in diœcesi Rhemensi, obiit anno ætatis septuagesimo tertio. De quo consule abbates sancti Basoli, episcopos Noviomenses in Fulchario, Acta sanctorum ordinis sancti Benedicti, tom, VII, pag. 325 et seqq. Annales ejusdem ordinis, tom III, pag. 397, 511 et 512, et Historiam Litterariam Franciæ tom. VI, pag. 313; quibus nihil de novo addendum occurrit.

# ODALRICI

## ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

## SENTENTIA CONTRA FURES SACRILEGOS

(*Actes de la province de Reims*, tom. I, pag. 621.)

Odalricus episcopus, Rodulfus archidiaconus et omnis Rhemensis Ecclesiæ clerus omnibus Ecclesiæ filiis.

Quidam perversi et nefarii homines templum Dei cum scelerata mente introeuntes, dum clementiam Dei exorare, et precibus deberent insi-

stere, furtis et sacrilegiis instinctu diabolico non metuunt inhiare. Ex quibus quidam, quos adhuc ignoramus, ingredientes hanc beatæ Dei Genitricis Mariæ basilicam, pallium desuper altari sanctæ crucis non timuerunt auferre; sed et alia quædam nuper ablata sunt inde, liteamina videlicet ex lecto Frederici custodis ecclesiæ; sed et de capella S. Petri infra claustrum ablatum est vestimentum sacerdotale in præsenti, in præterito vero anno liber missalis. Quarum omnium rerum fraudatores et sacrilegos excommunicamus et anathematizamus A per virtutem et auctoritatem Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in virtute sanctæ crucis, ex virginitate beatæ Dei genitricis Mariæ et auctoritate sancti Petri apostolorum principis, omniumque sanctorum, ut sint excommunicati et separati a participatione corporis et sanguinis Christi et ingressu ecclesiæ, omnique Christianorum societate, donec ad emendationem et satisfactionem veniant vel prædicta quæ abstulerunt huic ecclesiæ reddant.

---

CIRCA ANNUM DOMINI DCCCCLXIII.

# SIGEHARDUS

MONACHUS SANCTI MAXIMINI TREVIRENSIS.

## SIGEHARDI
## DE MIRACULIS SANCTI MAXIMINI.

(Apud Pertz, Monumenta Germaniæ historica.)

### MONITUM AD LECTOREM.

S. Maximi Vitæ a Lupo episcopo fortasse Catalaunensi (274[a]), conscriptæ ut secundum librum de miraculis ejusdem sancti adjiceret, Sigehardo auctor fuit Wikerus, qui a 957-966, abbas monasterium S. Maximini Trevirense regebat (274[b]). Ille, quamvis viribus diffisus, anno 962 vergente vel 963 incipiente (274[c]) opus aggressus, ea tantum se narrare profitetur, quæ abbas bene comperta habuerit ipsique tradiderit (274[d]). Attamen etiam alios cœnobii monachos consuluisse videtur. Nam etiamsi quæ Gisilbertus dux Ogoni abbati retulerat (274[e]), Wikero narrante, perceperit, alia tamen Thietbertus monachus (274[f]), Ruotpertus presbyter (274[g]), Wenido custos (274[h]), Reginerus presbyter (274[i]), fortasse Adalbertus quoque postea Magdeburgensis archiepiscopus (274[j]) aliique (274[k]) cum ipso communicaverunt. Hæc omnia Sigehardus, qui certo certius monachus habendus est (274[l]) calamo excepit, et simpliciter quidem temporisque ordine neglecto (274[m]), sed satis accurate, bona fide, et satis probabili dicendi genere usus (274[n]), memoriæ tradidit. Ex quibus capita 8-18, quæ res Lotharingicas sæculi IX et X aliquatenus illustrant, hoc loco erant exibenda, reliquis prætermissis, quippe quæ ad historiam vix ac ne vix quidem spectent.

Codices in bibliotheca urbis Trevirensis ditissima, in cujus libris manuscriptis exscribendis hoc anno VV. Cll. Wyttenbachio socio nostro et Laven bibliothecæ præfectis permittentibus mihique benigno animo valde faventibus, integro fere mense occupatus fui, quinque inveni, quorum ope textum non uno loco emendavi.

(274[a]) Acta SS. Mai VII, p. 20.
(274[b]) Ann. S. Maximini, p. 7.
(274[c]) A. 27. Ottonis primi, c. 11.
(274[d]) Præf.; cf. c. 23. (ed. c. 24.): « Jam vero ad hoc tandem veniamus, quod de se ipso venerandus pater noster referre solitus erat. »
(274[e]) C. 12.
(274[f]) C. 6.
(274[g]) C. 17.
(274[h]) C. 17.
(274[i]) C. 21: « ut ipse mihi sæpe testatus est. »
(274[j]) C. 16.
(274[k]) C. 15: « ut affirmant qui viderunt. »
(274[l]) In Necrol. S. Maximini antiquo (Cod. Gorres. Confluent. n. 2, VI Kal. Sept. occurrit: « Sigehardus abbas nostræque congregationis mona- B chus, qui an noster sit dubitandum videtur. Cur hunc Brower (*Ann. Trev.* IX, 41; I, p. 440) Aquitanum hominem dixerit, nescio.
(274[m]) C. 1: « Ordinem temporum, ut gesta sunt, non valemus servare, quia similibus similia placet connectere. Nec video, quid obstet ædificationi legentium, quod in relatione gestorum hujusmodi tempora varientur, dummodo quæ gesta sunt non sileantur. »
(274[n]) Ipse tamen modestia qua commendatur dicit in fine operis c. 30: « Cæterum obsecro omnes, qui hoc opusculum non liventibus oculis respicere dignabuntur, ut dum eos incultior offenderit sermo, facilem dent imperitiæ veniam, nec stupeant, hominem rusticanum et qui vix prima artis grammaticæ rudimenta perceperit, oratoris

1) N. 1151 (963) mbr. s. XIII. ex. fol., olim S. Maximini magnam Vitarum sanctorum collectionem continet, olim 7 voluminibus digestum, quorum 4 adhuc supersunt. In secundo (olim tertio) f. 125 Vita S. Maximi legitur, eique Sigehardi liber secundus subjicitur, qui recentiori manu (275) ex altero ut videtur exemplari sæpius est emendatus. Ex hoc codice (276) procul dubio editio fluxit, quæ, Henschenio curante, in Actis SS. Vol. VII, p. 25 prodiit. Ex eodem etiam, antequam correcturæ et additio illa factæ sunt.

1ᵉ) N. 1167 (CCCXCVI) chart. s. XV ex., olim codex beatæ Mariæ virginis in Clusa Eberhardi, descriptus est.

2) N. 1380 (1111) a. 1514 in membranis albis eleganter exaratus, maximam partem 1 sequitur (277), altero tamen codice adhibito, ex quo capitum divisiones et rubras recepisse videtur.

3) N. 1396 (1337) chart. s. XVII fol. inter varia historiam Trevirensem illustrantia etiam hunc librum ex codice optimo descriptum continet. Quæ in 1 post correcta et in 2 melius leguntur, hic quoque recte habentur, alia vero ex hoc tantum emendari potuerunt.

4) N. 1381 (1180) chart. s. XVI 4°, quamvis negligentissime scriptus mendisque innumerabilibus depravatus, ex fonte tamen bono haustus est.

Alium codicem eumque antiquiorem, scilicet s. XI scriptum, præfatione vero, ut videtur, destitutum, qui olim monasterii S. Gisleni fuit, Bethmannus noster in bibliotheca Montensi invenit, quo sine detrimento editionem nostram carere posse, confido. Adnotationes quasdam Hotheim præbuit, qui libri fragmenta scriptorum Trevirensium collectioni (I, p. 465-468) inseruit.

copia loqui nequivisse. Temeritatis vero, quasi qui A viribus meis majora præsumpserim, a nemine me spero arguendum, quia præmissa præfatiuncula satis lecturis aperiet, quanta præcipientis auctoritas me invitum multumque refragantem ad ista tandem impulerit. »

(275) Eamdem, ut videtur, manu in schedula parva addita est historiola quædam de miraculo ab Ottone imperatore probato, quæ in editionem c. 25 Act. SS. Mai VII, p. 30. transiit, neque tamen Sigehardo tribui potest: « Sed quid præhabita recensemus miracula, cum novella habeantur in proximo? Te namque Wilkero in abbatiali honore onereque constituto, patroni nostri gloria refulsit. Reginso, ut nosti, et Engela [de Branbach *(a)*] liberi ex liberis parentibus orti, se et unicum filium suum Adelmannum sancto Maximino tradiderunt, ea conditione, ut ipse puer, quoad viveret, posterique sui, qui masculi essent, duos denarios, feminæ vero unum denarium ad altare beati Maxi- B mini in festivitate sancti Martini persolverent, post mortem vero illorum, quod melius haberent in pecoribus sive in vestibus, ecclesiæ cederet. Interim cuidam miles, hanc in patriam prædæ causa veniens, ipsum puerum prænominatum, parentibus ignorantibus, subtraxit, et per Treberinum pontem equitans, abducere secum cogitaverat. Quid plura? Puer reflexis oculis monasterium divi pontificis Maximi intuens, ut eum sanctus Dei de manibus erueret militis, exclamavit. Unde iratus miles puerum percussit; sed mox ultione divina fracto equi collo, de ponte in aquam cecidit; puer autem super pontem incolumis et illæsus remansit. At puer limina sancti expetens, tibi abbati Wlkero causam innotuit, qui Deo gratias agens, puerum parentibus restituisti. Perinde etiam hoc celebre factum regi serenissimo, Ottoni videlicet primo, ea luce Treveris existenti, aperiens, puerum suæ regali magnificentiæ præsentasti, utque testamento suo traditionem pueri prædictam confirmaret, necnon ab omnibus advocatis ipsum puerum memoratum ejusque posteros absolveret, et ut nulli beneficiarentur, exorasti. Quam denique petitionem piis votis morem gerens fieri decrevit, et chirographum inde conscribi sigillique sui impressione anno regni ejus tertio jussit communiri. » Diploma Ottonis, ex quo hæc excerpta sunt, (Hontheim *Hist. Trev.* I, p, 299.) an genuinum sit, valde dubito.

(276) Rivet *Hist. litt.* VI, 304, errat, si hanc historiam ex cod. S. Victoris Par. editam dicit.

(277) Ex hoc etiam historiolam n. 15 memoratam recepit, quæ tamen jam ab alio quodam in nota marginali Sigehardo adjudicatur. Deest in codd, 3, 4.

(*a*) *De branbach* e corr. add, 2.

# PRÆFATIO AUCTORIS.

Omni in Christi reverentia suscipiendo [1] domino A abbati Wikero Sigehardus [2].

Rogas, pater karissime, immo vi quadam auctoritatis extorques invito, quatinus arduum omnino meisque viribus præminens explicandum opus assumam. Nam præcipis propriaque [3] potestate compellis, quo ea quæ post editum a Lupo episcopo de Vita sancti Maximini librum per eundem gloriosum Christi confessorem sunt gesta miracula, ne prorsus legentium vel audientium utilitati depereant, stilo alligem, ac competentis serie narrationis digestis, post illum primum, secundum super illis libellum absolvam, te certe locuturo suggerente materiam. Qua de re coartor e duobus, veritus scilicet, ne aut tibi renitendo inobedientiæ crimen incurram, aut iterum parere conando cœpto subcumbam; cum nimirum ingenioli mei tenuitatem et eloquii stillulam exequendo istiusmodi negotio nullatenus sufficere videam. Igitur tanta rerum difficultate [4], qua nusquam illæsus evadere valeam, quasi quodam murorum ambitu inclusus et undique circumseptus, hoc solum michi agendum utile ratus sum, scilicet hac in parte locum evasionis eligere, qua perspicio minus ex præcipitio læsionis posse contingere. Nam cum constet contemptum quidem seniorum ad animæ periculum, defectum vero in cœptis spectare

VARIÆ LECTIONES.

[1] suspiciendo 3. amplectendo 4. O. in C. r. s. *desunt* 1. 2. [2] S. obsequium et debitam obedientiæ exhibitionem 4. [3] que *post add.* 1. ac propria 2. [4] difficillitate 1. difficilitate 2.

ad ridiculum, quis sanum sapiens tollerabilius, immo longe salubrius fore non censeat, pro imperita irrisiones hominum sustinere, quam pro superbia semetipsum condempnare? Quapropter diu multumque desideratum opus perge [5] securus aggredi. Ego plane tibi pro viribus adero, nequaquam ausus tuæ sanctitati diutius reluctari. Omnia ergo quæ dixeris, vel a te ipso, ut promittis, et ab his qui adhuc vivunt tecum visa, vel ab his qui viderunt tibi probabilibus personis comperta, qualicumque prosequar stilo, non ad hoc propriæ possibilitatis fiducia nitens, sed tam operosum michi negotium tuæ potius cunctorumque sanctorum fratrum meritis et orationi committens. Aderit etiam, sicut semper in omnibus, ita et in hac quoque parte clarus noster forte Maximinus, facile, ut confido, apud Christum dominum obtenturus [6], ut, sicut ille a Deo patre in Spiritu sancto factus est omnibus salus et justitia, ita quoque et michi elingui efficiatur lingua. Quod si dignabitur, haud dubium, liquidam veritatem etiam a muto luculenter expressum [7] iri. Nec reticendum est, quod cum facile confidam, Deo piisque omnibus succedentium temporum hoc opusculum gratum fore, vereor tamen præsentium aliquos eidem derogaturos meque insulsum, falsiloquum, nullius momenti homuncionem, omnium reprehensione dignissimum, toto orbe adjudicaturos. Nec te, fateor, pater venerabilis, etsi voluerint, excipere valebunt, quin tocius hujus insectationis peste involvaris, quippe cum et me juxta assertionem talium falsa scribere compuleris et scribenti falsitatis materiam ministrasses. Qua ex re operæ [8] pretium video, præsenti [9] præfaciuncula calumpniandi viam estis obstruere, non magnæ defensione arte refragando, sed humiliter suggerendo, quo meminerint, primos ac fortissimos Christi assertores ydiotas [10] fuisse, non sophistas [11]; neque me expectant Mercuriali lepiditate [12] Tulliique [13] copia in curia declamaturum, sed in cellula monasterii rerum gestarum veritatem, sobrio ac veridico pii patris ore depromtam, puro simplicique seamone dicturum. Deinde vero, etsi merito illis despectui habita fuerit vilitas ista elaborantis, honori tamen quæso habeatur prærogativa jubentis; nec statim credant, patrem nostrum, virum utique sancta vita et conversatione conspicuum, falsa dicere quam silere maluisse. His ita prælibatis, Wikere [14] pater, quod agendum imminet ineamus, exorata prius dignatione divina, quatenus ipsa annuente, quæ illa sanctisque omnibus digna sint, et tu ore edicere et ego scripto persequi valeamus.

EXPLICIT PRÆFATIO [15].

8 [16]. (890) Temporibus Arnulfi [17] imperatoris, cum jam in hoc loco religionis, pro dolor! status haut minima ex parte laberetur et monachicæ professionis rigor paulatim laxari ac dissolvi cœpisset, defuncto monasterii abbate Herkenberto, monachi pro electione abbatis palatium ex more competunt. Quibus cum peccatis exigentibus electio non permitteretur [18], sequestratis aliquibus monasterii possessiunculis, quæ vix artam monachis sustentationem potuissent præbere, cuidam Megingaudo (278), regni hujus duci, qui tunc forte aderat [19], abbatia ab imperatore donata est. Qua suscepta cum lætus ad propria remeasset, hilarem se ac jucundum pro accepto beneficio per totum diem [20] omnibus exhibens, adveniente nocte cum conjuge cubiculum adiit. Cumque læti thoro pariter discubuissent, digressis omnibus, solam mulierem secreto in hæc verba alloquitur: « Scisne, inquit, quantum michi munus dominus meus imperator largitus sit? » Illa vero cum se nescire fateretur: « Servum, inquid, prædivitatem in beneficium michi indulsit; et si vis scire, ipse est Maximinus cum abbatia sua [21], quem etiam tibi si [22] volueris tradam. Quibus auditis, sanæ mentis mulier virum prope modum insanum, quantum in se fuit, pro temeraria garrulitate vehementer, objurgare, seque tanti beneficii indignissimam proclamare [23]; cum inter hæc haut mora fuit, et ecce injuriam dilecti Dei Maximini [24] digna vindicta subsequitur, aique os blasphemum ultio divina corripuit. Nam ille fragilis ac caducus terricola, qui inani jactantia ac tumido animo se super cœli consulem Maximinum extendisset, subito infra semetipsum totus contrahitur, et paulo ante hominis forma, in spæram quamdam vel globum pene informem convolvitur.

9 [25]. Tunc Megingaudus, tam acriter diutius [26]

VARIÆ LECTIONES.

[5] pergo 2. 3. [6] obtentaturus 2. *corr.* obtenturus 1. [7] expresum 3. [8] *post add.* 1, [9] *deest* 2. *post add.* 1. [10] ideotas 3. [11] *e corr. rec. manus* 1. [12] lepulitate 1. [13] tullique copio *corr.* tulliique copia 1. tullique *corr.* tulliique 2. [14] wichere 2. *corr.* wikere 1. [15] *ita* 3. *ubi sequitur*: Incipit liber secundus de miraculis sancti Maximini archiepiscopi Trevirorum. — Exordium hujus opusculi illi miraculo insigni statueram dedicare. *Ita fere etiam* 4. *Ceteri codd. et ed. hoc loco manci sunt.* [16] *c.* 10. *edit.* — *add. rubram*: Gravissimo periculo se exponunt qui abbatialem hujus monasterii electionem cassare moliuntur; 3: Quam dire ulcio divina Megingaudum regni hujus ducem hanc abbatiam tenentem et in sanctum Maximinum blasphemantem corripuit [17] arnoldi 1. 4. arnulphi 2. 3. [18] admitteretur 3. [19] aderant *corr.* aderat 1. adierat 3. [20] *deest* 3. [21] *post ad.* 1, *deest* 2. [22] si v. tibi 3. [23] cepit p. 2. [24] *post add.* 1. [25] 2. *ad. rubram*: Predicti Megingaudi conglobati curatio benivola; 3: Megingaudus penitentia ductus virtute Maximini pristine redditur forme. [26] *ita codd. omnes*, diuinitus *ed.* — 2. *ade.* uexatus, *quod in* 1. *quoque scriptum sed post deletum est.*

NOTÆ.

(278) cf. Regino a. 892. Lamei Acta Pal. V. p. 165. Ad eum Brower. Ann. p. 439 epitaphium in ecclesia S. Albani Mogunt, repertum refert.

animadversus, in se rediit, quid et cur pateretur intellexit, et ex toto corde, adhortante conjuge, dicti pœnituit, seque copiis præparatis magna cum celeritate Treverim deportare præcepit. Tandem itaque ad monasterium ventum est, ante sanctum altare deponitur, xeniis preciosis ipsum altare cumulatur. Et qui prius se dominum superbe proclamavit, tunc sancti Maximi servum nutibus ac sibilis potius quam verbis humiliter assignavit. Nec fructibus suæ satisfactionis privatus est homo postquam ad ejus clementiam, quem quasi procaciter læsit, supplex [27] confugium fecit. Nam fusa pro eo a fratribus prece, meritis Maximini cœlestis ira sedatur, virtuteque sancti integra sanitas in puncto temporis Megingaudo redditur. Sic homo salubri correptione a Deo castigatus, ne ulterius blasphemaret in sanctos, Maximinum ex tunc vita sua colit ut sanctissimum, amplectitur ut patrem, veneratur ut dominum. Remque [28] gestam ad imperatorem protinus referens, pro denegata [29] fratribus electione sollicitavit, nec prius rogatu et obsecratione circa regem destitit, quam regalem fiscum, Ribiniacum (279) nomine, fratrum usibus acquisisset [30]. Hujus ergo tanti ac talis patroni nostri sanctitatem quis satis miretur, quis digne collaudet? Adeo in meritis ac virtute Maximini nostri omnia altiora, omnia excellentiora sunt, quam ut ne æstimari quidem, nedum etiam abs quolibet mortalium valeant explicari. Sed nos unde hac quantulacumque sancti laudatione digressi sumus, ad propositum redeamus.

10 [31]. Quamvis, ut superiore capitulo retulimus, ordo ac districtio regularis in hoc loco anteriori tempore negligentia et enervitate præpositorum aliqua claudicasset ex parte, numquam tamen divina meritis Maximini annuente clementia, huic loco sanctos ac religiosos defuisse viros, donec iterum datis abbatibus neglectus regularis observantiæ vel in pristinum vel etiam in melius Deo propicio corrigeretur, cum ex multis quæ non est temporis hujus [32] explicare, tum etiam ex eo quod in præsentiarum referam, liquido claret.

11 [33]. Siquidem post memoratum Megingaudum potestatibus et usibus hujus regni ducum hæc abbatia [34] subjacuit, his tantum exceptis, quæ fratrum sustentationi dudum sequestrata fuerant; quæ tamen ipsa, sicut et adhuc, eorum defensioni a regibus committebantur. Qua ex causa cum Gisilbertus admodum juvenis dux regno præficeretur, ut illa se ætas habet, secularibus oblectamentis et pompis ac voluptatum illecebris primo sui principatus tempore, quamvis postea [35] egregius [36] vir factus sit (280), se potius dedens, quam commoditatibus subditorum prospiciens, monachos hujus monasterii etiam vehementer afflixit, ea scilicet quæ in usus eorum cesserant adimens suisque satellitibus disperciens. Ea autem tempestate vir clarissimus Heinricus [37], genitor serenissimi [augusti [38]] Ottonis [39], cujus imperii anno vigesimo septimo hæc scripsimus, monarchia regni potitus, subditos quidem justicia, pace et clementia modestissime gubernavit, imperii vero apicem virtutibus et gloria omnique honestate singulariter decoravit.

12 [40]. Inito ergo consilio, fratres, ut dictum est, intollerabili afflictione a Gisilberto depressi, regiam clementiam adierunt, quidque [41] incommodi a duce paterentur, conquesti sunt. Nichil tamen tanto labore assumpto proficientes, indignationem magis prædicti ducis, immeriti licet, emeruerunt. Quid aliud agerent? Defectum tantum a monasterio, necessitatis ultimo coacti, meditabantur, cum subito vires denuo reparant animorum, consilium in hunc modum restaurant, scilicet ad regem regum, Maximino patrocinante, suum orando referre negocium. Quod [42] cum aliquandiu haut segniter ageretur [43], quadam nocte venerabilis Maximinus in visione duci quiescenti supervenit; ac primo quidem, quis sit quorumve causa venerit, pandit; deinde obnoxii culpas arguit; ad ultimum vero — mira dic-

VARIÆ LECTIONES.

[27] suplex 1. [28] que *deest* 2. [29] de neganda *post corr.* denegata 1. deneganda *corr.* non deneganda 2. [30] acquisiisset *corr.* acquisisset 1. [31] *In* 1. *nulla capitis distinctio*; 2. 3. *add. rubram*: Divina annuente clementia huic monasterio sancti ac religiosi viri nunquam defuere (defuerunt 3.). [32] *deest* 1. [33] *Nulla distinctio in* 1. 2. 3. *add. rubram*: Quam graviter dux Gisilbertus hanc abbatiam dissipans fratres hujus loci afflixerit. [34] abatia 1. [35] post *add.* 1. *deest* 2. [36] egregium *corr.* egregius 1. [37] henricus *codd.* [38] *deest* 2. 3. 4. [39] octonis 1. [40] 2. *add. rubram*: afflicti fratres regiam clementiam contra ducem interpellaturi adierunt; 3: A. f. regis tutamine frustrati Maximinum merentur de tiranno ultorem. [41] quicquid incomodi 2. [42] *In* 2. *novum caput incipit hac rubra notatum*: Lamentantium fratrum precibus venerabilis Maximinus inclinatus, scelerato duci post illatas minas flagellationibus ipsum emendatum reddidit. [43] agerent 2.

NOTÆ.

(279) Rubenach: cf. Arnulfi diploma ap. Hontheim Hist. Trev. I, 226.

(280) De eo ita Vita Gerardi Broniensis c. 23, ap. Mabill. Acta, V, p. 268: « Cæterum ne dux Gislebertus, cujus mentionem prætitulavimus, a nobis abscedat illaudatus et inglorius, circa ejusdem sancti locum exstitit satis humanus et valde munificus, quædam scilicet prædia subtrahens sibi militantibus, quæ non pauca expenderat beneficii grati militibus, inibique contradens jure perpetuo cum militaturis Christo militantibus. Qua de re unum est quod moneo repetens, tibi dico, Ursidungi Cellensis (i. e. S. Gisleni) monache, qui ducis Gisleberti largissima victitas stipe, considerans diligenter attende, ne quando ejus animæ inveniaris immemor esse, sed potius incogitabilem benignissimi Jesu pietatem pulses importunissima prece, quatenus aurea perpetuæ contingat præmia vitæ. Et ne forte desperando mussites rebellasse eum adversus dominum suum principem Romanum, mortis dirissimum, proh dolor! recepit commercium; et Dominus Jesus non bis vindicat in idipsum »

turus sum et ferme incredibilia, his tantum qui Deum non credunt omnia posse — latera ac scapulas flagellis cædendo liventes reddit, statimque disparuit. Mox autem dux, sommo suo simul ac somnio ita graviter excussus, familiaribus paucis, somnium quidem [44] se vidisse, quidque in ipso perpessus sit attestantibus plagis, edixit, sed cur hoc, vel quis egerit, summo studio alicui illorum [45] indicare dissumulavit, quamvis tamen facile tunc ex consequentia gestorum id quoque conici [46] posset. Siquidem continuo Treverim versus iter acceleravit, et Maximinum sibi prece placans ac munere, monachis non solum ablata restituit, verum etiam amissam illorum gratiam pecuniarum, quibus fraterna communio valde eguit, redemit impendiis. Ex hoc jam tempore a juvenilibus actibus resipiscens, magnificum prorsus evasit in virum, locumque istum et congregationem in tantum dilexit, ut ejus potentissimum studio venerabili Ogone huic [loco [47]] abbate intronizato [48], (934) diu nimis obtenebrata religiosæ conversationis claritas vitæ nostræ tandem splendidius reluxisset. Hæc ergo omnia, ita ut retulimus, de se gesta, ipse sancto viro Ogoni confessus est. In qua etiam confessione se Deo ac sancto Maximino monachum futurum devovit, si uxori superstes conjugali vinculo mereretur absolvi.

13 [49]. Referam et aliud, quod huic meo judicio haut longe impar decernitur; nisi forte hoc Maximini virtutum credi debeat detrimentum, quod in illo miraculo facti socium Remigium clarum habuisse asseritur. Comes quidam, nomine Ruobertus [50] (281), germanus illius, de quo supra retulimus, Megingaudi fuit, cujus prædia in pago Naachgowe Maximini ac Remigii (282) conlimitantia [51] prædiis adjacebant. Quam ob rem servi ejus cum familia sanctorum crebro litigio decertabant, illis antiqua confinia supergredi cupientibus, istis e contrario totis viribus retinentibus. Interea cum crudelitas [52] servilium querelarum et rusticæ contentionis a vicinis compesci nequivisset, nostris cupidinosam injuriam proclamantibus, causa refertur ad comitem. Ille mox placitum indicens diemque statuens, ad conspectionem ac circumductionem terminorum, magna turba circummanentium comitatus advenit, suisque præire [53] jubet duces. Nec mora; unus ex illis, qui hujus iniquitatis semper exstitit caput, et se ceteris præripiens fraudulentus [54] circumductor efficitur, præcedens et indice præmonstrans, ac multa de sanctorum prædiis, antiquos transgrediens limites, falsa demonstratione in partes [55] sui senioris transferre conatus est. Ibat ergo, et cirroteca [56] quam rustici wantum (283) vocant, manu superducta, sicut voluit demonstravit, nostris subsequentibus ac renitentibus et auxilium Maximini atque Remigii constantissima inprecatione conclamantibus. Interea bonus ille ductor atque justus cirrotecam [57] manui [58] detrahit [59], sed in eadem amputatum divinitus digitum reliquid. Tunc maliciæ suæ convictus et [60] a seniore suo, ut dignum erat, ignominiose [61] tractatus, gratiam ipsius amisit; sicque veritate declarata, omnis illa contentio terminum habuit.

14 [62]. Est villa monasterii quæ Wimari ecclesia (284) dicitur, quam sævissimus quidam, cujus nomen memoriæ nostræ elapsum est, in beneficio habuit. Qui cum sancti familiam gravissime afflictaret, etiam non inveniens, quid eis, unde culpari possent, objiceret, uni eorum, qui agrestior ceteris videretur, accipitrem suum custodiendum commisit, sciens rusticum illius artis nullam habere periciam, ut dum ales neglecta deperiret, interitus culpam in rusticum retorqueret. Ille vero diu [63] multumque reniti et impericiam excusare artis, cum tamen alitem demum conpulsus est custodiendam suscipere. Quid autem ageret? Servavit interim vivam, sine esu in domo fumica [64] cito morituram. Qua mortua, plumas ei detraxit, ac sale conspersam domino servandam suspendit. Putabat enim stulta rusticitas, se astuciam callidi hominis evasuram, si ei vel cadaver avis [65] tempore exactionis incorruptum valuisset exhibere. Cumque jam revoluto longi temporis spacio, immitis dominus accipitrem suum a rustico exegesset, ille protinus cadaver obtulit. Ibi nacta [66] occasione sævit homo, et fera crudelior quasi contumeliam sibi a rustico factam sociis omnibus imputat, astruens, communi consilio illum ad audaciam facti fuisse animatum: cunctosque in crastinum ad placitum [67] vocat, omni peculio spoliandos multisque insuper verberibus afficiendos. Territi ergo et æstuantes miseri, nocte illa convenerunt, omnique humano prorsus desperato [68] auxilio, Maximini opem expetere statuunt, electos-

VARIÆ LECTIONES.

[44] seq. 3. [45] *deest* 2. [46] connici 1. [47] *ita* 4. *deest* 1. 2. 3. [48] intronisato 2. 3. [49] 2. 3. *add. rubram:* Fraudulentus circumductor antiquos 3.) prædiorum sancti maximini limites transgrediens quomodo punitus est 1. digiti ampulatione p. sit 3.) [50] robertus 2. *corr.* ruobertus 1. rubertus 4. [51] cum limitantia 2. *post corr.* conlimitantia 1. [52] cruditas 4. *corr.* crudelitas 1. [53] perire *corr.* preire 1. [54] fraudentus 2. [55] partis 3. [56] cirrotheca 2. 3. *et ita infra*; kirroteca 1. [57] cirrotetam 1. [58] manu 3. [59] detrahat *post corr.* detrahit 1. [60] *deest* 2 *post add.* 1. [61] ignominiose 4. *quod etiam* 1. *ante correcturam habuisse videtur.* [62] 2. 3. *add. rubram:* Sevissimus quidam tiramus innocentium hominum oppressor viscerum effusione vindicante (v. sancto 3.) Maximino miserabiliter interiit. [63] *e corr.* 1. [64] *post corr.* fumifica 1. [65] ejus 3. [66] nata *corr.* nacta 1. [67] palatium 1, 2. [68] desperati 1, 2.

NOTÆ.

(281) Alibi haud occurrit, nisi fortasse idem sit qui a. 884, a Reginone nominatur.

(282) Ecclesia S. Remigii Ingelheimensis esse videtur.

(283) Gallice *gant*.

(284) Weimerskirchen ad Alisontiam (*Elz*). HONTHEIM.

que ex omnibus duos juvenes, impositis eulogiis datisque mandatis, concite ad monasterium mittunt, illis cum timore maximo statutum placiti attendentibus. Missi autem juvenes, cum fratres horæ nonæ sinaxim [69] celebrassent, portam monasterii valide pulsaverunt; et quia putabatur aliqua potens esse persona, mox intromissi sunt. Qui currentes per medium chorum, eulogias [70] ante altare tacite deponunt, ac primo scopis, quas secum detulerant, altare diverberant, deinde prostrati solo, ingenti ac miserabili ululatu Maximinum evigilare et in suum auxilium adversus tirannum [71] exurgere deposcunt. Eadem ergo hora eodemque momento, quo isti hic miserias suas deplorant, ille efferus de loco placiti surgens, secessum peciit, ibique cum inenarrabili [72] tortura viscera carnis simul et crudelitatis effudit.

15 [73]. Bernaker (285) quidam erat vir nobilis et opulentus, qui longe postquam hoc accidit, quod actenus retulimus, eandem villam precario jure acquisivit. Qui facibus avariciæ succensus, agris illius villæ undique contiguos et collimitantes pauperum agellos, eo quod fertillis illa terra esset, sibi injuste usurpavit. Congregatis autem arantium turbis, arare ipsos agros jussit, cum illi, quibus violentiam intulit, eum per Deum obsecrare et sanctum Maximinum, ut sua sibi sufficerent nec se inique suis possessiunculis spoliaret. Quibus cum id responsi redderet, scilicet nec latitudinem nec longitudinem pedis se propter Maximinum de omnibus his terris alicui concessurum, illi ad consuetum recurrunt præsidium, id ipso videlicet loco, quo aratorum multitudo jam tunc ad prandendum considerant [74], Dei sanctique Maximini subsidium, cum neminem haberent qui [75] eis tuicioni esse posset [76], cum magnis fletibus et ejulationibus solo strati precantes. Mira dicturus sum; ut affirmant qui viderant, in nulla cœli parte ne quidem [77] minima cœli nubecula apparuit, cum subito in hoc tantum loco, ubi juga boum cum aratris stabant, tanta tempestas exorta est, ut vi ventorum turbinisque vertigine elevati boves cum aratris in vallem quandam profundissimam, dimidio pene miliario ab hoc sejunctam loco, rotati projicerentur; ac sine mora, sicut undique fuit, ita ibi quoque serenitas affuit. Cumque agricolæ quaquaversum dispersi, boves suos et aratra disquisissent, venientes ad vallem, bonos quidem aliquos semineces, aliquos jam mortuos, his cornibus evulsis, illis cruribus vel cervicibus fractis, aratra vero in frusta [78] comminuta reppererant [79]. Tunc agricolæ pro dampnis suis admodum mœstificati, ad Bernachrum [80] sunt reversi, et quæ acciderant cum gravi luctu nunciaverunt. Ille vero magno timore perculsus, et adhuc graviorem se vindictam sensurum suspicatus, virtute Maximini territus, ab insectatione pauperum cessavit ulterius.

16 [81] Nec reticendum, quod pro simili crudelitate Adalberto [82], hujus nostri Adalberti (286) genitori [83], Gisilberti ducatus tempore evenerit. Ipse etenim cum inhumane prorsus familiam sancti tractaret, et a matre juvenis ducis — nam pater [84] jam obierat (287) — proinde sæpius objurgaretur [85], nec corrigi a nequicia valuisset, quodam tempore sexaginta viri de villa Ramiche [86] (288) — hæc [87] enim beneficium ejus erat — surgentes, omnes huc pariter venerunt; cunctisque pro foribus tota nocte excubantibus, licentia a custode impetrata, duodecim tantum infra ecclesiam missos per tria disponunt altaria, tota nocte suffragia Maximini indefessa prece quæsituros. Nec spes de Maximini pietate præsumpta votum supplicum miserorum fefellit. Mane siquidem [88] domina illa — hic [89] enim tunc morabatur — cum ad missam Adalberto multisque aliis satellitibus comitata, procederet, omnes illi viri in ecclesia ejus præstolantes adventum, mox

VARIÆ LECTIONES.

[69] synaxim 1. [70] elogias 1. [71] tyrannum 1. [72] enarrabili 1. [73] 1, 3, *add. rubrum*: Opulentus quidam avaritiæ facibus succensus agellos sibi pauperum injuste usurpavit. [74] consederat 3. [75] quis 3. [76] possit 2. [77] *post add.* 1. *deest* 2. [78] frustra *corr.* frusta 1. [79] reperebant 1. [80] bernachum 2. *post corr.* bernachrum 1. bernakum 1. [81] 2, 3, *add. rubrum*; Item Adalbertus quidam tirannus familiam sancti Maximini affligtabat, frustra tamen. [82] ab alberto 2, *post corr.* adalberto 1, ab adalberto 3, delberto 4. [83] genitore 1, 2, 3. [84] p. ejus 2. [85] objurgatur 2, *corr.* objurgaretur 1. [86] remiche 2. [87] hoc 3. [88] *post add.* cum 1. [89] hinc 2. *corr.* hic 1.

NOTÆ.

(285) Cf. ejus diploma Hontheim, Hist. Trev. I, p. 268.

(286) Adalbertum Russorum apostolum, postea Magdeburgensem archiepiscopum, intelligi, Henschen. putavit.

(287) Quo anno Ragenarius obierit non constat: cf. Richer. I, 34, qui tamen tempus non recte definivit. Uxorem Hersendam mortuam Ragenarius *comes* c. a 886, in diplomate ecclesiæ Gorziensi dato nominat (Calmet, I, Probb. p. 313). Altera quæ hic nominatur fuerit oportet, quæ post viri mortem pro Gisilberto puero (supra c. 11, cf. Richer. l. l.: *jam facto juveni*) ducatum Lotharingiæ administrasse videtur. Notandum est, quod sæc. x, sæpius feminæ ducatus administrationem susceperunt, in Alamannia Hadawiga (Ekkehardus de Casibus c. 10, Mon. II, p. 122; *Suevorum post Purchardum virum dux vidua*), in Bavaria Judith (Ratherii Op. ed. Ballerinis p. Cl. 382, n. 39), in Lotharingia Beatrix (Chron. Senonense ap. Dacherium ed. 2, I, p. 616: *erat quædam ducissa, quæ viro suo viduata Lothariensem ducatum pro modulo regebat;* cf. Vita Gerardi Tull. r. 21, et Gerberti epist. passim). Ita etiam regnum imperatrices Adelheida et Theophania gubernarunt, quarum hæc in diplomatibus Italicis non semel *imperator* audit; cf. Iahrbucher II, 2, pag. 65, 66.

(288) An Remingen (Remich) ad sinistram Mosellæ ripam, 8 leucas supra Treviros? HENSCHEN.

ut ingressa est, cuncti pariter in pavimentum coram sacro altari corruunt [90], terribilibus ac [91] maximis clamoribus Maximinum in tanta necessitate patrocinari, seque de Adalberti [92] tirannide [93] jam tandem conclamant eripi. Vix illis clamoribus post evolutum dimidiæ, ut fertur, horæ spacium silentium est imperatum. Adalbertus vero [94] clementem [95] videns feminam haut modico dolore ex conpassione miserorum attactam, dejerare per Maximini virtutem cœpit, omniaque quæ dicerent homines illos fuisse mentitos; et ut erat ense accinctus [96], manum protinus extendens ad capulum, procaciter nimis per spatum suam juravit, se gravissimas pœnas pro tanta temeritate luituros. Necdum minarum verba finierat [97], cum subito, videntibus cunctis — pallio enim tunc non erat amictus —, soluto divinitus cingulo, gladius de ejus femore in terram cecidit. Factumque hoc, quod exinde miliciæ foret inutilis, evidens [98] portentum fuit. Ita Maximinus, cum ejus virtute Adalbertus publice confusus, mox beneficium amisit, ad ipsius feritate servos suos potenter eripuit.

17 [99]. Tum Wenido custos ecclesiæ, de quo superius fecimus mentionem (289), sumens lagunculam trium tantum capacem sextariorum vino plenam, Maximini benedictione exorata, sexaginta illos viros, vigilis totius noctis ac fletibus fatigatos, satis habunde refecit. Et ne etiam corporali suæ charitatis præmio privaretur, mox ut rediens intravit ecclesiam, eandem lagunculam ut erat prius plenam invenit. Porro istis omnibus, quæ in hoc capitulo retulimus, Ruotpertus, presbiter et monachus, qui interfuit et vidit, attestatur.

18 [100]. De Wenidone autem [101] dum arduam vitæ suæ conversationem, sæpe michi ab hiis qui eum noverunt expositam, cum hoc confero, quod ita familiariter Maximini virtutum [102] quantulæcumque portioni communicat, quid aliud quam sanctæ censeam æstimare? Et quia tantum de hoc viro diximus, libet et aliud mei similibus, scilicet corde pollutis et corpore, in exemplum se cavendi referre, quod ille quoque referebat, quotiens negligentiores vel moneret vel corriperet fratres.

19. Quidam in hoc monasterio fuit acolithus (290) . . . . . . . . . . . . . . . .

VARIÆ LECTIONES.

[90] corruerunt 3. [91] et 2. [92] alberti *post corr.* adelberti 1. [93] tyrannide 1. [94] *post add.* 1, *deest* 2. [95] *e corr.* 4, [96] accintus 1. [97] finierant 3. [98] *e corr.* 1, eidem 2. [99] 2, 3, *add rubram* : Miraculosa vini recompensatio. [100] 2. 3. *add. rubram* : Sancta Wenidonis conversatio. [101] a. d. *desunt* 1, 2. [102] uir 2.

NOTÆ.

(289) c. 5.

(290) Narrat autor in sequentibus quædam nullius momenti de Wenilone monacho, Reginero presbytero, quem « ante hoc biennium defunctum,» dicit, Richwino monacho, « qui nunc usque superest », Willero et Wikero abbatibus (c. 20-24), denique reliquiarum S. Maximini, Normannorum tempore reconditarum, inventionem sub Ratbodone episcopo (c. 26-29), ex quibus hæc tantum de Normannis c. 26, recipienda duxi : « Ea tempestate, qua pene universam Galliam Northmannorum crudelitati feriendam divinæ anim dversionis censura subegerat, cum propriæ impietatis facibus gentilium furor succensus urbes ac vicos et universas Christi ecclesias ignibus conflagraret, contigit hanc quoque urbem Trevericam cum suburbanis ejus eisdem casibus obnoxiam subjacuisse. Et quoniam tam miseranda civium strages urbisque subversio improvisa ac subita evenisse asseritur, hoc monasterium inter cætera non solum concrematum est, sed tanta monachorum et ecclesiasticæ familiæ cæde completum, ut ne unus quidem superstes remaneret ex omnibus, cui notus esset locus tumuli, quo sacræ reliquiæ claudebantur. »

CIRCA ANNUM DOMINI DCCCCLXIII.

# FRIDEGODUS

BENEDICTINUS MONACHUS.

## NOTITIA HISTORICA IN FRIDEGODUM.

(Fabric., Bibliotheca med. et inf. Lat.)

Fridegodus, monachus fani Servatoris Duroverni Cantiorum sive Cantuariensis, ordinis Benedictini, circa annum Christi 960 *Vitam S. Audoeni*, archiepiscopi Rothomagensis, an. 677 defuncti, prosa scriptam sub hujus nomine edidit Surius ad 24 Augusti, *Vitam S. Wilfredi*, Eboracensis archiepiscopi (qui an. 687 obiit), versibus hexametris ad Odonem, archiepiscopum Cantuariensem, vulgavit Mabillonius sæc. III Beneditin., pag. 169, et supplementum ejusdem ex codice Cottoniano sæc. IV, pag. 722, Joannes Baleus II.

52, eumque secutus pag. 174. seq. Pitseus huicce Fridegodo prætera tribuunt tractatum *De peccatrice in Evangelio*, qui incipit : *Dum pietate multimoda Deus ;* et alium : *De Hierusalem supera* et *visione beatorum*, scriptum versibus, hoc initio :

Cives cælestis patriæ regione superna.

Denique *Contemplationes varias*. Eodem Baleo notante ; *Græce eruditus fuit iste Fridegodus, ut in opere suo de* Pontificibus Anglorum *Guilelmus Malmesburiensis habet*. Gulelmi verba hæc sunt lib. I De gestis pontificum Anglorum pag. 200 : *Et ut clarissimum patriæ jubar* Wilfridum *produceret in speculam* (Odo archiepiscopus Cantuariensis *heroico metro vitam illius texi præcepit*, etc. Scripsere S. Wilfridi Vitam ante Fridegodi tempora, notante Lelando cap. 134. Beda Girovicensis, Heddius cognomento Stephanus, Accæ episcopi Hagustaldensis familiaris, et Odo. Cantiorum archiepiscopus. Idem fecit postea Petrus Blæsensis, archidiaconus Baduensis, homo Gallus, ac opusculum Gallofrido Plantagenistæ, Eboracensi archiepiscopo, dedicavit. Fridegodi denique esse verisimiliter satis suspicatur. Casimirus Oudinus tomo II. pag. 467 seq. carmen epicum. *De pontificibus et sanctis Ecclesiæ agri Eboracensis*, quod sub Alcuini nomine vulgavit Thomas Galeus in Scriptoribus XV Historiæ Anglicanæ, an. 1691, pag. 730-732. Certe Alcuino illud non esse tribuendum, haud inficiandis laudatus Oudinus probat argumentis. Vitam Audoeni, qualem edidit Surius, non genuinam veteris scriptoris, se interpolatam esse notat Cointius tomo II, pag. 607. Adde eumdem tomo I, pag, 754 seq.

---

# FRIDEGODI

MONACHI BENEDICTINI

# DE VITA SANCTI WILFRIDI

EPISCOPI EBORACENSIS.

(Apud Mabill. Acta SS. ord. S. Bened. Sæc. III, p. 169, et Sæc. IV, p. 722.)

## OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Plures Wilfridum, eo nomine primum Eboracensem episcopum, scriptis suis celebravere auctores. In primis Beda Venerabilis res ab eo gestas describit in variis Historiæ suæ locis, maxime in lib. III, cap. 25, et lib. V, cap. 20. Bedæ æqualis accedit Eddi seu Heddius, cognomento *Stephanus*, qui librum de Vita sancti Wilfridi composuisse fertur apud Joannem Pitseum aliosque recentiores, « Is fuit invitatus de Cantia a reverendissimo viro Wilfrido, ut primus post Jacobum cantandi magister Nortanhumbrorum Ecclesiis esset, » teste Beda in Historiæ lib. IV, cap. 2; qua ex consuetudine Wilfridi gesta certo rescire potuit. Post Heddium occurrit Fridegodus, cui Odo Cantuariensis episcopus Vitam ejusdem sancti *heroico metro* texere præcepit. Legerat Willelmus Malmesburiæ monachus eam Fridegodi scriptionem, de qua hoc profert judicium in lib. I de Pontificibus Cantuariensibus : « Exsecutus est id munus Fridegodus quidam versibus non improbandis : nisi quod latinitatem perosus, græcitatem amat, Græcula verba frequentat, ut merito dictis ejus aptetur illud Plautinum:

Hæc quidem præter Sybillam leget nemo.

Huic lucubrationi manum admovit Fridegodus statim post Wilfridi reliquiarum translationem in Ecclesiam Cantuariensem. Ipse etiam Odo, qui Ecclesiæ Cantuariensi præfuit ab anno 834 in annos quatuor et viginti, Wilfridi gesta descripsisse perhibetur ab Eadmero. Eadmerus vero seu Edmerus monachus, Anselmo Cantuariensi pontifici a secretis, id postea præstitit anno 1121. Sic enim præfixa habet inscriptio codicis manu exarati bibliothecæ Cottonianæ : *Vita sancti Wilfridi archiepiscopi per Eadmerum Cantuariensem anno* MCXXI. Res ab se descriptas in exordio et in fine approbat « auctoritate venerabilium virorum Odonis archiepiscopi et Bedæ presbyteri », nulla A Heddii aut Fridegodi mentiene facta, tametsi Fridegodi ipsissima verba non raro usurpat. Unde suspicio injicitur num Fridegodi fetum Odoni, qui hortator operis fuit, supponat. Sed tamen ex prologo ipsius Odonis, quem Eadmerus in fine Vitæ ab se compositæ citat. aliam Odonis a Fridegodi lucubratione fuisse conjectura est. Eadmeri fragmentum de translatione corporis sancti Wilfridi recitat Gervasius Dorobernensis monachus in libro De combustione et reparatione Dorobernensis ecclesiæ ; quod fragmentum ex alio Eadmeri opere desumptum est. Eadmeri æqualis fuit Willelmus Malmesburiæ monachus, qui itidem facta sancti Wilfridi recantavit in libro secundo de Pontificibus Anglorum, ubi de episcopis Eboracensibus. Post eos omnes Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniensis, librum de Vita sancti Wilfridi composuit, eumque Galfrido Eboracensi archiepiscopo dedicavit, ut legitur in Monastico anglicano, pag. B 172, ubi fragmentum ex eodem Petro adducitur. His omnibus annumerandi sunt Anglorum scriptores, in his Thomas Stubbesius in libro de Episcopis Eboracensibus quorum catalogus vetustus exstat apud Labbeum in tomo I Bibliothecæ novæ, pag. 322. Ex prædictis auctoribus obvii quibusque sunt Beda et Willelmus.

2. Wilfridi diem natalem exprimunt tum Martyrologia recentiora, tum vulgata Bedæ historia IV Idus Octobris ; tametsi hæc verba intrusa sunt in textum Bedæ, quæ apud Abrahamum Whelocum intra parenthesim conclusa, desunt in exemplari nostro Germanensi, uti et in Aluredi versione Saxonica. Dies certe prædictus est translationis, quo teste Eadmero corpus sancti Wilfridi decentiori loco repositus a Lanfranco est. At quo tandem die vir sanctus ad superos migravit, silent Vitæ scriptores omnes, unus inter vetustos fastorum sacrorum conditores designat diem VIII *Kal. Maii*, is nempe qui

nomine Bedæ vulgatus est metrici Martyrologii auctor in tomo X Spicilegii, his versibus :

> Egbertus, digna virtutum laude coruscus,
> Astrigerum octavis venerantes scandit olympum,
> Quoque die præsul penetravit Wilfridus alma,
> Angelico vectus cætu trans sidera cœli,

Celebrior tamen videtur fuisse solemnitas translationis IV Idus Octob., ut patet ex titulo quem Eadmerus post Prologum Vitæ præposuit.

3. Monachi vitam ab anno ætatis quarto decimo egit Wilfridus, et regulam sancti Benedicti mirifice propagavit. Quo vero in loco monasticum susceperit habitum, non ita liquet. Et primo quidem annos natus quatuordecim apud Lindisfarnenses monachos diligenter « ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, et discere curabat et agere » inquit Beda in lib. V cap. 19 : « Necdum quidem attonsus, verum eis qui tonsura majores sunt virtutibus, humilitatis et obedientiæ, non mediocriter insignitus. In quo monasterio cum aliquot annos Deo serviret animadvertit minime perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur a Scotis : proposuitque animo venire Romam, et qui ad sedem apostolicam ritus ecclesiastici sive monasteriales servarentur, videre. » Illic perfectam vitæ monasticæ, hoc est Benedictinæ, adeptus normam, reversus Lugdunum a Dalfino seu Annemundo loci episcopo tonsus est. Postea Alchfridus, Oswii Nortanhumbrorum regis filius. Wilfridum in Britanniam regressum « virum, ait Beda, doctissimum, magistrum habuit eruditionis Christianæ. Hujus doctrinam omnibus Scotorum traditionibus jure præferendam sciebat : unde ei etiam donaverat monasterium quadraginta familiarum in loco qui dicitur in HRipum. » Hæc Beda in lib. III cap. 25, ubi Wilfridum abbatem consequenter appellat, ut proinde monastica insignia eo in monasterio suscepisse dicendus sit ; paulo post ab Agilberto Gallo, occidentalium Saxonum episcopo, *in præfato suo monasterio* presbyter factus *rogatu Alchfridi*. Scotis in synodo Streaneshalensi confutatis, in monasterium Lindisfarnense, ubi Scoti monachi degebant, monachos nostros induxit. Unde ipse apud Willelmum gloriatur, quod primus in Nortanhumbria « verum Pascha Scotis ejectis docuerit, et sanctissimi Benedicti regulam a monachis observari jusserit. » Complura ædificavit cœnobia, « HRipense. Hagustaldense » in suo ipsius episcopatu ; alia in Cantuariensi ; Selesciense apud australes Anglos, et alia in regno Merciorum. Huc spectant epitaphii ejus hi versus :

> Inque locis istis monachorum examina crebra
> Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum
> Sedulus instituit.

Quo in loco regula sancti Benedicti, quam Wilfridus tum in Britannia, tum Romæ didicit et excoluit, *Regula Patrum* appellatur, uti et diserte apud Ambrosium Autpertum in libro De Vita sancti Paldonis abbatis et successorum.

4. Ad seriem gestorum Wilfridi quod attinet, natus est anno 634 aut insequenti siquidem obiit anno 709, annos natus septuaginta quinque. Adolescens annorum quatuordecim Lindisfarnense monasterium petiit, ibi aliquot annos moraturus, Inde Romam petiit *anno circa* 653, paulo ante aut certe paulo post mortem Honorii Cantuariensis episcopi. quam eo anno reponit Beda in lib. III cap. 20. An- A nis fere quatuor tum in Lugduni mora, tum Romæ exactis, reversus in Britanniam HRipense monasterium ædificat et abbatis nomine administrat. *Anno prope* 660 Colmannum, Scotorum antesignanum, refutat in synodo Streaneshalensi, tametsi Beda in lib. III cap. 26 signat annum 664. Verum Beda non satis sibi constat, dum eo loci scribit Agilbertum episcopum Gallum huic synodo interfuisse, ejusque jussu Wilfridum, adhuc presbyterum Colmanno restitisse ; et tamen Wilfridum episcopum ordinatum esse anno ipso 664 Compendii in Gallia, ex cap. 28, ab Agilberto jam Parisiorum episcopo, qui *finita ac soluta concione domum*, id est in proprium episcopatum, quem apud occidentales Saxones obtinebat, *rediisse* dicitur cap. 26. Certe in Epitome Saxonica, Bedæ Historiæ subjecta, Agilbertus « anno 660 abiisse a Kenwalchio, et Parisiorum episcopatum in Galliis ad Sequanam flumen suscepisse » perhibetur. Wilfridus anno B 664 ordinatus episcopus Eboracensis, cum ex Gallia reversus didicisset Ceaddam Ecclesiæ suæ consecratum episcopum, secessit in HRipense monasterium. Dein a Wlfario Merciorum rege accitus, postea venit in Cantiam, ibique « presbyteros et diaconos ordinavit, usquedum Theodorus adveniret, » ex Bedæ lib. III cap. 28, et lib. IV cap. 2. a quo Ceadda Eboraco pulsus, et Wilfridus in sede sua institutus. Anno 670 Oswius rex Nortanhumbrorum cum Romam ire vellet, Wilfridum itineris ducem sibi fieri rogaverat ; sed re infecta moritur, apud Bedam in lib. IV cap. 5. « Anno 675 » Wilfridus concilio Heorutfordensi, Theodoro præsidente, « per proprios legatarios adfuisse » memoratur ibidem, « Anno 677 orta inter ipsum et Egfridum regem dissensione, pulsus idem antistes a sede sui episcopatus, et duo in locum ejus substituti episcopi, Bosa, qui Deirorum, et Eata, qui Berniciorum provinciam gubernaret, » cap. 42. Interim Wilfridus C post biennium Romam pergit causam dicturus. Confecta re provinciam australium Saxonum convertit ad Christum, ac Selesciense monasterium ædificavit, favente Edilwacho rege : ac Ceadwala itidem conspirante Vectæ insulæ populum Christianis institutis imbuit cap. 16. Anno 687, post mortem Cuthberti Lindisfarnensis episcopi, episcopatum Ecclesiæ « illius anno uno servabat venerabilis antistes Wilfridus, donec eligeretur qui pro Cuthberto antistes ordinari deberet, » cap. 29. « Post longum exsilium, » annorum videlicet amplius decem, « in episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ receptus » est ex lib. V cap. 3. « Anno secundo (*malim* duodecimo) Aldfridi, qui post Egfridum regnavit, » alius ab Alchfrido, id est anno 697, « sedem suam et episcopatum, ipso rege invitante, recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus ab eodem ipso rege et plurimis episcopis, præsulatu pulsus est, veniensque Romam » D anno circa 703, a Joanne papa absolutus repedavit in Galliam. Meldis ad extrema vitæ redactus, inducias annorum quinque a Deo meruit. Postea in concilio Niddensi restitutus principio regni Ofredi Aldfridi filii, id est anno 705, mortuus est anno ejusdem Ofredi regis quarto, « post quadraginta et quinque annos episcopatus, » teste Beda in lib. V cap. 20, et quidem VIII Kal. Maii anni 709 ineuntis. Certe « quindecies ternos episcopus annos egisse » perhibetur in epitaphio suo apud Bedam relato.

# INCIPIT PRÆFATIO

## PRÆFATIO.

Inscius ægregios ægris conatibus actus
Ordior en, mutilum quo fert fiducia sensum.
Ausibus infidis aderit sed calculus ignis,
Forcipe vatidicum solitus purgare labellum.
Cunctipotens opifex, arcani pandulus index,
Spiritus internis animans dulcoribus antra,
Cordis amara mei, ne quid displodat inepti
Lingua tenax justi, quo non fervente serenas
Efficit haud Phœbus tædas aut Cynthia parcas.

Sæcla priora quidem, lubrico phantasmate lusa,
Excoluere suos vano terrore tyrannos.
At postquam summi voluit regnator Olympi,
Virginis intactæ talamos invisere gratis ;
Dissepsit varios eliso principe lurcos,
Perque crucis lignum legis solvit maledictum.
Astriferas ubi glorificus recucurrit ad arces,
Præsens ipse suis jugiter cultoribus almum
Nubibus e summis direxit splendide Flatum.
Isque quater ternos ignita luce clientes
Imbuit et dignis numerum successibus auxit
A Hujus inexhaustæ prædulcia pocula venæ
Sensit Wilfridus fama super ardua notus :
Est votum nobis, si suppetat auctor herilis,
Nomen et elatas cujus depromere palmas.
Huc ades, o formose, Dei per climata testis.
Namque, fatebor enim, tua me pellexit honestas,
Scilicet indulcanda modis odisque canoris :
Cœlo vita micans, terris oratio præstans.
Ergo age deciduas precibus suppleto loquelas,
Affer præsidium, ne sit sub falce ruendum.

# INCIPIT VITA

I. *Wilfridus in Britannia ortus luce indice.*

Tellus æquoreis circum gyratur ab undis,
Multipetax olim scelerum cultrixque deorum,
Anglicus extruso colit hanc anhleta [*an* athleta] [Britanno.
Hujus in occiduis convexi partibus orbis
Naturæ solitum Wilfridus pertulit ortum.
Anxia dum genitrix parit hunc connixa sub umbris,
Flammivomis lampas radiis præsaga futuri
Cœlitus enituit. Vicinia protinus omnis
Præpete concurrit nutanti pectore gressu,
Ignis edax socii subeat ne culmina tecti.
Hærent immoti, nondum miracula Christi
Amplexare cati [*i. e.* docti, cum non stupuere cre- [mari.
Est, aiunt, papæ ! divini numinis omen.
Interea taciti muliebri murmure discunt
Fortunata viri, quoniam nascentis imago
Tali promeruit donari forte sacello.
Hac face lætiferas pepulit puer iste tenebras
Cordibus e multis, gliscens virtutibus almis.

II. *Pie institutus, noverca relicta, palatium petit, dein monasterium sub Cudda.*

Jam quia mellito dulcescit nectare guttur,
Prosequar arguta juvenem modulando cicuta.
Hic membris etenim comto glaucomate firmis,
Æquævos habitu studuit superare venusto,
Nil puerile gerens : facundæ munia linguæ
Aspirante Deo gestis explebat apertis.
At perfecta virum postquam perfecerat ætas,
Natales statuit functa genitrice penates
Linquere et assiduis Domino famuliarier horis.
Quartum post decimum jamjam transegerat an- [num,
Immitis furias malens vitare novercæ,
Cum sociis cessit sueta comitate decoris
Armatus properans juvenis, ceu nobile germen
Nobilium : sed operta fides umbone latebat.
Inde patris dextra pie commendatus avita,
Aulica perspicuis penetravit pergama plantis,
Insignis populi qua tempestate regebat
Dux præclara nimis Æonfled cognomine habenas,
B Hujus magnificis actutum vultibus almus
Offertur multoque dehinc lepore beatur,
Acceptus cunctis fidei pollebat in actis.
Ac tum fortuitu memorandæ Cudda senectæ,
Vir probus ingenio, regum meritoque satelles,
Lubrica cœnosi postponens gaudia sæcli,
Maluit augustæ certamen inire palæstræ,
Normalis sese dedans (291-92) sub regimine (293) [vitæ.
Is juvenem sacro suscepit amore docendum.
Exin tiro Dei fultus fervore fidei,
Ut verus Samuhel servabat jura magistri,
Fratribus æquali cunctis subjectus amore.

III. *Romam peregrinatur: ab Ercomberto detinetur quadriennio.*

C Jam gravis electam purgarat sarcina mentem,
Excoctumque diu solito flagramine pectus
Concipit internas Jesu spirante salebras.
A virtute volens virtutis in alta migrare,
Romuleum statuit concurrere gratis ad altar,
Scilicet ut veteris lustraret busta piacli,
Augmentumque suis quiret conquirere votis
Hæc pia præfato narravit sensa magistro.
Archades hinc ambo voto statuere sub uno,
Culmen apostolicum peteret, creperumque piaret.
Et regina quidem faustum conferre levamen.
Prætaxata volens, regi mandata propinquo
Dirigit ac Domini placidum committit alumnum.
Erchumbertus erat, plebis qui sceptra tenebat.
Hinc sine fraude virum coluit, sine peste refecit.
D Tandem triquadro postquam servaverat anno,
Pluribus emisit sociis fretum duce quodam,
Barbaries Biscop Baducing (294) quem inculta [vocabat.
Prospera flabra virum litus jecere sub aptum.
Gallica rura petit, Lugduni culmina scandit.
Mox juga corripuit, comitum deliquia sensit,
A duce deseritur, Christi tamen ore locatur.

IV. *Lugduni a Dalwino.*

Tibia veriloquo cecinit miracula plectro :
Vis tamen innatæ reticet haud mystica musæ

(291-92) Eadem vox infra cap. 7.

(293) Nempe in monasterio Lindisfarnensi ex Beda in lib. v cap. 20 et aliis Vitæ scriptoribus. Beda tamen in lib. IV cap. 23, viris sub Hilda abbatissa Streaneshalæ institutis adnumerat Wilfridum Eboracensem episcopum, primum an secundum.

(294) Novum nomen Biscopi, quem et Benedictum vocat Beda in Historia monasterii sui et alii, nusquam Baducing.

Pangere magnificas athletæ nobilis odas.
Mœnia præfatæ præsul memorabilis urbis
Christicolamque gregem septis servabat amœnis,
Francorum Dalwinus adeps : qui sicuti furvas
Pallenti lychino depellit rite tenebras.
Postquam fama volans pulsavit præsulis aures,
Accit continuo, præbens solamina justo,
Excipit hospitio, dapibus fovet oreque mulcet.
Præsensit quippe præcordia casta juventæ,
Illustrisque viri faciem perfecte micantem.
Heus, inquit, hospes, mecum sis perpete sospes.
Dum juvat, uberibus pro votis utere glebis,
Farris et excreti communis copia vini.
Si vero consueta placent connubia forte,
Ne differre pares : generosi sanguinis altam
Immensis opibus cognatam trado puellam.
Meque patrem tibimet, temet mihi dedico prolem.
Hæc placidus heros exprompserat ore jocundo.
Tiro dehinc agilis voti non immemor infit :
Ardent excoctis fibrarum omenta (295) laternis,
Abdita conceptis dum detrahor, optime, votis.
Tethys cur tumidas Zephyro minitante salivas
Expetii ? Frustra me sæva salacia pressit,
Cosmica si spreto repetam contagia Christo.
Sedis apostolicæ viso primum cliothetro (296),
Aeria merear si longule vescier aura,
Te, pater, ex animo soboles devota videbo.
His ita compactis, opibus pro velle paratis,
Præsulis auxilio perrexit calle secundo.

V. *Romam tamen peraccedit, ubi a Bonifacio edoctus, papæ donariis honoratus, Lugdunum revertitur.*

Quamvis informi Terpsicore paucula versu
Luserit, ardet amor quo pluscula cara superstes
Expediat, famulumque Dei super æthera tollat.
Namque iteris longos explevit honeste meatus,
Optatamque diu Petri properavit in aulam,
Tripudians pandis callido sub pectore venis.
Præterea Andreæ germana diaulia sancti
Ingressus, dictu mirabile! poplite cosso (*sic*),
Ingentes animos labiis patefecit apertis.
En ego commissis veniam deposco piaclis,
Inquit et excelsi testor per sceptra Tonantis,
Solve meæ precibus molimina tarda loquelæ,
Si quid habes fidei, pie doctor, apostole christi
Hæc mox explicuit, non serius edita sumpsit,
Ingenium fandi capiens pariterque legendi.
Anglicus indicio superest adhuc quoque clerus,
Divinas pangens Latiis sermonibus odas.
Ille vaporatis afflatus haustibus erga
Auctorata volans altaria, liba piarum
Fundere jure precum studio stagebat inormi.
Unde sibi præceptorem lucratus ad unguem,
A Bis didicit bini pia dogmata docte fluenti,
Ritus paschales, varium lunæque recursum.
Ignarasque suis latiatim sane rubricas.
Nomen erat tanto Bonifacius huic pedagogo,
Profuit iste viro nimium, quem glorificandum
Sub sacris papæ venerabilis abdidit alis,
Exponens longos animi ferventis agones.
Quique fidem cernens, dextram prætendit. et ipsum
Liberius lata perfudit blande charita (*sic*).
Fultus sic pretiis sanctorum ex artubus almis.
Reliquis, pernix reduces supra memorati
Convertit gressus cara ad habitacula patris.
Commode cuncta meat, Lugduni celsa subintrat.

VI. *Post annos tres tondetur. Dalphino cæso, Britanniam repetit.*

B
Quid narrem lacrymas alterna fronte profusas ?
Gaudebant ambo, Wilfridus amore paterno,
Nec minus ipse pater dilecto pignore viso :
Quemque prius animo mœrens laxarat amaro,
Permulcet, blandis dans basia casta lacertis.
Nunc singillatim modo miscent læta vicissim.
Sero quidem rediit, verum tria lustra (297) peregit
Hospite cum prisco, discens examine multo,
Abdita multimodæ scrutarier antra sophiæ.
Urit amor juvenem, nec tardat grata cupido,
Occuluit quod tecta pio synthemate virtus
Prodere. Nam crines summo de vertice passos
Pontificis dextra primum titulante recidit,
Optans vivificæ sustollere stigma coronæ.
C Archipater gaudet heredem nactus opimum,
Cui queat eudoxas moriens committere caulas.
Arbiter ast rerum præsciverat hunc aliorsum
Vomere salvifica sulcare novalia Christo.
Francorum tum forte scelus vastissima pestis
Augebat, Balthild reginæ nomine pistrix (298),
Olla velut fervens stygia fuligine tosta
Instabat laceris agios laniare creagris (299).
Non nostrum facinus metro discludere tantum.
Ecclesiæ novem violaverat ense patronos [episcopos]
His licet exceptis, quos non capit ars numeralis.
Horum præfatus sine casu criminis unus,
Dalwinus fuerat verbo, re, speque beatus,
Quem fera multatrix lictoribus impietatis
Addixit sævas mucronis pendere pœnas.
Hi mox arcessunt crudelia jura furentis,
Multivolæ Domini beluæ, quam jura tueri.
Ergo petens diri præfixum scamma duelli,
Accepit socium, quem fecerat ante propinquum.
Rennuit ipse tamen, huic ne foret exitus idem.
Sic Pater æternam sumsit moriendo coronam,
Filius et fortes vixit tolerando labores,
Cum mœrore gravi condivit funera cæsi.
Protinus ipse parans reddi natalibus oris,

(295) *Omentum*, membrana interiora tegens.

(296) Cliothetrum seu cliothedrum, sella plicatilis. Vox male compacta ex κλείω et ἕδρα. Fulcherius Carnutensis in lib. III Historiæ Hierosolymitanæ, cap. 61, *considente autem Bohemundo super liothedrum suum*, etc. Lege Adriani Valesii Notas in librum IV Panegyrici Berengarii Augusti.

(297) Id est tres annorum recursus, ex Beda et Eadmero.

(298) Sic vocant belluam marinam ingentis magnitudinis. Hæc quam immerito Bathildi reginæ piæ et sanctæ aptentur demonstratum et in ipsius Vita.

(299) *Creagra*, harpago

Cæruleum rapidis sulcabat Nerea [mare] remis.
Littero felici patuere salubria cursu.

VII. *Regiam adit. A rege predia accipit et H Ripense monasterium.*

Fasces imperii reges tum forte gemelli,
Alfridus imperitans, una genitor simul Oswiu,
Fœdere consorti servabant scitaque vulgi,
Ardentes animis subdi cœlestibus orgiis [*i.e.* mysteriis].
Nec potuit latebris abdi fax missa nefandis.
Mox proceres inter rumusculus exiit aulæ,
Scillicet adventasse virum virtute vigetum,
Optima clavigeris qui fatur dogmata cœli.
Regalis sane subiit proscenia fundi,
Pax domui tunc, infit, huic, captimque loquelas
Tractat evangelicas, quas indice discere Christo
Promeruit, latæ penetrans gymnasia Romæ,
Quæque sub argutis congesserat optima Gallis.
Attonitus stupidis princeps sermonibus ultro,
Non puduit glauco telluri sternier ostro,
Ore petens agii confestim se benedici.
Explevit, Cum rege manens, sat multa benigno
Obtinuit merito pecuaria, prædia, census,
Atque monasterium (300) vulgari nomine HRipis.
Qui non æratus instabat condere gazas,
Dapsilis ast cunctis, dedans hermenia (300*) vitæ,
Pauperibus largas præbebat sedulus escas,
Exemplo pendens cogitet quid spiritus ardens.

VIII. *Ab Ægilberto Gallo episcopo presbyter ordinatur.*

Materiem fandi dabit amodo gratia tanti.
Interea Boreæ præsul defertur ab oris.
Ægilbertus erat, doctrinæ robore mactus,
Astabat ducibus, suadens quæ mandat Jesus.
Is mox Wilfridi vitam meritumque notavit
Præcipuum, Sermone ducis sententia fertur,
Utile personam gradibus donando beari
Divinis, quam non hebetet censura palustris.
Allegat præsul facilis ; verum ille juventæ
Excursus trepidat, ne forsan mobilis ætas
Præcipitem pravæ retrahat per competa sectæ.
Tandem colla jugo subdens delecta petito,
Ordinis aptatur cælebs in honore secundi [*i. e.* sacerdotii].
Tum magis atque magis fructu meliore gravescens
Sufficiebat ovans cunctis documenta salutis.

IX. *Schismate exhorto de Paschate, Wilfridus Scotos revincit.*

Orta dehinc pestis(301)geminum discludit in orbem
Unicolam veræ fidei sat morbide plebem.
Dumque tremunt bifido corruptæ schismate partes.
Eoo coiere simul, gelida sed et Arcto,
A Scottica plebs, et Picta cohors, vulgusque Britannum
Hinc regale decus, ephœborumque manipli,
Turba senum, præsul violento deditus Euro.
Stant acies dubio certatim fine retentæ,
Publica declivæ fiunt divortia lunæ.

Inde loquas positæ Colmanus episcopus umbræ,
Dat præcepta prior subito lapsura fragore.
Nos seriem patriam, non frivola sripta tenemus,
Discipulo Eusebi Polycapo dante Joannis.
Ille etenim bis septenæ sub tempore phœbæ,
Sanctum præfixit nobis fore Pascha colendum ;
Atque nefas dixit, si quis contraria sentit.
Docte quidem morem narrans depromsit avitum,
Utpote præteritæ recolens choragia zoæ [vitæ].
Sed non æquatis appendit lancibus æqui
B Testamenta Dei, veris æquata chylindris.
Condoluere Patres, cæco quia numine fratres
Nituutur validis tabularia menda tueri,
Obicibus faciles nec cedunt posse refelli.

Heroum jussu clivosi tramitis atque
Anfractus lubricæ prudenter devia sectæ
Wilfridus legitur spermologus arte sagaci
Pellere, nota peregrinæ cui faminæ glossæ.
Hinc dubios inter cuneos orator adorsus :
Ter centum memini ter senos atque gerontas,
Limpida collectim Nicææ exempla tulisse.
Quæ si perspiciant, mox eluctabitur omnis
Desidiæ scabies, torvis illata chelydris.
Metarunt etenim ter seni themata cycli
In sese refluos juncto monade recursus.
C Hic tenet : ignorat sed hunc gens indiga veri,
Cæcutiens lippis quid differt discere ocellis.

Dixerat, effertur legionum valde favore.
Addit præterea plano sermone profatus :
Hæc immota manent cunctus oracula soles.
Stirps quæcumque volet fixos obvertere fines,
Tartara flammiferis sudibus sub acerba rotetur.
Quo dicto siluit Princeps, canique sequaces
Frigida convulsis vexabant pectora pugnis.
Solvitur in tenerum confestim concio luctum.

Dulcia post medicum rex mitis protulit ora :
Concedet eniti pœnis Acherontis adusti,
Exemptas justis mentes miscere suadelis,
Dicite, quæso, Patres [*f.* fidei] fervore calentes,
D Numquid olympiaca Petro quis major in aula ?
Quem nos et prisci dudum legere tyranni.
An Columchilla (302) quo plebs infausta superbit ?
Synodus elata respondit voce beata :
Petrus ab altithrono donatus desmate (303) Jesu,
Difficit ignavæ torquentia lora senectæ,

(300) Non monasterium, sed monasterii locum, quem Alchfridus paulo ante *eis qui Scotos sequebantur, in possessionem monasterii dederat*, teste Beda in lib. III cap. 25. Eo in loco postea Wilfridus cœnobium ædificavit. Unde ipse in epistola ad Joannem papam apud Willelmum : *Ego monasteria duo in ea provincia posita, Ripis et Hagustaldeiæ, quæ fundavi, non amittam.* Loci regimen ad mortem usque retinuit Wilfridus, quo mortuo Tatbertus abbas ab eo designatus monasterium rexit, ex monastico Anglicano. Nunc *Rippon* nomen hæret oppido supra Eboracum, inter Utum et Sketf fluviolum locato.

(300*) *Id est* expositiones.

(301) Hanc de Paschate controversiam late refert Beda in lib. III, cap. 25

(302) Sic fere Columbam abbatem et conditorem Hiiensis monasterii appellabant, testante Beda in Historiæ lib. v caput 10 his verbis : *Qui videlicet Columba nunc a nonnulis composito a cella et Columba nomine Columcelli vocatur.* Acta ejus exstant in Sæculo II Benedict.

(303) Id est potestate ligandi et solvendi.

Suscipit elisiis justum spiramina zetis [mansionibus],
Utpote cœlestes retinens pro munere claves.
Hunc, inquit, plebes, hunc amplexemur et omnes,
Ne non vitalis pandatur regia templi.
Rex ait, et victi cesserunt improbe Picti,
Colmanusque suas inglorius abjicit arces,
Malens Ausonias victus dissolvere leges.

### X. *Eboraci designatur episcopus. In Gallia vult ordinari.*

Auxit rorigeri per quem micat astrea cœli
Victoris specimen, quem jam transvexerat Alpem.
Nam postquam dicto sedes viduata patrono ;
Consulto Regis, necnon hortamine plebis,
Lactea suspensis qui præbeat ubera mandris,
Wilfridum patria creverunt voce legendum,
Lilia suppressis et norit comere lappis.
Territus ipse quidem viridis pro tempore succi,
Mille movens animo balearica tela nefandi
Hostis, et ignotas ægrotis sensibus auras.
Sed ne blasphemæ ruat in prærupta catervæ,
Aut vitet sceleris madidas lustrare lacunas ;
Suscepit humilis quid fors jubet imperialis.
Ergo manet solitus succincto sudor alumno,
Emicuit quamvis genialis flamine vertex.
Convenere dies graduum, quibus ardua moles
Excipienda viro. Tunc fatur regibus ultro :
Inconcussa, duces, vestri sententia, quæso,
Si fortunatis agitat mea dogmata fatis,
Primum præteriti fas est meminisse laboris.
Nam superest recidiva lues dum lisque veterna,
Monstris haud patiar maculatis colla (304) beari.
Gallica non paucis pavit me glarea aristis [annis],
Hesperiumque decus laribus servatur in illis.
Illa commissi properans sandalia juris
Accipiam, pontus ni forte repagula nostris
Classibus opponat, valido turbone coactus.
Indulgent proceres, magnates, necne calones.

### XI. *Fretum trajicit. Consecratur.*

Mox rebus gestis ornatur regia classis,
Cœlicolæ socias læta exceptura phalanges.
Navita felicis defixit stigmata clavi.
Multiplices nectens malo trutinente rudentes.
Solvitur, et laxis fastigia spumea verrunt.
Ocius antemnis pelagi, nec inepta capessunt
Littora, gratanti subeunt et pectore portum.
Interea placide patuit legatio nautæ.
Pontifices coeunt alacres, ut nota voluntas
In conventiculis adsumitur immaculatis,
Pertonuitque tubis ædes pretiosa beatis.
Stat duodena cohors multis stipata columnis,
Exsultant jubilo miscentes organa sistro,
Mystica veriloquo traduntur et arma ministro.
Occiput effuso gratis pinguescit olivo,
A Candiduli primum retinent ornacula lini,
Auriflüæ rutilant serrano murice zonæ,
Comuntur roseo candentia podere colla,
Gemmata vehitur archontum more curuli,
Induit ormiscum (305) subiit hoc schemate templum.
Postquam signa tulit multo radiata metallo,
Astitit, eucharis [eucharistia] libamina consecrat [aris,
Omnibus expletis remeat, navemque subintrat.

### XII. *Rediens tempestate jactatur. A prædonibus impetitur. Victor portum attingit.*

Sed quia felices tentatio comprobat omnes
Indivisa comes ; dum tensis alta pererrant
Marmora (306) Psalmigraphi recolentes orgia velis
Ecce repentinis pontus fundotenus undis
B Infremuit, casus agitans artemo minaces
Longe sub ignotis minitat labentia ripis
Agmina dira pati vicinæ impendia mortis.
Incumbunt remis, vexatur languida puppis.
Cruribus ipse Pater navalia procubus arma
Confirmat positis, intentans lumina cœlis.
Ecce sub infausti contraria littora portus (307)
Gens effera suis casum spectabat in armis,
Prædari fragilem captiva plebe carinam.
Quos Pater intuitus, humili sermone precatus :
Naufragium servatis, ait, sed sponte mearum
Grandia contribuam, resipiscite, munera rerum.
Nos equidem gravis afflictat violentia ponti :
Sed velox aderit, fateor, miseratio Christi.
Stans volucres augur solitus servare sinistras,
C Despumat tumidis oracula sæva labellis :
Eumenides furias vocitat sub murmure Parcas,
Manibus infernis ut fortis mandat Erinis [Erinnys]
Expedit admisso plebs cara cruore litari.
Hoc ait, et properans bellum ferale perurget.
Præsul item sanctas tendens ad sidera palmas,
Invocat auxilium divinitus adfore magnum.
Hæc inter tereti juvenis scutale lapillo
Ornat, et infandi torquens per inania vatis,
Figens sincipiti trajecit in antra cerebri.
Corruit utque vafer, clamoribus æstuat æther
Cara dehinc recolit pastor miracula David :
Incubat ipse magis, avertitur impia pestis.
Conclamant acies truculento marte ruentes,
Vocibus infestis concursant agmina regis.
D Quid plura ? quoties crudelia bella lacessunt,
Excipiunt ictus Jesu vigilante cruentos.
Unde quater victi remeant, victorque sereno
Evehitur pelago, frustratus remige quino,
Optatumque tenent repetito limite portum.

### XIII. *Ceadda Eboraci substituto, in H Ripense monasterium secedit. A Volfario rege Merciorum expetitur. Cantiæ ministros ordinat, monasteria construit.*

Hi quoque quos pridem regalis concio victos

(304) Caput sacrari.
(305) Calceos episcopales an monile? nam ὅρμος corrigiam calceamentorum et monile significat. De calceis superiori in capite dixerat Wilfridus, velle se *commissi juris sandalia accipere in Gallia.* Nihil vero sandaliis hoc loco respondet præter *ormiscum*, an *hormiscum*.
(306) Mare.
(307) Nulla hujusce tempestatis conflictusve mentio apud Bedam.

Expulerat, fraude tantum potuere mereri.
Gallica detentus ponto dum rura vagatus,
Temperiem lente speraret adesse jocundam,
Mutavit malefida locum defectio regis.
Constituunt etenim perverso canone Coeddam,
Moribus acclinem, doctrinæ robore fortem,
Præsulis eximii servare cubilia : sicque
Audacter vivo sponsam rapuere marito.
Obvia turba Patri luctu quatiente revelat,
Divertitque humilis sub nota mapalia HRipis.
Usque adeon, potuit quisquam nescire moveri?
Non hunc subreptæ tanto discrimine sedes,
Non illum sumti multo luctamine fasces,
Aut labor, aut tumidi conterruit ira profundi :
Spe meliore manet latebris contectus in illis.
Sæpe licet proprias videtur pascere ovillas,
Nulla datur requies, vicino urgente colono.
Quæritur a ducibus, quorum Wlfarius unus,
Nobilibus pollens per Mercica regna triumphis ;
Vix potuit fato pastorem efferre locello.
Qui postquam meruit tanto doctore potiri,
Affectu coluit, terris et honore ditavit.
Ekbertus vero, quem Cantia rura timebant,
Dum pastore caret, flexo rogitamine poscit,
Ordinet ut sacros decreto more ministros.
His ita digestis, natales prospere fines
Asseculis fultus repetit fastu sine multis.
Plures instituit normali tramite cellas.
Vitam privato servare monebat asylo.
Se quoque continuis ter ducti solibus anni
Accinxit solitis fidei pugnacibus armis :
Nec cessit diri spolians capitolia furis.

XIV. *A Theodoro sedi restituitur.*

Emensis igitur prædicti temporis annis,
Mittitur Ausoniis pastorum præsul ab oris
Cultor justitiæ Theodorus ac pietatis.
Comperit ut justum collata sede revulsum,
In commune dolet violatæ fœdera legis.
Mox foribus raptis Cœddam dimovit, et apte
Præfecit se li longum pastore vacanti,
Wilfridumque suis redimivit protinus aulis.
Sic patiens meruit collato jure pacisci.

XV. *Temptum resarcit. H Ripensem basilicam sacrat.*

Redditus ergo suis, instabat promtius illis.
Ecclesiæ vero fundamina cassa vetustæ,
Culmina dissuto violabant trabe palumbes.
Humida contrito stillabant assere tecta :
Livida nudato suggrundia pariete passa
Imbricibus nullis : pluviæ quacunque vagantur.
Pendula discissis fluitant laquearia tignis,
A Fornice marcebant cataractæ dilapidato.
His ita contuitis, exhorruit ilicet alti
Viribus ingenii reparare peribula templi.
Incumbunt fessi vasto sudore latomi,
Nec minus approperant opicizi (*sic*) emblemata pro- [ni
Arcus incultos hyalino [vitreo] claudere velo.
Pondus et informes atlantes [columnas] ferre prio- [res
Jussit et expletum : lymphis perfunditur absis,
Albanturque suis lustrata altaria peplis.
Exin glorifico persolvit munia Christo.
Crescit summa viri, crescit delectio sancti,
Virtutum genitrix almorum florida nutrix.
Non igitur cœptum dissolvit dexia [*i. e.* prosperi- [tas] votum,
Pieria (308) neve tulit. Seu dissologia [discordia]
B [rupit,
Theosopho spirans animo cognata synergus
Oppida diffuso HRipis amplificare colurno (309).
Illic planata decusatim vomere terra,
Symmetriis perpendiculo perfecte libratis,
Ecclesiam statuit, talanum Christoque dicavit,
Tandem post paucas ornatis rebus imeras (310).
Convenere duces (311), necnon basileia pubes,
Tristatæ (312) comites, vulgi promiscua strages,
Ecclesiæ proceres ædem pro more beantes,
Ornarunt altare Petri sub honore canori.
Stans in cancellis dat cunctis sperma salutis,
Regibus edixit, repetitaque rura recepit,
Verbo necne cibo triduo turbam satiavit.
Optima quæque dedit libens exenia miris
C Deflorata modis, capsacibus atque gemellis (gem- [mulis)
Codex aurato conseptus grammate scriptus,
Auctus (*sic*) evangelicum servans in corpore textum.
Cumque benignivolo persolveret omnia corde,
Inflatur nullo Jesu moderamine typho.
Quapropter merita donatus digne chorea
Floruit, ut quondam Moysi sub tempore lampas,
Pandens æternæ callem patriamque quietis,
Atque domos sibimet superæ religionis amicas.

XVI. *Baptizatos confirmat. Puerum mortuum suscitat, eumque baptizat et Deo sacrat.*

Quid ? loquar an sileam ? verbi da, Christe, lu- [cernam.
Exiguum dixi, liceat jam rumpere longas
D Inscitia cogente moras, ne lingua pudorem
Præsumtrix tulerit. Neque enim modo sufficit ulla
Virtutum pelagus percurrere rite tuarum,
Quas meruere tui per te complere coloni.
Et numero quorum Wilfridus marchio summus,
Nobiliter superæ ducens per pascua vitæ
Pastor alebat oves : ut propulit eminus hostes,

(308) Amaritudo, id est adversitas.

(309) Auctor Bucolicorum Quirinalium in prologo memorat *vasa colurna*, in tomo I antiq. Lect. Canisii.

(310) ἡμέρας, *dies*.

(311) Petrus Blesensis : « Construxit ecclesiam in Ripis ad honorem Petri. Magnates qui aderant in consecratione, terras plurimas in dotem ecclesiæ contulerunt, scilicet Rible et Hansmumdesham, etc. in regione Duninga. »

(312) Ita infra cap. 47, *tristatæ*, id est proceres venationi regiæ præpositi, uti colligimus ex Ethelredo abbate Rievallensi in libro de Genealogia regum Anglorum, cap. ultimo, his verbis : « In quo rex cum cæteris superior constitisset, secundum legem venandi, quam vulgus *tristam* vocat, singulis proceribus cum suis canibus singula loca delegat, ut obsessa undique bestia ubicunque eligeret exitum, inveniret exitium. »

Monstrabat liquidis salvandos tingere lymphis
In Patris et Nati necnon et Flaminis almi
Nomine, chrismales adhibens Pater ipse fluores.
Quem populi pulcra medium cinxere corona.
Ecce per offusas denso tamen agmine turmas
Plena metu mulier, defunctæ funera prolis,
Sandapilam fugiens, fessis ostenta in ulnis.
Stat turbis immitas fides, terrorque gementem
Afflictant tacitis circum præcordia flagris.
Tum Pater accessit, mox pallida conspicit ora.
Obstipuit (313), hæsitque loco temeraria latrix,
Pronio incubuit, luctum singultibus auxit.
O Pater, elatam noli deponere dextram.
Orbatam nato matrem cur despicis uno ?
En qui confirmas Christum fore [esse] cunctipo-[tentem,
Imple fidem gestis, miseræ da pignus alumnæ.
Ingeminat querulas instanti murmure voces.
Concio concurrit gemitu collecta misellæ.
Fit plangor grandis. Tandem compassus herilis
Præsul, agit tacitas sancto sub pectore grates,
Perfida quod novit Jesum rogitare caterva.
Moxque solo fixus claros in corde meatus
Tunc reserat, faciem lacrymis et corcula palmis
Afficit, Adonaique pio clamore citavit.
Consurgens autem præsentis adesse salutem.
Timpora (313) cumque manu palpasset frigida ; [functus
Cæsariem movit, vitali redditus aura.
Vulgus inexpletas confusis vocibus odas,
Hæc ubi sunt patrata, dedit : puer illico sacris
Baptizatur aquis, miseræ dans gaudia matri.
Protinus acceptum secum portavit alendum.
Jussa patri post septenos ut redderet annos.
Ast cogente fero contemsit dicta marito,
Exsul ad externos fugiens cum prole Britannos.
Nec multum latuit. Posthæc non sponte reduxit
Præfectus puerum quidam Patris in dominatum,
Exin divinis illum famulatibus addit.
Pluribus exemplo puer isdem profuit almo.
Tunc fax emicuit, quæ inter crepitacula fulsit.

XVII. *Angliæ felix status. Egfridus res Nortanhumbrorum Pictos rebelles perdomat Wilfridi meritis.*

Anglum tum germina fulgebat lampade regnum.
Pontifices regis consulto digna gerebant,
Rex quoque præsulibus latria servibat honora.
Summa quies plebi legalia jura tenenti.
Frugiferis gravida gaudebant horrea glebis,
Epibatæ [nautæ] faciles ausu sprevere latrones.
Classica dira silent, nec formidatur egestas :
A Promicat Ecclesia pacato fœdere nexa.
Lætifer (315) invidit, conamina mille reclusit,
Rumperet ut sanctam perverso schismate pacem.
Aggeribus crassis nisa est gens Picta rebellis,
Anglorum solitas jam tunc non ferre catenas,
Egfridus imperii largas retinebat habenas.
Conjunx alma viro Edildrid, famosa virago,
Addita conjugio vixit castissima virgo.
Princeps ergo leves animo flammante cohortes
Admovet, indomitoque reos mucrone trucidat.
Exclusere duos cæsis ex hostibus amnes,
Manubiis fratri regis venere manipli,
Dant stragem late, redeunt in colla catenæ :
Perfruitur magno rex victor longe triumpho.
Non armis etenim raro cum milite vicit :
B Sed virtute Dei, meritis et præsulis almi,
Obtinuit gentes vacuo turgore minaces.

XVIII. *Mercii quoque perdomantur.*

Nec minus innumeras, dum Mercica regna tume-[rent,
Cuspide confossas stravit rex iste catervas.
Quorum dux cessit fugiens, ævoque sequenti
Addidit Arctois borealia sceptra triumphis,
Fultus magnifico Wilfridi plane rogatu.

XIX. *Wilfridus pie vivit.*

Virtus ergo viri nullo sudore remitti,
Neve supercilio subrectis nisibus extra
Justitiæ verum diduci quibat œstrum [stimulum].
Sane per ignotas instanter mente pererrans,
Divinæ gentes sationis tempore passim
C Dilatans, exercitium non segne gerebat.
Excubiis pernox gaudens instare secretis.
Corpus perspicuis castum purgat in undis.
Ingeniti fervore laris ne torreat ustum.
Non ardor Phœbi, non algida tempora brumæ
Dulcia conceptæ rupere volumina curæ :
Donec apostolicis jamjam defecta senectus
Præceptis tanto meruit squalore resolvi.
Nec solus poti scyphum consumere rivi
Fas fore decrevit : jejunia læta luebat,
Subjectosque viam præcurrens duxit in artam.
Conflua tuba ducum soboles conferre sub ipsum
Gaudebat, mirata piam morum probitatem,
Seu servire Deo, seu nosse palatia justo.
Hæc quoque falsiloquis præbebant jura linguis,
Ast athleta Dei contectus vellere pacis,
Obsequium mitis odiis suffibat acerbis.

XX. *S. Andreæ basilicam condit. Elisum sospitat redintegrat*

Præterea templum (316) cæsis instaurat arenis,

(313) Sic infra cap. 47, *obstipuere*, quasi stipitis instar rigescere.

(314) Sic antiqui amant scribere *timpora*, cum adhærentes fronti partes significant, forsan ut distinguant a plurali vocis *tempus*. Puer iste vocatus est Ethelwaldus, et Willelmo, qui hoc factum in villa Tiddanefræ contigisse ait, et puerum in Ripensi cœnobio monachum postea vixisse.

(315) Diabolus. Sic passim mss. codices præferunt *lætum*, per *æ* diphthongum, ubi mortem significat, aliqui cum *e* simplici absque diphthongo.

(316) Nempe *in Haugustaldensi oppido*, teste Eadmero, quem locum Willelmus *Henglesteldem* appellat. *Undalum* Beda in lib. v cap. 20, et Lelandi collectanea in Monastico Anglicano, a provinciæ nomine. Ethildrita locum concessisse dicitur ubidem. *Haugustaldehem*, inquit Willelmus in fine capitis de episcopis Eboracensibus, *locus quinquaginta ab Eboraco miliaribus disparatus* ; et infra : *Nunc est Haugustaldem villa archiepiscopi Eboracensis*, quæ tamen quondam sedes espiscopalis fuerat. Huc spectat Alcuini epistola 32 *Ædilberto episcopo et omni congregationi in ecclesia sancti Andreæ Deo servientium*. Lege librum de Miraculis sanctorum Hangustaldensium.

Circumdans cæcis sinuato fornice cryptis,
Lenibus obductas pingens flavoribus aulas.
Mox recolit tardæ collata juvamina linguæ,
Andreæque pii vocitatem contulit aræ.
Invidia mortiferi non defuit aura chelydri.
Trullissant etenim muri dum futilis alta,
Corruit in præceps colliso corpore frater.
Cruscula gressuros non norunt solvere tractus,
Elisisque tori [colli] marcescunt horride fibris.
Ultima cum timidæ traheret suspiria vitæ,
Concurrunt tristes ad hæc funebria plebes.
Præscia mens Patris statim cognovit in antris.
Extimplo lacrymis puro de pectore fusis,
Hortatur reliquos Dominum obsecrare dolentes,
Ut reparet læsam pastor supremus ovillam.
Adfuit, et properam sumserunt membra salutem,
Erubuit lætum vitam mediante repulsum,
Quapropter magni laudarunt munera Christi.

XXI. *Ermemburge reginæ impulsu Egifridus rex, Theodori consensu, Wilfridis diœcesim in tres partitur. Romam appellat Wilfridus. Insectantium pœnas prædicit.*

Dæmonis ira fremens tantam vult subdole gnosin
Fallere, delecto quo primum milite cæso
Invalidi fragiles perterreat agminis hastas.
Plurima maturans antiqua recurrit ad arma,
Corrupitque levem regis morbose jugalem (317).
Hæc virosa malæ jaciens tum tela pharetræ,
Corcula strophoso violavit vulnere regis,
Rancidulis infesta modis, ceu garrula perdix,
Culpabat justum collatis rebus abuti,
Gloria namque viro totis a partibus orbis,
Agricolæ plures, fecundæ gramina terræ,
Procurvi proceres, juvenum fetura locuples,
Insuper æthereæ monachorum concio vitæ.
Postquam pestiferum penetravit corda venenum,
Adscivere suis deceptum prone loquelis
Veri doctorem, justi quoque pene sequacem
Theodorum, supra cecinit quem rustica musa.
Annuit ipse quidem regalibus improbe cœptis,
Substituens ternos sub nomine præsulis intra
Contiguos Patri fines illo usque monarchas (epis-[copos).
Audiit Eutyches (318) quid rex sibi contrahat, imas
Percontare volens nævo sine criminis iras,
Alta petit lento triclinia opipare gressu.

A Ecce faces tanti stimulatoresque pericli
Obriguere metu, commentaturque maligna.
Cur lædo, Pater, inquit, ab his, quos nulla fatigat
Nostrarum, fateor, impune molestia legum?
Nos, aiunt, facinus quamvis cogente senatu
Ponimus, haud quodquam nefas decreta refelli.
Sic testes scelerum firi [fieri] potuere suorun.
Antistes vero nollens desistere cœpto,
Quidquid ei pravum speudo-theosebia (319) nectit,
Romuleo sanxit voto fore discutiendum.
Intuitus quosdam fœdo insultare cachinno:
O utinam lætos pueri feliciter annos
Ducatis! sed gaudia sors infesta resolvet.
Nec prius in refluos venient hæc tempora soles,
Immatura nimis quam tristia fata luatis.
B Hæc ait, et sobrio compressit verba palato.
Alfwine (320) post jugulum populi luxere profatum,
Inferias cæso dantes mœrendo Clitoni (321)
Cujus post tumulum fratris victoria fluxit.

XXII. *Mare transmisso ad Fresones deportatus verbum Dei prædicat.*

His ita compertis rediit, lætoque negatas
Corde revisit oves, arentia pectora blandis
Paulatim reparat solamina dando loquelis.
Interea pernix obliquo littore celox [scapha]
Solvitur, æquoreos pertentatura meatus.
Quam circum monachi, dextra lævaque relicti,
Fausta patri pariter lacrymosis questibus orant.
Tunc inimica seges igni tradenda perenni,
C Non contenta suæ virus fudisse kakiæ [malitiæ,]
Legatos regi Francorum dirigit, atque
Œconomum Domini prædati impune petivit.
Sed superi pietate ducis conamina falsa
Macario nullas quibant inferre ruinas.
Lætiferas vero scrobibus versute latentes
Decipulas sensit Wilfridus præsul, eisdem
Perditus insidiis, tantum monogrammate (322) lu-[sus.
Præterea flabris aliorsum prospere versis,
Freisonum lætis portum percepit in oris.
Gentiles stupuere nimis, sed summa mekotes (*sic*)
Regem cum ducibus placatos reddidit omnes.
Categorans [prædicans] ergo divinum sperma po-[pello,
Aperuit dulces in falsis rupibus amnes,
D Tum pecudum fectura habilis, tum semen in arvis
Crevit, et exsultant sollemniter opiliones.

(317) Nempe Ermemburgam, quam superduxit Egfridus dimissa Ethildrita, quæ servata publicitia in monasterium Eliense secesserat auctore Wilfrido, qui ei virginitatis studium inspiraverat, ex Beda in lib. IV cap. 19, et rex libro De Vita S. Ethildritæ Camdenus in descriptione agri Eboracensis observat in templo HRipensi avorum memoria celeberrimam Wilfridiacum fuisse, id est angustum in cryptoporticu foramen, quo mulierum pudicitia explorabatur. Quæ enim castæ erant, facile transibant: quæ dubia fama, nescio quo miraculo constrictæ detinebantur. Ita ille.

(318) ἐυτυχής, *felix*, Wilfridus scilicet.

(319) Falsa religio.

(320) Is erat frater Egfridi regis, cæsus ab Ethilredo rege Merciorum, Elwinus dictus apud Bedam in lib. IV cap. 21.

(321) Angli regium adolescentem regni futurum hæredem, quem nos Galli Delphinum appellamus, *Clitonem* vacant, quasi *inclytum*. Lege Spelmanni Glossarium et Guilielmi Somneri in historicos Anglicanos. Elfwinum Egfridi fratrem hoc loco intellige ex dictis.

(322) Nimirum unica littera differunt Wilfridus et Winfridus, Willelmus: « Ethelredus triumpho functus, integritate regni recepta, Winfridum episcopum, qui Ceddæ apud Licefeld successerat, quod Egfridi partium fuerat, expulit. Is Gallico littori forte appulsus, in Theodoricum regem et Ebromum ducem Francorum incidit. » etc. Nulla hujus rei mentio apud Bedam.

Post modicum multis tribuit baptisma salutis,
Et fundavit eas Wilbrordus (323) quas habet arces,
Æquiparans tantum fidei fervore magistrum.

XXIII. *Frisonum regem in Wilfridum accendere nititur Ebroinus.*

Nec tutela ducem, quem multæ copia gazæ
Francorum rupit, furiis accendit acerbis.
Syngraphidem sculpsit, munus venale notavit,
Quiret Adalgisum collatis subdole regem
Implanare opibus Efruinus [Ebroinus] philocompos
Legati properant, paraphrastica jussa revelant. (324)
Rex vero phronymus scindens ferale volumen,
Aspernatus eos, flammis projecit in altis.
Imprecor æterno pereat sic caumate, quisquis
Compactæ quærit fidei dissolvere nodos,
Infit: et infestos jussit remeare sodales.
Haud dubium quin lustratus fulgore superno,
Ad cunas agii quondam qui luxit ab alto.

XXIV. *Apostrophe ad reginam.*

Imprudens mulier, justum furialibus armis.
Cur stimulas? sat erat patria expunxisse beatum.
Quid mare sollicitas? quid casses abde charybdi?
Num tibi quatripatens obedit machina ruris?
Tene jubente poli rutilabit dextimus axis?
Siste, capesse fidem, dynami (325) capieris eadem,
Ocius amisso mutaberis ipsa marito,
Grassatrix scelerum fies inimica luporum,
Christi candidulos pasces modo mitior agnos.
Quem nunc persequeris, posthac devota sequeris,
Multa dehinc populis adhibens monimenta salutis.
Ista per ecstasin scapello lusimus unco.
Cœpta libet solito nunc insanire cothurno.

XXV. *Wilfridus ad Dagobertum se recipit.*

Ver gelidos tepidis jam solverat æstibus Alpes,
Viribus adsumtis cum præsul lætus ab illis
Gallica rura petens exivit finibus, atque
Nota subit fidens Dagoberti (326) mœnia regis.
Is equidem merito, venturus ut adseret ordo,
Publica suscepto præbebat læta patrono.
Perditus, ut nostis, inquit, popularibus alis.
Excepi mœstas tenero olim somate erumnas.
Adscendi tremulum non multo remige lembum,
Pulsus ad ignavos adulescens exsul Hibernos.
En vobis, cujus merui tutamine reddi;
Per me, perque tuam, miles delecte, salutem,
Si qua fides animo, tantum servemus amicum.

A Exsultant proceres: neque enim leve principis extra
Præcipuum fas est subjectos velle meare.
Obtulit egregias immenso oromate sedes,
Ire catillatum nec vult rex ultra beatum
Friguttire, petit vetitas alacrior arces.
Magnanimus vero votis regalibus heros.
Non cessit: verum rebus sociisque levatus,
Quin etiam sumto Deodato (327) præsule pergit.
Rursus ab objecto properans sibi rege paratum
Vadit ad hospitium. Bertherus (328) namque pa- [tentes
Imperitans terras multo terrore regebat
Ipse pio solans justum suscepit amore.
Post epulas et post grati carchesia bacchi,
Rex cœpit narrare Patri, qui livida civis
Viderit orsa mali sese violare volentis.
B Ast ego præteriti memor, inquit, sancte, pericli,
Ut quondam tellure mea privatus, amaras
Externo sub rege degens sensi cicatrices.
Fœdere sed multo quamvis servatus ab humo,
Evasi sævos discedens liber amicos.
Me quoque muneribus voluerunt fallere latis.
Quod te deciperent glauci lacerando Britanni.
Quod si me fidei gentilis amore tenacis
Vendere despexit, te nec minus ipse fovebo.
Claxendix tonuit, comites rex promutulus anxit.
Sic Romana petunt pernicibus atria plantis.

XXVI. *Ipso præsente Romæ synodus convocatur, in qua restituitur Wilfridus.*

Cursores sed jam præmiserat archipolites
C Theodorus. Tum Wilfridi pia fama beati
Ausonias notis penetravit nutibus aulas.
Euge ciunt cives certatim protinus omnes.
Exterit abiegnas Petri dignissime valvas.
Agatho apostolicas decorabat præsul habenas,
Justitia simplex, æqui non marcidus auspex.
Edictum posuit, patrium syntagma gregavit,
Atque quater duodena Patrum, nectente diade (329)
Agmina conduxit, communi famine dixit:
Cultus et Ecclesiæ fucatur sanctio priscæ,
Ni coquat emersas calor ecclesiasticus herbas.
Anglica comperimus vexari pessime regna,
Dum præter fixos fiunt discidia fines.
Arguto fratres fratrum discremine clades.
Pendite ne rudibus pereant, antiqua bilibris.
D Primores Itali trutina pietatis adulti,
Talia doctiloquo retulerunt fata magistro.
Incipe, pastor, habes veterum decreta virorum.

(323) De Mora Wilfridi cum Willibrordo mentionem facit Beda in lib. III cap. 13.

(324) *Amator jactantiæ*, φιλόκομπος. Eadem voce utitur Ratherius in Apologetico, tomo II Spicilegii. et in Vita S. Walpurgis *philocompica nota*. Ebroinus nove hic vocatur *Efruinus*, *Ebremerdus* etiam dictus in Vita S. Leodegarii auctore anonymo.

(325) δυνάμει, *virtute*.

(326) Hic Dagobertus secundus, Sigiberti regis filius, Dagoberti senioris nepos: cujus restitutio in regnum obscura, immo multo tempore ignota, nuper asserta est testimonio in primis Willelmi Malmesburiensis monachi, cui iste auctor præivit. Dagoberti non meminit Beda.

(327) Henschenius in lib. II de tribus Dagobertis cap. 4, Deodatum hunc eum esse putat qui ex episcopo Nivernensi factus est monachus Vallis-Galilææ. Ego vero potius crediderim esse Deodatum Tullensem episcopum, qui cum Wilfrido Romam profectus, concilio Romano sub Agathone papa interfuit, cui et subscripsisse invenitur apud Spelmanum in tomo I Conc.; aliis *Adeodatus* appellatus.

(328) Eadmerus vocat Bertherum *Companiæ ducem*, Willelmus *Bertharium ducem Provinciæ*. An his qui gener Warattonis, et post eum major domus Theodorici regis in continuatione Fredegarii cap. 99.

(329) Centum viginti quinque.

Nunc illos admitte, placet, quos multa fatigant
Instigante fide spatiosæ incommoda terræ.
Decernes sermone pio, quid subditus ordo,
Et quid quæque colant, seu quid vitare jubentur
Ecclesiæ, scelus hoc pacto vacuabitur omne
Allusit : statimque sacras Wilfridus in ædes
Cogitur ipse suas jussus narrare querelas.
Obtulit expressum Patribus diploma legendum,
Ut patriæ curas ovium ceu lucra piarum
Sedulus obsequio tractaverit, utque dicatas
Invidia cogente fores suspenderit, atque
Eheu pontificum fraudes qui more procorum
Ornatam proprio sponsam invasere patrono.
Non ego criminibus quemquam depravo peractis.
Præstolor Hesperia qui judicer, inquit, ab aula,
Omnia versifico longum exanthlare relatu.
Alternæ perhibent sincera oracula partes
Expromisisse virum : prorsus hunc esse legendum,
Cujus apostolico solidandæ robore vires,
Hoc virus ne serpat, et incautes malesano
Inficiat succo, dum Justum pessimat atrox.
Annuit, et scriptis legalibus archierarchus [papa]
Theodoro regique jubet sancita notari.
Ni pietate pari conservent jussa magistri,
Judicio Domini cunctos anathemate plecti,
Quærentes animam sine re (330) damnare beati.

XXVII. *Dagoberto bello impetito et cæso Wilfridus ob ipsum servatum convicio appetitur.*

His ita fundatis, ne sicut apostata vilis,
Aut legum profugus sola quærat perdere nota;
Limitibus planis excessit finibus illis.
Oritur infestus humanæ prolis amicus,
Commaculare bonum perquirens livide votum.
Nam properans patuli dum verreret æquora campi,
Conglomerata suis furunt collegia signis
Noxia, regali, ceu fertur, sanguine fuso.
Civiles etenim Dagobertus Marchio (331) dextras
Senserat, et rigidum capulotenus inguine ferrum.
Prælia vibratis intentant comminus hastis.
Arduus excusso quorum convicia telo
Unus pontifici fœdo sic ingerit ore :
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violasti sceptra, relato,
Qui periit cæsus, quem jure sequere, tyranno,
An pravum gessi, regem dum forte remisi?
Inquit, et opto pati gaudens pro nomine Christi.
Mox truculenta ruunt hastilia : deinde remissis
Acclines rogitant ancilibus ut benedicat.
Crediderim rutilo perculsi fulminis igne,
Quod patuit mundo, dum matris fluxit ab alvo.

XXVIII. *In Angliam reversus litteras exhibet pontificias.*

Nil metuens ergo pertransit gramina tuto,
Securusque cavas intrat velociter alnos [naves]
A Multivido fratrum post hæc oramine fultus,
Auctorata ferens Petri vexilla beati,
Regales adiit, dans rectis gaudia, postes.
Bullatas offert signato cortice chartas.
Confestim doctæ pariter coiere catervæ,
Quid narret Romanus apex, audire paratæ.
Archistrateios (332) solio prospectat ab alto,
Jus crudele sacris ausus dictare loquelis.

XXIX. *Quibus spretis, ipse in carcerem conjicitur.*

Post evangelicum catorthoma, post recitatas
Sedis apostolicæ causas, indigne ferebant
Oppositi quidam raptam persolvere prædam.
Urgebantur acri furioso pectore bile :
Permulcentque, nefas : perverso fasmate [famine
[regem
B Spernere syngraphas furtivis rebus adeptas :
Symmystenque Dei gaudent sychophanta notari.
Tandem semoto Patrem trusere locello,
Blanda retractantem regis promissa superni,
Olim qui dixit, qui vos hic, me quoque spernit.
Tum regina gravis hujusce schismatis auctrix,
Præsumpsit pretias [pretiosas] sancto divellere cap-
[sas (333),
Non impune sibi tantam sociata rapinam.

XXX. *Oratio ipsius ad suos.*

Ergo apibus sociis pessumdatus inclytus heros,
Famina mirifico fratribus depromsit ab ore.
Gloria multa, loquens, multo captanda labore.
Cana Patrum series, longo experta dolores,
C Vincere multiplices meruit divinitus hostes.
Heroum duodenus apex patiendo beatas
Sidereumque decus Jesu tribuente coronas
Excepit, multum modico lucratur ab ipso.
Nostra licet duram patiantur corpora sortem,
Mentes triticeo cœlis indentur acervo,
Quo fruges animæ capientur mox locupletes.
Præmia non quærat, ni qui tolerando triumphat.
Dixit, et actutum lictorum torva vorago
Obstitit, et raptum tenebroso vinxit in antro.

XXXI. *In carcere illustratur luce superna.*

Qualem te, pastor, lætum tristemve fatebor?
Lætabare quidem te Christi post fore risten (*sic*);
Flebas damna gregis pastorum verbere læsi.
D Actu cœnoso dum stringeris undique vallo,
Num solito non quivisti fulgore potiri?
Exacuere leves inimici frustra ligones,
Nequiquam ancipites inspicant acrius enses.
Tempestiva tibi funduntur lumina cœlis,
Inviso properat consueta porismate [meatu] lampas,
Pervigil excubias Jesu dum solvis amatas.
Testis adest custos, ergastula sæva serenis
Inspiciens radiare focis in tempore noctis.

(330) Sine causa

(331) Sic etiam *marchionis* nomen pro rege usurpat auctor infra cap. 35, supra vero cap. 16 pro episcopo. Insignis hic locus, quo discimus Dagoberti mortis genus et annum 679, quo habita synodus Romana. A Fridegodo id rescivit Eadmerus, Fridegodus, ut puto, ab Heddio.

(332) Rex Egfridus.

(333) Eadem voce usus est Auscharius in Vita S. Willehadi Bremensis episcopi cap. 4. *Capsaces* infra cap. 35. Eadmero *capsula reliquiarum*. Willelmo *chrismarium*. Quam etiam vocem hoc in significatu usurpavit Audoenus in lib. I de Vita S. Eligii, cap. 8.

Quid minus a Petro, cui lumen fulserat arto?
Digne quidem parili posthac donabere serto,
Quem voto sequeris, quem tormentis imitaris.
Et ne desperes, æquo splendore nitescis.

XXXII. *Pontificias litteras violari non patitur.*

Interea multis vexatur fraudibus almos
Exsecrare apices, actusque probare feroces.
Vertex si capulo, dixit, cædatur acerbo,
Aut terebrent costas instantia pila tenellas;
Unum iota meo nunquam fraustrabitur astu,
Quæ sanxere Patres Petri documenta sequentes.
Sic legit fuscos primatum offendere vultus
Non et apostolicos consensit fallere ritus.

XXXIII. *Præsidis uxorem pene exanimem sanat.*

Carpitur inde gravi conjunx dilecta vaterno
Præsidis, infaustas ha ha! procurantis habenas.
Corpore contrito, compagibus atque solutis,
Mortua contractis fluitabant viscera nervis.
Sensu pene carens, extis jam condolomatis (334)
Grande viro scrupulum congesserat, extima vitæ
Spectanti, dum præteritæ spiramina reddat.
Protrahit illa moras: tandem velociter artas
Vir supplex satagit sancto reserare catenas.
Fletibus haud modicis deposcit opem medicantis.
Ergo Pater, solito pietatis munere fisus,
Passibus approperat conferre juvamen anhelis.
Adfuit, et turbas removeri jussit adactas.
Hinc precibus fusis, perfudit viscera lymphis:
Mox rediit priscos vitalis fervor in artus.
Nil nocuere virum crudelia lora beatum:
Quin alacri vultu lucum remeavit in ipsum,
Nec puduit teras iterum curare cavernas.
Præfecto cognomen erat quem diximus Osferd (*al.* Osfred),
Conjugis ereptæ vocitatem dicitur Ebbæ,
Post modicum sacro gaudebat condita velo.

XXXIV. *Artius religatur, sed frustra, Solvitur.*

At Præses timidus, rerumque stupore coactus,
Malle pati propriæ divit dispendia vitæ
Intimat, et sævo quam justum prodere regi
Isque tumens nimium præcipit acerbius illum
Compedibus rigidi damnatum carcere ferri
Stringere, mutata custodis sorte prioris.
Urgentur chalybes furcos aptare bicornes,
Et sterili funes nexare labore trilices,
Quis terrere queant athletæ corda ligati.
Sed quo suppliciis animo mordacius instant,
Prorsus eo minimum se profecisse stupebant.
Nam quæcunque sacris nectebant vincula membris;
Aut diffusa cadunt, aut forte incongrua fiunt:
Artubus innocuis libertas cessit herilis.
O crudele genus! frustra contunditur incus.
O scelerata manus! quid prodest lædere corpus?
Non metuit jugulum, quem contremit indere lorum.
Digne satis gressus tremulæ fugere catenæ,

A Pacifice qui currebant per competa (335) vitæ.
Ergo alacres pastor curans mitissimus agnos,
Lingua perdocuit, manibus baptismate tinxit.

XXXV. *Regina ob sublatum reliquiarium punitur. Wilfrido liberato convalescit.*

Oppida commissi verum dum marchio regni
Permeat, illecebras explens pompose caducas,
Ecce repentino turbantur gaudia casu.
Dum raptis etenim conjunx regalis abuti
Audet relliquiis, spirans typho impietatis;
Vindex ira subit, satan per viscera gannit:
Quem coluit petulans, hujus sit hospita bacchans.
Talibus attonitis accessit regia nutrix
Anne patent, inquit, veteris commissa piacli?
B Extera Wilfridum violant ergastula justum:
At tua terrifico quatiuntur dæmone membra:
Sprevisti emeritas Petri de culmine chartas:
Excipis en dignas irato judice pœnas.
Capsaces [phylacteria] collo demsisti immunda verendo:
Nunc moribunda Baal vinciris et ipsa veruto (336).
Naribus immanes ceu fundens torridus ignes,
Rex aderat, quem sic genitrix affatur honesta:
Jam memor esto tui, lœtargum subrue, fili,
Ultio dilectam profligat summa jugalem.
Sed tu sceptrigeram si vis augescere dextram,
Vincula solve viri, quoquam sine crimine nexi:
Et si fers animo, jubeas discedere regno.
Annuit invitus, patuit mox carcer apertus,
Reddidit et claram nubes densissima stellam.
C Protinus immeritam sensit regina medelam.

XXXVI. *Wilfridus liber deserit patriam, Palabundus adversariorum factione.*

Excedens igitur patriam cognataque rura
Deserit, australesque petit velut advena terras.
Nobilis expulsum per devia quæque viator
Obvius excepit, mundi quia summa potestas
Indefinito præfixerat omnia verbo,
Defore nil justis spondens pro se tribulatis.
Regia progenies Berthwaldus munere dives
Nec latuit: statimque furor hostilis inarsit.
Sed Pater a solito nunquam sudore fatiscens,
Instruxit gregibus monastica jura fugatis.
Jam fati tellure viri tunc invida pestis
D Corda ducis zabuli præstrinxit hospitis apti,
Fratris Edilredi per Mercica regna decori,
Cujas in obsequio conjunx inimica manebat,
Ekfridi germana trucis tumidique tyranni.
Hi pulsare virum multo terrore serenum
Haud cessant, coguntque datam molimine pravo
Degenerare fidem. Sic compulit ire carentem
Hospitis auxilio, comitatum præduce Christo.
Profecto alterius susceptus regis in aulis,
Femineas patitur instinctu dæmonis iras.
Ermenburgis enim totius criminis altrix,
Cladibus, ut cecinit præmisso musa tenore,

(334) Id est *condylomate* seu postuloso morbo tabefactis, ut videtur.

(335) Ita superius cap. 8 legimus *competa*. Nihil mutandum duximus.

(336) *Pæssulo*, Gallice *verrou*.

Multimodis torsit tantum furibunda patronum :
Sæva soror cujus Centwine regia conjunx
Expulit indemnem nullum servata [servando]
[pudorem.

XXXVII. *Ad Australes Saxones se recipit. Regem Edilwalk cum suis Christo lucratur. Cœnobia construit*

Quid strides, peritura seges, aut sulfure averni
Perpete torreris ? en aspernata probabis.
Ipse sibi patriam præsul non longe jacentem
Adquiret, nondum divino vomere scissam.
Non licuit cultis committere semina sulcis.
Anne vacat saltem steriles invertere glebas ?
Non timet exsilium qui gestat pectore Christum.
Gens igitur quædam, scopulosis indita terris,
Saltibus incultis, et densis consita dumis,
Non facilem propriis aditum præbebat in arvis :
Gens ignara Dei, simulacris dedita vanis.
Hanc adit intrepidus, sincero dogmate fretus,
Adsistensque duci, pertractat munia Christi.
Fœdere complacito statim captatur ab ipso,
Non auri pretio, ferro non hostis avaro :
Juravit pactos nunquam dissolvere nodos.
Hinc passim sacris permulcet corcula verbis.
Lucratusque ducem feliciter, atque jugalem,
Emicuit mediis fax indefessa tenebris.
Delubra contritis pereunt velocius aris,
Nec doluit madidas subvertens augur acerras.
Dulcia divino funduntur mella canistro,
Tinguntur plebes sanctum baptisma petentes.
Rex quoque vivifica perfusus nobilis unda,
Prædia delegat, cœnobia præsul adornat.
Edilwalch princeps vocitatus dicitur iste,
Wilfridi meritis qui novit cœlica tempe.

XXXVIII. *A Cedwala in regnum restituto excipitur in Westsaxoniam.*

Teque canam, fugitive puer Cedvalla, negatis
Quem fudit sceptris nemoroso Ciltena [Wessaxonia]
[luco.
Audacem quippe Wilfrido subdere mentem,
Ut quires redhibere tui diademata regni,
Magnorum quærens evadere fata malorum ;
Crevisti patiens, rex fortis, ab exsule pasci.
Tempus post modicum fidei capis incrementum.
Nam vertex tremula quem dudum foverat ulva (337),
Præsulis auxilio rutilat cingente corona.
Tu quoque pontificem multa tellure ditasti.
Felix exsilium, quod poscit purpura regum !
Imme Pater felix, exsul pro fœdere pacis !

XXXIX. *Egfrido, mortuo redit in gratiam cum Theodoro*

Rumor tunc prodit, quia bello plura cruento
Agmina corruerant alterna cæde vorata :
Ekfridusque feri percussus cuspide Picti,
Exsillo sanctos desivit trudere pravo.
Præterea pastor Dorobernica claustra gubernans
Theodorus, damnare nefas in præsule quondam

A Commissum cupiens, jamjam vergente senecta
Expetiit rovocare virum sat inepte repulsum.
Ergo redit humilis, implens exacta prioris.
Hos inter præsul Erchenwaldus venerandus.
Accedunt terni veræ funabula lucis.
Exorsusque dehinc senior Theodorus infit :
Pœnitet en, Fili, quia tot tormenta subisti.
Ultima porro meæ properant confinia vitæ :
Tu quocunque modo deliqui, quæso, remitte.
Terruerant animum Wilfridi gesta beatum.
Tum cælis oculos attollens, brachia terris,
Indulsit facinus, sicut præcepit Iesus.
Ergo solo strati, poscunt miseramina Christi.
Inque vicem culpis perfecto corde remissis,
Gaudebant lacrymis sobria de fronte profusis.

B XL. *Aldfrido et aliis commendatur.*

Jam fasces regni, jam publica sceptra peremti
Sumserat Aldfridus. Mox pastor scripsit eous
Sedibus abreptis reddi debere beatum
Christi mathiten post tanta pericula sennem (338) :
Ne contingat huic moriens quod pertulit Ekfrid,
Qui voluit dictum primus spoliare patronum.
Hoc et idem cunctis statim designat amicis
Ælflede, quæ virgineo succincta pudore
Pascebat nitidas Jesu prudenter ovillas.
Tuque clientelæ, princeps, memor esto cupitæ.
Scripsit Edilredo cognato (339) morte Sopito,
Qui studuit toto Wilfridum pellere mundo.
Nunc age, communi si vivas optime voto,
Sæpe meis, fateor, parebas phronyme [prudenter]
C [dictis.
Jam quoque Pastoris extremos crede rogatus,
Ut tua præcluibus gliscens cuprepia [excellentia]
[sceptris
Ardua Romulei servet præcepta vigoris,
Quæ statuere Patres Petri vectigal alentes,
Agathoprecipuus, Benenedictus, Sergius atque.
Dux etiam monitis arrisit protinus istis,
Summo ceu decuit servans in honore magistrum,
Usque sub extremam vitæ fraustrabilis horam.

XLI. *Ab Alfrido revocatur.*

His ita consertis, Alfridus stemmata regni
Non obscura gerens, Christi revocavit alumnum.
Certatim priscas possedit deinde casellas.
D Pelluntur mœchi, sedes vacuata patrono
Redditur : applaudunt cives felicia fantes.
Lucidus Ewroica [Eboraca] resplendit axis in aula.

XLII. *Alfrido iterum vexante, rursus confugit ad Edilredum.*

Felices populi tanto pastore potiti !
Vix tamen exiguo manserunt gaudia lustro.
Nam modicum trita viguit perversius hydra.
Ardescunt veteres crebris pulsatibus ignes,
Ecclesiæ puppis vexatur dire procellis,
Cogitur et rursum nauclerus mittere clavum,
Anchora ni firma primum solidetur arena.

(337) Herba palustris.
(338) Σεμνὸς, *venerandus.*

(339 Id est cognato Egfridi mortui.

Rex etenim dictus, ligurum [ligurionum] ferrugine [tinctus,
Distendit variis veracia staminina pullis,
Alternando vices ; nunc Patris subditus alis,
Nunc mendosorum credens inventa virorum.
Ni fallor, fida titubans statione carebat.]
Ast pater immotam quærens servare carinam,
Maluit elatum regis differe tumorem.
Idcirco cessit, divisaque rura reliquit,
Impatiens sanctam scindi se præsule normam,
Arvaque commissis monachis collata revelli,
Nec metuens magni præferre oracula Petri.
Mox Ædilredi repetens solium memorati,
Acceptus colitur placida sub rege quiete,
Explens officium multa pietate supernum.

XLIII. *In concilium vocatus, paratas technas eludit.*

Tantos post strepitus, quem non quivere molesta
Exsuperare fuga, nituntur fallere techna.
Denique collectim censura urgente ducali [regia]
Synodus astruitur, legatio menda jubetur
Cælibis accessum festino cogere gressu.
Concurrit facilis. Fratum tum sæva simultas
Undique stipatum fictis agitare querelis.
Machina non solido, sed mox interlita limo
Corruit, haud patiens vatem prognostica fantem
Lincea namque viro fuerant oculamino tanto : ]
Immo prophetales ad hoc potaverat haustus,
Internos etiam quo posset cernere nisus.
Tandem vafrinos blandis suggestibus astus
Increpitans, Italas suadebat credere chartas.
Ethnica sed nullis molliri corda lagonis [*sic*]
Cedebant, virusque tegunt sub mente nocivum.

XLIV. *Non vult sponte pontificatum abdicare. Romam iterum appellat.*

Præterea juvenis divini fautor honesti,
Expertus causas in sanctum aptare sinistras,
Accessit, regis dirum patefecit amentum,
Toxica letiferæ volitant quo tela pharetræ.
Nec etenim puduit dicacem audire fidelem,
Qui mox exposuit, celer intra palatia repsit.
Summi stans igitur ducis inter castra perennis
Excipit horrisonas illæso parmate fundas,
Nec potuit validis penetrari pelta sagittis.
Instabant etenim violento famine agentes,
Se Pater ut proprio vellet dispungere voto,
Indignumque sacris se judicet esse gerendis.
O malesuada cohors ! o fraus ! o sanctio discors !
Non eris immunis pœnæ, non criminis exsors.
Ipse quidem solitos gaudet perferre labores :
Tu Phlegeton subies, Erebum manesque pavesces.
Insignita piis tunc aperit ora loquelis.
Ecce quaterdenos, dicens, vexilla per annos
Intemerata tuli veræ per cuncta Fidei,
Barrida [procacia] pravicolæ quis stravi examina [turbæ,
Inclyta censuræ servans invictus eoæ
Famina, non falso ceu garrit pollice sculpta,
Mens inimica suo mox defectura veneno.
Nunc quia compellor, Petri discrimine purgor.

(339*) Locus corruptus.

A Non formido minas, exenia nulla capesso :
Meque meo nunquam vobis mucrone libato.
Hæc Pater oravit, plebeium jusque refellit.

XLV. *Ad Edilredum redit.*

Solvitur infandum Jesu vincente coagmen,
Enituitque bonum præstantis præsulis omen.
Sic Ædilredi valvas repetivit hiantes,
Explanatque duci sceleris commenta maligni.
Isque benignivolam firmans in præsule curam,
Edixit priscum nullo frustramine fœdus
Vellere, apostolica donec remearet ab aula.

XLVI. *Romam revisit.*

Verum discordes flagrant ardentius iræ.
Et quas Christicolis pastor fundaverat ædes,
B Nisibus efferis averruncare parabant.
Extorres stavunt [*an* statuunt] agio incassum pali-[nodo,
Quos sacer electis gradibus formarat adelphos,
Dulsos cœnosi lychinos audititi destos (339*).
At pia ventilabro Christi sententia justo
Efflavit paleas, cocyti ardore cremandas,
Condivitque bonam cœli per horrea frugem.
Nam pater ipse greges et ovilia cara revisens
Ingemit, et precibus Domino commendat anhelis.
Aggressusque dehinc Romani pervia callis,
Ingreditur partas opulento remige lintres.
Carpebant placida libratis æquora velis,
Figitur et notis vehemens lautomia arenis.
Oblitas igitur peragrantes commode terras,
Divino comites potabat fonte fideles.
C Non errare licet, non manticulare necesse est,
Gratia quos tanti servat ductoris opima.
Is etenim largas, quamvis devotus egeret,
Impensas eleis [liberalibus] palmis fundebat [apertis.
Quapropter, ceu præcinuit Davitica psaltes,
Justa manebit ei vitæ farrago perennis.]
Transmissis tandem Jovialibus æque cavernis,
Macarii penetrant rutilantia dindyma Petri,
Qua renitebat ovans summa virtute Joannes.
Affines moti festinant Euge per urbem.
Astipulant modulis comto sistemate, cerus [sacer]
Ædituusque graves oppandit agillimus ædes.
Introiit præsul testudine fultus opaca,
Qui tellure cubans unca suffragine suda [flexo [poplite]
D Mille piis instillat aquis, vi denique sancta
Cœlica summorum reseravit claustra polorum.
Indidit æquisonas divinis auribus odas.
Oratu surgens, famulantum rite catervis
Ambitur, siccatque genas, suspiria pressat.
Ast ubi complacuit, sacra archisteria [templum] [scandit.
Pontificum præsul, necnon et concio gaudet
Pistica [fidelis], Tarpeioque ruens de colle senectus.
Intestina Pater postquam dyrrachia [discidia] [planxit,
Ad vicina redit lentis habitacula plantis.

XLVII. *Causam agit apud Papam, prolatis litteris apostolicis.*

Interea scriptis legatio cassa modernis.

Berthwaldi de sorte ruit, puerile volumen
Opponens tanto nequiquam certe Patrono.
Ausoniæ coeunt Graiæ, mox atque soritæ
Vestibulo cursim priscorum scita revolvunt.
Protinus admisso micuit syntagma berillo.
Ut Jubar introiit, jubaris ceu nectar opimi
Protulit effevum (*sic*) liquido flavore libellum
Hisce characteribus. Christi tunc inquit alumnus :
Nulla damus patriæ, fateor, discidia nostræ.
Non reges, non tristatas (340), regumve clientes,
Matris ad eximiæ gremium concurrere gratis.
Elegi collata prius mihi jura probare.
Non ignota cano, vobis præcognita narro,
Juda dedere Patres Romanum stemma regentes.
Testis adest hujus sanctæ periergia sedis.
Hæc quia non sprevi, nam nec spernenda putavi
Collatis carui crebris populatibus agris.
En qui me sensu graviter lymphante sequuntur,
Norunt si qua meo vitiamine rupta vicissim
Objectare queunt, vestro lustrabor ab ore.
Non ego pompisonis adii pretiosa lupatis [frenis]
Mœnia, nec gilvis phalerato stromate mannis (equis [tolutaribus :
Prosequor at nudus nudi vestigia Petri.
Posteritas sancite quibus subsistat amica
Legibus, et priscas nolite revellere chartas.
Obstipuere (*sic*) Patres hæc sic fore [esse] com- [miniscentes.
Hac dixere pharo mundi rudis arsit origo,
Rabula nec deerit quo mens veneranda nitebit
Talia labentis patiuntur spargana vitæ
Æmula, nec tardat spiris agitare malignis
Actio pravorum vitam moresque proborum.
Conquirenda tamen hujusce refragia sectæ.
Et quamvis odiis proscriptus physiculatis [natura- [libus]
Protinus arbitrio, Wilfride, piabere nostro.
Nec Romana prius falsi pilotria (*sic*) testes
Excedent, justas donec pro crimine pœnas
Jure luant, discantque viro deferre probato.
Iste quidem Latias olim lallando papillas,
Pavit Christicolas multo dulcore catervas.
Oravere Patres : testatur et ipse Joannes (papa),
Hæc dicens : Nullo morietur lampada fungo.
Insidiæ veteres dormiscant ocius omnes.
Desipiunt hebetes tetrico mœrore furentes.
Wilfridum damnare nefas : qui, sicuti torris,
Ereptus magno manet incombustus ab igne.
Ut petrus Christi, sic hic vestigia Petri
Percolit, æquoreis nunquam timefactus in undis.
Degeneres populi quid prodest velle beari ?
Virtus si qua placet, patriis pepulistis ab oris.
En rutilum liquido summæ virtutis agalma (341).
Sint rata quæ sanxit, non hæc obliteret usquam
Aut regalis apex, aut ecclesiasticus ordo.
Nobiscum sapiat, qui Christi stigmata gestat,
Ne ferale chaos evitandamque mephitim
Sentiscat rigidi retrusus in ima barathri.
Quidquid neutericis confinxit apocrypha biblis,
Cassetur priscis legatio censeo dictis.
Quis duo-quindecies, denos pariter quoque [quinos,
Elogio archontes queat infamare maligno ?
His coram fidei vir hic confessus honorem,
Extunc vitali merito craxatus [inscriptus] in albo,
Certis exspectat cœlestia dona diebus,
Ut re percipiat, quod spe patienter et optat.
Huic qui dissentit, nimis, inquam, prorsus ineptit.

(*Sequentia, quæ in ms. codice Corbeiensi desunt ex codice Cottonianæ bibliothecæ supplevit Mabillonius.*)

Hæc eadem sacris jusserunt indere libris,
More cleanteo (342) solitis bullata sigillis,
Regibus et clero mittentes, atque popello,
Ut dirimant odii crudelia jurgia prisci.
Et dixere Patri post oscula frontis aquosæ :
Pacificus redeas; subjectis gaudia reddas;
Terris atque polis Jesu cleronomus (hæres) esto.

XLVIII.

Devictis igitur falsi latoribus astus,
Pignere sanctorum multa quoque glore venustus,
Deserit Ausonias multis comitantibus oras.
Alpinosque petit, quo Celtica permeet arva.
Præteriens notos pedetentim transit Alanos (343) :
Tandem pacatos devenit ad usque Sicambros.
Hinc vexatur acri per singula membra veterno :
Nec quibat metas pedibus tranare cupitas.
Fertur equo primum; post hæc gestamine fratrum,
Vocibus et toto pastorum corde dolentum;
Muratamque vehunt dilectum pondus ad urbem
Semianimem insueto componunt debite stratu :
Perculsique metu, quidnam contingat in actu
Exspectare timent, mortis formidine pressi.
Octonis etenim bis forte quaterque vigenis
Decubuit horis, pastus fraglamine mentis
Corporis aut escis, aut qualibet arte liquoris.
Demum cum quinti spirarent lumina solis,
Mittitur e summo (dictu mirabile !) cœlo
Archanus Michael, nitido lampabilis ore ;
Quem Pater intendens, non ut fantasma repellens,
Ceu stilbonta [splendentem], novum lumen, vene- [ratur amicum.
Surgito concivis, nostri non portio vilis :
Et licei astricolas inter numerere catervas,
Inquit, ab orbatis jam nunc revocaberis agnis.
Postquam bis binis fratres solidaveris annis ;
Cum mercede bona temet revocabo, sed insta
Christotochæ dignas ædes fabricare Mariæ :
Cujus amore tibi cumulantur certius anni.
Novit quid Petro, Petri quid solvis adelpho.
Continuo sanctos subiit vigor integer artus :
Angelicum superam numen recucurrit ad æthram.
Surgitur, et tristes renovantur digne sodales.
O defesse, sagax curat quem cœlica pinax ;

(340) *Proceres supra.*
(341) Speculum, simulacrum.
(342) More principum.
(343) Alani Scythiæ populi, excitante Stilicone in Galliam cum Wandalis effusi, pars ad Ligerim resederunt, pars ad Rhodanum, de quibus hoc loco Fridegodus agit.

Et quia pellacis vitasti gaudia sæcli,
Cum numero vitæ meruisti præmia summæ.

XLIX.

Oceani tumidas exhinc remeavit ad undas,
Gurgitis et vasti circumflua terga repressit.
Cantia complacito patuerunt litora rastro.
Jussit apostolicum Berthwaldo ferre libellum,
Suscipit, ut decuit; Patris præcepta peregit.
Hinc divi [*f.*, divus] petiit, supra quem musa re- [volvit,
Lætus Edilredi petulas fidentius aulas.
Cui retulit cessim: lætantur et ambo vicissim.

L.

Approperans ergo, læsus cunctamine nullo,
Aldfrido regi direxit epistile [epistolam] Petri.
Illicitum sapuit, non hoc sat juste recepit
Protulit ambages, sicut fecere priores:
Nolens directis veneramen ferre loquelis.
Quocirca meritum tulit immature periclum.
Ultrices etenim patiens in corpore pœnas,
Cernere collibuit, quem dudum languide sprevit
Multaque conjiciens obiit, male gesta recensens
Testibus adhibitis se reddere velle negatis,
Si Domini auxilium vitæ daret accumulatum.
Suscepit vacuas Ædwilf virosus habenas,
In sanctum furias exercens immoderatas:
Inque brevi periit, violento cive repulsus.

LI.

Ut patriæ curam susceptet rite tuendam,
Filius ascitur Alhdfridi sæpe relati.
Qui gravitate proba, Wilfridi subditus ala,
Dilexit nimium quia noverat esse beatum;
Is jussit proprii quantum tenet orbita regni;
Et colere simul, Berthwaldo jure calante [vo- [cante]
Tunc Patris alloquio rex censuit, omnis et ordo,
Servent ut pariter Wilfridi dogma verenter:
Pacis et Angigenæ firmantur fœdere gentes.

LII.

Ex hinc convaluere nimis diorismata [definitio- [nes] fortis
Athletæ, pereuntque mali sophismata civis;
Germinis hydrei penitus tenuata cicatrix;
Additur atque bonis virtus apodictica (demonstra- [tiva) victrix.
Ipse per obliquas pastor gradiens regiones,
Ut mater dociles doctrino lacte refovit;
Ut pater ignaros sobria succensuit [increpavit] ira
Ad lucis patriam cunctos metaliter hortans.
Præscivit porro Michaelis adesse profatum:
Optabatque gravem Silicernius adfore mortem.
Corruit, et subitus perclusit limmata [consilia] mor- [bus
Agmina pullatis coeunt vernacula birris;
Commeat et toto vulgus miserabile ciclo.
Fit formido gravis, ne forte recedat ab illis.

A Fratribus at plaudas Jesu recinentibus odas,
Substitit, et læta sospes perfunditur aura.

LIII.

Hactenus excolicum quanto sudore sacellum
Emerit exposui; numnam miracula quibo?
Ennea (344) si melico chelim mihi carmine tangant,
Septenasque jugem [geminem] ciclico dulcore so- [rores (345)
Aut sim magniloqui multus sectator Homeri;
Non plane absolvam: dictis jam cedo quibusdam.
Quos etenim dæmon rabida possederat ira,
Effusis precibus fidei virtute resolvit:
Et queis debilitas artus devinxerat atra;
Aut oculo frustrans, aut linguæ murmure dam- [nans;
B Aut gressus prohibens, aut reumate pectora strin- [gens;
Et sensu demtos, et morbi tabe peræsos.
Ut frater congrex, scelerum, sicut patet, offex (im- [peditor),
Circumfusa means docet agmina Christicolarum,
Vivifici tetra plastica dat theoremata verbi,
Noviter increpitans pigrum decus Archiliorum [tri- [bunos].
Hæc ita solerti perfecerat undique cura.
Sensit Olympiadam (346) dudum finirier auctam,
Et metamorphosin præsagit adesse cupitam.
Nec minus ipse tamen refovens normaliter omnes.
Æthralem vitam testatur jure sequendam.
Quid tricor dictis? dabitur nunc his quoque finis
Credo quidem scriptis: ut mors, dilectio fortis.

LIV.

C Crebis ergo virum febribus pulsatibus almum,
Concurrunt monachi virtutum munere macti:
Agmine pastorem tantum cinxere globoso.
His ita consæptus, caput extulit, atque ita dixit:
Pullulet in vobis divini gratia roris.
Vos equidem, fratres, pridem revocatis euntem.
Parcite jam, quæso, supernum jam scandere regnum
Me juvat et fragili præjudico carne resolvi.
Non vobis ultra forma conjungar in ista.
Donec mundanas turbent elementa tenebras.
Visibus et Domini præsens si machina mundi.
Muscipulos nostis quos obicit æmulus hostis,
Illicibus quærens animos vitiare figuris.
Ingerit incestos lascivis spebus amores.
Tunc oculos pulcris vanos illudit idæis,
D Aures et blandis demulget sæpius arpis (347).
Ut fraudem doceat, largissima lucra ministrat.
Hæc monui semper, hæc vobis ipse frequenter
Opposui, nolite moras inferre migranti.
Urgeor, o defungar, et, o fratres, vigilate,
Pyr Glegeton (348) calida ne vos absorbeat unda.
Hæc ait, et duræ constravit membra quieti.
Spiritus ergo viri Michael repente beati,
Vimineo condens corpus Kyriale (359) canistro
Exhausit vitro vitalem digne cruorem

(344) Novem Musæ.

(345) Septem artes liberales, totidemque mechanicas.

(346) Spatium annorum.

(347) Vulgo *harpes.*

(348) Flumen inferni

(349) Id est corpus Christi Domini, seu Eucharistiam. Hic alludit auctor ad illud Hieronymi de Exsuperio Tolosate episcopo in epistola ad Rusticum monachum: « Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. »

Inter mœrentes, orantes, opperientes
Evasit volucer, carnis ceromate [visco] liber.

LV.

Postquam membra sacro tumularunt sacra sepulcro,
Indusias sumsere sibi fratres venerandi :
Interulamque puer sancti sudore madentem
Corripuit, normatrici [abbatissæ] tulit atque beatæ,
Quam sibi flamineo [velo] sociaverat apte verendo
Egregius heros, redimitam castificando.
Hanc adit organico membris deserta vigore
Clinica, suppliciter poscens se tangere posse.
Pavit secretum depromere virgo fidele.
Tandem compatiens miseræ subnixæ petenti,
Vinxit, aquis vestem, meruit quibus illa salutem.
Post hæc bachantes dementi pectore quidam.
Vulcanum [ignem] tecto, quo transiit ille, adhibebant.
Sed vis defuncti viventem terruit ignem :
Sævos mitificans, virtutis et omina monstrans.
Annua bis senos confecerat orbita menses,
Subsidibus patris ex omni regione coactis,
Cum miranda nimis fulserunt signa sub astris.
Quærebant etenim quis tot pastore vacantes
Excipiat caulas, et ovilia tanto reservet.
Hesperus aeriis sed jam densaverat umbras,
Pernox cura fratrum cum cœlum respicit altum.
Emicuit cyclus tenebrosa per astra coruscus
Ceu matutinos ignires Phosphorus ortus.
Canduit hic radius monachum cœnobia circum
Officiose, vias, visus liquisse polinas.
Hinc patuit, Domini quia constat vinea firmis
Oratu Wilfridi ævum stabilita gigantis.
Mox apopempæo (350) grates persolvere summo
Accelerant, nomenque Patris constanter honorant.
Fistula rurestris cecinit prothemata cavis,
Callosas cani Meligor velut excola sannas,
Enervi trutinans exotica docmina [dogmata] plectro.
Nunc oleate mihi faveas industrius Odo (351).
Ut natum retuli stemma tum maxime clusi.
Non epistasin capit, ecstasinque veretur.
Pagina, Lector, ave : tibi cætera carpe tuapte.

(350) *Apopompæo*, id est liberatori.

(351) Id est Odo Cantuariensis antistes, cui Fridegodus carmen istud nuncupavit. Sic ergo poeta *Breviloquium Vitæ*. S. Wilfridi claudit in codice Cottoniano, in quo errata fere eadem quæ in Corbeiensi reperiuntur, insertis capitulorum lemmatibus, quæ in Corbeiensi exemplari antiquiori desunt. Cottonianus liber pro *Balthild* mendose habet *Brunhild*, quæ annis bene quadraginta ante id tempus occubuerat. Ad Odonem quod attinet, nulla mihi videtur fuisse ejus scriptio de S. Wilfrido præter Fridegodi poematium, quod ipse condi curavit. Id colligitur ex ipsius epistola, sane per quam salebrosissima quæ Fridegodi carmini in quibusdam codicibus præfigitur (*vide supra hujus tomi col.* 945) sub hoc exordio : « Orthodoxæ fidei famulitio ancillatis, eidemque ecclesiastico antistantibus proposito quaquaversum orbis, tam instantibus, quamque futuris, Odo Dorobernicarum opilio ovillarum, » etc. Epistola tota Fridegodi genium sapit, eoque tendit, ut de translatione reliquiarum S. Wilfridi, deque ejus vita metrica faciat vita fidem. Nihil in ea historicum reperias præter paucula quæ sequuntur : « Igitur venerabilimas beati confessoris Christi Wilfridi reliquias indecenti senticosæ voraginis situ marcidas, imo (quod dictu quoque meticulosum est) prælatorum horripilatione neglectas, cum inde, favente Deo, scilicet a loco sepulcri ejus, quidam transtulissent, reverenter excepi atque intra ambitum metropolitanæ, cui gratia Dei præsideo, ecclesiæ collocavi, præsertim cogente illo evangelistæ testimonio, meo videlicet apologetico : quia *ubicunque fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ*. Itaque tantæ tamquæ dignæ affinitatis delectatus vicinitate, et editiore eas antheca decusare, et excerptis de libro vitæ hujus flosculis novo opere pretium duxi carmine venustare. » Hæc satis superque satis.

ANNO DOMINI DCCCCLXIII.

# JOANNES PAPA XII.

## NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima Collect., tom XVIII, col. 447).

Joannes, Alberici illius qui urbi dominabatur filius, apostolicam sedem invasit anno Domini 965 tempore Constantini VIII imperatoris et quanquam huic legitima ætas aliaque omnia deessent quæ in legitimo pontifice requiruntur, tamen accedente postea consensu totius cleri visum est hunc potius esse tolerandum, quam Ecclesiam schismate aliquo, quod alioquin exortum fuisset, dividendam. Cumque universa Ecclesia catholica sciret minus malum esse, caput quantumlibet monstrosum proferre, quam unum corpus in duo secari et duobus capitibus informari, eumdem toto orbe terrarum tanquam verum et legitimum pontificem venerata fuit. Hic revera primus et inventus qui sibi nomen mutavit, quique ex Octaviano, pro mutata non exuta tyrannide, voluit Joannes nominari. Ob emporale Urbis dominium Albericus pater filium sum Octavianum nominaverat : ille contra, pontificatum et spirituale

dominium totius orbis consecutus, spirituali nomine hoc Joannis appellari voluit. Idem juvenili ardore spirans minarum et cædis, collecto exercitu copiisque auxiliariis ex Spoletano ducatu conductis, adversus principem Capuanum nomine Pandulphum bellum movit : cui cum ille Salernitanorum ope et auxilio fortiter resisteret, ad propria redire pacemque per legatos petere coactus fuit. Hujus tempore Berengarius, solutus timore defuncti Luithulphi filii Ottonis, qui ad coercendam ipsius Berengarii tyrannidem in Italiam missus erat, per universalem Italiam impune grassabatur, et profana simul et sacra absque delectu devastabat. Qua de causa Joannes papa, tyrannidem illam non amplius ferens, legationem misit ad Ottonem regem Germaniæ, suppliciter, auctore Luitprandro, litteris et signis regem orans, quatenus pro Dei amore sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam Ecclesiam ex suorum inimicorum faucibus liberaret, ac saluti et pristinæ libertati restitueret Cumque idem eodem tempore auctore Deo Mediolanenses per deputatam legationem petivissent, Otto, antequam e Germania recederet, Wormatiæ comitia habuit, in quibus filium suum Ottonem, ex Adelheide genitum, creavit regem, eumque Wilelmo Moguntino archiepiscopo ex alia uxore filio nutriendum commisit, præstitaque per juramentum fidelitate et securitate sedi apostolicæ, de futura successione in Romano imperio ejusque juribus ac titulis promissionem accepit. His præviis rex piissimus, inquit Luitprandus, collectis copiis in Italiam percitus venit, tantoque Berengarium atque Adelbertum celerius expulit, quanto evidentius constat quod commilitones Petrum et Paulum sanctissimos apostolos habuit. Postquam ablata suis quæque dominis restituisset, anno Christi Redemptoris 962, qui erat septimus annus pontificatus Joannis, Romam venit, ibique magno cum honore miroque ornatu et apparatu susceptus a pontifice cum applausu totius populi imperator et Augustus vocatus et ordinatus, unctionem imperii suscepit. Quæ vero post hæc legitime peracta Joanni papæ restituerit, quæque dono ille Ecclesiæ Romanæ adjecerit, indicat ipsum authenticum donationis diploma, quod aureis litteris exa-

A ratum Romæ in castello S. Angeli asservatur. Pro gratia referenda pontifex omnesque Urbis optimates supra corpus beati Petri jurarunt se nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos ; atque ita imperator Roma discedens Papiam se contulit.

Interea Joannes pontifex ad defectionem sollicitatus, immemor juramenti præstiti, Adelberto se conjunxit. Quod cum imperator per nuntios undique redeuntes verum esse intellexisset, Luitprandus eum dixisse scribit : « Puer est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum : spero eum objurgatione honesta, suasione liberali facile ex illis sese emersurum malis. » Cum hac de causa imperator Romam rediisset, papa simul et Adelbertus aufugerunt. Cives vero, inquit Luitprandus, sanctum imperatorem cum suis omnibus in Urbem susceperunt, fidelitatemque promiserunt : hæc addentes firmiterque jurantes nunquam se papam electuros aut ordinaturos præter consensum at- B que electionem domini imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius regis Ottonis. Post triduum quam Romam venisset, auctoritate Ottonis habita est pseudosynodus, qua Joanne in ordinem redacto subrogatus est pseudopapa Leo VIII. Quem ille post obitum Ottonis in Urbem revocatus, velut adulterum et invasorem sedis deposuit, rescissis omnibus illis conciliabuli actis, quibus nullo juris et antiquitatis ordine servato, Joanne papa, amoto, suffectus fuerat. De infausto Joannis papæ exitu auctor qui asseritur Luitprandus hæc scribit : « Quadam nocte extra Romam dum secum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeo a diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. » Non quia, ut ille ait, juste damnatus et juste receptus fuerit, quia tot tantisque vexationibus a Deo admonitus, a peccatis consuetis non abstinuit. Quanquam ista quæ apud Luitprandum narrantur non ipsius sint C quam hominis adversarii, et Ottoni plus nimio ascribentis, tamen veritatem eorum non controverso, utpote quod nullum dispendium afferant fidei catholicæ, de qua unanimi consensu profitemur, Petrum Petrique successores post acceptam Christi promissionem, in moribus quidem, non autem in fide, deficere posse. Contigisse obitum Joannis papæ anno 964, pridie Idus Maii. in Reginonis auctario asseritur.

---

# JOANNIS PAPÆ XII
## EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

### I.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XII AD WILHELMUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Anno 955.

*Significat litteras ejus, Agapeto inscriptas, sibi redditas fuisse. Miserias ejus dolet.*

[*Epistolæ P. Bonifacii*, ed : W., p. 376.]

Joannes episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et charissimo confratri Willihelmo archiepiscopo sanctæ Mogontiacensis Ecclesiæ.

Litteras quas sanctæ memoriæ Agapeto papæ vestra destinavit fraternitas suscepisse cognoscite, quem divina omnia disponens potentia in apostolicam sedem eo moriente ordinavit, non nostris me- D ritis, sed ejus misericordia nos præveniente, a quo sunt cuncta quæ sunt : qui nihil in orbe agi credimus, nisi quod aut velle aut consensu ejus factum fuerit. Miseriarum quippe atque afflictionum jacturas malorumque insidias hominum, qui sanctarum Dei Ecclesiarum, et omnem perturbant ordinem, atque statum condoluisse, sicut apostolica censura decrevit, gaudere cum gaudentibus, et cum flentibus flere. Totius namque Christianitatis post Dominum caput effecti non aliquo privilegio humano, sed voce ipsius Domini beato Petro apostolo, sicut bene nostis, dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. Idcirco si aliquod nostri corporis mem-

brum tribulationes aut molestias pati injuste noverimus, sive litteris sive alio quolibet modo compatimur, et dolore gravamur, et quibus possimus una vobiscum conatibus illorum insidiis atque iniquitatibus apostolica auctoritate obviamus. Hortamur interim fraternitatem vestram ut contra eos qui contumaces et inique vivere volunt, et ecclesias Domini devastare satagunt, nostrisque piis præceptis et vestris monitis obedire noluerint, omni virtute resistere curemini, et ad pacis atque veritatis et justitiæ viam deducatis, ne crassante illorum malitia, reos apud justum judicem inveniamus : quos vero in malis actibus permanere cognoscitis et minime reflecti jussionibus vestris voluerint, ad hanc nostram apostolicam sedem, sicut antiqua consuetudo fuit, dirigite, et cum eis vestros credulos fideles, qui nobis illorum causas, et omnia quæ in Galliarum atque Germaniæ partibus aguntur fideliter atque ordinabiliter intimate ; quoniam hoc nobis cordi est et magno cupimus desiderio, ut ecclesiis omnibus et cuncto Christiano populo pax et honor unicuique proprius maneat, et malorum omnium vestigia, si qua hactenus fuerant, funditus removeantur.

## II.

### JOANNIS PAPÆ XII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. MARIÆ HUMOLARIENSI.

(Anno 956.)

[Mabill. *Acta*, Sæc. II, p. 1025.]

JOANNES episcopus servus servorum Dei, venerabili abbati BERNERO beatæ Dei genitricis Mariæ virginis Ecclesiæ, et per eam cunctæ congregationi in perpetuum.

Si justis petitionibus præstabiles piorum assensum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum sit universis catholicæ matris Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod misit ad nos filius noster, gloriosæ indolis puer, scilicet Lotharius, rex Francorum, paternitatem nostram humiliter obsecrans, ut quamdam cellam in pago veromandensi sitam, in honore beatæ Dei genitricis virginis Mariæ et sanctæ Hunegundis virginis constructam, auctoritatis præsidio muniremus : quam suggerentibus genitori suo Ludovico, videlicet regi comite Adalberto, et idoneo satis viro Gilberto, qui eamdem abbatiolam jure beneficii possidebat, ad sacræ religionis venerabilem cultum erigere conatur, atque regiæ potestatis præcepto corroborare nititur. Cujus petitioni congaudentes, ecclesiastici vigoris manum exerimus, et ex ea qua fulcimur apostolica auctoritate præcipimus, ut præfatam abbatiam nemo unquam sæcularium possideat, neque ex rebus ejusdem cellæ quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non comes, non episcopus, nec quilibet princeps quacunque potestate præditus, nisi forte tuendi ac defendendi causa, et hoc nonnisi ejusdem loci regularis abbatis permissione. Si quis vero pro hac adipiscenda pecuniam vel quodlibet munus regi, aut cuilibet principi dederit, sive promiserit, subinferendæ maledictioni subjacebit. Sit igitur eidem cellæ abbas secundum regulam sancti Benedicti constitutus, et monachi regulari districtioni subjecti, quos de rebus ejusdem cellæ aliquod dispendium perpeti cum omni imperio prohibemus. Res vero ejusdem ecclesiæ sunt Humolarias villa, in qua eadem cella constructa est, cum mansionibus cunctis ad se pertinentibus ; Merulficurtis cum adjacentis suis : Eudoldicurtis cum appendiciis suis ; Caviniacus cum mansis ad se pertinentibus ; in villa quæ dicitur Frisia super fluvium Somnam XII mansi, quos pro commoditate piscium eidem ecclesiæ perpetualiter habere liceat. Hæc itaque et si qua alia ecclesia eidem Domino opitulante acquirere sibi potuerit, apostolica fulta auctoritate licenter et sine aliqua contradictione possidebit, etc. Scriptum per manum Leonis, sacri scrinii sanctæ sedis apostolicæ in mense Jan., per manum Georgii secundi episcopi sanctæ sedis apostolicæ, anno primo, Domino propitio, pontificatus domni Joannis S. P. et universalis papæ.

## III.

### (352) JOANNIS PAPÆ XII EPISTOLA AD BERENGARIUM EPISCOPUM VIRDUNENSEM.

(Anno 956.)

*Monasterii S. Vitoni privilegia et possessiones confirmat.*

[Apud D. Calmet, *Hist. de Lorraine, Preuves* p. 369.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, BERENGERO fratri nostro Virdunensis Ecclesiæ episcopo, cum omnibus sibi a Deo commissis, bravium æternæ remunerationis.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola charitate favere, et poscentium animis alacri devotione assensum præbere. Ex hoc enim potissimum præmium lucri a conditore omnium Domino sine dubio promerebimur, si venerabilia sanctorum loca opportune ordinata ad meliorem fuerint statum nostra auctoritate perducta. Igitur quoniam te, frater charissime, inter cætera sanctæ conversationis exercitia comperimus quod monasterium in tuo episcopio juxta civitatem Virduni, in ecclesia videlicet beati Petri, pro amore Dei construxisse, in qua requiescunt corpora sanctorum confessorum, atque præfatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ quondam episcoporum Vitoni, Pulchronii, Possessoris atque Firmini, et de rebus tuæ ecclesiæ provida consideratione sublevasse, ut si quando filii Ecclesiæ tuæ divino compuncti amore terrena despicientes, ad contemplativæ vitæ perfectionem confugere desiderarent, ne a tua Ecclesia penitus disssociati viderentur, in monasterio, quod membrum est ejusdem Ecclesiæ,

(352) Hæc bulla Joanni XIII perperam a nonnullis tribuitur ; nam Berengarius episcopus jam anno 963 obiit. JAFFE.

solatii refugium sub habitu religionis sibi invenirent, et Domino tranquillitate quieta inibi famulentur : noverit omnium fidelium tam præsentium quam futurorum industria, nos idem monasterium tua ordinatione constructum, cum omnibus rebus regalibusque præceptis tuo consultu sibi sanctis, in æternum velle permanere inconvulsum; scilicet villam supra Scantiam, cum suis pertinentiis; Flaviniacum, cum suis adjunctis; abbatiam sancti Amantii, cum quidquid ad eam pertinet. Ad Nova-Villa, cum suis locis; ad Mantionis curtem, quantum ad vos pertinent; Parridum, cum suis adjacentiis; de Marculfi-Curte ecclesiam, cum suis adjacentiis; Arbordi-Villa, cum suis pertinentiis; Castonis-Curte ecclesia, cum his quæ ad eam pertinent; ecclesia de Marleio, cum suis adjacentiis; ecclesia de Amonzei-Villa, cum suis adjacentiis, cum terris, et vineis et molendinis, cum servis et ancillis; abbatia Petri, et ecclesia de Maroa; ad Limacum quidquid ad illum locum pertinent; ad Nova-Vila in Barrensi comitatu, quidquid pertinet ad eum locum. Hæc prædicta loca omnia, cum omnibus suis generaliter atque specialiter pertinentiis, et quidquid Deo opitulante voto fidelium huic monasterio concessum fuerit, in futuro tempore per hoc nostrum apostolicum privilegium perenniter confirmamus; tam vobis quam vestris successoribus, et insuper hoc nostræ auctoritatis privilegio esse corroboratum, quatenus eadem Virdunensis Ecclesia, quæ hactenus de filiis ab ipsis infantiæ rudimentis in gremio suo expositis, dum ad externa monasteria confugiebant, fraudabatur, adhinc et deinceps in membro sibi subjecto; consilio sui episcopi, atque providentia gloriosi abbatis Humberti, de eorum sancta conversatione sublimata glorietur. Si qua autem temerario ausu, magna parvaque persona, cujusque ordinis aut potestatis, contra hanc nostram apostolicam præceptionem adire præsumpserit, sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis excommunicatum, atque anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, cum omnibusque impiis æterno incendio atque supplicio condemnatum. Qui vero observator exstiterit hujus nostri præcepti, gratiam atque misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur,

Scriptum per manus Leonis scrinarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario per indictionem quartam decimam. Bene valete. Datum v Idus Januarii per manum Martini episcopi et sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarii, anno pontificatus domini Joannis summi pontificis et universalis duodecimi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, primo in mense, et indictione quarta decima.

## IV.

### JOANNIS PAPÆ XII EPISTOLA AD LANDULPHUM BENEVENTANUM EPISCOPUM.

(Anno 956.)

[Apud Ughelli, *Italia Sacra*, VIII, 57.]

JOANNES episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo LANDULPHO sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ, episcopo, suisque successoribus in perpetuum.

Cum summæ et apostolicæ dignitatis apex in divini profectus nitore dignoscatur præfulgere, et in exercendis Dei laudibus suis impensius studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgare et apostolicæ institutionis censura confirmare. Igitur quia postulasti a nobis quatenus, sancta Beneventanensis Ecclesia, cui, Deo favente, præes, privilegiis sanctæ sedis apostolicæ decoraretur, et antiquos terminos eidem concessos ab antecessoribus nostris pontificibus confirmaremus, piis tuis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Concedimus tibi tuæque sanctæ Beneventanensi Ecclesiæ quæcunque legaliter et rationabiliter antiquo jure tempore prædecessorum tuorum visa et possidere, id est Bivinum, Asculum, Larinum, Sipontum et ecclesiam S. Michaelis archangeli in monte Gargano, cum omnibus eorum pertinentiis, et omnia prædia cum ecclesiis, familiis utriusque sexus, et massis, cunctaque infra tuæ parochiæ loca ditionis antiquæ tuæ religioni successoribusque tuis concedimus dominanda, et legaliter atque canonice disponenda cum omnibus suis pertinentiis, sive sint civitates, seu quæcunque castella possessa dudum ab antecessoribus tuis episcopis. Censentes siquidem insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione et validis, atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam alicujus dignitatis potestate præditus homo præsumat, sive sit illa magna, sive parva persona, aut Græcus, in prædicta tua S. Beneventanensis Ecclesia aliquam vim facere, vel de his quæ ei pertinere videntur quoquomodo auferre, aut alienare, vel ei imminuere terminos, sed nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam in eadem inferre quocunque tempore, nec licentia sit, ut dictum est ex eis, vel omnibus eidem pertinentibus cuiquam magnæ parvæque personæ auferre, ut profecto juxta id quod a nobis statutum est, eadem venerabilem S. Beneventanensis Ecclesia apostolicis constitutis, atque privilegiis consistens ornata, inconcusse dotata permaneat. Si quis autem (quod non optamus) nefario ausu hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ Ecclesiæ Beneventanæ statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, sive Græcus sit, seu quicunque alter homo qui dominationem aut primatum habere voluerit, per se aut per alterum quemlibet hominem in præfatis ecclesiis sine voluntate et jussione Beneventani episcopi, et illi qui eos fortasse recipere præsumpserint, omnes pariter sub eodem nostro apostolico et districto insolubili anathemate permaneant, et in nullam ecclesiam intrare præsumant, aut aliquod officium ecclesiasticum faciant. At vero qui pro intuitu observator et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri constituti

ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Leonis scriniarii S. R. E. in mense Decembri indict. xv. Bene valete.

Dat. xviii Kal. Januarii per manum Marini episcopi, et summæ sedis apostolicæ bibliothecarii, Domino propitio pontificatus domini nostri Joannis summi pontificis et universalis XII papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli xi, mense et indict. suprascripta xv (353).

## V.

### JOANNIS XII EPISTOLA AD HENRICUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Fragmentum. — (Anno 957.)

*Illi pallii usum concedit.*

[Apud Gunther. *Cod. diplom. Rhen.-Mosell.* I, 127.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et charissimo fratri ENRICHO sanctæ Trevirensi Ecclesiæ archiepiscopo vitæ tuæ tantummodo.. Datum pridie Id. Febr. per manum Joannis bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ anno Deo propitio pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis XII papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli v..... domno piissimo..... Augusto Ottone a Deo coronato, magno imperatore anno primo, in mense Februario, indictione v.

## VI.

### BREVE RECORDATIONIS.

*Qualiter Joannes XII papa Sublacenses, qui refractarii erant abbati monasterii Sublacensis, eique multa bona occuparant, repressit et omnia restituere coegit, anno* 958.

[Apud Muratori, *Antiq. Ital.* VI, 203.]

Anno (*fortasse tertio*) domni Joannis papæ XII, mense Maio, indict. prima. Quia mens humana semper in laboribus esse dignoscitur, et animus uniuscujusque pro diversis curis seu sollicitudinibus huc atque illuc vagando discurrit, nec valet omnia explicare sermone, nec futura tenere memoria: idcirco Dei nutu prudentissimis viris ingenium litterarum repertum est, ut quod mente retinere nequimus, litteris exaremus. Propterea ego Leo abbas sancti Benedicti Sublacensis, qualiter domnus papa in nostro monasterio causa orationis venisset, reclamavimus super omnibus in supradicto Sublaco castello, et in nostris aliis partibus commorantibus de multis persecutionibus seu afflictionibus quas in nostro monasterio assidue committebant. Unde repente domnus papa pietate motus ac misericordia de eodem venerabili loco, et de cuncta nostra fraterna congregatione condolere cœpit deque tantis injuriis quas passi sumus a diebus in quibus bonæ memoriæ domnus Albericus obiit de hac vita. Tunc residente eodem summo pontifice in eodem venerabili monasterio cum venerabilibus episcopis, videlicet Marinus Polimartiensis Ecclesiæ, et bibliothecarius sanctæ sedis apostolicæ, Constantinus episcopus Portuensis, Joannes humilis episcopus sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ, seu Romanorum judicibus Georgius secundicerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Leo protoscriniarius sanctæ sedis apostolicæ et alii plurimi. Et sic præcepit ut omnes adversarii ante suam præsentiam venirent. Qui dum ante domnum papam una nobiscum venirent, coerciti sunt nimium; et fecit ut omnia bona et casalia et fundora, quæ ibi singulatim memorantur, monasterio redderentur. Et præcepit abbati ut de hoc negotio breve recordationis faciens, a supradictis viris et aliis dignis viris subscribere ad rei sempiternam memoriam faceret.

## VII.

### BULLA JOANNIS PAPÆ XII AD LEONEM ABBATEM.

(Anno 938.)

*Sublacensis monasterii bona et jura confirmat.*

[Apud Muratori, *Antiq. Ital.* V, 461].

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, LEONI venerabili presbytero ac monacho atque abbati venerabilis monasterii sancti Benedicti et sanctæ Scholasticæ, quod ponitur in Sublaco, sancteque suæ congregationi, successoribusque vestris in perpetuum.

Cum piæ desiderium voluntatis et laudandæ devotionis intentio apostolicis sint semper de his adjuvandis, quorum est sollicitudo adjuvanda, ut ea, quæ legaliter geruntur, æquitate et firmitate consistant, et nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure atque auctoritate debeant permanere; ob hoc apostolicis promulgatis sanctionibus propria unicuique, quæ rationi suppetunt, fas exigit possidenda confirmari. Et ideo, quoniam constat sanctitatem vestram plurima sanctorum loca acquisisse, et cuncta in honore et utilitate, vestrique venerabilis monasterii jure et ditione pertinere, et diversos agros una cum castellis et possessionibus, et famulorum multitudine, videmini habere; quæ omnia sub tuæ reverentiæ ditione, sanctæque tuæ congregationis, successorumque vestrorum servorum Domini, in perpetuum eadem loca venerabilia et agros seu massas et possessiones, cum omnibus originalibus famulis ibidem manentibus, cum colonis et colonabus, vel universis inibi pertinentibus, apostolicæ sedis privilegiis poposcitis confirmari detinenda. Scilicet castellum in integrum, quod vocatur Sublaco, sive quibus aliis vocabulis nuncupatur, una cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, terris, casis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis,

(353) Quod in hoc diplomate bis repetita inveniantur illa verba, *sive Græcus sit*, eo est referendum quia tunc temporis Beneventana provincia assiduis premebatur Græcorum incursionibus, cumque se a solo patriarcha Constantinopolitano anathemate feriri posse jactarent, et Romanus tamen pontifex ob eam, quam semper habuit in toto orbe Christiano, summam potestatem cum illa extensione etiam ad Græcos sua anathemata promulgabat.

puteis, fontibus, rivis aque perennis ædificii parietinis, attiguis, adjunctis, adjacentibusque suis, cultum et incultum, vacuum et plenum, una cum colonis et colonabus utriusque sexus illi pertinentibus, simulque cum glandaticis, herbaticis, vel qualibet alia datione, quæ ad castelli jus pertinet, et nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ soliti sunt persolvere. Illud vobis pleniter cum omnibus suis ubique pertinentiis et adjacentiis perpetualiter ad usum et utilitatem sancti Benedicti cœnobii confirmamus, et roborabiliter stabilimus detinendum sine aliqua datione, una cum flumine, sicut incipit a Petra imperatoris recte in ponte Terraneo per venas incedendo usque in lacum, qui est sub ipso monasterio cum aquimolis suis, et deinde recte in Silicella et Saliceto, et per locum, ubi Mandra vocatur, cum aquimolis ibidem habentibus, et deinde per pontem descendentes in sancto Angelo, item in sancto Petro, et deinde in prata de Ajano. Similiter et aliam aquam, quæ Cona vocatur, sita in ipso flumine, et deinde in aqua, quæ Flumicello vocatur, una cum Augusta, et Bullica atque Timida, omnes decurrentes in supradicto fluvio, et usque in territorio sancti Cosmæ; cum ripis et plagis omnibus prænominatis ab utraque parte in integrum pertinentibus; cum omnibus loci ipsius aquis, ubi aquimoli facti sunt, et facere poterit, sive ubicunque pisces capere potuerit in totis aquis supradictis. Necnon et ecclesiam sanctæ Felicitatis sine aliqua datione vobis vestrisque successoribus perpetualiter concedimus detinendam in usum et salarium suprascripto vestro venerabili monasterio. Pari modo et massam, quæ vocatur Lubenzana, et Intermarana in integrum cum fundis et canalibus, et omnibus casalibus suis, ubicunque ad ipsam massam pertinentibus: videlicet fundum Canterano, et Marano, Seminarum, atque Oricula, et Arsula, Bulsinianum, Toccanellum, Marcatellum, fundum Paternum, fundum Aprunio, fundum Arpellum, fundum Lenanu, fundum Tessine, montes qui vocantur Gemini, descendentes in Trellano, monte Gordiano, fundum Sassa et colle de Ferrari, et monasterellum, et alium monasterellum, Piscano, et Coloniam juxta sanctum Valerium ex duobus lateribus, et medietatem de ibice; fundum Miniano, fundum Castaniola, et Lorilliano, sancta Cecilia, fundum Boberanum, fundum quod vocatur Valle, cum ecclesia sancti Eleutherii, fundum quod vocatur Capramolente cum ecclesia sancti Anastasii; massam, quæ vocatur Ampolloni, cum ecclesia sancti Martini; fundum Paternum, quod appellatur Pentima, fundum Bruvano, fundum Sancti Pamphili, fundum Danieli, fundum Merulana, fundum Paccano, fundum Tospoliano cum ecclesia sanctæ Mariæ et sancti Lucentii; fundum sancti Cirici; fundum Cispa; fundum Romani cum ecclesia sancti Angeli et sancti Felicis, inter affines ab uno latere fluvium Tivertino, et a secundo latere Papi, et a tertio latere Arco Fulgurati, et descendente in monte, ubi sunt cypressi, veniente in monte, qui vocatur

A Bulturella, et recte per sancta Maria descendente in Piscano. Et cum omnibus ad suprascriptam massam in integrum pertinentibus. Simili modo fundum Caliscano in integrum cum ecclesia sancti Petri.

Necnon monasterium sanctæ Barbaræ et sancti Anastasii cum corticellis duabus, una ante se, et alia post se, cum casis et fundis atque casalibus suis, cum omnibus ad eas in integrum pertinentibus, positum intra civitate Tiburtina; atque medietatem de ecclesia sanctæ Mariæ ibi in ipso, cum casis, vineis et terris et omnibus pertinentiis suis trans Tiberim juxta pontem Marmoreum, atque clusuram super se in integrum vinea, quæ appellatur Valle Arcese, et clusuram super se in integrum vineatam, cum arboribus olivarum. Et B ecclesiam sancti Sebastiani, et modicam vineam ante se cum oliveto, atque clusuram de vinea, quæ ponitur subtus posterula Tiburtina juxta silice, qui vocatur Quarrati. Pari modo clausuram in integrum super se de vinea, quæ vocatur Ortu Magno. Fundum Casaperta, clusurellam de vinea, quæ vocatur Asorbo, portionem in Prato majore, quo fuit de Calvo episcopo; fundum Stafilanum in integrum, fundum Romaniano in integrum, fundum Patelini in integrum, fundum Ozano in integrum, fundum Criptule, fundum Panzi, fundum Diruti, fundum Agnaniole, fundum Macroniano, fundum Semissano, fundum Paternum. Vallelonga fundum sanctæ Mariæ in Pesile, fundum Donabelli, fundum Factoro, C fundum Lucu, fundum Catacumba cum ecclesia sancti Laurentii, fundum Afri cum prænominatis fundis in integrum omnibus positis territorio Prenestino et Tiburtino. Item clusuram de vinea, quæ vocatur Ancarano, in integrum cum arboribus suprascriptis; terram et vineam quæ appellatur Pentuma, quæ fuit de Tetualdo presbytero; petias duas de vinea ad sanctum Laurentium in duobus locis: itemque fundum Porclanicum in integrum cum omnibus suis pertinentiis; fundum Otorano, fundum Arcerano, fundum Palasano, fundum Cesuline, fundum Olebano, fundum Campelione, fundum Ojano et Priano, fundum Cammerano, fundum Collemundum, Catilano, Cocubalo, Pacurano: ecclesiam sancti Angeli cum omnibus suis pertinentiis, positam in territorio Ferentinello D minore; omnia territorio Campanino. Verum etiam fundum Falconiano cum ecclesia sancti Nicolai, fundum Fontiniano et Colle de Morelli, fundum Toccanellum, fundum Capla, fundum Oraro fundum Gratuliano, fundum Cerviano, fundum Labezano, fundum Casanico, fundum Domum cum ecclesia sancti Petri; fundum Ponzia, fundum Pozzorosano cum vinea clausura super se, quæ ponitur juxta Caranico, et Vallem modiorum quatuor cum Castanieto suo juxta sanctum Petrum, cum terris, vineis et casis atque silvis per diversa loca territorio Aquilano positam. Itemque territorio Albanense fundum Sorano cum vineis seu terris et criptis, et ecclesia Sanctorum quatuor: fundum Silva Majore: portionem quæ fuit de Floro episco-

po : petiam de vinea in Zizinni, seu et clusuram A de vinea in integrum, quæ ponitur in fundo Cerasano. Necnon casinas duas ad pontem Salarum ; portionem de Palmi cum terris et hortis. Prata duo juxta Portam Majorem ; casalinas duas, unam in Pedica, quæ vocatur Burdunaria, et aliam in Campo Majore. Pari modo domoras in integrum cum cortis et hortis, et ecclesia sancti Theodori, positas infra civitatem Romæ juxta Porta Majore, sicut fuerunt de Floro episcopo. Similiter domoras, quæ fuerunt de Joanne et Stephano de Griphi, cum corte et pergule et hortulo juxta Formam Claudiam. Et vineam clusuratam in integrum cum arboribus pomiferis, cum criptis juxta viam, quæ ducit ad Jerusalem. Simili modo domum in integro cum corte et hortulo et vinea, et cum omnibus B ad eam pertinentibus, positam Romæ Regione Septima, in qua domo est ecclesia sancti Viti. Necnon et vineam seu terram juxta Jerusalem. Item clusuram de vinea in integrum in Albano in fundo Zizinni, petias sex ; atque domum in integrum cum hortulo, positum juxta sanctum Martinum. Similiter domum cum corte quæ ponitur in Sibura.

Pari modo et monasterium sancti Erasmi cum omnibus suis adjacentiis vel pertinentiis, sicut in vestro continetur præcepto : pariterque petias duas de vinea Inosti, una quidem in fundo Mauri, et alia in Calabriceto. Similiter pratum cultum et assolutum fundo Aguzanu. Quæ suprascripta cum omnibus fundis, seu casalibus, massis, ecclesiis, monasteriis, domibus, hortis, vineis, servis, et C ancillis, colonis et colonabus, fluminibus et aquimolis, piscariis, sicut supra legitur, vel etiam in aliis partibus vel civitatibus, ubicunque vestrum venerabile monasterium tenere et possidere videtur per quodcunque instrumentum chartarum, tam per præcepti paginam, seu privilegii jura, necnon per commutationes seu donationes et omnia quæ fideles Christiani vestræ sanctæ congregationi pro suorum venia delictorum donaverunt, vel undecunque chartulis tam vetustis quamque etiam novis in vestro monasterio habere videmini, roborabiliter vobis vestrisque successoribus per hoc nostrum apostolicum præceptum confirmamus detinendum perpetualiter atque perenniter. Verumtamen confirmamus vobis casale unum in integrum, quod vocatur... juxta Quartum cum prato D suo inter affines, a primo latere casale, quod vocatur Barbilianum, et ab alio latere fundum Munitula, saliente ab ipso prato per limites suos usque ad parietes desertas, quæ sunt ultra Formam, et exeunte in via Publica, et a tertio latere ipsa via Publica ; a quarto latere fundum, quod vocatur Decorita, aqua descendente per limites suos in formam Jovia, et exeunte per formam, et revertente per limitem juxta aquam usque ad prædictum fundum Barbilianum. Verum etiam fundum in integrum Sexto cum prato suo juxta rivum inter affines, ab uno latere via quæ pergit ad pontem Adenona, et ab alio latere via publica, et si qui alii affines sunt. Omnia vestris piis locis, et sanctæ nostræ Romanæ, cui, Domino auctore, deservimus, Ecclesiæ, inclinati precibus vestris, per hujus apostoli privilegii seriem suprascripta omnia immobilia loca cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, a præsenti prima indictione et in perpetuum vobis vestrisque successoribus concedimus et confirmamus detinendum in usum et utilitatem ipsius venerabilis monasterii. Ita tamen, ut quotidianis diebus sacerdotes et monachi ipsius monasterii pro remedio animæ nostræ, nostrorumque successorum clament in eadem ecclesia centum *Kyrie eleison* et centum *Christe eleison*, et sacerdotes sacras oblationes in missarum solemniis tribus vicibus per singulas hebdomadas pro absolutione nostræ animæ, nostrorumque successorum pontificum omnipotenti Deo offerant. Statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestationem et anathematis interdictum, ut nullus unquam nostrorum successorum pontificum, vel alia quælibet magna parvaque persona audeat vel præsumat de omnibus suprascriptis immobilibus locis cum omnibus illorum pertinentiis et adjacentiis, ut supra legitur, contra hoc nostrum pontificale privilegium agere vel alienare aut auferre præsumat; sed potius firmum atque stabile perpetuis ac perennis temporibus, ita ut a nobis statuta sunt, decernimus permanendum. Si quis autem (quod non optamus) contra hoc nostrum apostolicum privilegium temptator exstiterit, et in quoquam contraire, et transgressor esse voluerit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, et Domini nostri, apostolorum principis, Petri, cujus licet immeriti, Domini tamen dignatione, gerimus vices, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienum. Qui vero pio intuitu verus custos et observator exstiterit hujus nostri apostolici privilegii, meritis atque precibus beati Petri apostolorum principis, et sancti Benedicti in æthereis arcibus præmia ac benedictionis gratiam atque misericordiam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque æternam consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis, scriniarii et notarii sanctæ summæ sedis apostolicæ in mense Maio, indictione supra jam dicta prima.

✠ Bene valete. ✠

Datum VI, idus Maii per manum Marini, sanctæ Polimartiensis Ecclesiæ episcopi et bibliothecarii summæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus Domini nostri Joannis summi pontificis et universalis X (354) Papæ in sacratissima sede beati

(354) Scribe *universalis XII Papæ* : neque enim Chronologicæ Notæ cum temporibus Joannis X Papæ alligari possunt. Ughellius tom. VIII Ital. Sacr. in archiepiscopis Beneventanis bullam refert ejusdem pontificis *Joannis XII*, datam *per manus Marini episcopi* (id est *Polimartiensis*) *et summæ sedis apostolicæ bibliothecarii*, *anno Domini propitio* (scribe *Deo propitio*) *pontificatus domni nostri Joannis*, etc.. *undecimo* ; *mense Decembri*, *indictione* 15. Scribendum *anno primo*, si a Septembri indictio nova deducatur, aut *anno secundo*.

Petri apostoli tertio, in mense et indictione suprascripta prima.

Accedat etiam ad majus Sublacensis cœnobii ornamentum nomine diploma, quod itidem in ejus tabulario asservatur.

VIII.

RESCRIPTUM JOANNIS PAPÆ XII PRO EXCOMMUNICATIONE ARTALDI RHEMENSIS, AMBLARDI LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPORUM, etc., OB S. SYMPHORIANI POSSESSIONUM INVASIONEM.

(Anno 958.)

*Transmissio excommunicationis.*

[Apud Mansi *Concil.* tom. XVIII, col. 450].

Anno incarnationis Dominicæ 959, indictione III, imperante Michaele imperatore Constantinopoli, domno autem Joanne apostolico Romæ præsidente, regnante vero Lothario Francorum rege, transmissa est hæc excommunicatio archiepiscopis Franciæ et Burgundiæ: Artaldo Rhemensis Ecclesiæ archiepiscopo et subjectis sibi episcopis, Amblardo Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopo, Rodmundo Edunensis Ecclesiæ episcopo, Achardo Lingonensis sedis episcopo, Frotgario Cabilonensis Ecclesiæ episcopo, Natrano Nivernensi episcopo, Richardo Antissiodorensi episcopo, de terra et alodo S. Fausti, et sanctæ Augustæ, et S. Symphoriani, quæ est in regione Provinciæ, in finibus loci qui vocatur Magna; quam tenet per potestatem Isuardus et socii ejus.

*Excommunicatio.*

Auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et ordine omnium sanctorum, et nostra communi excommunicatione alligamus et anathematizamus Isuardum et omnes socios ejus, qui tenent terram S. Symphoriani. Ut nullus eorum, postquam hoc audierit, ecclesiam non intret, missam non audiat, pacem cum Christiano non faciat: neque manducet, neque bibat, neque dormiat; et si infirmaverit, non visitetur; et si mortuus fuerit, non sepeliatur, neque pro eo oretur, nisi ad emendationem et satisfactionem venerit.

De his terris S. Symphoriani quæ sitæ sunt in comitatibus Avenionense et Cavellico, tandem satisfecit Isuardus Girardo Augustodunensi episcopo (352). Feria III, XVII Kalendas Augusti, anno Domini 972, indictione XV, regnante quidem rege Gondrado. Rerum autem in Cavellicensi episcopatu sitarum restitutionem, Hugoni ecclesiæ S. Symphoriani Cavellicensis decano et clericis ejus factam, confirmavit Desiderius episcopus Cavellicensis.

IX.

EPISTOLA JOANNIS PP. XII AD SANCTUM DUNSTANUM CANTUARIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 960).

*De concessione pallii.*

[Apud Mansi *ubi supra*].

Joannes episcopus, servus servorum Dei, confratri Dunstano Dorobernensis Ecclesiæ archiepis-
A copo, vitæ perpetuæ permanendam in Christo salutem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et oculis conspectant vigilantibus ne aliqua ex ovibus aut errando pereat, aut labianta morsibus rapiatur, quanta cura quantoque sudore debemus esse pervigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores esse earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam ovium Dominicarum, ne quasi lupo veniente territi fugiamus, ne in die divini examinis pro desideria nostra ante summum pastorem et negligentia vestra excruciemur, unde modo honoris reverentia in sublimiore arce cæteris dijudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex
B more antecessorum tuorum vices apostolicæ sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum ejusque successores præfatæ Ecclesiæ pontifices habuisse dignoscitur.

Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad missarum solemnia celebranda commendamus; quo tibi non aliter uti concedimus, quam eo usu quo antecessores nostri prodiderunt, ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel quicunque, quantum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus, Deo auctore, posses esse conspicuus, ita ut vita filiis tuis sit regula; et in illa, si qua fortitudo illis inest, dirigantur, dum in
C ea quæ imitentur aspiciant.

*Et in fine epistolæ*: Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam pervenire simul mereamur dulcedinem. Et hoc scriptum est per manum Leonis, scriniarii sedis apostolicæ, in mense Octobris, indictione quarta, die primo Kalend. Octob. anno duodecimo [sexto] summi pontificis Joannis.

X.

PRIVILEGIUM JOANNIS PAPÆ XII PRO MONASTERIO S. SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 961).

[Apud Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, p. 328].

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto
D filio Hattoni venerando abbati venerabilis monasterii sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et sancti Bonifacii martyris Christi, quod situm est in loco Boconiæ super ripam fluminis Fuldæ, tibi successoribusque tuis abbatibus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationalibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis quatenus præfatum monasterium sancti Salvatoris privilegii sedis apostolicæ infulis decoretur ut sub jurisdictione nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; idcirco piis desideriis favent

tes hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit inconcusse dotatum permaneat locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus in jura ipsius venerabilis monasterii divina pietas augere voluerit ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul vel quacunque dignitate persona hanc nostri privilegii chartam quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permanaat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Leonis, secundicerii sedis apostolicæ, in mense Decembrio, indictione quinta.

Datum IV Idus Decembris per manum Joannis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis papæ XII, in sacratissima sede beati Petri apostoli, in mense sexto indictione quinta.

XI.

JOANNIS PAPÆ XII PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA SALZBURGENSI.

(Anno 962).

*Ecclesiæ Salzburgensis privilegia et possessiones confirmat. Friderico archiepiscopo pallium, petente Ottone imperatore, concedit. Heraldum cæcatum dejectumque archiepiscopum, nisi procurare sacra desistat, anathematizatum iri denuntiat.*

[Apogr. sæc. XII in tabuiario Vindobonensi.—Apud Kleinmayern *Nach. v. Iuv. Archang.* 208].

Si sacerdotum, etc.

Data VII Idus Februarii per manum Andreæ, arcarii sanctis sedis apostolicæ, etc.

XII.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XII AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ABBATES, CLERUM ET POPULUM GALLIÆ, GERMANIÆ ET BAVARIÆ.

(Anno 962).

*Ob Ottone I imperatore rogatus decernit ut monasterium Magdeburgense in archiepiscopatum et Merseburgense in episcopatum Magdeburgensis Ecclesiæ suffraganeum commutetur.*

[Apud Mabill. *Acta SS.*, Sæc. V, p. 575].

Joannes episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis confratribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, monachis, primatibus, omni clero et populo, in Gallia, Germania, Bavaria constitutis.

Quoties ad profectum novæ Christianitatis, concessionis firmitatisque privilegium a sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore deservimus, exposcitur, toties omni diligentia omnique amore impertiri operæ pretium duximus; ne quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia od desidiam indeficienter subripiat. Totis ergo viribus, charissimi fratres, certandum est, ut Christianitatem, quam Deus omnipotens per servos suos cœlesti tropæo quotidie extendit et provehit, nostro quoque per eum adjutorio, in eodem solidetur et maneat. Nunc vero Dei operante clementia charissimus et Christianissimus filius noster Otto, devictis barbaris gentibus, Avaribus scilicet aliisque quamplurimis, ut ad defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ triumphalem, victoriæ imperii culmen, per nos a beato Petro apostolorum principe susciperet coronam, summam et universalem, cui Deo præsidemus auctore, adiit sedem: quem paterno affectu suscipientes, ob defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ in imperatorem cum beati Petri benedictione unximus. Cumque in ecclesia beati Petri apostoli de statu et regimine totius Christianitatis tractantes, quæ utilia sunt, utiliter secundum Deum tractarentur, præfatus piissimus imperator Otto, qualiter Sclavos, quos ipse devicit, in catholica fide noviter fundaverat, nostræ innotuit paternitati, deprecans et obnixe postulans, ne oves, quas ipse in Christo acquisierat, ob pastoris defectionem antiqui serpentis versutia dominaretur. Ad hanc itaque petitionem ascensum, fratres charissimi, merito præbuimus. Totis ergo medullis cordis, prout dignum est, ut novella hæc plantatio super verticem montis in petra, quæ Christus est, fundetur, intendamus: dabit vires qui neminem vult perire. Cujus annuente clementia volumus, et per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdaburgense monasterium in regno Saxonum juxta Albim constructum, quod prælibatus sanctissimus imperator ob novam Christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in archiepiscopalem transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere et gubernare valeat. Volumus et per hanc privilegii paginam jubemus, ut Mersburgense monasterium, quod ipse piissimus imperator, quia Ungros prostravit, futurum Deo devovit, in episcopalem evehatur sedem, quæ Magedaburgensi sit subdita sedi; quia tot gentes sub uno pastore regi minime possunt. Volumus et per nostræ auctoritatis privilegium censemus, ut censum, et decimationem omnium gentium, quas idem piissimus imperator baptizavit, vel per eum suumque filium æquivocum regem successoresque eorum Deo annuente baptizandæ sunt, ipsi successoresque eorum potestatem habeant distribuendi, subdendi Magedeburgensi, Mersburgensi, vel cuique velint futuræ sedi. Volumus etiam, charissimi fratres, et ex beati Petri apostoli jussione

præcipimus et Moguntiensis, Treverensis, Coloniensis, Salzeburgensis, Hammaburgensis archipræsules, Magedaburgensis monasterii in archiepiscopalem, et Mersburgensis translationem in episcopalem sedem totius cordis corporisque viribus consentanei fautores persistant. Cum vero Deus omnipotens per prætaxatum servum suum invictissimum imperatorem, suumque filium regem, successoresque eorum, vicinam Slavorum gentem ad cultum Christianæ fidei perduxerit, per eos in convenientibus locis secundum oportunitatem episcopatus constitui, et eidem per consentum prædictorum, et archipræsulum successorumque eorum, ab archiepiscopo Magdaburgensi episcopos consecrari volumus suffraganeos. Sed tamen si præfati filii nostri piissimi imperatoris, suique tibi æquivoci regis successores eorum statuta frangere tentaverint, aut prædictarum ecclesiarum cæterarumque præsules successoresque eorum Magedeburgensi archiepiscopo suisque successoribus, adjutores consentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, a summoque retributore damnationem sine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus serenissimo imperatori Ottoni, suoque nato æquivoco regi spiritualibus filiis nostris longævam tribuat vitam; quatenus in hoc sæculo tranquille viventes, in futuro immarcessibilis gloriæ percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Februario, indict. 5. Data II Id. Februarii per manum Georgii secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis papæ VII, imperii domni piissimi Augusti Ottonis a Deo coronati magni imperatoris anno 1, in mense et indictione prædictis.

## XIII.

EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XII AD HENRICUM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 962.)

*Illi usum pallii iterum concedit.*

[Apud Gunther., *Cod.diplom.Rhen.—Mosell.*I,127.]

JOANNES servus servorum Dei, charissimo ac reverentissimo HENRICO sanctæ Trevirensi Ecclesiæ archiepiscopo, diebus vitæ tuæ tantummodo..... Datum VI Idus Jan. per manum Leonis nomenculatoris sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis XII papæ in sacritissima sede beati Petri apostoli secundo, in mense Januario, et indictione XV, anno incarnationis Domini 957.

## XIV.

JOANNIS PAPÆ XII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SS. STEPHANI ET DIONYSII ET SYLVESTRI ROMANO.

(Anno 962.)

[Marini, *Papiri diplomatichi* I, 45.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio et a nobis constituto abbati THEOFILACTO venerabili monaster... et Dionysii atque pontificis Sylvestri qui appellatur Cata Pauli quondam papæ successoribusque tuis abbatibus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et poscenti animi alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc potissimum præmium apud conditorem omnium Domino veniam promeremur sive venerabilia loca sanctorum ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia tua religiositas apostolatui humiliter p..... quatenus concederemus et confirmaremus vobis prænominatum monasterium cum Ecclesiis omnibus suis ædificiis et pertinentiis cum infra se, quamque etiam circa se, simulque montem in integro qui appellatur Augusto cum ecclesia sancti Angeli in cacumine ipsius montis una cum vineis et terris circa eumdem montem, et ecclesia sancti Nicolai integra cum omnibus suis pertinentiis, sicuti inferius affines signatur, ab uno latere via publica quæ ducis sub arcora et forma qui appellatur *virginis*, et a secundo latere ipsa forma virgini et monte qui dicitur Pinei, et a tertio latere muros civitatis Romæ et porta sancti Valentini, et a quarto latere dicto muro istius civitatis remeante usque in Posterula antiqua quæ olim cognominabatur sanctæ Agathæ; et via ab ipsa Posterula quæ pergit juxta supra scripta ecclesia et via publica quæ ducit sub arcora sita namque Roma Regio quinta. Itemque et trans prædicta forma et terræ cum ædificiis earum sicuti eadem monasterium detinere videntur cum terra infra se Archiones subtus vinea de Joannis olim magni..... episcopi..... Rerumque Columna majore marmorea in integra quæ dicitur Antonino sculpta ut videtur esse per omnia cum ecclesia sancti Andreæ ad pedes, et terra in circuitu suo sicuti undique a Publica via circumdata esse videntur infra hanc civitatem Romam constructa. Itemque et duæ ecclesiæ una majore et alia minore quæ dicitur sancta Maria, namque sitæ ante portam supra scripti monasterii; et ecclesia sancti Hypoliti cum sua pertinentia quæ est foris supra scripta forma cum ecclesia sancti Anastasii cum puteo post se cum sua pertinentia; et ecclesia sancti Stephani qui dicitur a Campo; et ecclesia sanctæ Mariæ quæ ubi dicitur Arciones; et ecclesia sancti Joannis quæ ponitur in Pinea cum sua pertinentia. Necnon confirmamus vobis monasterium in integrum sancti Valentini cum omnibus suis ædificiis et adjacentiis suis ubique rejacere videtur ejus pertinentiis sita foris porta item quæ dicitur sancti Valentini juris supra scripti venerabilis monasterii. Verum etiam et confirmamus vobis pontem Milvium in integrum cum omnibus ejus ingressu et egressu, dationem vel tributum. Pari modo et terram sementariciam sitam foris portam sancti Valentini juxta muros hujus civitatis Romæ manu læva inter affines a primo latere Fossatum quod est carbonaria inter ipsum murum, et

eadem terra extenderet usque in fluvium Tiberim; A et a secundo latere ipsum fluvium et a tertio latere via publica quæ ducit et reducit ad sanctum Valentinum, et a quarto latere..... juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In monte et alia terra sementaricia cum ortalibus suis in ingressu cum omnibus ad eum pertinentem posit. Ibi ipso manu dextera euntes ad sanctum Valentinum cum arco majore infra eadem terra quæ appellatur Passaranum et ortum piscium in integrum inter affines a primo latere jam dicta via Publica, et a secundo latere fontana aquæ vivæ communalis inter supra scriptum monasterium et Gregorium Mansonario scholæ confessionis beati Petri apostoli, et exinde recte ducente usque in caput de pariete antiqua, et a tertio latere terra de venerabili monasterio sancti B Ciriaci qui ponitur via Lata et recte per limite ducente (sic) sursum per Planum Montis qui dicitur Bossetulo et exit in via Flaminea. Nempe et confirmamus vobis cassale in integrum qui, dicitur Girulo cum diversis arboribus suis, cum omnibus ad eum pertinentibus, sicut vobis per scripturarum seriem pertinere videtur positum foris portam sancti Valentini milliario ab urbe Roma plus minus unius inter affines ab uno latere via publica quæ est silice antiqua qui descendit usque in Sanguinaria, et a secundo latere Formello aquæ vivæ qui exit sub monte istius Girulo seu prato de supra scripto sancto Ciriaco, et a tertio mou.... præd. Monasterium sancti Valentini, seu terra sementaricia juris vestri monasterii quam detinent hæredes C Romani a campo Martio a quarto latere. Itemque confirmamus vobis casale unum in integrum qui appellatur Pelajolo cum terris suis sationalibus, campis, pratis, pascuis, mont. in quo est ecclesia sancti Sylvestri in desertis posita, et cum omnibus generaliter ad eum et in integro pertinentibus, sicuti olim in supra scripto venerabili monasterio in commutationem dedit per commutationis chartulam Albericus quondam Romanorum senator in qua et ille cum suis fratribus.... manibus subscripserunt, videlicet Constantius nobilis vir, Sergius sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ episcopus, cum Berta et alia Berta propter vallem sancti Viti quem in venerabili monasterio fuit posit. foris portam Salariam milliario... tertio juxta fluvium Tiberis inter affines ab uno latere fundum Gorgini, et a secundo latere ipsum fluvium Tiberis seu terra ubi nunc sunt vineæ cum prato suo de venerabili monasterio sancti Bazilii sit. in Scala mortuorum cum alia terra. Item cum prato suo de venerabili monasterio sanctæ.... terram cum prato suo de Gregorio a Capo Marzo; a tertio latere fundum ad quinque columnas, et qui dicitur Molario, et a quarto latere etiam confirmamus casale in integrum qui dicitur Gallorum et Balleolum et Pacianum sive quibus aliis vocabulis vocabantur aut ab origine fuerint sicut olim.... per donationis chartulam in supra scripto vestro obtuli monasterio cum terris stationabilibus, cryptis arenariis, campis, pascuis, pratis, ædificiis parietinis adventus, adjacentibusque suis montibus, planitiis, puteis, fontibus cultum et incultum, omnibusque ad eum pertinentibus situm foris.... ab ipso ponte plus minus unius. Inter affines ab uno latere casale quod fuit quondam Rose superinstante et a secundo latere pariete antiqua, et terra quæ olim fuit quondam Azzonis sacella filii qui nunc detinet Elpizo nobili viro, et a tertio latere terra Stephani de Teodoro.... latere crypta quæ dicitur Serpentarico cum alia terra vacante juxta se juris monasterii sancti Viti. Namque et alia terra sationales petias duas in integras ibi ipso positas juxta ipsum casale supra scripta crypta de ista parte ipsius cryptæ juris monasterii sancti Viti. Pari modo et foris.... Nument.... casale in integrum quod appellatur Lampati cum omnibus ad eum pertinentibus. Pari modo confirmamus vobis casale uno in integro quod dicitur Aguziano qui ponitur foris pontem Matra, præterea et confirmamus vobis fundora tres in integro unum qui dicitur ponte de Nono *ab intra* ipso ponte cum diversis terris sationalibus arboribus suis sive cryptæ arenariis cum parietinis desertis Sinino opere coopertæ, cultum et incultum, et cum omnibus ad eum pertinentibus posit. ponte supra script. Joannis, qui dicitur via Latina nuncupatur milliario ab urbe Romæ plus minus nono. Inter affines a primo latere supra scripta forma aquæductionis quæ dicitur Claudia et præd. ponte qui dicitur Nono; et a secundo latere jam præfata forma qui dicitur Ebeberatorium, et a tertio latere corte de Morene, et a quarto latere limite qui dicitur justa crypta, qui dicitur Ardenda juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Itemque et alium fundum qui dicitur Dominicalia in quo est ecclesia deserta cum hortis et parietinis suis, cultum et incultum, omnibusque ad eum pertinentibus situm supra scripta via Latina juxta ipsum prænominatum fundum qui dicitur ponte de Nono. Inter affines ab uno latere ipsum fundum et a secundo latere rivo cum aqua decurrit qui appellatur Papati, et a tertio latere via publica cum silice antiqua et a quarto latere forma majore et fundum qui appellatur septem Vassi cum ejusdem pertinentia, etiam et fundum alium in integrum qui vocatur.... nos cum diversis locis et vocabulis, videlicet valle Manciaria, casa pretiosa, monte qui dicitur Paupelli et campo qui dicitur Albanensis, vel si quis nuncupantur cum terris et sationibus suis. Silvis et diversis arboribus suis, aquimolis molentibus, sive ecclesiam desertam quæ dicitur sancti Petri positam jam de via Latino milliario ab urbe Roma plus minus decem, ab uno latere terra sementaricia ubi olim fuerunt prata qui vocantur Pauli, a secundo latere fundum Civitella, a tertio latere via Publica qui descendit ubi dicitur cella sancti Petri, et a quarto latere ecclesiam deserta quæ appellatur sanctæ Mariæ in diaconia et exinde descendit per Fossatum usque in suprascripta forma majore, vel si quis aliis vocabulis nuncupantur juris venerabilis monasterii sanctorum apostolorum

Andreæ et Bartholomæi qui appellatur Honorii. Imo et ecclesia una in integra qui dicitur sancti Angeli cum vineis et terris circa seposita territorio Albanensi milliario ab urbe Roma plus minus... in monte qui dicitur Crescentuli, simulque vineæ in integro cum introitu suo atque redimire ad calcatorio suo posit, territorio Albanensi, in loco qui vocatur Cassa nova. Item vineæ petiæ quatuor in integre cum redimine et calcatorio suo in introitu suo ejusdem territorio in loco qui vocatur Jusi, atque vinea cum redimine ac calcatorio suo cum introitu suo a territorio Ariciense, posit. in loco qui vocatur Cucurti. Etiam concedimus vobis casale qui appellatur Zinziomi cum ecclesia sanctæ Mariæ, vineis, terris, seu aquimolum, et scriptis sicuti manibus vestris detinetis jam d. territorio Albanens., positum milliario ab urbe Roma plus minus tertio decimo... etiam duæ petiæ vinearum in loco qui vocatur Honorii, territorio Arciens. Nempe et in suprascripto territorio Arciense in loco qui vocatur... um in pede silice majori (*sic*) juris venerabilis diaconiæ sanctæ Mariæ quæ appellatur Cosmedi. Pari modo concedimus, ac confirmamus vobis medietatem in integrum de uno filo salinæ in loco qui vocantur Fossatum majore, sicuti vobis per scripturarum seriem evenit ab hæred. quondam domino qui dicitur Cacoinbucte. Similiter et alium unum filum in integrum qui appellatur sancti Sylvestri in loco Campo majore juris ejusdem præfati vestri monasterii. Etiam confirmamus vobis aquimolum duo molentes in integros in fluvium Tiberis, juxta schola Frisorum posit., sicuti vobis ejusdem aquimolo... quondam Alto Amaro, atque alium aquimolum molentem unum in integrum cum ligamentorio et introitu suo et cum omni conzatura sua et omnibus ad eum pertinente, sicuti manibus vestris detinetis, vel secuti a predecessore nostro papa Agapiti sanctissimi... per sui privilegii pagina vobis concessit atque confirmavit, in suprascripto fluvio Tiberis ante clavaca, cum aqua post se ad alium aquimolum faciendum, inter affines ab uno latere aquimolum sanctæ Mariæ in Capitoleo et aquimolum Leonis protoseminarii, et a secundo latere medietas ipsius fluminis, et a tertio latere aquimolum Theofilacti qui vocatur Numenculario, et aquimolum de monasterio sancti Ciriaci qui est in via Lata, et a quarto latere via Publica juris cui existens, nempe et monasterium in integrum qui vocatur sancti Terentiani cum omnibus subscriptis cellis suis, videlicet sancti Stephani atque sanctæ Mariæ, sive cella sancti Benedicti, et sancti Sylvestri, et sancti Val., vel cum omnibus eorum pertinentiis situm territorio Polimarciense, juris ven. monasterii sancti Christi martyris Laurentii, Præsertim dum sanctorum suffragia Cristo *noctis* opere convalescit nisus fuerit (*sic*). Igitur quia petiit a nobis tua religiositas quatenus confirmaremus vobis in honorem Dei se Salvatoris Domini nostri Jesu Christi *Curiliani* cum omnibus suis pertinentiis, et reddimus suprascripto monasterio massa qui vocatur Ortana, sive quo alio

A vocabulo nuncupatur, inter binos annos a nobis jam d. monasterio subtractus esse (*sic*) cognovimus. Nam qui se misericordia... inopiaque ipsius ven. monasterii percogitantes omnipotentis Dei amore animæque mercede, nec non pro monachorum fratum subsidia (*sic*) reddimus atque confirmamus vobis, vestris successoribus in perpetuum præd. massam in integrum, una cum suis casalibus, scilicet Mojana, Tojana, Ociana, Antiquina... Suranco, Betruano, casale Pingiano, Terenzano, Centum cellæ, Coriliano (*al.* Catiliano *vel* Camilliano), Pòzanelle, Cenbriano, Collicello, Julianello, Sepuliano, puteum, de casale Futicanum cum rivis et aquis, et cum casis, vineis et terris et silvis, campis... pascuis, salectis, arboribus pomi-

B feris et infructiferis, pratis, fontibus, rivis aquæ perennis, ædificiis parietinis antiquis adjacentibusque suis, cultum vel incultum cum aquimolis suis, nec non et cum colonos et colonas (*sic*), masculis et feminis omnibusque ad eamdem massam qui vocatur Ortana, sive quo alio vocabulo nuncupantur, generaliter et in integro pertinentibus; pariterque concedimus atque confirmamus vobis ecclesiam unam in integram cognomento sancti Juvenalis, cum terris, silvis, atque olivetis, universis arboribus, cultum vel incultum, omnia sita suprascripto territorio Ortano milliario ab urbe Roma plus minus quinquagesimo. Iterum stabilimus vobis infrascriptam civitatem Ortanam casis ad suprascriptam ecclesiam sancti Juvenalis pertinentem, et omni-

C bus immobilibus locis quæ juris suprascripti ven. monasterii pertinuit, tam infra Ortana civitate quamque etiam ubique in ejus territorio de foris sunt positæ. Itemque confirmamus vobis Paternum in integrum cum omni sua pertinentia, cum casis, vineis et terris silvis, pratis, salectis, et cum omnibus ad eum generaliter et integre pertinentibus tam infra se quam etiam de foris, posit, infrascripto territorio Ortano; affines ejus ab uno lætere caselle, et a secundo latere fluvium decurrente (*sic*), et a tertio latere Coreliano, et a quarto latere casele juris Pinatorum et Septiniano. Iterumque etiam stabilimus vobis omnibus immobilibus locis quæ jus suprascripti vestri monasterii pertin. infra civitatem Gallesana, et in ejus ubique territorio

D sive in his trium fundorum qui appellantur Cazanum, Pusiniam et Cesa Narniense. Verum etiam et massa quæ vocatur Precihano vobis concedimus cum omnibus ad eam generaliter pertinentibus, sita territorio Savinensi, juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, inter affines ab uno latere massa quæ vocatur Paura, et a secundo latere rivo de Utriculo qui vocatur Butino, a tertio latere res monasterii sanctæ Mariæ, et a quarto latere res monasterii sancti Salvatoris. Verum etiam et conmamus vobis res quæ jurisdictionem et juste a vestro monasterio pertinente (*sic*) in territorio Nepetimo, et Casa mala, quæ est fundi qui vocatur Casa nova et Bobarica atque Boltejano, una cum servis et ancillis, ibidem residentibus ad eamdem jam di. vestro monasterio pertinentibus. Nec

non et confirmamus vobis ea quæ per scripturarum seriem ejusdem monasterii jam d. territorio Ab Alto quondam Amaro vobis pertinuit. Itemque confirmamus casale integrum qui vocatur Paccianum, cum omnibus ad eam pertinentibus, posit. territorio Sutrino seu cella sancti Georgii cum ad se pertinentibus in suprascripto territorio Sutrino. Simulque et omnes res confirmamus vobis qui jus et rationem suprascripti vestri monasterii pertinet in toto territorio Collinense, et in loco qui vocatur Vallis et Tintorissi, in monte qui vocatur de Arca, sive in sancto Cassano et in Curte, atque in Baccaricio, cum vineis et terris sationalibus, silvis cum pantano suo majore, cum casis et colonis et colonabus suis ubique commorantibus ad ipsum præd. vestrum monasterium pertinentes omnia suprascript. immobilium locorum juris sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ et suprascript. monasterium vel aliorum piorum locorum cujuscunque existunt. Inclinati precibus vestris... succ... animabus intercessione pro inviolabili confirmatione et stabilitate monasterii suprascripti, per hujus in perpetuum præceptum seriem suprascriptæ massæ in integre qui vocatur Ortana, cum vineis seu terris, casalinis atque aquimolis, et universis colonis colonabus, filiis, filiabus eorum ibidem residentibus, cum ecclesia integra sancti Juvenalis juxta eadem posit., nec non et prænominato Paterno in integro et cum omnibus ad eum pertinentiis ut superius leguutur a præsenti quinta ind. in perpetuum. Concedimus atque confirmamus vobis, vestro suprascripto monasterio inconvulse detinendum omne quod qua indiget melioratione seu defensione indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatur ea prorsus ratione ut nec licentia sit cuique comiti aut castaldo, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ de suprascriptæ massæ aut Ecclesiæ pertinente, vel de familiis ibidem pertinentibus vel residentibus in quoquam diminuare vel alienare vel aliqua chartula contra eodem ven. monasterium litigandum demonstrare, alioquin si quispiam nostro subgessit apostolatui et de præd. massæ pertinent. aut de suprascript. ecclesiæ præceptum a nobis factum contra idem monasterium per eum litigare voluerit, inanem et vacuum facimus permanere eoque injuste et contra legem contractum est. Statuentes apostolica censura sub divino judicio (*sic*) obtestatione auctoritate beati Petri principis anathematis interdictum ut nulli unquam nostrorum successores (*sic*) pontificum, vel aliæ cuilibet ut posse relatum est, magnæque personæ in ipsæ prænominatæ massæ seu ecclesiæ aut vineis, terris, vel omnia ejus pertinentia aliqua (*sic*) vim facere audeat, se potius aut propria utilitate et usu in præfatum monasterium pro sustentatione et alimoniis fratrum monachorum ibidem commorantibus (*sic*) perpetuis maneat temporibus. Si quis autem temerario ausu contra nostrum hujusmodi apostolicum confirmationis præceptum a nobis promulgatum contemnere præsumpserit, sciat se domni nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, atque a regno Dei alienum et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, sive cum Juda traditore Jesu Christi in æternum igne concrematum, simulque et voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiant. Qui vero pio intuitu custodes et obedientes, atque observatores hujus salutiferi præcepti confirmationis nostræ steterit, benedictionem et gratiam cœlestis retributionis, æternaque gaudia sub justo judice Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Martii, et indict. suprascripta quinta. Bene valete. † Datum octavo die Martii per manus Joannis episcopi et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus domni nostri Joannis summi pontificis et universalis duodecimi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo.

Ego Cirinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarius, sicut inveni in carticineo privilegio Joannis episcopi nihil minui vel addidi, ita scripsi et fideliter exemplavi : Deo gratias.

Ego Joannes Laurentii Angeli de Urbe auctoritate sanctæ Romanæ præfecturæ notarius, rogatus a religiosa et honesta muliere domna Jacoba de Comite, abbatissa monasterii sancti Silvestri de Capite, prout inveni in præd. sumpto seu exemplo scripto per Cirinum quondam sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarium, prædict. de carticineo privilegio fideliter sumpto ut apparet de eo quod percipere potui, fideliter exemplavi, et in publicam formam redegi ex ipso exemplo quod apparet in Lietera Limentana (*li.* Littero Beneventana), coram viris litteratis, et specialiter venerabili viro domno Joanne episcopo Nepesino domni pp. in Urbe vicario generali, et coram Joanne Omiasancti, Joanne Laurentii, Petro Laurentii, Jacobo Nicholai, Omniasancti, et Francisco Laurentii Mancini notariis testibus rogatis auscultantibus videlicet, nisi forte littera vel syllaba per errorem non..... quod veritatem dicti instrumenti mutare posset, et fideliter in publicam formam redegi, rogatus sub anno Domini millesimo trecentesimo octavo decimo, pontificatus domni Joannis vicesimi secundi papæ, ind. prima, mensis Aprilis die 26.

## XV.

### JOANNIS PAPÆ XII PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO S. PETRI BIVORENSI

(Anno 963.)

[*Origin. Guelf.* IV, 556.]

*Monasterium SS. Petri, Joannes, Viti, Stephani et Agathæ Bivorense, a Billingo comite conditum, unius sedis apostolicæ jurisdictioni subjicit, bonaque ejus confirmat, ea lege « ut sibi suisque successoribus singulis quibusque indictionibus pensi nomine rationabiliter una libra argenti super altare S. Petri conferatur. »*

Cum omnes apostolicæ, etc.

## XVI.

JOANNIS PAPÆ XII RESCRIPTUM AD EPISCOPOS SYNODI ROMANÆ.

(Anno 963).

[Pertz. *Monum. Germ.* Leg. II, 30].

Nos audivimus dicere quia vos vultis alium papam facere; si hoc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam nullum ordinare et missam celebrare.

—

## *DUBIA*

## XVII.

JOANNIS PAPÆ XII EPISTOLA AD JOANNEM ARCHIPRESBYTERUM, JOANNEM SECUNDUM ET JOANNEM TERTIUM PRESBYTEROS.

(Anno 957).

[Marini, *Diplom. Pontif.*, 65].

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis JOANNI religioso archipresbytero, et JOANNI secundo, atque JOANNI tertio religiosis presbyteris atque ejus confratribus vestrisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et petentium animis desiderabilem impertiri assensum. Tunc enim potissimum præmium apud omnium auctorem reponitur Deum quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulastis a nobis quatenus concederemus et confirmaremus vobis vestrique successoribus ecclesiam sancti Christi martyris Triphonis esse tutam et liberam ab omni condictione cum omnibus quæ ad eam pertinent; quæ per Crescentium nobilissimum Romanæ urbis præfectum, seu per cæteros ejusdem ecclesiæ vicinos a noviter est constructa. Siquidem per interventionem suprascripti filii nostri Crescentii gloriosissimi præfati jam dictam ecclesiam confirmamus vobis vestrisque successoribus per hoc nostræ auctoritatis privilegium, ita ut perpetualiter in ea permaneatis, atque perenniter laudes æterno Deo referatis, a præsenti quinta indictione vobis vestrisque successoribus concedimus detinendam. In die enim sacræ dedicationis ejusdem ecclesiæ, cum sanctissimum corpus beati Tryphonis martyris propriis nostris manibus ibidem reconderemus, promulgatum est a nobis ut quemadmodum reliquæ catholicæ Ecclesiæ infra Romanam urbem honorabiles existunt, similiter et ipsa consistat. Dignum namque est ut sancto martyri Tryphoni cum summa devotione famulemur, et ecclesia quæ sub ejus nomine omnipotenti Deo et attitulata a nobis et a nostris successoribus debitum honorem recipiat, atque in indicta ibi processione vel satione nostri sacri palatii schola cantorum conveniat. Ipse enim præcellentissimus martyr obtulit corpus suum propter Deum ad diversa supplicia, ideo promeruit coronam cœlestis A regni. Quod si conspexerit nos devotos erga suum servitium, per illius interventionem promerebimus evadere gehennale supplicium. Non enim parvi pretii opus sibi reservat præcipue cum azylum illius, quod usque hactenus exstitit breve, a fundamento est præclaro opere constructum, et in altitudinem elevatum atque in latitudinem extensum. Et quod antea videbatur strictum, et obscenum, nunc divina præeunte clementia conspicitur clarum et pulchrum. Sicut enim eumdem asylum ad honorificentiam omnipotentis Dei et pretiosissimi Tryphonis martyris est peractum, ita optima domicilia et bene decorata invenient omnes in cœlesti patria, qui in illius erectione prodesse studuerunt. Gaudet enim ipse eminentissimus martyr B cum Christo, gaudebunt et omnes illius servitores qui grata illi impendunt servitia. Sicut enim quotidie in nobis accrescunt nostri Redemptoris beneficia, ita erga ipsius ecclesiam a nobis plurima debent fieri obsequia. Glorificetur quoque Deus per nos famulos in ea ut sanctus martyr, pro cujus amore est constructa, sibi subjectos famulos Deum laudantium ad æternam perducat gloriam. Pariter confirmamus vobis et vestræ jam dictæ Ecclesiæ sancti Tryphonis oratorium quod ædificatum est in honore sancti Stephani protomartyris, cum libris et ornamentis ipsius oratorii et porticale juxta se et terra vacante ad tumulandum in circuitu suo. Item confirmamus vobis totam pusterulam quæ vocatur a Pila, cum ipsa pila quæ sita C est infra flumen Tiberis in ipsa pusterula, cum aqua ad aquimolum construendum et cum ripa ipsius pusterulæ atque percipiatis inde ripaticum a pusterula sanctæ Luciæ usque ad pusterulam sancti Martini, et cum omnibus ad ipsum oratorium pertinentibus. Possessionem in regione Campomartis juxta eamdem pusterulam quæ a pila, et inter affines a primo latere et ipsa pusterula, a secundo latere est alveus fluminis, a tertio latere murus civitatis et domus Joannis mansionarii, a quarto latere est via publica, sicut supra scriptus Crescentius nobilissimus urbis præfectus dictum oratorium sancti protomartyris Stephani a pila per donationis cartulam vobis et supra scriptæ ecclesiæ donavit atque concessit, sic eum tutum et liberum ab omni conditione aliarum ecclesia- D rum tam temporalibus quam etiam spiritualibus rebus cum tota parochia sua et omnibus suis tenimentis et pertinentiis, sicut supra dictum est, vobis et vestræ ecclesiæ concedimus et confirmamus in perpetuum. Nostrum etiam successorum pontificum quicunque vice beati Petri apostolorum principis fungi meruerit volumus atque per apostolicam auctoritatem jubemus, ut nulla occasione vel dolo hoc privilegium nostræ concessionis et confirmationis immutetur, aut aliquo modo violetur. Si quis autem, quod non credimus, temerarius exstiterit contra hoc nostrum apostolicum privilegium venire aut in quoquam disrumpere præsumpserit, et superius a nobis statutum est ita permanere non dimiserit, sciat se, nisi resipiscat,

auctoritate Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli ac nostra cujus fungimur vicariatione anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æternii supplicii incendio concremandum. Qui vero pio intuitu custos et observator exstiterit hujus nostræ apostolicæ constitutionis privilegii, benedictionis gratiam a justo judice Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, et a sancta genitrice ejus virgine Maria, vitamque æternam cum omnibus sanctis et electis Dei consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

## XVIII.

### BULLA JOANNIS PAPÆ XII PRO MONASTERIO VULTURNENSI S. VINCENTII.

(Anno 962).

[Apud Muratori. *Rer. Ital. Script.* I, II, 447].

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, PAULO venerabili abbati, et monasterio sancti Vincentii martyris Christi situm super fontem Vulturni fluminis, partibus Samniæ, territorio Beneventano, et per te in eodem venerabili monasterio tuis successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine cura insistit pro universis Dei ecclesiis ac piis locis vigilandum, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propria utilitate stipendia consequantur, ideo convenit nos pastorali tota mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime stabilitatis integritatem procurare, et sedule eorum utilitati subsidia conferre, ut Deo nostro omnipotenti id quod pro ejus sancti nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus divinæ majestatis venerabilibus collatum est locis, sit acceptabile nobis, quod ad ejus locum plenissima misericordia dignum hujusmodi pii operis in sidereis conferatu actibus remuneratio. Igitur, quia petistis a nobis quatenus monasterium beati Vincentii martyris situm supra fiuvium Vulturnum, territorio Beneventano, partibus Samniæ una cum pertinentiis suis et monasteriis, videlicet monasterium beati Petri apostoli situm juxta fluvium Sabbati, territorio jam dicto Beneventano; sed et monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ in loco Sano; item monasterium Salvaloris Domini nostri Jesu Christi, quod positum est in Alife; necnon et monasterium in honore sanctæ Mariæ ædificatum videlicet in territorio Marsicano, loco Apinianici. Porro monasterium sancti Mauri infra comitatum Atinensem quam et aliud monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ situm in territorio Pennense in loco, qui dicitur Marano; necnon et monasterium aliud consecratum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, loco qui dicitur Duas Basilicas; quam una cum aliis monasteriis et cellis, massis, et casis, casilibus, cum servis, et ancillis utriusque sexus ibidem residentibus, cum omnia et in omnibus suis pertinentiis, tibi, aliisque successoribus abbatibus, qui ibidem in tempore fuerint, conce- A damus, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ, vobis detinendum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate, quod exposcitis mancipamus Et ideo concedimus vobis, vestrisque successoribus abbatibus licentiam apostolicæ sedis nostræ, ut quamlibet Christianitatem indigentibus in præfato venerabili monasterio, qualis episcopus vobis ad invitandum ire volueritis, habendi potestatem omnimodo concedimus, ad ecclesias consecrandas, et similiter ordinatienem de subdiaconibus et diaconibus per tempora faciendam, et de omni gradu ecclesiastico ibidem in tempora implendum. Protestamur etiam, ut nullus episcopus B exinde debeat subdiaconem ad suam synodum provocare, nisi sua fuerit propria voluntas aut abbatem, vel monachum nullo modo judicare, vel excommunicare. Volumus etiam et apostolicam injungimus auctoritatem vobis vestrisque successoribus abbatibus, qui ibidem in tempore ordinati fuerint, ut si sacerdos, vel clerici de quacunque ecclesia venerint ad habitandum congregationem fratrum, sive monachicum suscipiendi habitum se contulerint, statim recipiantur. Chrisma vero, et firmatam a quali episcopo vobis voluntas fuerit impetrandi, liceat semper, et secundum, ut nullus diximus sub apostolicam nostram potestatem. Et omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato venerabili monasterii ditionem quamlibet habere, C ac auctoritatem, præter sedem apostolicam, prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibi solemnitates quispiam celebrare præsumat. Statuentes insuper apostolica censura sub divini judicii obtestatione, sed et validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut unquam præsumat quispiam alius cujuscunque dignitatis præditus potestate, vel etiam in eodem monasterio venerabili, vel ejus causis incumbere, aut de rebus et possessionibus, vel ecclesiis subjectis vel quidquid de his exinde inesse videtur, quoquo modo auferre, aut alienare, sed nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam ibidem, sive pacis sive barbarorum tempore, quoquomodo inferendum, cum præfatum perenniter, ut dictum D est, tam pacis, quam barbarorum tempore firma stabilitate decreverimus sub jurisdictione sanctæ ecclesiæ nostræ perma..endum. Promulgantes quoque, et hac auctoritate beatorum apostolorum principis, coram Deo, et terribili ejus examíne futuro, per hujus nostri apostolici privilegii, atque constituti paginam sancimus, atque decernimus, loca, quæ abbatibus cujuslibetque vobis in eodem venerabili monasterio sancti Vincentii martyris Christi commutata vel et concessa sunt, necnon et alias locorum possessiones, quæ a regibus, vel ducibus, vel castaldeis, et universis Christianis largita, atque oblata sunt, aut in postmodum illic concessa fuerint, firma stabilitate juri ipsius præfati monasterii existenda, atque in perpetuum permanenda statuimus; nec licentia sit,

ut dictum est, ex ejus, vel omnibus monasterii pertinentiis, cuiquam molestias inferre, vel sibi donata auferre a præfato, juxta id quod subjectum eisdem venerabilibus locis apostolicis institutis, atque privilegis inconcussa permaneant. Et liceat eosdem monachos de sua congregatione abbatem semper eligere. Et liceat ipsum abbatem suos qui fuerint judicare manachos, non solum virile monasterium, sed etiam muliebre sibi subjectum. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti venerabilis monasterii statuta sunt, refragare, aut in quoquam transilire voluerint, anathematis vinculo innodatus, et cum diabolo et ejus atrocissimis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterno incendio concremandus deputetur. At vero, qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens nostri apostolici constitutum ad cultum Dei respicientem, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Bene valete.

Scriptum per manus Benedicti, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Julio, indictione 5, in sacratissima sede beati Petri apostoli, 8 anno pontificatus domini Joannis.

## XIX.

### JOANNIS PAPÆ EPISTOLA AD ÆDREDUM ANGLORUM REGEM.

(Anno 955-63).

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XVIII, col. 455].

*Monet ut veterrimi Angliæ monasterii SS. Petri et Pauli Cantuarensis privilegia tueatur.*

Joannes episcopus, servus servorum Dei, Ædredo regi excellentissimo, atque omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, et cuncto fideli populo Anglicæ gentis, charissimam salutem, et apostolicam benedictionem.

Studio divini cultus promovemus pro venerabilium locorum semper percogitare stabilitate, quatenus proveniente pio labore animæ Christo dicatæ, quæ se illic diebus vitæ eorum servire decreverint, sub regulari institutione perseverent imperturbatæ ; nec non illa maneant fidetenus inconvulsa, quæ ob religionis cultum in Dei laude constructa sunt. Quapropter mando tibi, rex inclyte ac fili charissime, et cæteris omnibus prædictæ gentis filiis nostris spiritualibus, ut monasterium penes vos in honore beatorum apostolorum principis Petri, et doctoris gentium Pauli instructum, sub cura nostra habere dignemini, ne alicujus magnæ parvæque personæ perturbentur inquietudine, sed abbas et monachi inibi Deo servientes vestro uti communi subsidio, et quæque juri eorum pertinere videntur, libere possidentes, efficacius, in sancta conversatione suam queant ducere vitam. Cum vero abbatem ipsum obiisse contigerit, non aliunde quam ex eadem congregatione, quem ipsi communi consilio elegerint, constituatur, in loco eodem consecretur [et gregi] Dominico præficiatur. Nullus ibi præsulum aliquam sibi auctoritatem usurpet, sed nec ibi, nisi ab abbate invitatus, illorum missam celebrare præsumat ; per omnia sicut prædecessores nostri juris apostolici Deoque digni in suis privilegiis eidem contulerunt Ecclesiæ. Quibus ne quisquam temeratio ausu refragari audeat, etiam nostræ parvitatis scripta ex auctoritate apostolica superaddere curavimus. Constat igitur præfatum monasterium primum esse omni ab initio vestræ nascentis Ecclesiæ sanctorum monachorum religione decoratum ; quod Æthelbertus, rex Christianissimus, a beato Augustino, beatæ memoriæ Gregorii discipulo, ad Christi fidem perductus, hortatu ejusdem Patris, apostoli vestri Augustini, a fundamentis construxit, ibique Petrum monachum, ab hac apostolica sede directum, monachis Dominum timentibus abbatem præposuit ; ubi etiam ex præcepto ejusdem Gregorii prædictus Pater Augustinus ipsi regi sibique et successoribus suis regibus, atque archiepiscopis ubi corporales eorum exuviæ diem resurrectionis exspectarent locum elegit. Si quis vero hoc sanctæ religionis propositum contaminare vel delere conaverit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo innodatum, et cum Juda traditore Domini æterni incendii supplicio concremandum. Unde canonicis de monasterio S. Salvatoris illi loco insidentibus, præcipimus omnimodis ne sanctæ hujus devotionis cultum inquietare præsumant. Quod si fecerint, eodem anathemate puniantur. In Christo cum omnibus tuis, domine fili, valeas.

Data decimo die Kalend. Maii, imperante domino piissimo Augusto Ottone, anno undecimo regni ejus, indictione undecima.

## XX.

### AD EUMDEM ET CLERUM ANGLIÆ.

(Ann. 955-63).

[Mansi, *ibid.*].

*Privilegia ejusdem monasterii SS. Petri et Pauli confirmat.*

Joannes episcopus, servus servorum Dei, Ædredo, regi Anglorum excellentissimo, dilectissimoque filio nostro Odoni Dorovernensis Ecclesiæ archipræsuli cum omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus et cuncto fideli populo Anglicæ gentis, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter præclaras sacræ fidei vestæ virtutes, quibus et vos, præcellentissime fili, et subjectos vobis reges cum optimatibus vestris, et populis Christianæ religioni subjecistis, hanc charitatis vestræ flagrantiam familiarius amplectimur, quod primitivum regni vestri monasterium in suburbio Doroberniæ situm (in honore principum apostolorum Petri et Pauli consecratum a primo doctore et apostolo Angorum Augustino, et a primo regum Anglorum Christiano, Deo amabili rege Æthelberto fundatum ; ut scilicet in perpetuum apostolica auctoritate sepeliantur corpora regum et ar-

chiepiscoporum Cantariæ) vestra regalis eminentia postulat etiam per nos antiqua sua dignitate confirmari, ac libertate, sicut videlicet antecessores vestri reges, et prædecessores nostri pontifices descriptis apostolicis privilegiis sanxere. Ergo et nos gratifice annuentes statuimus, quatenus ipsa apostolica Ecclesia, sicut in gratia principum apostolorum censentur apud vos primogenita, sit cæterorum monasteriorum vestri regni quæ post surrexere vel deinceps in omnem posteritatem nascentur, mater primaria, sit (inquam) regia et apostolica confirmatione regalis et apostolica sit ab omni sæculari servitute libera, ita ut nullus episcoporum, nullus successorum vestrorum regum in aliquo eam lædere aut inquietare præsumat, nec aliqua unquam servitutis occasio de rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, vel in minimo ab ullo exigatur, quatenus sub rege suo, defensore, non tyranno, libere Christo soli deserviat. Dilecto etiam filio nostro et consacerdoti Dorovernensis Ecclesiæ Odoni, vice beatorum apostolorum principis Petri, in omnibus mandamus, ut non typho prælationis, sed officio charitatis ubi poscitur, se impendat; abbatemque ipsius ac in Romanum legatum et comministrum Evangelii pacis habeat et fraternum sibi socium æstimet, non subjectum, per omnia, sicut sancti et Deo dilecti filii, sedis apostolicæ archipræsul Theodorus et abbas Adrianus se habuere. Nullum vero potentatum in hanc Ecclesiam præripiat, nec (præter ordinationem abbatis) quodlibet officium sine ipsius favore et fratrum sibi arroget; sed neque ab ipsis intimis et peculiaribus locis, aut parochiis, vel in omni privilegio ipsius juris quidquam præter ejusdem abbatis assensum accipiat vel faciat, ne qua scilicet abusione pacem perturbet gregis Dominici; quales scandalizare est cum mola asinaria in profundum demergi. Abbas quoque ejus reliquis prior habeatur, ita duntaxat, ut ad sacræ fidei, charitatis et concordiæ compaginationem loco primogeniti, et vice Romana affectuose magis quam imperiose præluceat confratribus. Hæc igitur et cætera quæcunque tam sunt a vobis quam ab antecessoribus vestris, aut a vobis, aut a successoribus vestris, vel a quibuslibet personis usque in finem jura tradentur, juxta vestram postulationem, ita observanda ab omnibus regibus et principibus ac plebibus Britanniæ contestamur; ne quis prævaricator (quod absit) excommunicationis S. Petri principis apostolorum gladio excisus intereat, sed magis favens Ecclesiæ ipsius clave admissus regno gaudeat.

---

# ORDO RERUM

## QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI CENTESIMI TRICESIMI TERTII.

Valleguidone. — Ex typis Jamin.